JAN 9 1918

Folio
Division DK402
Section .T37
V.1

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/veteramonumentap01thei

MONUMENTA HISTORICA POLONIAE.

JAN 1918

VETERA MONUMENTA

POLONIAE ET LITHUANIAE

GENTIUMQUE FINITIMARUM

HISTORIAM ILLUSTRANTIA

MAXIMAM PARTEM NONDUM EDITA EX TABULARIIS VATICANIS

DEPROMPTA COLLECTA AC SERIE CHRONOLOGICA DISPOSITA

AB

AUGUSTINO THEINER

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII, CONSULTORE SS. CONGREGATIONUM INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM, EPISCOPORUM ET REGULARIUM AC SANCTI OFFICII, SOCIO COLLEGII THEOLOGORUM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE ET ACADEMIAE HERCULANENSIS, INSTITUTORUM BELGICI ET HUNGARICI, TABULARIORUM VATICANORUM PRAEFECTO ETC. ETC.

TOMUS PRIMUS

AB HONORIO PP. III. USQUE AD GREGORIUM PP. XII.

1217—1409.

ROMAE

TYPIS VATICANIS

1860.

PRAEFATIO.

Nobilissimae Hungarorum et Polonorum gentes, iam inde cum ferocissimi Mahumeti sectatores Europam depopulationibus implerent, validissima Christianitatis propugnacula semper extiterunt. Sub salutifero namque Crucis vexillo, quo a summis Ecclesiae Catholicae moderatoribus, Romanis scilicet Pontificibus, instructi atque muniti fuerunt, militantes, eorumque adhortationibus excitati, piis elargitionibus saepe saepius adjuti et sustentati, Occidentem non semel a fera Turcarum tyrannide, obstupescente et plaudente orbe Christiano, liberarunt. Ut vetera tempora transeamus, Vindobonensem dumtaxat liberationem memoria repetere sufficit, ubi Poloni et Hungari Germanis mixti, sacroque inter se foedere iuncti, cuius auctor ac praecipuus impulsor Romanus Pontifex Innocentius XI. fuit, formidandas Turcarum vires per omne aevum fregere atque ad nihilum redegere, sicut monumenta historica, quae de rebus Polonicis et Russiacis non ita pridem typis excudenda curavimus, clare demonstrant.

Sed non modo illa belli contra Turcas gerendi ratio Polonos atque Hungaros conjunxit, verum multae et permagnae utramque gentem necessitudines attingunt, uti cuique ex monumentis nostris Hungaricis satis apparebit, quasque hic enarrare nimis longum est, neque operis consilium id patitur.

Doluimus sane, quod cum monumenta Hungarica colligeremus, ea, quae Poloniam simul concernebant, tantum indicare potuerimus, brevitati plus aequo forsan studentes, ne opus in nimiam excresceret molem. Quid itaque mireris, omnes patriae historiae cultores unum voluisse, hanc partem nempe a nobis tunc temporis relictam expletum iri? Praeclaris tantorum virorum votis ac precibus vix deesse potuimus, consilio praeprimis moti, quod ista monumenta in non modicam Ecclesiae Catholicae utilitatem et maximum Sanctae Sedis honorem cedant, uti quisque primo intuitu perspiciet: magna ergo alacritate hanc rem multae sane operae et laboris protinus aggressi sumus.

Verumtamen mox cognovimus, opus nostrum haud ita absolutum iri, si monumenta crebras necessitudines, quae Polonis cum Hungaris communes sunt, concernentia tantummodo excerperemus: censuimus igitur, qua in sententia praestantissimi quique viri ex Polonis et Hungaris nos confirmarunt, omnino consultius fore, si omnia, quae Poloniam et Lithuaniam attingunt, documenta in unum colligeremus. Quo factum est, ut quae ad Silesiam pertinent, protulerimus, non ea solummodo ratione permoti, quod sedes episcopalis Wratislaviensis, illius provinciae caput, jure metropolitico primatiali sedi Gnesnensi a sua fere origine subiecta sit, sed etiam quod Silesia ipsa Regibus Poloniae multum temporis paruerit, et plerique ipsius Silesiae Duces et Principes per plura saecula ex regali Piastorum stirpe vel procreati fuerint, vel horum Principum filias matrimonio secum junxerint. Quid demum dicamus de fratribus hospitalis Beatae Mariae Theutonicorum in Prussia, qui cum Polonis gravissimas diu contentiones habuere, immo et acerbissima bella saepius gesserunt? Quae res in causa fuit, cur monumenta, quae Curoniam, Livoniam, Estoniam et Moscoviam ipsam attingunt, exscripserimus.

Utere igitur, benevole lector, hac qualicunque litteraria supellectili, quam eo pretiosiorem reputabis, si perpendere velis, vetera historica monumenta, quae Poloniam et Lithuaniam gentesque iisdem aut subiectas aut finitimas illustrant, fortuna infesta et clade temporum maximam partem deperiisse: quod etiam in Hungaria deplorare nos oportuit.

In colligendis hisce Polonicis monumentis eodem consilio quo in Hungaricis usi sumus, quapropter lectorem ad ea, quae ibidem hac de re praefati sumus, revocamus.

Superest, ut eximios quidem viros debitis laudibus recenseamus, qui in perficiendo hoc opere nobis adjumento esse, ac praestanti sua liberalitate omnique aevo commemoranda nobis succurrere voluere: primas obtinent egregius ille Alexander ex Comitibus de Przezdziecki, quem dixeris animum ad virtutem et litteras a pueritia conformasse, et Ioannes Kozmian, sacerdos ornatissimus, inque summam Ecclesiae spem pietate et litteris excultus: eos sane praecipuos operis nostri hortatores singulariter diligimus et colimus propter ingentia merita, quae de Ecclesia, de litteris et de patria ipsa hoc praeclaro consilio sibi omnino compararunt. Iisdem laudibus prosequendi, virisque, quos modo commemoravimus, adnumerandi Excellentissimus Princeps Ioan. Thaddaeus Lubomirski, Illustrissimi Comites Alexander Branicki, Wladimirus de Broel-Plater, Ludovicus Krasinski, Ladislaus Malachowski et Rainaldus Tyzenhauz, Liber Baro Eduardus de Raslawiecki et nobiles viri Ludovicus Gorski, Ignatius Komar, Ioannes Lawisza et Henricus Corvinus Prendowski. Nec denique praetereunda nobilis mulier Hortensia Sobanska, quae eiusdem utique gloriae participem se reddere voluit.

Et revera, quis Polonorum, monumentis nostris vel leviter inspectis, non admiretur praeclaram avorum erga Deum pietatem, summam ac perpetuam in Ecclesiam Catholicam observantiam, singularem denique et nunquam satis praedicandam erga Sanctam Romanam Sedem eiusque supremos moderatores, Romanos Pontifices, reverentiam, adeo quidem, ut ex illis excelsis virtutibus omnem genti suae gloriam, magnitudinem atque gravitatem evenisse haud dubie dixerit?

Eo denique pertinent consilia nostra, si Superi favent, ut hoc opus usque ad obitum magni illius et immortalis Ioannis Sobieski perducamus, cuius temporis monumenta duo adhuc volumina sibi requirere possunt.

ARGUMENTA.

EPISTOLAE HONORII PP. III.

1217. 9. Febr. Wlodislavo duci de Kalis pontifex de pace cum duce Poloniae inita gratulatur. Nr. 1. pag. 1.
— 9. „ Gnesnensi archiepiscopo pacem a duce de Kalis cum duce Poloniae initam se confirmasse nunciat. Nr. 2. p. 1.
— 9. „ Ducem de Kalis sub sanctae sedis protectione suscipit. Nr. 3. pag. 1.
— 14. „ Archiepiscopum Gnesnensem a voto peregrinationis Hierosolymitanae absolvit. Nr. 4. pag. 2.
— 15. „ Duci Silesiae quandam compositionem inter ipsum et episcopum Vratislaviensem de decimis persolvendis initam confirmat. Nr. 5. pag. 2.
— 22. „ Duci de Kalis, ut duci Silesiae castrum de Kalis restituat. Nr. 6. pag. 3.
— 22. „ Iudicibus, ut ducem de Kalis ad restituendum castrum de Kalis duci Silesiae compellant. Nr. 7. pag. 3.
— 28. „ Archiepiscopo Gnesnensi super vicesima colligenda et in terrae sanctae subsidium crucesignatis distribuenda. Nr. 8. pag. 4.
1218. 28. Apr. Archiepiscopo Gnesnensi, ut in suae provinciae duces et magnates, qui ecclesias earumque homines vexant, censura canonica animadvertat. Nr. 9. pag. 4.
— 5. Maii Universis Christi fidelibus Poloniae et Pomeraniae, ut Prutenis recenter ad fidem conversis contra barbaros auxilium ferant. Nr. 10. pag. 4.
— 6. „ Archiepiscopis Germaniae et Poloniae, ut episcopum Prussiae in defendendis Prutenis recenter ad fidem conversis contra incursiones barbarorum piis largitionibus sublevent. Nr. 11. pag. 5.
— 9. „ Duci Silesiae compositio inter ipsum et ducem Poloniae de castro Lubus inita confirmatur. Nr. 12. pag. 5.
— 9. „ Episcopis Polouiae, ut praedictam compositionem per censuram canonicam observari faciant. Nr. 13. p. 6.
— 16. „ Crucesignatis Poloniae etc. ne in adiuvando Prussiae episcopo pro conversione gentilium laborante mundana lucra quaerant. Nr. 14. pag. 6.
— 26. „ Iudicibus mandatur, ut duci Silesiae castrum de Kalis restituendum curent. Nr. 15. pag. 7.
— 29. „ Episcopo Prussiae pontifex villam de Cecovitz et alia ecclesiae suae a duce de Kalis concessa privilegia, insertis eiusdem ducis litteris, confirmat. Nr. 16. pag. 7.
— 16. Iunii Archiepiscopo Gnesnensi, ut ad correctionem dioec. Ploc. secundum canonicas sanctiones procedat. Nr. 17. p. 8.
— 22. „ Duci de Kalis ecclesiam B. Pauli de Kalis sub protectione sanctae sedis se suscepisse significat. Nr. 18. p. 9.
1219. 11. Maii Archiepiscopo Gnesnensi, ut legationis officium in partibus Prussiae abdicet. Nr. 19. pag. 9.
— 4. Nov. Capitulo et clero Gnesnensis civitatis et dioecesis, ut archiepiscopum, quem eis praefecerit, reverenter recipiant. Nr. 20. pag. 10.
1220. 20. Mart. Fulconi cantori Gnesnensi, quod super pronunciata eius legitimatione factum est, confirmatur. Nr. 21. p. 10.
— 13. Maii Episcopo et abbati B. Mariae Vratislaviensibus, ut capitulum Gnesnense virum idoneum in pastorem eligere compellant. Nr. 22. pag. 11.
— 5. Oct. Capitulo Gnesnensi, quod examinata postulatione praepositi, pontifex ipsam duxerit admitteudam. Nr. 23. p. 11.
— 31. Dec. Archiepiscopo Gnesnensi et praelatis suae dioecesis, ut cardinalem S. Theodori legatum apostolicum benigne recipiant. Nr. 24. pag. 11.
1221. 13. Ian. Abbati S. Vincentii Vratislaviensis arbitrium pro monasterio suo latum confirmatur. Nr. 25. pag. 12.
— 17. Apr. Iudicibus, ut ducem Poloniae a voto in subsidium terrae sanctae transfretandi absolvant, eique iniungant, sicut ipse petierat, ut episcopo Prussiae in convertendis suis gentilibus opem ferat. Nr. 26. pag. 12.

1221. 20. Apr. Iudicibus, ut crucesignatos in Polonia ad adiuvandum episcopum Prussiae in convertendis paganis cohortentur, iisque indulgentias transfretantibus in terram sanctam concessas largiantur. Nr. 27. pag. 13.
1222. 9. Apr. Iudicibus, ut cum episcopo Cracoviensi de cessione episcopatus dispensent, ac capitulum Cracoviense ad idoneum pastorem eligendum compellant. Nr. 28. pag. 13.
1223. 11. Apr. Episcopo Prussiae villae et castra etc. a duce Masoviae et Cuiaviae et ab episcopo Plocensi ipsi et ecclesiae suae in terra Culmensi donata confirmantur. Nr. 29. pag. 14.
— 17. Nov. Iudicibus, apud episcopum Cracoviensem insistant, ut deposito habitu monachali ad regimen suae ecclesiae redeat. Nr. 31. pag. 14.
— 17. „ Decano et capitulo Cracoviensi super eodem argumento. Nr. 32. pag. 15.
— 24. „ Archidiacono Zavikostensi dioecesis Cracoviensis a magnatibus suae regionis ob religionis zelum persecuto indulgetur, ut ecclesiis, in quibus beneficia obtinet, per vicarios possit deservire. Nr. 30. pag. 14.
1224. 27. Ian. Regi Bohemiae, ut possessiones, quas marchio Moraviae ecclesiae Vratislaviensi violenter abstulerit, eidem restitui curet. Nr. 33. pag. 15.

EPISTOLAE GREGORII PP. IX.

1227. 5. Maii Iudicibus, ut principes Poloniae a molestandis gentilibus in terra principum Gedanensium recenter ad fidem conversis deterreant. Nr. 34. pag. 16.
— 5. „ Episcopo Cuiaviensi, ut omnes, qui in partibus Prutenorum pro fide propaganda laborant, absolvere possit, si qui in canonem sententiae promulgatae inciderint. Nr. 35. pag. 16.
1228. 28. Oct. Fratres militiae Christi in Masovia una cum possessionibus sibi ab episcopo et ducibus Masoviae et canonicis Vladislaviensibus donatis sub protectione sanctae sedis suscipiuntur. Nr. 36. pag. 17.
1229. 7. Iunii Episcopo Cracoviensi, et Pragensi et S. Michaelis Cracoviensis praepositis, ut controversiam inter Olomucensem et Vratislaviensem episcopos dirimant, aut instructam ad sedem apostolicam remittant. Nr. 37. pag. 17.
1230. 12. Ian. Fratribus S. Mariae Teutonicorum donatio facta a duce Poloniae (Masoviae) confirmatur, et monentur, ut fidem inter Prutenos sedulo dilatent. Na. 38. pag. 18.
— ... Iunii Donatio terrae Culmensis fratribus S. Mariae Teutonicorum per ducem Masoviae facta. Nr. 40. pag. 19.
— 12. Sept. Iisdem fratribus super eodem argumento. Nr. 39. pag. 18.
— 13. „ Universis Christi fidelibus terrarum septentrionalium, ut fratribus S. Mariae Teutonicorum ad convertendos Prutenos opem ferant. Nr. 41. pag. 20.
— 13. „ Fratribus ord. Praedicatorum earum regionum super eodem. Nr. 42. pag. 21.
1231. 9. Iulii Fidelibus Pomesaniae de eorum conversione ad fidem pontifex congratulatur, ipsisque fratres ord. Praedicatorum commendat. Nr. 43. pag. 21.
1232. 18. Maii Electo Gnesnensi, ut propter paupertatem ecclesiae suae reditibus quarundam ecclesiae Cracoviensis villarum frui possit. Nr. 49. pag. 24.
1233. 24. Febr. Priori provinciali Praedicatorum in Polonia suisque collegis, ut fidelibus matrimonia cum Ruthenis schismaticis inire prohibeant. Nr. 44. pag. 22.
— 25. „ Archiepiscopo Gnesnensi et suis collegis, ut principes Poloniae ab iniqua subditorum suorum vexatione deterreant. Nr. 45. pag. 22.
— 27. „ Iisdem, ut duces Poloniae inter se litigantes ad pacem revocent, ac deterrant, ne in mutuis eorum bellis auxilio gentium paganarum utantur. Nr. 46. pag. 23.
— 15. Mart. Fratribus ord. Praedicatorum in Russia, ut clericorum et religiosorum vagantium immoderatae licentiae frenum adhibeant. Nr. 47. pag. 23.
— 15. „ Accedentibus ad solemnem praedicationem fratrum ord. Praedicatorum in Russia indulgentiae conceduntur, ac fratribus dicti ordinis facultas incendiarios ac clericorum percussores absolvendi datur. Nr. 48. p. 23.
— 3. Dec. V. vidua ducissae de Opol sub apostolica protectione suscipitur. Nr. 50, pag. 24.
— 23. „ Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Vratislaviensi et Olomucensi, ne eam ducissam ab aliquibus molestari permittant. Nr. 51. pag. 24.
— 23. „ C. vidua ducissa Sandomiriae sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Nr. 54. pag. 25.
— 23. „ Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Cracoviensi et Vratislaviensi, ut ducem Masoviae ad restituenda ablata ducissae Sandomiriae compellant. Nr. 52. pag. 24.
— 23. „ Colomanno duci Sclavoniae, ut ducissam Sandomiriae eiusque filium defendat. Nr. 53. pag. 25.
1234. 15. Iunii Cives latini Kiovienses in beati Petri tutelam recipiuntur. Nr. 55. pag. 25.
— 15. „ Iudicibus mandatur, ne praedicti latini ab ullo molestari permittant. Nr. 56. pag. 25.
— 3. Aug. Fratribus S. Mariae Teutonicorum terram Culmensem a duce Poloniae donatam, in ius et proprietatem B. Petri susceptam, et quidquid terrae ab paganis Prussiae expugnatum eant, pontifex in perpetuum possidendum etc. concedit. Nr. 57. pag. 25.
— 31. „ Universis Christi fidelibus per Bohemiam et Poloniam veniam unius anni in consecratione etc. monasterii S. Francisci Pragensis concedit. Nr. 58. pag, 26.
— 9. Sept. Duci Poloniae de favoribus fratribus S. Mariae Teutonicorum in Prussia datis gratulatur, et quidquid ipsi fratres in Prussia expugnatum eant, in proprietatem B. Petri suscipere annuntiat. Nr. 59. pag. 26.
1235. 20. Mart. Guillelmo episcopo quondam Mutinensi sedis apostolicae legato in Polonia, ut de statu ecclesiae Caminensis referat. Nr. 60. pag. 27.
— 22. Iunii Henricus natus ducis Silesiae et Cracoviae in sedis apostolicae protectionem suscipitur. Nr. 61. pag. 27.

1235. 26. Iunii Henrico duci Silesiae et Cracoviae compositionem inter ipsum et ducem Poloniae factam pontifex confirmat. Nr. 62. pag. 27.
— 26. „ Eidem supradicta compositio, insertis ducis Poloniae litteris, iterum confirmatur. Nr. 63. pag. 28.
1236. 17. Iunii Eidem, ut homines ecclesiarum Poloniae contra vexationes principum earum regionum protegat. Nr. 64. p. 29.
— 17. „ Episcopo Mutinensi legato apostolico, ut ducem Silesiae ad satisfaciendum de damnis illatis ecclesiae Gnesnensi moneat. Nr. 65. pag. 30.
— 17. „ Archiepiscopo Gnesnensi indulgetur, ne extra suam dioecesim ultra duas dietas ad iudicium trahi possit. Nr. 66. pag. 30.
1237. 29. Sept. Abbati de Stragow et suis collegis, ut de sententia excommunicationis in causa ecclesiae Gnesnensis in ducem Silesiae lata decernant. Nr. 67. pag. 30.
— 23. Oct. Episcopo Plocensi et suis collegis, ut de causa episcopi Vratislav. contra ducem Silesiae decernant. Nr. 68. p. 31.
1238. 13. Ian. Henrico duci Silesiae, ut a molestanda ecclesia Vratislaviensi desistat. Nr. 69. pag. 32.
— 25. Mart. C. Masoviae et Lancitiae et aliis ducibus Poloniae, ne homines ecclesiae Gnesnensis molestent. Nr. 70. p. 32.
— 25. Maii Duci Silesiae et Cracoviae super satisfactione facienda archiepiscopo Gnesnensi. Nr. 71. pag. 33.
— 4. Iunii Archiepiscopo Gnesnensi conceditur, ut per suam provinciam sibi crux anteferri possit. Nr. 72. pag. 34.
1240. 11. Apr. Iudicibus mandatur, ut fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum a molestando episcopo Prussiae compescant. Nr. 73. pag. 34.
— 5. Aug. Episcopo Vratislaviensi, ut ducem Lancitiae, cautione idonea adhibita, ab excommunicationis sententia absolvat. Nr. 74. pag. 35.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. IV.

1243. 29. Iulii Episcopo quondam Mutinensi sedis apostolicae legato, ut in Prussia et terra Culmensi novas dioeceses instituere possit. Nr. 75. pag. 36.
— 30. „ Episcopo Prussiae nuntiantur, quae episcopus quondam Mutinensis in erectione novarum in Prussia et Livonia dioecesium egerit, ipsique, quam earum dioecesium maluerit, eligendi facultas datur. Nr. 76. p. 36.
— 23. Sept. Provincialibus et fratribus ord. Praedicatorum in Polonia, Germania aliisque partibus septentrionalibus, ut crucem contra paganos Prussiae et Livoniae praedicent. Nr. 77. pag. 37.
— 1. Oct. Fratribus S. Mariae Teutonicorum omnia privilegia ac possessiones a duce Poloniae in Prussia concessa pontifex confirmat, nuntiatque eandem terram Prussiae in ius et proprietatem B. Petri suscepisse, ipsisque tradidisse, conditione adiecta, ut annuum censuum Romanae ecclesiae persolvant. Nr. 78. pag. 38.
1245. 26. Ian. Archiepiscopo Gnesnensi, ut electo Plocensi, non obstantibus quibusdam defectibus, munus consecrationis impendat. Nr. 79. pag. 39.
— 1. Febr. Duci Pomeraniae, ut ab vexandis fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum desistat. Nr. 80. pag. 39.
— 1. „ Henrico ord. Praedicatorum pontifex congratulatur de felici progressu praedicationis suae apud Prutenos, ipsique quasdam facultates pro iis partibus concedit. Nr. 81. pag. 40.
— 1. „ Fratribus S. Mariae Teutonicorum et crucesignatis in Prussia, ut paganos Prutenos ac Letonios brachio potenti deprimant. Nr. 82. pag. 40.
— 1. „ Archiepiscopo Gnesnensi et suis suffraganeis, ut fratres S. Mariae Teutonicorum contra Swantopolci ducis Pomeraniae insultus protegant, in eumque censuris ecclesiasticis animadvertant. Nr. 83. pag. 41.
— 21. Aug. Abbati et conventui Andreoviensi Cisterciensis ordinis Cracoviensis dioecesis privilegia a Boleslao duce Cracoviae concessa, insertis eiusdem ducis litteris, confirmantur. Nr. 84. pag. 41.
— 11. Oct. Abbati de Mezano nuncio apostolico in Prussia, ut Prutenis conversis omnia privilegia a sancta sede concessa confirmet. Nr. 85. pag. 42.
— 11. „ Eidem, ut discordias inter episcopum Cuiaviensem, duces Poloniae etc. ac ducem Pomeraniae et Prutenos neophitos componat. Nr. 86. pag. 42.
1246. 6. Oct. Archiepiscopo Prussiae, ut Wernerum ex ord. Praedicat. in episcopum Varmiensem instituat. Nr. 87. pag. 43.
1247. 7. Febr. Episcopo Cracoviensi, ut fideles ad adiuvandum ducem Cracoviae et Sandomiriae in expugnandis fidei hostibus adhortetur. Nr. 88. pag. 43.
— 14. Mart. Praelatis et baronibus Poloniae et Pomeraniae etc. ut P. cardinalem legatum sedis apostolicae benigne suscipiant. Nr. 89. pag. 43.
— 18. „ P. s. Georgii ad velum aureum diacono cardinali apostolicae sedis legato, universos ecclesiarum praelatos Germaniae, Daciae, Poloniae etc. moneat, ut contra Fridericum Romanorum imperatorem verbum crucis praedicent. Nr. 90. pag. 44.
— 26. Iunii Archiepiscopo Gnesnensi, ut clerum Cracoviensem circa fructuum perceptionem benigne tractet. Nr. 91. p. 45.
— 19. Nov. I. archidiacono Leodiensi nuntio apostolico in Poloniam, Prussiam et Pomeraniam misso quaedam facultates conceduntur. Nr. 93. pag. 45.
— 19. „ Gnesnensi et Prussiae archiepiscopis et suis suffraganeis, ut eundem nuncium benigne recipiant. Nr. 94. p. 45.
— 22. „ Eidem nuncio apostolico, ut treugas inter fratres S. Mariae Teutonicorum et Poloniae et Caminensem duces, ac ducem Pomeraniae et neophytos Prussiae indicat. Nr. 92. pag. 45.
1248. 2. Iunii Archiepiscopo Gnesnensi, ut principes Poloniae a molestandis episcopo et clero Plocensi desistere exhortetur. Nr. 95. pag. 46.
— 15. Sept. Alexandro Novogardiae regi pontifex congratulatur de reditu suo ad ecclesiam Romanam, et quod Pleskoviae sedem episcopalem in Latinorum commodum erigere velit; ad eumdemque archiepiscopum Prussiae mittit. Nr. 96. pag. 46.

1249. 11. Febr. Archiepiscopo Prussiae, ut fratrem Henricum S. Mariae Teutonicorum episcopum Varmiensem instituat, eique munus consecrationis impeudat. Nr. 97. pag. 47.

— 11. Apr. Episcopis regionum septentrionalium, ut, si ab archiepiscopo Prussiae requisiti fuerint, Henrico ex ordine Praedicatorum, ab ipso iu episcopum terrae Iatwesouiae praefecto, munus consecrationis impendant. N. 98. p. 47.

1251. 9. Mart. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutouicorum compositio iuter ipsos et archiepiscopum Prussiae inita confirmatur. Nr. 99. pag. 47,

— 9. „ Episcopo Olomucensi, ut praedictam compositionem observandam curet. Nr. 100. pag. 48.

— 15. Iulii Episcopo Culmensi, ut decimam ecclesiasticam in regno Lithoviae moderate exigi curet. Nr. 101. p. 49.

— 17. „ Mindowiu rex Lithoviae (Lithuaniae) in beati Petri tutelam suscipitur. Nr. 102. pag. 49.

— 17. „ Episcopis Osiliensi et Curoniensi, ue regem Lithoviae christianam religionem amplexum molestari patiantur. Nr. 103, pag. 49.

— 17. „ Episcopo Culmensi, ut Lithoviae regi diadematis regalis honorem conferat. Nr. 104. pag. 50.

— 17. „ Episcopo Culmensi, ut ecclesiam cathedralem erigendam in Lithovia curet, eique virum idoneum in episcopum praeficiat. Nr. 105. pag. 50.

— 26. „ Rigensi, Tarbatensi et Osiliensi episcopis, ut regi Lithoviae in convertendis infidelibus ad religionem christianam efficaciter assistant. Nr. 106. pag. 50.

1253. 14. Maii Universis Christi fidelibus per Poloniam constitutis, ut Tartarorum incursionibus viriliter obsistant et vexillum crucis contra eos sumant. Nr. 107. pag. 51.

— 17. „ Abbati de Mezano legato sedis apostolicae, ne principes Poloniae ab aliquibus molestari patiatur. Nr. 108. pag. 52.

— 19. „ Eidem, ut cum consensu ducum Lancitiae et Cracoviae terras paganorum vicinis dioecesibus annectere possit. Nr. 109. pag. 52.

— 19. „ Ducibus Lancitiae et Cracoviae, ut paganorum ad fidem conversurorum terras sub sua protectione ac dominio recipere possint. Nr. 110. pag. 52.

— 24. Iunii Archiepiscopo Prussiae, ut votis regis Lithoviae satisfaciens, in eius regno virum idoneum in episcopum instituere possit. Nr. 111. pag. 53.

— 17. Sept. Canonizatio sancti Stanislai episcopi et martyris Cracoviensis adscripti cathalogo sanctorum cum eiusdem festivitate instituta die VIII. Maii. Nr. 112 pag. 53.

— 29. „ Universis Christifidelibus die sancti Stanislai visitantibus ecclesiam Cracoviensem indulgentiae conceduntur. Nr. 113. pag. 55.

1254. 31. Mart. Fundatio hospitalis infirmorum sanctae Elisabethae a ducissa Silesiae et Cracoviae iu urbe Vratislaviensi erecti et dotati, insertis fundationis litteris, coufirmatur. Nr. 114. pag. 55.

— 17. Apr. P. sancti Georgii cardinali legato conceditur, ut clerici secum permanentes beneficiorum suorum proventus integre percipiant. Nr. 115. pag. 56.

— 7. Maii Eidem, ut Henricum ex ordine Praedicatorum ab Varmiensi ad Sambiensem sedem transferat. Nr. 116. p. 56.

— 10. „ Episcopis Culmensi, Pomesaniensi et Varmiensi, ut fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum foveaut ac protegant. Nr. 117. pag. 57.

— 11. Iunii P. cardinalis sedis apostolicae legato in Polonia, ut ecclesiae Sambiensi virum idoneum in episcopum praeficiat. Nr. 118. pag. 57.

— 13. Iulii Abbati de Mezano legato in Polonia, ut cpiscopum Cracoviensem de munere suo moneat, quod si neglexerit ille, sedem episcopalem in provincia Lucow erigat, et de pastore idoneo provideat. Nr. 119. p. 57.

— 3. Sept. Episcopo Naumburgensi, ut nomine sedis apostolicae ab episcopo Lithoviae iuramentum fidelitatis, abrogato illo, quod idem archiepiscopo Prussiae praestiterit, recipiat. Nr. 120. pag. 58.

— 20. „ Christianus episcopus Lithoviae eximitur a iurisdictione archiepiscopi Livoniae et sanctae sedi immediate subiicitur. Nr. 121. pag. 59.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. IV.

1254. 19. Dec. Episcopo Brandeburgensi, ut cum Conrado nato marchionis Brandeburgensis et Constantia nata ducis Poloniae de matrimonio ineundo dispenset. Nr. 122. pag. 60.

1255. 6. Mart. Regi Lithoviae gratulatur de sua fidei professioue, et terras Russiae iam conquisitas et suo dominio subiectas confirmat, conceditque, ut per episcopum quendam Latinum filium suum in regem Lithoviae coronari faciat. Nr. 123. pag. 60.

— 31. „ Ecclesia metropolitana Rigensis cum omuibus suis cxpressis possessionibus sub beati Petri protectione suscipitur. Nr. 124. pag. 61.

— 2. Aug. Duci Cracoviae donationes a se factae hospitali pauperum in oppido Zavichost, insertis eiusdem donationis litteris, confirmantur. Nr. 125. pag. 62.

— 6. „ Bartholomaeo de Bohemia ordinis Minorum, ut contra Lithuanos et Iatwesones et alios cthnicos verbum crucis praedicet, et praedicari faciat in Polonia, Bohemia, Moravia et Austria. Nr. 126. pag. 63.

— 13. Dec. Archiepiscopo Gnesneusi et episcopis Cracoviensi et Vladislaviensi, ut impios ducis Silesiae in episcopum et clerum Vratislaviensem ausus reprimaut. Nr. 127. pag. 63.

1256. 3. Ian. Christifidelibus, qui ad tumulum sancti Stanislai in civitate Cracoviensi veneraturi accesserint, indulgentiae conceduntur. Nr. 128. pag. 64.

— 21. „ Episcopo Cracoviensi, ut fideles aliarum Poloniae dioecesium ad tumulum sancti Stanislai accedentes a peccatis absolvere possit. Nr. 129. pag. 65.

1256. 21. Ian. Capitulo Cracoviensi libertates et immunitates a Boleslao duce Cracoviae et Sandomiriae eiusque matre et uxore concessae, ad honorandum sanctum Stanislaum etc. confirmantur. Nr. 130. pag. 65.

— 26. „ Episcopo et capitulo Cracoviensi privilegia et libertates a duce Cracoviae et Sandomiriae ac matre eius concessae, insertis eiusdem ducis litteris, expunctis in eisdem, quae libertati ecclesiasticae adversabantur, confirmantur. Nr. 131. pag. 66.

— 28. „ Iudicibus, ut ducem Cracoviensem a violatione immunitatis ecclesiasticae arceant. Nr. 132. pag. 67.

— 9. Febr. Christifidelibus ecclesiam S. Stanislai Cracoviae die et infra octavas translationis eiusdem sancti visitantibus indulgentias pontifex elargitur. Nr. 133. pag. 68.

— 12. „ Duci Cracoviae de libertatibus ecclesiae Cracoviensi concessis gratulatur, significatque easdem se confirmasse, demtis iis, quae immunitati ecclesiasticae adversabantur. Nr. 134. pag. 68.

— 25. „ Episcopo Cracoviensi, ut fideles diebus festivitatum sancti Stanislai et per octavas ad eiusdem tumulum accedentes a peccatis absolvere possit. Nr. 135. pag. 69.

— 4. Mart. Eidem consuetudo, ut primum post metropolitanum in clero locum habeat., confirmatur. Nr. 136. pag. 69.

— 11. „ Provincialibus Praedicatorum in Alemania, Polonia etc. ut fratres sui ordinis ad praedicandum contra paganos in Livonia et Prussia verbum crucis mittant. Nr. 137. pag. 69.

— 3. Iulii Praelatis et universo Poloniae clero indulgetur, ut nonnisi legatis vel nuntiis apostolicis sibi specialiter missis procurationes exhibere teneantur. Nr. 138. pag. 70.

— 15. „ Episcopo Vratislaviensi, priori Praedicatorum Culmensi et Bartholomaeo ordinis fratrum Minorum, ut qui in Poloniae partibus cultum Dei susceperint, eos omnes in tutelam suam recipiant. Nr. 139. pag. 71.

— 31. Dec. Universis Christifidelibus in Polonia, Prussia etc. visitantibus ecclesias fratrum Minorum quibusdam festivitatibus indulgentiae conceduntur. Nr. 140. pag. 71.

1257. 5. Ian. Prioribus ordinis Praedicatorum et guardianis fratrum Minorum in Polonia, ut excommunicationis sententiam in fratres ord. S. Mariae Teutonicorum latam servandam curent. Nr. 141. pag. 71.

— 5. „ Dux Cuiaviae et alii duces, barones, et universi crucesignati in Polonia etc. sub sedis apostolicae protectione suscipiuntur. Nr. 142. pag. 72.

— 1. Febr. Archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Cracoviensi, ut in castro Lucow in confinio Lithuanorum ecclesiam cathedralem erigant, eique Bartholomaeum de Bohemia in pastorem praeficiant. Nr. 143. pag. 72.

— 11. „ Episcopo Lubucensi, ut iurisdictionem super Latinos in Russia degentes exercere possit. Nr. 144. p. 73.

— 16. Iunii Fratribus ord. Minorum in Polonia etc. ne quis crucesignatos absque speciali sedis apostolicae mandato a voto crucis absolvat. Nr. 145. pag. 73.

— 26. Iulii Fratribus S. Mariae Teutonicorum terram Culmensem a duce Poloniae donatam, in ius et proprietatem B. Petri susceptam, et quidquid terrae a paganis Prussiae expugnatum eant, in perpetuum possidendum confirmat, conditione adiecta, ut Romanae ecclesiae annuum censum persolvant. Nr. 146. pag. 73.

EPISTOLAE URBANI PP. IV.

1263. 23. Aug. Abbati S. Mariae Vratislaviensis, ut Ioanni canonico Posnaniensi, ducis Lancitiae capellano, in ecclesia Pragensi canonicatum conferendum curet. Nr. 147. pag. 76.

— 31. Dec. Episcopo Cracoviensi, ut precibus ducis Cracoviensis satisfaciens viros idoneos ad evangelizandos Lithuanos mittat, ac in eorum partibus ecclesias fundet. Nr. 148. pag. 76.

1264. 4. Iunii Regi Bohemiae, ut Ruthenos schismaticos et Lithuanos una cum Tartaris Poloniam et Prussiam hostiliter invadentes expugnet. Nr. 149. pag. 77.

— 16. Aug. Episcopo Herbipolensi, ut Fridericum fratrem hospitalis S. Mariae Teutonicorum ecclesiae Culmensi praeficiat. Nr. 150. pag. 77.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. IV.

1267. 22. Maii Nicolaus ecclesiae Posnaniensi praeficitur in episcopum et duci Poloniae commendatur. Nr. 156. p. 82.

1268. 20. Ian. Regi Bohemiae, ut in terra Lethoviae (Lithuaniae), si e manibus paganorum suo ministerio eripi contigerit, regni solium, sicut prius, erigere, ac illius regimini personam fidelem et ecclesiae Romanae devotam praeficere valeat. Nr. 151. pag. 79.

— 20. „ Regi Bohemiae, ne contra infideles in Galandia, Getvesia et Lethovia constitutos procedere tepescat, eosque ad fidem catholicam conducat, et ecclesias cathedrales hisce in regionibus erigat. Nr. 152. pag. 79.

— 25. „ Episcopo Olomucensi, ut terras Galandiae, Getvesiae et Lethoviae, a rege Bohemiae e manibus paganorum ereptas, in spiritualibus regat. Nr. 153. pag. 80.

— 26. „ Regi Bohemiae, ut terras, quas e manibus Lithuanorum aliorumque gentilium eripuerit, retinere et de iis libere disponere possit. Nr. 154. pag. 80.

— 31. „ Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Prussia pontifex conventionem inter ipsos et regem Bohemiae de occupandis gentilium terminis initam confirmat. Nr. 155. pag. 81.

EPISTOLAE GREGORII PP. X.

1274. 17. Ian. Episcopus Cuiaviensis, aliquibus ecclesiae Gnesnensis canonicis Conradum praepositum, qnibusdam Ioannem Ridliza canonicum in archiepiscopum eligentibus, et cognitione causae super huiusmodi electionibus exortae cardinali S. Martini commissa, administrator eiusdem ecclesiae Gnesneusis constituitur. Nr. 157. pag. 83.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXI.

1276. 28. Nov. Procopio cantori Gnesnensi administratio eiusdem ecclesiae Gnesnensis confertur. Nr. 158. pag. 84.

EPISTOLAE NICOLAI PP. III.

1278. 22. Iunii Martinus ex ordine Praedicatorum ecclesiae Gnesnensi praeficitur in archiepiscopum et ut moris est, capitulo etc. et ducibus Poloniae commendatur. Nr. 159. pag. 85.

1279. 21. Mart. Henricus ecclesiae Varmiensi in episcopum praeficitur et commendatur. Nr. 160. pag. 86.

— 23. Dec. Episcopo Firmano sedis apostolicae in Hungaria legato, ut Wlostiberium in archiepiscopum Gnesnensem electum, si ipsius electionem canonicam factam esse invenerit, confirmet. Nr. 161. pag. 86.

EPISTOLAE MARTINI PP. IV.

1281. 23. Dec. Henricus de Brem ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 162. p. 88.

1283. 10. Apr. Vratislaviensi et Posnaniensi episcopis, ut nefarios ducis Cracoviensis in episcopum eiusdem ecclesiae ausus reprimant, in eumque censuris ecclesiasticis animadvertant. Nr. 163. pag. 89.

— 30. Iunii Iacobus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 164. pag. 90.

— 13. Aug. Episcopis suffraganeis ecclesiae Gnesnensis, ut Iacobum electum Gnesnensem ad ordinem presbyteratus promoveant. Nr. 165. pag. 91.

— 13. „ Iisdem suffraganeis, ut Iacobo electo Gnesnensi munus consecrationis impendant. Nr. 166. pag. 91.

— 13. „ Eidem electo Gnesnensi, ut ex curia recedere et munus consecrationis una cum pallio in sua ecclesia accipere possit. Nr. 167. pag. 91.

1284. 18. Ian. Eidem electo Gnesnensi conceditur, ut duobus viris idoneis officium tabellionatus conferre possit. Nr. 168. p. 92.

— 4. Iunii Eidem Iacobo archiepiscopo Gnesnensi, ut ecclesias suae dioecesis vacantes idoneis personis conferre possit. Nr. 169. pag. 92.

— 28. Dec. Ioanni Moscatae archidiacono Lancitiensi, ut in Polonia et Pomerania censum et denarium beati Petri colligat et exigat. Nr. 170. pag. 92.

1285. 9. Ian. Ducibus Poloniae et Pomeraniae, ut archidiacono Lancitiensi in exactione denarii beati Petri praesto sint. Nr. 171. pag. 92.

— 9. „ Archidiacono Lancitiensi facultas exigendi denarium beati Petri et alia Romanae ecclesiae debita in Polonia et Pomerania conceditur. Nr. 172. pag. 93.

— 12. „ Ducibus de Opol, ut incolas Teutonicos suorum ducatuum denarium B. Petri solvere iubeant. Nr. 173. p. 93.

— 12. „ Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut archidiaconum Lancitiensem ad colligendum in Polonia et Pomerania denarium beati Petri missum benigne recipiant. Nr. 174. pag. 94.

— 13. Febr. Litterae passus pro eodem exactore denarii beati Petri in Polonia et Pomerania, ut ipsi de necessariis provideatur. Nr. 175. pag. 94.

EPISTOLAE HONORII PP. IV.

1285. 11. Iulii Ducibus Poloniae et Pomeraniae, ut archidiacono Lancitiensi in exactione denarii beati Petri praesto sint. Nr. 176. pag. 95.

— 11. „ Ducibus de Opol super eodem argumento. Nr. 177. pag. 95.

— 11. „ Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis etc. super eodem. Nr. 178. pag. 95.

1286. 28. Mart. Episcopis Vladislaviensi et Posnaniensi, ut ducem Silesiae propter iteratos excessus in episcopum et clerum Vratislaviensem commissos excommunicatum publice nuntient, terramque suam interdicto ecclesiastico supponant. Nr. 179. pag. 95.

— 31. Maii Ioanni episcopo Tusculano legationis officium in Alemannia, Polonia, Russia et aliis regnis septentrionalibus confertur, et praelatis et principibus earum regionum commendatur. Nr. 180. pag. 96.

— 18. Iulii Episcopo Cracoviensi, ut cum septem clericis, qui tempore interdicti divina celebraverint, dispensare possit. Nr. 181. pag. 98.

1287. 6. Febr. Ada canonicus Cracoviensis in Polonia et Hungaria collector decimae in terrae sanctae subsidium indictae constituitur. Nr. 182. pag. 99.

— 6. „ Eidem, ut pecuniam eiusdem decimae pro terra sancta collectam societati de Alfanis mercatoribus Florentinis assignet. Nr. 183. pag. 100.

EPISTOLAE NICOLAI PP. IV.

1290. 16. Febr. Bernardo episcopo Tarbatensi, ut laicos clericorum percussores absolvere possit. Nr. 184. pag. 101.

— 24. „ Episcopo Havelbergensi, ut de matrimonio inter ducem Slavorum et natam principis Ruganorum contracto dispenset. Nr. 185. pag. 101.

— 23. Aug. Abbatissae et conventui monasterii de Scala lapidis S. Mariae ord. S. Clarae Cracoviensis dioecesis exemptio a decimis confirmatur. Nr. 186. pag. 102.

— 9. Sept. Episcopo et capitulo Vratislaviensi privilegia ab Henrico duce concessa, insertis eiusdem ducis litteris, confirmantur. Nr. 187. pag. 102.

1291. 1. Aug. Universis Christi fidelibus, ut ad liberandam terram sanctam crucem assumant. Nr. 188. pag. 103.
— 1. „ Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut verbum crucis ad liberandam terram sanctam praedicent. Nr. 189. pag. 106.
1292. 5. Ian. Brandeburgensi praeposito, ut cum Ioanne nato Alberti marchionis Brandeburgensis et Eufemia nata ducis Silesiae de matrimonio ineundo dispensare possit. Nr. 190. pag. 108.

EPISTOLAE BONIFACII PP. VIII.

1296. 1. Febr. Episcopo Lubucensi et abbati de Lubens, ne duces Silesiae ab ullo molestari permittant. Nr. 191. p. 109.
— 1. „ Duces Silesiae sub protectione beati Petri suscipiuntur. Nr. 192. pag. 109.
— 1. „ Iisdem indulgetur, ut in locis interdictis divina sibi facere celebrari possint. Nr. 193. pag. 110.
1298. 20. Apr. Henricus ecclesiae Revalensi praeficitur in episcopum, et de more capitulo, clero populoque et regi Daciae commendatur. Nr. 194. pag. 110.
1299. 18. Mart. Archiepiscopo Rigensi ac Tarbatensi et Osiliensi episcopis, ut paganorum incursionibus in Estonia sese opponant. Nr. 195. pag. 111.
— 13. Iunii Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, pace cum archiepiscopo Rigeusi inita, citatio et comparitio coram pontifice relaxatur. Nr. 196. pag. 111.
1300. 19. Dec. Isarno archiepiscopo Rigensi pallium transmittitur. Nr. 197. pag. 112.
1301. 9. Apr. Eidem archiepiscopo, ut beneficia ecclesiastica, quae tempore suae promotionis obtinebat, ad triennium retinere possit. Nr. 198. pag. 113.
— 8. Nov. Cardinali Ostiensi legato, ut episcopum Cracoviensem propter discordias in Hungaria excitatas coram pontifice comparendum citet. Nr. 199. pag. 113.
— 7. Dec. Episcopo Revalensi indulgetur, ne interdictum in regno Daciae promulgatum in sua diecesi propter Lethovinos, Carelos aliosque recenter ad fidem couversos observet. Nr. 200. pag. 114.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XI.

1304. 12. Ian. Archiepiscopo Gnesnensi, moneat et compellat episcopum Vratislaviensem, ut archidiaconum Glogoviensem in suam dignitatem restituat. Nr. 201. pag. 115.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. V.

1309. 4. Mart. Iudicibus, ut Ioannem episcopum Cracoviensem ab violentiis Wratislai ducis Cracoviensis tueantur, et bona ablata eidem restituenda etc. curent. Nr. 202. pag. 116.
— 16. Apr. Archiepiscopo Gnesuensi eiusque collegis, ut episcopum Vratislaviensem ad comparendum in curia Romana citent. Nr. 203. pag. 117.
1310. 19. Iunii Iudicibus, ut de excessibus quibusdam a fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in paganos Lethovinos et alios commissis inquirant, eosque ad restituenda quaedam castra iisdem paganis arrepta compellant. Nr. 204. pag. 119.
— 19. „ Archiepiscopo Bremensi, ut causam inter archiepiscopum Rigensem et electum Pomesanensem super eius electione dirimat. Nr. 205. pag. 122.
— 23. Nov. Archiepiscopo Bremensi et suo collegae de gagiis (expensis) providetur. Nr. 206. pag. 122.
1311. 17. Febr. Archiepiscopo Rigeusi, ut fratres ordinum Minorum et Praedicatorum in suam provinciam accire et conventus concedere possit. Nr. 207. pag. 123.
1313. 1. Mart. Nicolao episcopo Tarbatensi conceditur, ut MD. flor. auri mutuum contrahere possit. Nr. 208. pag. 123.
— 12. Oct. Heurico episcopo Vratislaviensi administratio suae dioecesis restituitur. Nr. 209. pag. 124.
— 3. Nov. Gunthero presbytero Vratislaviensi ea, quae inter ipsum et episcopum Vratislaviensem acta suut, confirmantur. Nr. 210. pag. 124.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXII.

1317. 15. Ian. Borislaus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur, et capitulo etc. commendatur. Nr. 211. p. 128.
— 3. Febr. Episcopo Plocensi et suo collegae, ut nobiles clericosque ecclesias provinciae Gnesnensis nequiter occupantes ad satisfaciendum compellant. Nr. 212. pag. 129.
— 7. Nov. Ianislaus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et ut moris est, commendatur. Nr. 213 p. 130.
— 19. Dec. Eidem Ianislao archiepiscopo Gnesnensi pallium conceditur. Nr. 216. pag. 133.
— 21. „ Pontifex confoederationes et ordinationes a canonicis Rigensis ecclesiae eiusque vassallis, et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia contra archiepiscopum Rigensem et ecclesiam factas, inserto earum instrumento, impias et nullas declarat. Nr. 214. pag. 130.
— 23. „ Praedictis tales confoederationes contrahentibus earum annullatio notificatur. Nr. 215. pag. 132.
1318. 23. Febr. Praelatis Livoniae, ut procuratores ad curiam Romanam mittant, ac de suarum ecclesiarum statu poutificem certiorem reddant. Nr. 217. pag. 133.
— 23. „ Fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum et alii citantur, ut infra sex menses coram pontifice compareaut et de statu Livoniae etc. edoceant. Nr. 218. pag. 133.
— 23. „ Universis archiepiscopis et episcopis, ut citatiouem praedictorum promulgent. Nr. 219. pag. 135.

1318. 1. Maii Episcopo Cracoviensi, ut exsurgat et inquisitores haereticae pravitatis habeat commendatos. Nr. 220. p. 137.
— 1. „ Duci Cracoviae, duci Vratislaviensi etc. ut inquisitores haereticae pravitatis foveant et assistant. Nr. 221. p. 138.
— 1. „ Fratres Praedicatorum et Minorum ordinum inquisitores in Cracoviensi et Vratislaviensi dioecesibus constituuntur. Nr. 222. pag. 138.
— ..... Liber computi conscripti a Gabriele archipresbytero ecclesiae S. Archangeli Arimiuensis dioecesis, collectore fructuum beneficiorum vacantium in Vratislaviensi (Gnesnensi, Plocensi, Cuiaviensi), Cracoviensi (Lubucensi, Olomucensi) et Pragensi dioecesibus, anno Domini MCCCXVIII. Nr. 223. pag. 139.
1319. 14. Apr. Episcopo Herbipolensi, ut cum Henrico comite de Hennemberg et Iucta ducissa Vratislaviensi de matrimonio ineundo dispenset. Nr. 224. pag. 145.
— 25. Iulii Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum emptio castri seu monasterii Dunamundensis ord. Cisterc. Rigensis dioec. confirmatur. Nr. 225. pag. 146.
— 20. Aug. Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis et aliis, qui a pontifice petebant, ut Wladislaum ducem Poloniae regem nuntiari et coronari mandaret, quam ob causam hoc differatur, scribit. Nr. 226. pag. 146.
— 20. „ Gerwardo episcopo Vladislaviensi, ut recepta resignatione duarum praebendarum in ecclesia Cracoviensi propter permutationem facienda, unam conferat Ioanni de Verulis, alteram Nauchero (Nankero) canonicis Cracoviensibus. Nr. 227. pag. 148.
— 20. „ Eidem, ut decanatum ecclesiae Cracoviensis vacantem Nauchero (Nankero) conferat. Nr. 228. pag. 148.
— 10. Sept. Mathiae de Paluca providetur de canonicatu in ecclesia Vladislaviensi. Nr. 229. pag. 149.
— 11. „ Iudicibus, ut Begardos ad restituenda quaedam bona in dioecesi Culmensi existentia episcopo Vladislaviensi compellant. Nr. 230. pag. 149.
— 11. „ Iudicibus, ut Wladislao duci Poloniae iustitiam contra fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum faciant. Nr. 231. pag. 150.
— 11. „ Archiepiscopo Gnesnensi eiusque collegis, ut quae olim de bonis ecclesiae Vladislaviensis alienata fuerint, revocent. Nr. 232. pag. 151.
— 11. „ Episcopo Vladislaviensi, ut decem excommunicatos propter iniectionem manuum in clericos absolvere possit. Nr. 233. pag. 151.
— 11. „ Eidem conceditur, ut, quando celebrat in pontificalibus, assistentibus indulgentiam largiri possit. Nr. 234. pag. 151.
— 11. „ Eidem indulgetur, ut confessor ipsi in mortis articulo plenam peccatorum remissionem largiatur. Nr. 235. p. 152.
— 11. „ Eidem conceditur, ut testamentum condere possit. Nr. 236. pag. 152.
— 11. „ Decano et scholastico ecclesiae Gnesnensis, ut licentiam episcopo Vladislaviensi recipiendi decimam de novalibus concedant. Nr. 237. pag. 152.
— 11. „ Episcopo Vladislaviensi, ut parochialem ecclesiam B. Mariae Cracoviensem viro idoneo conferat. Nr. 238. p. 153.
— 11. „ Litterae salvi conductus pro Gerwardo episcopo Vladislaviensi. Nr. 239. pag. 153.
— 11. „ Wladislao duci Poloniae indulgetur, ut orantibus deum pro ipso et sua consorte indulgentia xx. dierum concedatur. Nr. 240. pag. 153.
— 11. „ Eidem indulgetur, ut cum inter missarum solemnia coram ipso praedicetur, praesentibus indulgentia concedatur. Nr. 241. pag. 154.
— 11. „ Eidem et omnibus fidelibus secum pugnantibus contra schismaticos et infideles certa indulgentia conceditur. Nr. 242. pag. 154.
— 11. „ Hedvigi ducissae et Wladislao duci Poloniae, ut confessor ipsis in articulo mortis plenam peccatorum remissionem largiri valeat. Nr. 243. pag. 154.
— 11. „ Andreae de Verulis de canonicatu in ecclesia Vratislaviensi providetur. Nr. 244. pag. 154.
— 13. Oct. Nicolao episcopo Culmensi conceditur, ut mille florenorum mutuum contrahere possit. Nr. 245. pag. 155.
— 18. „ Nicolaus ex ord. Praedicatorum ecclesiae Culmensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur. Nr. 246. pag. 156.
— 1. Nov. Iudicibus, ut de causa inter episcopos Metheliensem et Caminensem super quadam iurisdictione vertente inquirant. Nr. 247. pag. 157.
— 3. Dec. Ludicho ecclesiae Pomesaniensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 248. pag. 158.
— 3. „ Ioannes ecclesiae Sambiensi in episcopum praeficitur, et ut moris est, commendatur. Nr. 249. pag. 159.
1320. 7. Mart. Hedvigi ducissae Poloniae indulgetur, ut monasterium monialium S. Clarae Cracoviense ingredi libere possit. Nr. 250. pag. 160.
— 31. Maii Exsecutoribus, ut Stephanum electum Lubucensem et illos, qui eum confirmaverint, coram pontifice comparendos citent. Nr. 251. pag. 160.
— 15. Dec. Henricus ex ord. Praedicatorum ecclesiae Kioviensi in confinibus Ruthenorum sitae praeficitur in episcopum. Nr. 252. pag. 162.
1321. 23. Ian. Episcopo Vladislaviensi recuperatio et possessio quorumdam bonorum mensae suae episcopalis (vide supra Nro. CCXX.), quae praedecessor suus nonnullis Begardis in dioecesi Culmensi sub conditione donaverat, confirmatur. Nr. 253. pag. 163.
— 18. Febr. Episcopo Kioviensi (vide supra Nro. CCLII.) accedendi ad suam ecclesiam licentia datur. Nr. 255. p. 167.
— 26. „ Sententia a iudicibus ab apostolica sede delegatis, insertis pontificis, regis Poloniae et magistri Prussiae litteris, contra fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum in caussa terrae Pomeraniae pro rege Poloniae lata. Nr. 254. pag. 164.
— 12. Apr. Fratribus ord. Praedicatorum in Svidniz Vratislaviensis dioecesis indulgetur, ut in eodem oppido remanere possint. Nr. 256. pag. 168.

1321. 24. Maii Archiepiscopus Gnesnensis et episcopus Vladislaviensis, collectores a sede apostolica in regno Poloniae constituti, monent episcopum Culmensem, ut clerum suum ad solvendum denarium S. Petri censuris ecclesiasticis compellat. Nr. 257. pag. 168.

— 22. Sept. Hedvigi reginae Poloniae indulgetur (conf. supra Nro. 250.), ut monasteria monialium S. Clarae devotionis causa ingredi valeat. Nr. 258. pag. 169.

— 22. „ Wladislao duci Oswencinensi et eius uxori indulgetur, ut aliquem idoneum sacerdotem in confessorem suum eligere possint. Nr. 259. pag. 170.

— 18. Oct. Cum duce Glogoviensi eiusque uxore super matrimonio in gradu prohibito inito dispensatur. Nr. 260. p. 170.

— 15. Dec. Ioanni nato ducis de Osweucin scholastria ecclesiae Cracoviensis, quam archiepiscopus Strigoniensis obtinuerat, confertur. Nr. 261. pag. 171.

1322. 3. Mart. Iacobus ecclesiae Osiliensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur. Nr. 262. pag. 171.

— 5. „ Paulus Curonensi ecclesiae in episcopum praeficitur et commendatur, eique munere consecrationis impertito ad suam ecclesiam eundi datur licentia. Nr. 263. pag. 172.

— 5. „ Rodulphus ecclesiae Pomesaniensi praeficitur in episcopum, eique munere consecrationis impertito recedendi datur licentia. Nr. 264. pag. 174.

— 14. „ Iacobo episcopo Osiliensi munere consecrationis impertito recedendi datur licentia. Nr. 265. pag. 175.

— 28. Maii Praeposito Vratislaviensi, ut cum Conrado duce Olesnicensi et Elisabetha uxore sua super matrimonio inito dispenset. Nr. 266. pag. 175.

— 28. „ Cum Henrico duce Silesiae et domino Vratislaviae et Anna eius uxore super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur. Nr. 267. pag. 176.

1323. 5. Aug. Henrico de Swiu et Conrado de Creneu militibus Vratislaviensis dioecesis pugnaturis contra Sarracenos conceditur indulgentia. Nr. 268. pag. 176.

— ..... Quibusdam viris ecclesiasticis de beneficiis esclesiasticis providetur. Nr. 269. pag. 177.

— 26. Nov. Engelbertus ecclesiae Tarbatensis in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 270. pag. 177.

— 3. Dec. Mathias electus Vladislaviensis praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 271. pag. 178.

— 3. „ Wladislao regi Poloniae idem episcopus commendatur. Nr. 272. pag. 179.

— 3. „ Ducibus Cuiaviensibus idem episcopus Vladislaviensis commendatur. Nr. 273. pag. 179.

— 9. „ Engelberto episcopo Tarbatensi munere consecrationis impertito recedendi conceditur licentia. Nr. 274. p. 179.

— 19. „ Ioanni Las de canonicatu, praebenda et scholasteria in ecclesia Tarbatensi providetur. Nr. 275. p. 180.

— 23. „ Olavus electus Revaliensis in episcopum eiusdem ecclesiae confirmatur. Nr. 276. pag. 180.

— 23. „ Otto ecclesiae Culmensi praeficitur in episcopum et commendatur, eique munere consecrationis impertito recedendi datur licentia. Nr. 277. pag. 181.

1324. 13. Ian. Mathiae episcopo Vladislaviensi munere consecrationis impertito licentia datur recedendi. Nr. 278. p. 182.

— 10. Febr. Pontifex quasdam ordinationes circa certos excessus et iniurias, quos magister et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum iu Livonia facere dicebautur, edidit, et quaedam eorum foedera et colligationes (vide supra Nro. 214.) revocavit et annullavit. Nr. 279. pag. 182.

— 11. „ Ottoni episcopo Culmensi, ut viro idoneo canonicatum, quem in ecclesia Revaliensi obtinebat, conferre possit. Nr. 280. pag. 184.

— 11. „ Exsecutoribus, ut Bernardo dicto de Holsesatia, canouico ecclesiae Revaliensis, praebendam ipsius ecclesiae vacantem conferant. Nr. 281. pag. 185.

— 3. Mart. Bogufalo de Covale, canonico Vladislaviensi, de scholasteria eiusdem ecclesiae providetur. Nr. 282. p. 185.

— 3. „ Alberto de Paluca de decanatu in ecclesia Vladislaviensi providetur. Nr. 283. pag. 186.

— 3. „ Nicolao de Masovia de ecclesia parochiali de Clevik dioecesis Vladislaviensis providetur. Nr. 284. p. 186.

— 3. „ Sandoyvogio dicto Paluca de Waussose de canonicatu in ecclesia Cracoviensi providetur. Nr. 285. p. 187.

— 3. „ Eidem Sandoyvogio de canonicatu in ecclesia Plocensi providetur. Nr. 286. pag. 187.

— 3. „ Gotkino de Brost de canonicatu in ecclesia Posnaniensi providetur. Nr. 287. pag. 188.

— 3. „ Alberto dicto Paluca de canonicatu in ecclesia Vratislaviensi providetur. Nr. 288. pag. 188.

— 11. „ Vicario capituli Vratislaviensis, ut canonicos monasterii S. Mariae prope Vratislaviam a sententia excommunicationis absolvat. Nr. 289. pag. 189.

— 28. Maii Bartholomeo episcopo Electensi et Bernardo abbati S. Theofredi Aniciensis dioecesis, nuntiis apostolicis, ut in prosequendo hoc negotio in locis interdictis celebrare possint, indulgetur. Nr. 299. pag. 198.

— 28. „ Iisdem, ut durante dicto negotio, antequam illucescat dies, missam celebrare et facere celebrari possint. Nr. 300. pag. 199.

— 1. Iunii Iidem nuntii apostolici mittuntur ad Gedemin regem Lithuanorum, qui, ut asserit, cum gente sua ad fidem Catholicam venire paratus sit. Nr. 290. pag. 190.

— 1. „ Iisdem conceditur, ut omnes, qui ipsos iu prosecutione huius negotii perturbaverint, ipso sint facto excommunicati. Nr. 291. pag. 192.

— 1. „ Iisdem omnes sibi opponentes facultas ad sedem apostolicam citandi datur. Nr. 292. pag. 193.

— ... „ Iisdem conceditur, ut fratres cuiusenmque ordinis in suum adutorium recipere possint. Nr. 295. pag. 195.

— ..... Gedemin regi Lithuanorum (conf. supra pag. 49. et 50.) super sua conversione et de SS. Trinitate et fide Catholica scribitur. Nr. 293. pag. 193.

— ..... Episcopo Electensi et abbati sancti Theofredi uuntiis apostolicis provisio pro necessariis expensis conceditur. Nr. 294. pag. 195.

— ..... Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum mandatur, ne Gedemin regem Lithuanorum ac geutem suam, qui ad fidem catholicam se convertere proponunt, molestent. Nr. 296. pag. 196.

1324. ..... Litterae passus pro iisdem nuntiis, ut de expensis et aliis necessariis provideantur. Nr. 297. pag. 196.
— ..... Iisdem nuntiis articuli fidei Catholicae dantur, ut dicto regi suaeque genti explanent et insinuent. Nr. 298. p. 197.
— 5. Iunii Litterae salvi conductus pro Frederico archiepiscopo Rigensi in patriam redeunte. Nr. 301. pag. 199.
— 17. „ Cum Mathia episcopo Vladislavieusi de limiuibus apostolorum visitandis dispensatur. Nr. 302. pag. 199.
— 19. Aug. Cum Casimiro duce Thossinensi et Eufemia eius uxore super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur. Nr. 303. pag. 200.
— 19. „ Ioanni Boguslai beneficium ecclesiasticum, cum cura et sine cura, ad episcopi Vratislaviensis collationem pertinens confertur. Nr. 304. pag. 200.
— 12. Sept. Archiepiscopo Magdeburgensi, ut cum Ioanne duce Silesiae et Margaretha eius uxore super consanguinitate dispenset. Nr. 305. pag. 201.
1325. 4. Apr. Permutatio loci a regibus Poloniae pro abbatissa et conventu sancti Andreae Cracoviensi facta confirmatur. Nr. 306. pag. 201.
— 4. „ Regi et reginae Poloniae, ut confessor ipsis plenam peccatorum absolutionem impertiri semel possit, indulgetur. Nr. 307. pag. 202.
— 4. „ Iisdem regibus, ut confessor ipsos ab omnibus excommunicationum sententiis, si quas incurrerint, absolvere possit. Nr. 308. pag. 202.
— 4. „ Iisdem ut in locis interdicto ecclesiastico suppositis divina celebrari officia facere possint. Nr. 309. p. 202.
— 4. „ Iisdem indulgetur, ut confessor, quem elegerint, ipsos auctoritate apostolica absolvere valeat. Nr. 310. p. 203.
— 25. „ Andreae de Masovia beneficium ecclesiasticum ad collationem monasterii Tynciensis Cracoviensis dioecesis pertinens confertur. Nr. 311. pag. 203.
— 25. „ Casimiro nato regis Poloniae, ut sibi confessorem eligere possit, indulgetur. Nr. 312. pag. 203.
— 10. Iunii Regi Poloniae pontifex se nuntios suos benigne recepisse significat, eosque de mora in Romana curia excusat. Nr. 313. pag. 204.
— 17. „ Palatino Cracoviensi eiusque uxori, ut confessor ipsos a peccatis etiam in casibus sedi apostolicae reservatis semel absolvere possit. Nr. 314. pag. 204.
— 17. „ Exsecutoribus, ut Andreae de Vislicia Cracoviensis dioecesis praeposituram etc. in ecclesia Posnaniensi conferri curent. Nr. 315. pag. 204.
— 20. „ Universis Christi fidelibus Poloniae, qui morieutur in bello contra infideles, plena conceditur indulgentia. Nr. 316. pag. 205.
— 22. „ Andreae de Verulis et Petro de Alvernia, ut residua fructuum beneficiorum vacantium in regno Poloniae exigant et recipiant. Nr. 317. pag. 205.
— 22. „ Iisdem nuntiis, ut administratores bonorum episcopatus Vratislaviensis tempore suspensionis quondam Henrici episcopi ad reddendam rationem compellant. Nr. 318. pag. 206.
— 22. „ Iisdem nuntiis, ut praedicta ad manum suam recipiant et ad cameram apostolicam deferant. Nr. 319. p. 207.
— 22. „ Iisdem, ut ab archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Vladislaviensi de denario sancti Petri, quem receperint, rationes exigant. Nr. 320. pag. 207.
— 22. „ Iisdem nuntiis, ut fructus episcopatus Cracoviensis a quondam archidiacono Cracoviensi tempore suae administrationis perceptos exigant, et camerae apostolicae transmittant. Nr. 321. pag. 208.
— 22. „ Iidem decimae sexannalis in concilio Viennensi per Clementem V. impositae collectores in Polonia constituuntur. Nr. 322. pag. 208.
— 22. „ Praelatis Poloniae, ut eamdem decimam solvant et exigant, praedictisque nuntiis sive collectoribus assignent. Nr. 323. pag. 209.
— 22. „ Litterae salvi conductus pro memoratis nuntiis apostolicis. Nr. 324. pag. 210.
— 22. „ Iisdem nuutiis conceditur, ut quoscunque ad exsequendum quodlibet negotium requirere et compellere possint. Nr. 325. pag. 210.
— 22. „ Regi Poloniae, ducibus Silesiae, Opoliensi et Glogoviensi et archiepiscopo Gnesnensi, ut dictos nuutios in praemissorum exsecutione habeant commeudatos. Nr. 326. pag. 211.
— 22. „ Iisdem nuntiis apostolicis, ut censum, qui dicitur denarius sancti Petri, ab incolis regni Poloniae exigant. Nr. 327. pag. 211.
— 22. „ Iisdem, ut qui denarium beati Petri solvere recusant, ad id censuris ecclesiasticis compellant. Nr. 328. p. 211.
— 22. „ Iisdem nuntiis, ut in locis interdicto ecclesiastico suppositis divina celebrare vel facere celebrari possint. Nr. 329. pag. 213.
— 22. „ Iisdem nuntiis, ut si opus esset, indultum quibusdam nobilibus Poloniae circa celebrationem divinorum officiorum in locis interdictis concessum suspendant. Nr. 330. pag. 213.
— 22. „ Iisdem nuntiis, ut omnes ecclesiasticos, qui in solvendis decimis mandatis apostolicis non obediant, comparendos coram pontifice citent. Nr. 331. pag. 213.
— 22. „ Iisdem, ut unusquisque eorum duobus viris idoneis tabellionatus officium concedere possit. Nr. 332. pag. 214.
— 22. „ Iisdem nuntiis apostolicis, ut legata ecclesiae Romanae facta recipere possint. Nr. 333. pag. 214.
— 1. Iulii Regi et incolis Poloniae contra infideles pugnantibus iudulgentia conceditur. Nr. 334. pag. 215.
— 15. „ Wladislao regi Poloniae, ut hostibus ecclesiae resistat et supradictos nuntios apostolicos habeat commendatos. Nr. 335. pag. 215.
— 17. „ Exsecutoribus, ut Dominico de Zarow canonico Posnaniensis ecclesiae decanatum conferant. Nr. 336. p. 215.
— 17. „ Andreae de Verulis et Petro de Alvernia nuntiis apostolicis de stipendio et expensis necessariis providetur. Nr. 344. pag. 220.
— 18. „ Iisdem nuntiis, ut pecuniam eorumdem fructuum colligant, et camerae apostolicae assignent. Nr. 346. p. 222.

1325. 1. Aug. Praelatis Poloniae, ut falsarios litterarum apostolicarum severe puniant. Nr. 337. pag. 216.
— 1. „ Wladislao regi et incolis Poloniae contra infideles pugnantibus indulgentia usque ad biennium post triennium prorogatur. Nr. 338. pag. 216.
— 6. „ Sententiam excommunicationis per pontificem contra Ludovicum Bavarum editam episcopus Plocensis in sua dioecesi promulgavit. Nr. 339. pag. 217.
— 10. „ Ducibus Slaviae et Glogoviensi, ut pro viribus se opponant, ne Ludovicus Ludovici Bavari filius marchionatum Brandeburgensem valeat occupare. Nr. 340. pag. 218.
— 13. „ Exsecutoribus, ut Boleslaum ducem Brigae ad restituendum Wladislao subdiacono fratri suo ducatum Lignicensem compellant. Nr. 341. pag. 218.
— 13. „ Henrico duci Silesiae, ut confessor semel in mortis articulo ipsi plenam peccatorum absolutionem impertiri possit. Nr. 342. pag. 219.
— 13 „ Eidem indulgetur, ut ipse et eius uxor et familiares in locis interdictis sibi divina celebrari facere possint. Nr. 343. pag. 219.
— 18. „ Praelatis Poloniae pontifex fructus unius anni ex beneficiis vacantibus pro ecclesia Romana reservatos colligi notificat. Nr. 345. pag. 220.
— 24. Sept. Cum Henrico duce Silesiae et Agnete nata regis Bohemiae super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur. Nr. 347. pag. 222.
— 24. „ Henrico de Lewenberg beneficium ecclesiasticum in dioecesi Vratislaviensi confertur. Nr. 348. pag. 223.
— 16. Oct. Conservatores abbatissae et conventui in Ovenz ordinis Cisterciensis dioecesis Posnaniensis constituuntur. Nr. 349. pag. 223.
— 29. „ Episcopo Vratislaviensi, ut cum Henrico duce Falkenbergensi et Eufemia eius uxore super consanguinitate dispenset. Nr. 350. pag. 225.
— 18. Nov. Wladislao regi Poloniae pontifex provisiones in ecclesia Cracoviensi concessas se revocare non posse scribit. Nr. 351. pag. 226.
— 28. „ Ioanni de Lodimiria canonicatus in ecclesia Vratislaviensi confertur. Nr. 352. pag. 226.
— 15. Dec. Nuntiis apostolicis, ut de valore praepositurae S. Michaelis in castro Cracoviensi se informent. Nr. 353. p. 226.
— 15. „ Censtoborio Meczlinocz canonicatus in ecclesia Cracoviensi confertur. Nr. 354. pag. 227.
— 18. „ Episcopus Cracoviensis laudatur, quod processus pontificis contra Ludovicum Bavarum in sua dioecesi promulgaverit. Nr. 355. pag. 227.
1326. 24. Ian. Episcopo Vladislaviensi et nuntiis apostolicis, ut duos abbates et quosdam alios Vratislaviensis dioecesis, qui promulgationem processuum contra Ludovicum Bavarum conati sunt impedire, coram pontifice comparendos peremptorie citent. Nr. 357. pag. 228.
— 29. „ Episcopo Vladislaviensi pontifex congratulatur, quod tam ipse quam consanguinei sui in causa Ludovici Bavari eiusque filii sanctam sedem strenue defendant. Nr. 356. pag. 227.
— ..... Liber rationis decimae sexannalis per Clementem PP. V. in concilio Viennensi impositae et in Polonia collectae anno MCCCXXVI. et seqq. Nr. 358. pag. 228.
— ..... Liber rationis eiusdem decimae sexannalis in civitate et dioecesi Vladislaviensi. Nr. 359. pag. 262.
— ..... Liber rationis super denario B. Petri in Vratislaviensi, Gnesnensi, Cracoviensi, Vladislaviensi et Plocensi civitatibus et dioecesibus anno MCCCXXV. et seqq. per archiepiscopum Gnesnensem et episcopum Vladislaviensem et alios collecto, et Andreae de Verulis collectori assignato. Nr. 360. pag. 274.
..... Apochae de soluto denario B. Petri in Gnesnensi, Cracoviensi, Vratislaviensi, Vladislaviensi et Posnaniensi ac Plocensi civitatibus et dioecesibus collecto per archiepiscopum Gnesnensem et episcopum Vladislaviensem etc. ab anno MCCCIX. usque ad annum MCCCXXVIII. Nr. 361. pag. 281.
..... Ratio pecuniae receptae ex fructibus beneficiorum vacantium (cf. supra Nro. 223.) et rebus falsariorum et summa omnium pecuniarum ex decimis sexannalibus, denario B. Petri etc. collectarum, et assignatarum camerae apostolicae per Andream de Verulis collectorem. Nr. 342. pag. 285.
— 6. Mart. Nicolao de Lignitz canonico Vratislaviensi confertur canonicatus in ecclesia Varmiensi. Nr. 363. pag. 287.
— 2. Maii Gregorio de Hehel consideratione regis Poloniae providetur de canonicatu in ecclesia Opoliensi Vratislaviensis dioecesis. Nr. 364. pag. 287.
— 2. Maii Mathiae Brochotae confertur canonicatus in ecclesia S. Michaelis Cracoviensis dioecesis. Nr. 365. p. 288.
— 9. „ Hermanno de Opatow canonicatus in ecclesia Crusviciensi Vladislaviensis dioecesis confertur. Nr. 366. p. 288.
— 9. „ Reginae Poloniae, ut in monasteriis monialium S. Clarae regni sui semel in anno comedere et pernoctare possit. Nr. 367. pag. 289.
— 1. Oct. Nankerus episcopus ab ecclesia Cracoviensi ad Vratislaviensem transfertur et commendatur. Nr. 378. p. 289.
— 1. „ Ioannis Grotonis ecclesiae Cracoviensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur. Nr. 369. p. 290.
— 1. „ Wladislao regi Poloniae idem Ioannes Grotonis commendatur. Nr. 370. pag. 291.
— 1. „ Nuntiis apostolicis in Polonia, ut contra quosdam decimarum quaestores, qui falsis litteris apostolicis abutebantur, procedant. Nr. 371. pag. 291.
— 6. „ Nankero episcopo Vratislaviensi, ut ad ecclesiam suam Vratislaviensem se conferat. Nr. 372. pag. 292.
1327. 31. Ian. Electo Cracoviensi, ut suos canonicatus in Gnesnensi, Cracoviensi et Posnaniensi ecclesiis viris idoneis conferre possit. Nr. 373. pag. 293.
— 5. Febr. Eidem indulgetur, ut a quocunque antistite catholico munus consecrationis recipere possit. Nr. 374. p. 294.
— 20. „ Eidem, ut Brachosio de Swentinc contra violentias quorumdam rusticorum faciat iustitiam. Nr. 375. p. 294.
— 1. Mart. Archiepiscopo Gnesnensi, ne Stephanum episcopum Lubucensem per vicinos episcopos molestari permittat. Nr. 376. pag. 295.

1327. 1. Mart. Regi Poloniae, ut episcopum Lubucensem in recuperandis et defendendis bonis et iuribus ecclesiae suae adiuvet. Nr. 377. pag. 295.
— 1. „ Iudicibus, ut in quom locum meliorem sedes episcopalis Lubucensis transferri poterit, se informent et referant. Nr. 378. pag. 296.
— 23. „ Stephano episcopo Lubucensi denuo confirmato licentia ad suam ecclesiam redeundi datur. Nr. 379. p. 296.
— 1. Apr. Praelatis Poloniae fratres ord. Praedicatorum haereticae pravitatis inquisitores in eodem regno commendantur. Nr. 380. pag. 297.
— 1. „ Wladislao regi Poloniae, ut haereticos ex regno suo amoveat et fratres ord. Praedicatorum commendatos habeat. Nr. 381. pag. 298.
— 23. Maii Episcopo Vratislaviensi, ut cum Boleslao duce Opoliensi et Elisabetha nata ducis Silesiae de matrimonio in gradu prohibito inito dispenset. Nr. 382. pag. 298.
— 16. Iunii Wladislao regi Poloniae, ut ducem Russiae a schismate graeco ad ecclesiae unitatem reducat. Nr. 383. p. 299.
— 16. „ Roleslaus duci Russiae, ut ad fidem catholicam sese convertat. Nr. 384. pag. 299.
— 30. Iulii Exsecutoribus, ut quemdam in monasterio S. Mariae in Arena apud Vratislaviam intrusum amoveant, et abbatem et monachos expulsos eo reducant. Nr. 385. pag. 299.
— 12. Aug. Iordanus ecclesiae Varmiensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 386. pag. 301.
— 31. „ Iordano episcopo Varmiensi munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam redeundi datur. Nr. 387. pag. 302.
— 1. Sept. Arbitrium seu compositio facta inter episcopos Vladislaviensem et Plocensem super dioecesium limitibus confirmatur. Nr. 388. pag. 302.
— 16. „ Episcopo Vratislaviensi, ut in Vratislavieusi et Cracoviensi ecclesiis duobus viris idoneis canonicatus conferre possit. Nr. 389. pag. 304.
— 16. „ Pontifex bona mensae episcopalis Vratislaviensis alienata revocat. Nr. 390. pag. 305.
— 16. „ Nankero episcopo Vratislaviensi conceditur, ut quamdiu episcopus Vratislaviensis remanebit, inter alios illarum partium episcopos primum in congregationibus locum habeat. Nr. 391. pag. 305.
— 30. Nov. Petro dicto Militi canonico Cracoviensi reservatur scholastria eiusdem ecclesiae, si per contractum matrimonium vel resignationem Ioannis uati ducis Ladislai vacaverit. Nr. 392. pag. 305.
— 3. Dec. Exsecutoiibus, ut decano Posnanieusi contra quosdam detentores castrorum et bonorum suorum institiam faciant. Nr. 393. pag. 306.
— ... „ Hedvigi reginae Poloniae de eius filii convalescentia pontifex congaudet. Nr. 394. pag. 307.
— 23. „ Andreae de Verulis canonico Vratislaviensi, ut ad curiam Romanam veniat. Nr. 395. pag. 307.
1328. 14. Iulii Praepositura eccl. S. Michaelis in castro Cracoviensi mensae episcopali Vladislaviensi unitur. Nr. 396. p. 307.
— 1. Oct. Petro de Alvernia mandatur, ut in absentia socii sui mandata apostolica exsequatur. Nr. 397. pag. 308.
— 1. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut episcopo Vratislaviensi contra duces Silesiae et cives Vratislavienses praestet. Nr. 398. pag. 308.
— 1. „ Nankero episcopo Vratislaviensi super eodem argumento respondetur. Nr. 399. pag. 309.
— 1. „ Petro de Alvernia, ut episcopum Vratislaviensem a ducibus Silesiae oppressum benigne in exactione decimae tractet. Nr. 400. pag. 309.
— 1. „ Wladislao regi Poloniae, ut episcopum Vratislaviensem contra duces Silesiae et cives Vratislavienses protegat. Nr. 401. pag. 310.
— 13. „ Cum Sbygneo diacono Cracoviensis dioecesis dispensatur, quod non promotus ad presbyteratum quasdam ecclesias tenuerit. Nr. 402. pag. 310.
— 13. „ Exsecutoribus, ut eidem Sbygneo canonicatum ecclesiae Cracoviensis conferant. Nr. 403. pag. 311.
— 11. Dec. Episcopo Vladislaviensi, praepositis et aliis praelatis Vladislaviensis et Crusviciensis ecclesiarum privilegia et libertates olim ipsis per Zemomislium ducem Cuiaviae concessae, insertis eiusdem ducis litteris, confirmantur. Nr. 404. pag. 312.
— 21. „ Nankero episcopo Vratislaviensi, ut horas canonicas iuxta consuetudinem ecclesiae Cracoviensis dicere possit. Nr. 405. pag. 313.
— 21. „ Eidem conceditur, ut a subditis suis moderatum subsidium exigere possit. Nr. 406. pag. 313.
— 21. „ Eidem indulgetur, ut sex clerici eius obsequiis insistentes usque ad triennium fructus beneficiorum suorum percipere possint. Nr. 407. 314.
— 21. „ Eidem, ut idoneis viris ecclesiasticis canonicatus et praebendas in sua ecclesia conferre possit. Nr. 408. p. 314.
— 21. „ Archiepiscopus Gnesuensis et episcopi Posuaniensis et Olomucensis conservatores episcopo Vratislaviensi constituuntur. Nr. 409. pag. 315.
1329. 18. Ian. Reginae Bohemiae pontifex fratrem eius ad Vratislaviensem vel Bambergensem episcopatum promovere non posse nuntiat. Nr. 410. pag. 315.
— 18. „ Episcopo Vratislaviensi, ut causam praepositi Visliciensis audiat et pontifici referat. Nr. 411. pag. 315.
— 11. Febr. Episcopo Plocensi, ut vigore canonum contra Crivosandrium militem Cracoviensem procedat compellatque, ut Ioannem clericum Vratislaviensem a se captum libertati pristinae restituat. Nr. 412. pag. 316.
— ... „ Episcopo Cracoviensi, ne abbatissam et monasterium S. Andreae Cracoviensis ord. S. Clarae super decimis molestet. Nr. 413. pag. 317.
— 11. „ Nankero episcopo Vratislaviensi conceditur, ut ad ecclesiam Cracoviensem redire possit. Nr. 414. p. 317.
— 1. Mart. Archiepiscopus Gnesnensis et abbates de Claratumba et Andreow conservatores (pro decretali Bonifacii VIII. Super cathedram) plebanis et rectoribus civitatis et dioecesis Cracoviensis contra Praedicatores et Minores, et his contra illos constituuntur. Nr. 415.. pag. 317.

1329. 23. Mart. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum suspensio interdicti ob non solutum denarium B. Petri promulgati prorogatur. Nr. 416. pag. 319.
— 12. Apr. Regi Poloniae, ut episcopo Vratislaviensi ad ulciscendas iniurias Petro de Alvernia a duce Silesiae illatas praesto sit. Nr. 417. pag. 319.
— 12. „ Episcopo Vratislaviensi, ut contra ducem Silesiae et complices, qui spoliarint Petrum de Alvernia, procedat. Nr. 418. pag. 320.
— 17. „ Exsecutoribus, ut iudicem et consules oppidi Usce ablatam pecuniam episcopo Cracoviensi restituere compellant. Nr. 419. pag. 321.
— 14. Maii Cestoborio de Meczidlincza canonico Crusviciensi de quadam capituli villa providetur. Nr. 420. pag. 321.
— 1. Iunii Wladislao regi Poloniae, ut Nankerum episcopum Vratislaviensem contra ducis Silesiae violentias defendat. Nr. 421. pag. 322.
— 5 „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut episcopum Vratislaviensem ad solvendam decimam compellat. Nr. 422. p. 322.
— 12. „ Reginae Poloniae, ut in monasterio S. Clarae in antiquo Sandecz Cracoviensis dioecesis semel in anno pernoctare possit. Nr. 423. pag. 323.
— 25. Aug. Archiepiscopo Bremensi, ut episcopum Caminensem contra canonicos rebelles defendat. Nr. 424. pag. 323.
— ..... Quibusdam viris de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 425. pag. 325.
— 1. Nov. Episcopo Vratislaviensi, ut quasdam villas et decimas, Andreae de Verulis subtractas restituat. Nr. 426. p. 325.
— 5. „ Ioannes episcopus Cracoviensis a iuramento de visitandis liminibus apostolorum absolvitur. Nr. 427. p. 326.
— 5. „ Regi Poloniae, ut episcopum Cracoviensem ad recuperanda decimas et alia iura adiuvet. Nr. 428. p. 326.
— 17. „ Episcopo Praenestino, ut episcopum Vratislaviensem, qui Andream de Vernlis beneficio suo spoliaverit, ad comparendum coram pontifice citet. Nr. 429. pag. 326.
— 4. Dec. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum suspensio interdicti denuo prorogatur. Nr. 430. pag. 327.
— 7. „ Nuncio apostolico, ut suspensionem interdicti in terra Culmensi sub conditionibus proroget. Nr. 431. p. 327.
1330. 10. Febr. Episcopis Vratislaviensi et Lubucensi, ut de iure, quod Henrico duci Silesiae super marchionatu Brandeburgensi occupato per Ludovicum Bavarum competat, pontifici referant. Nr. 432. pag. 328.
— 24. Apr. Societati Bardorum recipiendi pecunias pro camera apostolica ab episcopis Cracoviensi et Vratislaviensi facultas datur. Nr. 433. pag. 328.
— 7. Maii Instrumentum recognitionis societatis Bardorum de Florentia de certis marcis argenti, quas pro camera apostolica de pecunia collectoriae Polonicae receperunt. Nr. 434. pag. 329.
— 13. Iunii Custodi et Nicolao canonico Cracoviensibus episcopum Cracoviensem absolvendi ab excommunicatione, quam ob non solutas pecunias in termino constituto incurrerat, facultas datur. Nr. 435. pag. 331.
— 13. „ Ioannes episcopus Cracoviensis de solutis pecuniis praedictis absolvitur. Nr. 436. pag. 331.
— 7. Oct. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum sententiae interdicti latae in eorum terram pro eo, quod denarium S. Petri non solverunt, usque ad instans festum paschae suspenduntur. Nr. 437. pag. 332.
— 30. Nov. Nassano Similonis clericus Cracoviensis ad beneficia denuo recipienda aptus redditur. Nr. 438. pag. 332.
— 13. Dec. Praeposito S. Severini Coloniensis, ut commendatorem domus Teutonicorum Coloniensis, qui nomine episcopi Cracoviensis de cccc. florenis camerae apostolicae debitis satisfecerit, absolvat. Nr. 439. pag. 333.
— 31. „ Episcopus Cracoviensis de solutione decem marcarum auri receptarum a collectore, quas Brugis solvere promiserat, absolvitur. Nr. 440. pag. 334.
1331. 19. Febr. Wladislao regi Poloniae, ut a molestandis episcopo et ecclesia Cracoviensi suas gentes arceat. Nr. 441. p. 335.
— 23. Mart. Iudicibus, ut rigore canonum contra incendiarios ecclesiarum dioec. Vladislaviensis procedant. Nr. 442. p. 335.
— 9. Iunii Ioannes episcopus Cracoviensis et alii ecclesiastici dictae dioecesis de quibusdam pecuniis solutis absolvuntur. Nr. 443. pag. 338.
— 30. Aug. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Prussia solutio denarii S. Petri in Culmensi dioecesi etc. per annum prorogatur. Nr. 444. pag. 339.
— 2. Oct. Ioannes episcopus Cracoviensis redarguitur, quod collectorem apostolicum in decimarum exactione non adiuvet. Nr. 445. pag. 339.
— 30. Nov. Idem episcopus et ecclesiastici dioecesis Cracoviensis de decima soluta absolvuntur. Nr. 446. pag. 340.
1332. 13. Apr. Nuntio apostolico, ut inter regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum pacem reconciliet. Nr. 447. pag. 340.
— 13. „ Regi Poloniae, ut cum fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum pacem et concordiam ineat. Nr. 448. p. 341.
— 30. „ Iacobo episcopo Osiliensi conceditur, ut Curoniensi, Sambiensi, Culmensi et Pomesaniensi Rigensis provinciae ecclesiis, si vacarent, de pastoribus provideat, iisque munus consecrationis impertiat. Nr. 449. p. 341.
— 25. Iunii Frederico archiepiscopo Rigensi conceditur, ut de libris suis disponere possit. Nr. 450. pag. 342.
— 2. Aug. Ioanni de Haynonia in ecclesia Vratislaviensi de beneficio allodiali providetur. Nr. 451. pag. 343.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 452. pag. 343.
— 10. Sept. Cum Engelberto de Tissenhusen et Elizabetha vidua quondam Nicolai de Rope Tarbatensis dioecesis de matrimonio ineundo dispensatur. Nr. 463. pag. 351.
1333. 3. Ian. Episcopo Vratislaviensi, ut cum Leskone duce Ratiboriensi et Agnete nata ducis Silesiae de matrimonio inito dispenset. Nr. 453. pag. 343.
— 6. Febr. Iacobus episcopus Osiliensis a liminum apostolorum visitatione absolvitur. Nr. 454. pag. 344.
— 6. Mart. Petrus de Alvernia episcopum Cracoviensem requirit, ut sibi investituram canonicatus et praebendae in ecclesia S. Floriani prope Cracoviam ab Wladislao rege collatorum impertiatur. Nr. 455. pag. 345.
— 28. Apr. Petrus de Alvernia quosdam constituit procuratores, qui nomine suo canonicatum et praebendam ecclesiae S. Floriani prope Cracoviam ab Wladislao rege collatos recipiant. Nr. 456. pag. 346.

1333. 28. Maii Petro de Alvernia nuntio apostolico, ut pecunias ad Cameram mittat, et ad curiam veniat. Nr. 459. p. 349.
— 5. Iulii In terra Gothiae locus Cersona vocatus civitas et sedes episcopalis constituitur. Nr. 457. pag. 347.
— 5. „ Erectio ecclesiae metropolitanae Vosprensis, cui ecclesiae Cersonensis, Sevastopolensis etc. suffraganeae subduntur. Nr. 458. pag. 348.
— 15. „ Richardus Anglicus ecclesiae Cersonensi in episcopum praeficitur. Nr. 461. pag. 349.
— 21. „ Societati Bardorum in Flandria, ut pecunias pro camera a Petro de Alvernia recipere et de receptis absolvere possint. Nr. 460. pag. 349.
— 4. Aug. Francisco archiepiscopo Vosprensi et Richardo episcopo Cersonensi, ut clerum et populum Graecorum earum regionum ad suscipiendam catholicae fidei puritatem inducant. Nr. 462. pag. 350.
— 23. Sept. Episcopo Vratislaviensi, ut Boleslao duci Silesiae fundandi de novo in oppido Brigae monasterium fratrum Praedicatorum et eisdem fratribus licentiam ipsum recipiendi det. Nr. 464. pag. 352.
— 13. Dec. Episcopo Culmensi, ut cives suae et Vladislaviensis dioecesium, qui propter non solutum denarium B. Petri excommunicati fuerint, absolvat. Nr. 465. pag. 352.
— 13. „ Episcopo Vladislaviensi super eodem argumento. Nr. 466. pag. 353.
1334. 1. Febr. Galhardus de Carceribus collector denarii B. Petri in partibus Poloniae constituitur. Nr. 467. pag. 354.
— 1. „ Eidem in terra Culmensi et Pomerania terminum ad solvendum denarium B. Petri prorogandi datur facultas. Nr. 468. pag. 354.
— 1. „ Idem Galhardus Petro de Alvernia nuntio apostolico in partibus Poloniae adiungitur. Nr. 469. pag. 354.
— 8. Apr. Eidem, ut pacem inter regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum reconciliet. Nr. 470. p. 355.
— 8. „ Petro de Alvernia, ut pecunias ad cameram mittat, et ad sedem apostolicam redeat. Nr. 471. pag. 355.
— 8. „ Eidem de gagiis (de I. flor. cum dimidio auri singulis diebus pro necessariis) providetur. Nr. 472. p. 356.
— 10. „ Regi Poloniae, ut Galhardo de Carceribus in negotiis sedis apostolicae agendis assistat, et pacem cum fratribus Teutonicis conservet. Nr. 473. pag. 356.
— 10. „ Ludero magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum super eodem argumento. Nr. 474. pag. 356.
— 10. „ Hedvigi reginae Poloniae super eodem argumento. Nr. 475. pag. 357.
— 10. „ Episcopis Poloniae idem nuntius apostolicus commendatur. Nr. 476. pag. 357.
— 25. „ Galhardo de Carceribus apostolico nuntio facultas sex tabelliones creandi datur. Nr. 477. pag. 357.
— 26. „ Eidem Galhardo, ut Henricum custodem monasterii de Claratumba prope Cracoviam in officio suo restitutum confirmet. Nr. 478. pag. 357.
— 30. „ Eidem, ut Ioannem episcopum Cracoviensem ad curiam Romanam veniendum citare possit. Nr. 479. p. 358.
— 30. „ Eidem, ut episcopum Cracoviensem a quibusdam actibus illicitis contra regem arceat, eumque et ecclesiam Cracoviensem ipsi regi commendet. Nr. 480. pag. 358.
— 5. Iunii Eidem, ut processus contra episcopum et capitulum Cracovienses habitos super decima solvenda etc. continuet et exsequatur. Nr. 481. pag. 359.
— 7. Nov. Andreae de Verulis canonico Cracoviensi, ut suum hospitium Avinione nulli subiaceat servituti. Nr. 482. p. 360.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XII.

1335. 5. Mart. Galhardus de Carceribus nuntius apostolicus et collector decimarum etc. in Polonia confirmatur. Nr. 483. p. 361.
— 9. „ Casimiro regi Poloniae idem nuntius commendatur. Nr. 484. pag. 361.
— 24. Apr. Eidem nuntio, ut praelatos Poloniae ad sibi providendum de salvo conductu compellere possit. Nr. 485. pag. 362.
— 24. „ Eidem, ut Petrum de Alvernia, qui de pecuniis collectis rationem reddat, ad curiam remittat. Nr. 486. p. 362.
— 24. „ Eidem, ut quae a Ioanne XXII. exsequenda habuerit, continuo exsequatur. N. 487. pag. 362.
— 24. „ Eidem, ut denarium S. Petri in regno Poloniae colligat. Nr. 488. pag. 363.
— 24. „ Eidem, ut residua decimarum etc. in partibus Poloniae exigat. Nr. 489. pag. 363.
— 29. Aug. Officiali Posnaniensi, ut episcopum Caminensem ad restituendam certam Vladislaviensis dioecesis partem episcopo Vladislaviensi ereptam compellat. Nr. 491. pag. 366.
— 30. „ Mathias episcopus Vladislaviensis de denario B. Petri in parte Pomeraniae suae dioecesis, litteris pacti conventi insertis, pro tribus annis collecto et camerae apostolicae soluto absolvitur. Nr. 490. pag. 364.
— 10. Sept. Mathiae episcopo Vladislaviensi super supradicto denario B. Petri solvendo etc. scribitur. Nr. 492. p. 366.
— 10. „ Episcopo Culmensi, ut de denario B. Petri in sua dioecesi secundum concordatum collecto vel colligendo rationem reddat. Nr. 493. pag. 367.
— 23. „ Iudicibus, ut Iaroslaum archidiaconum Cracoviensem a suspensione liberent. Nr. 494. pag. 368.
— 24. „ Nuntio apostolico, ut Petrum de Alvernia collectorem decimarum in Cracoviensi dioecesi ad restituendum episcopo et clero Cracoviensis dioecesis ea, quae hactenus ab ipsis indebite extorserit, compellat. Nr. 495. p. 368.
— 21. Oct. Eidem, ut Petrum de Alvernia moneat, ne episcopum Vratislaviensem de decima solvenda amplius molestet. Nr. 496. pag. 369.
..... Registrum residuae decimae sexannalis per Galhardum de Carceribus collectae in dioecesi Vratislaviensi. Nr. 497. pag. 369.
1336. 13. Ian. Episcopo Vratislaviensi, ut ducem Silesiae ad restituenda, quae ipse vel suae gentes monasterio de Lubens abstulerint, compellat. Nr. 498. pag. 374.
— 13. „ Regi Bohemiae monasteria de Lubens et de Cedelitz ord. Cisterciensis Vratislaviensis et Pragensis dioecesium commendantur. Nr. 499. pag. 374.
— 1. Febr. Nuntio apostolico, ut pecuniam ex decimis in Polonia collectam camerae apostolicae transmittat. Nr. 500. p. 374.

1336. 15. Febr. Galhardus de Carceribus, nuntius apostolicus et collector decimarum in Polonia, pontifici causam Bolconis ducis Silesiae contra Petrum de Alvernia per inquisitores instructam transmittit. Nr. 501. pag. 375.

— 30. Apr. Episcopo Tarbatensi, ut fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum ad restituenda bona archiepiscopo et ecclesiae Rigensi ab ipsis occupata, insertis Ioannis XXII. litteris et mandatis, compellat. Nr. 502. p. 379.

— 8. Maii Episcopo Posnaniensi, ut cum Petro monacho, qui in iuventute sua virilia occulte amputari fecerit, dispenset. Nr. 503. pag. 381.

— 25. „ Consules et cives Cracovienses per Galhardum nuntium apostolicum petunt a pontifice sibi nominari Brugis mercatores, quibus pecunias camerae apostolicae debitas assignare possint. Nr. 504. pag. 382.

— 9. Aug. Nuntio apostolico, ut pecuniam ex decimis in Polonia collectam societati Bardorum Brugis transmittat. Nr. 505. pag. 382.

— 20. Sept. Eidem, ut summam XVM. marcarum argenti, quam rex Poloniae camerae apostolicae sponte donaverat, accipiat. Nr. 506. pag. 383.

— 20. „ Eidem, ut civibus Cracoviensibus terminum pro solvenda decima proroget. Nr. 507. pag. 383.

— 6. Oct. Eidem, ut omnes, qui ob non solutas decimas excommunicationem incurrerint, absolvat. Nr. 508. pag. 384.

— 28. Nov. Eidem, ut Nankero episcopo Vratislaviensi terminum ad solvendam decimam proroget. Nr. 509. pag. 384.

— 28. „ Nankero episcopo Vratislaviensi, ut pecunias camerae apostolicae debitas Galhardo nuntio apostolico assignet. Nr. 510. pag. 385.

— 28. „ Galhardo nuntio apostolico, ut ab episcopo Vratislaviensi praedictas pecunias accipiat. Nr. 511. pag. 386.

— ... „ Nuutius apostolicus episcopum Vladislaviensem de decimis et denario B. Petri, quae Petro de Alvernia solverat, absolvit. Nr. 512. pag. 386.

— 12. Dec. Episcopo Cracoviensi, ut regem Poloniae placare et benevolum sibi reddere studeat. Nr. 513. pag. 387.

— 12. „ Casimiro regi Poloniae super pace inter ipsum et Hungariae ac Bohemiae reges inita. Nr. 514. pag. 387.

1337. 10. Febr. Conservatores abbati et conventui monasterii de Lubens Cisterciensis ord. dioecesis Vratislaviensis constituuntur. Nr. 515. pag. 388.

— 12. Mart. Nuntio apostolico, ut de processibus Petri de Alvernia decimarum collectoris contra capitulum Vratislaviense inquirat. Nr. 516. pag. 388.

— 10. Maii Societati Azayalorum in Flandria, ut Nankerum episcopum Vratislaviensem de pecuniis solutis absolvant. Nr. 517. pag. 388.

— 19. Iunii Ianislaus archiepiscopus Gnesnensis abbatibus monasteriorum de Lubens, S. Vincentii Vratislaviensis et de Camenz Galhardi nuntii apostolici protestationem contra ipsorum citationem, et eius appellationem ad sedem apostolicam intimat. Nr. 518. pag. 388.

..... Galhardus nuntius apostolicus pontificem de rebus in Polonia gestis docet, et de difficultatibus et impedimentis, quae camerae apostolicae in colligendis decimis et denario B. Petri in dioecesi Vratislaviensi et partibus Teutonicis obstant. Nr. 519. pag. 391.

— 12. Sept. Galhardo nuntio apostolico, ut sequentes litteras episcopo et capitulo Vratislaviensi praesentet. Nr. 520. p. 397.

— 12. „ Episcopo et capitulo Vratislaviensi prohibetur, ne ad alienationem cuiusdam castri, inconsulta sede apostolica, procedant. Nr. 521. pag. 397.

— 12. „ Galhardo nuntio apostolico, ut processus contra non solventes censum ecclesiae Romanae debitum continuet. Nr. 522. pag. 398.

— 12. „ Casimiro regi Poloniae, ut in devotione sanctae sedis persistat. Nr. 523. pag. 398.

— 13. „ Archidiacono Posnaniensi, ut Mathiae episcopo Vladislaviensi faciat iustitiam super eo, quod episcopus Caminensis certam partem suae dioecesis Vladislaviensis detinere dicitur occupatam. Nr. 524. pag. 398.

— 24. Nov. Galhardus collector plebanum de Oswencin de decimis Petro de Alvernia solutis absolvit. Nr. 525. p. 399.

— 3. Dec. Hermannus ecclesiae Varmiensi in episcopum praeficitur, et ut moris est, commendatur. Nr. 526. p. 400.

— 21. „ Abbatibus et monasteriis de Camenz et de Henricovia Vratislaviensis dioecesis conservatores constituuntur. Nr. 527. pag. 401.

1338. 20. Febr. Iudicibus, ut circa Thomam de Ratibor ordinis Minorum constitutionem de apostatis observandam curent. Nr. 528. pag. 402.

— 28. „ Petro Gervasii, ut partes in causa Nicolai Bancz canonici Vratislaviensis ad comparendum coram pontifice citet. Nr. 529. pag. 403.

— 28. „ Galhardo de Carceribus et Petro Gervasii, ut episcopum Culmensem et alios ad solvendam decimam sexannalem compellant. Nr. 530. pag. 403.

— 28. „ Iisdem, ut episcopum Culmensem ad observandas sententias ob non solutum denarium B. Petri latas compellant. Nr. 531. pag. 405.

— 19. Mart. Casimiro regi Poloniae, ut ecclesias et personas ecclesiasticas regni sui in suis iuribus et libertatibus conservet, et Ioannem episcopum Cracoviensem in suam gratiam recipiat. Nr. 532. pag. 405.

— 19. „ Episcopo Cracoviensi, ut decimam pro passagio transmarino collectam restituat, et se cum rege et regina Poloniae reconciliet. Nr. 533. pag. 406.

— 19. „ Galhardo nuntio apostolico, ut regem Poloniae et episcopum Cracoviensem reconciliandos curet. Nr. 534. p. 406.

— 19. „ Eidem Galhardo, ut episcopum Cracoviensem ad restituendam certam pecuniam ratione sexannalis decimae collectam compellat. Nr. 535. pag. 407.

— 22. Apr. Everhardus de Munheim, magister provincialis hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia, Marquardo, vicario generali Frederici archiepiscopi Rigensis, IVMD. aureorum pro fructibus ex bonis dioecesis Rigensis per IV. annos receptis exhibens, eo vicario dictos aureos sub quadam conditione non acceptante, MCXXV. marcas argenti apud fratres Praedicatores Rigenses eidem archiepiscopo solvendas deponit. Nr. 536. p. 407.

1338. 27. Apr. Hermanno episcopo Varmiensi, ut ad suam ecclesiam se conferat. Nr. 537. pag. 409.
— 28. „ Episcopo Vratislaviensi, ut cum Conrado duce Glogoviensi et Eufemia super matrimonio in gradu prohibito inito dispenset. Nr. 538. pag. 409.
— 30. „ Hermannus episcopus Osiliensis a iuramento apostolorum limina visitandi absolvitur. Nr. 539. pag. 410.
— 30. „ Ioannes episcopus Cracoviensis de soluta pecunia camerae apostolicae debita absolvitur. Nr. 540. p. 410.
— 4. Maii Nuntiis apostolicis, ut de excessibus a fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum commissis in terris Poloniae (cf. supra Nro. CDXLII.) inquirant, et contra eos procedant. Nr. 541. pag. 411.
— 4. „ Iisdem nuntiis, ut archiepiscopo Gnesnensi de iisdem magistro et fratribus iustitiae complementum faciant. Nr. 542. pag. 413.
— 3. Sept. Cives Cracovienses de pecuniis non solutis se excusant, petuntque, ut capellae S. Mariae Cracoviensi certae indulgentiae concedantur. Nr. 543. pag. 414.
— 8. „ Instrumentum, quo rex Poloniae XVM. marcarum, quas fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum ipsi debent, camerae apostolicae donat. Nr. 544. pag. 415.
— 21. „ Galhardus nuntius apostolicus pontificem de rebus in Polonia et in dioecesi Vratislaviensi peractis et de iniuriis passis edocet. Nr. 545. pag. 416.
1339. 4. Ian. Episcopis Poloniae, ut processus quorumdam iudicum contra Galhardum de Carceribus in causa Nicolai de Bancz habitos esse nullos iuxta Ioannis XXII. constitutionem, qua iudicibus prohibetur, ne contra apostolicos nuntios procedant, publice nuncient. Nr. 546. pag. 420.
— 19. „ Societati Azayalorum, ut a civibus Cracoviensibus pecunias camerae apostolicae debitas Brugis recipiant. Nr. 547. pag. 421.
— 2. Maii Annae reginae Poloniae, ut in locis interdictis divina officia sibi celebrari facere possit. Nr. 548. pag. 421.
— 2. „ Eidem reginae, ut monasteria religiosarum inclusarum libere ingredi possit. Nr. 549. pag. 422.
— 13. Iunii Societati Azayalorum, ut pecunias a civibus Cracoviensibus camerae apostolicae debitas Brugis recipiant. Nr. 550. pag. 422.
— 15. „ Iisdem, ut Guidoni fratri et haeredi Petri de Alvernia CL. flor. auri ex praedictis solvant. Nr. 551. p. 422.
— 17. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut quosdam fratres ex monasterio Mechoviensi Cracoviensis dioecesis iniuste expulsos restituat, et praepositum expellat. Nr. 552. pag. 423.
— 17. Aug. Casimiro regi Poloniae, ut nuntium apostolicum foveat et in devotione sanctae sedis persistat. Nr. 553. p. 423.
— 17. „ Galhardo nuntio apostolico super denario B. Petri etc. et ut praedictas litteras regi praesentet. Nr. 554. p. 424.
— 17. „ Eidem, ut rigore canonum contra non solventes denarium B. Petri procedat. Nr. 555. pag. 424.
— 4. Sept. Iudicibus, ut Hermanno episcopo Varmiensi debitam reverentiam et obedientiam a suis subditis exhibendam curent. Nr. 556. pag. 425.
— 1. Nov. Nuntius apostolicus clero dioecesis Vratislaviensis mandavit, ut sententias excommunicationis et interdicti in omnes, qui denarium B. Petri solvere recusarint, observent. Nr. 557. pag. 426.
— ..... Quibusdam clericis de canonicatibus etc. providetur. Nr. 558. pag. 427.
1340. 10. Sept. Ioanni episcopo Cracoviensi, ut quosdam viros suae dioecesis a censuris ecclesiasticis absolvat. Nr. 559. p. 428.
1341. 9. Febr. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia, ut abbates monasteriorum de Valhana, de Pades et de Guthualia contra oppressiones capitanei regni Daciae defendant. Nr. 560. pag. 428.
— 20. Apr. Capitaneo regni Daciae in ducatu Revaliensi, ut a molestandis praedictis abbatibus desistat. Nr. 561. p. 429.
— 14. Maii Pontifex ecclesiae cathedrali et aliis ecclesiis dioecesis Cracoviensis privilegia a Boleslao duce Cracoviae et Sandomiriae concessa, insertis eiusdem ducis litteris, confirmat. Nr. 562. pag. 430.
— 14. „ Pontifex capitulo Cracoviensi privilegia ab codem Boleslao duce concessa confirmat. Nr. 563. pag. 431.
— 27. Iunii Ioanni episcopo Cracoviensi conceditur, ut quibusdam clericis suae dioecesis de canonicatibus etc. providere possit. Nr. 564. pag. 432.
— 29. „ Regi Poloniae, ut quaedam monasteria ord. S. Clarae semel in anno ingredi cum sex honestis viris possit. Nr. 565. pag. 433.
— 29. „ Episcopo Cracoviensi, ut iuramentum per regem Poloniae praestitum super certis pactis et conventionibus relaxet. Nr. 566. 434.
— 7. Iulii Eidem episcopo, ut cum Pelcha de Zochow et Margarita uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 567. pag. 434.
— 18. „ Regi Poloniae pontifex, quare sententiam contra fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum latam approbare non possit, significat. Nr. 568. pag. 435.
— 23. „ Nuntiis regis Poloniae datur salvus conductus. Nr. 569. pag. 436.
— 18. Oct. Engelbertus ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur, et ut moris est, commendatur. Nr. 570. p. 436
1342. 28. Ian. Preczlaus de Pogorella ecclesiae Vratislaviensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. N. 571. p. 437.
— 19. Mart. Preezlao episcopo Vratislaviensi licentia ad sua ecclesiam se conferendi datur. Nr. 572. pag. 438.
..... Registrum residuae decimae sexannalis et denarii B. Petri collecti per Galhardum de Carceribus in dioecesi Cracoviensi. Nr. 573. pag. 438.
..... Summarium ex Registro denarii B. Petri collecti per Galhardum de Carceribus in regno Poloniae et dioecesibus Vratislaviensi et Culmensi ab an. MCCCXXXV. usque ad an. MCCCXLII. Nr. 574. pag. 440.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VI.

1342. 8. Iulii Iaroslaus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 576. pag. 449.
— 8. „ Idem Iaroslaus Casimiro regi Poloniae commendatur. Nr. 577. pag. 450.

1342. 11. Iulii Iaroslaus archiepiscopus Gnesnensis a sententia excommunicationis absolvitur, et solutio cuiusdam pecuniae prorogatur. Nr. 575. pag. 449.
— 11. „ Eidem Iaroslao pallium conceditur. Nr. 578. pag. 451.
— 23. „ Episcopo Cracoviensi, ut cum Vladislao duce Bichomiensi et Lucarde uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 579. pag. 451.
— 4. Aug. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut quae episcopus Misnensis suique collegae pro reconciliandа inter ipsos et regem Poloniae pace egerint, exsequantur. Nr. 580. pag. 452.
— 4. „ Iudicibus, ut pacis tractatum inter regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum resumant et reforment. Nr. 581. pag. 452.
— 26. „ Wesselus praeficitur in episcopum ecclesiae Tarbatensis et de more commendatur. Nr. 582. pag. 454.
1343. 26. Mart. Cum Wernero de Chinelik diacono Cracoviensis dioecesis super irregularitate etc. dispensatur. Nr. 583. p. 455.
— 27. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut cum decem clericis super defectu natalium dispensare possit. N. 584. p. 456.
— 19. Apr. Exsecutoribus, ut cardinali S. Mariae in Cosmedin de quibusdam praebendis in ecclesia Vratislaviensi provideant. Nr. 585. pag. 456.
— 21. „ Cum Stanislao de Cracovia ex ord. Praedicatorum dispensatur, ut non obstante defectu natalium, in episcopum eligi possit. Nr. 586. pag. 457.
— 26. „ Universis fidelibus ad instaurandam ecclesiam Gnesnensem eleemosynas largientibus indulgentiae conceduntur. Nr. 587. pag. 457.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 588. pag. 458.
— 8. Iunii Episcopis Cracoviensi, Culmensi et Misnensi, ut ad pacem reconciliandam inter fratres hospitalis B. Mariae Teutonicorum et regem Poloniae iuxta formam (Nro. DLXXXI.) datam procedant. Nr. 590. pag. 459.
— 27. „ Episcopo Pomesaniensi, ut Nicolaum de Risemburg de fabricandis falsis litteris apostolicis accusatum capi iubeat. Nr. 589. pag. 458.
— 4. Iulii Iudicibus, ut donationem quarumdam decimarum monasterio de Cziritz Cracoviensis dioecesis factam confirment. Nr. 591. pag. 460.
— 11. „ Episcopo Vratislaviensi, ut decimam ex reditibus beneficiorum ecclesiasticorum Ioanni regi Bohemiae per biennium concessam in sua dioecesi colligat, et eidem regi tradat. Nr. 592. pag. 461.
— 13. „ Archiepiscopo Gnesnensi commissionem denarii B. Petri colligendi per Galhardum de Carceribus factam pontifex confirmat. Nr. 593. pag. 463.
— 13. „ Eidem, ut denarium B. Petri per se et episcopum Posnaniensem collectum ad cameram apostolicam mittat. Nr. 594. pag. 463.
— 13. „ Episcopo Cracoviensi, ut denarium B. Petri, quem collegerit, ad cameram apostolicam mittat. Nr. 595. p. 464.
— 13. „ Episcopo Vladislaviensi, ut denarium B. Petri per se et Plocensem ac Culmensem episcopos collectum ad cameram apostolicam mittat. Nr. 596. pag. 464.
— 13. „ Episcopis Plocensi et Culmensi, ut denarium B. Petri per se collectum episcopo Vladislaviensi assignent. Nr. 597. pag. 464.
— 13. „ Episcopo Posnaniensi, ut denarium B. Petri per se collectum archiepiscopo Gnesnensi tradat. Nr. 598. p. 465.
— 17. Aug. Arnesto episcopo Pragensi, ut cum civibus Vratislaviensibus super denario B. Petri solvendo componat, et deinceps interdictum, cui civitas Vratislaviensis, quod dictum denarium solvere cessaverat, supposita erat, relaxet. Nr. 599. pag. 465.
— 25. Sept. Exsecutoribus, ut Sbigneo praeposito ecclesiae Cracoviensis canonicatum in ecclesia Sandomiriensi Cracoviensis dioecesis conferant. Nr. 600. pag. 466.
— 10. Oct. Vratislaviensis, Lubucensis et Caminensis episcopi collectores denarii B. Petri in suis dioecesibus confirmantur. Nr. 601. pag. 467.
— 10. „ Vratislaviensi, Lubucensi et Caminensi episcopis, ut denarium B. Petri per se et subcollectores suos collectum archiepiscopo Gnesnensi assignent. Nr. 602. pag. 467.
— 10. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut dictas pecunias recipiat et ad cameram apostolicam mittat. Nr. 603. pag. 467.
— 1. Dec. Exsecutoribus, ut in Poloniae partibus decimam omnium proventuum ecclesiasticorum colligendam curent, et regi ad comprimendos Tartaros, Ruthenos et Lithuanos regnum suum infestantes tradant. Nr. 604. p. 468.
— 1. „ Casimiro regi Poloniae decima omnium ecclesiasticorum proventuum in Gnesnensi, Cracoviensi, Posnaniensi, Cuiaviensi, Plocensi, Lubucensi et Caminensi dioecesibus usque ad biennium conceditur. Nr. 605. p. 468.
1344. 20. Apr. Archiepiscopus Gnesnensis et duo abbates conservatores monasterio Tincienses ordinis S. Benedicti Cracoviensis dioecesis constituuntur. Nr. 606. pag. 470.
— 3. Maii Arnaldo de Lacaucina, ut processus per Galhardum de Carceribus contra denarium B. Petri non solventes habitos exsequatur. Nr. 607. pag. 471.
— 3. „ Eidem, ut processus per eundem Galhardum factos contra Nicolaum de Bancz canonicum Vratislaviensem et Boleslaum ducem Brigensem aggravare possit. Nr. 608. pag. 471.
— 3. „ Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut pecuniias, quas nomine camerae apostolicae receperint, ad eamdem mittant. Nr. 611. pag. 472.
— 3. „ Arnaldo de Lacaucina, ut Iacobo de Malabayla de pecuniis per ipsum collectis usque ad summam centum marcarum auri possit assignare. Nr. 609. pag. 472.
— 6. „ Iacobo de Malabayla, ut dictam summam recipere possit. Nr. 610. pag. 472.
— 21. „ Episcopo Cracoviensi, ut quasdam sententias pro Alberto de Lelovia latas exsequatur. Nr. 612. pag. 473.
— 1. Iulii Casimiro regi Poloniae, quod conservatores episcopo et capitulo ecclesiae Vratislaviensis dati vigore huius muneris contra eum procedere non potuerint, nec possint, declaratur. Nr. 613. pag. 474.

1344. 15. Iulii Archiepiscopo Gnesnensi, ut censum ecclesiae Romanae in Caminensi et Lubucensi civitatibus et dioecesibus debitum colligat. Nr. 614. pag. 475.
— 24. Aug. Episcopo Vratislaviensi et collegae suo, ut pallium Arnesto, olim episcopo, nunc archiepiscopo Pragensi tradant. Nr. 615. pag. 475.
— 2. Sept. Pretzlao episcopo Vratislaviensi, ut ad colligendam in sua dioecesi decimam regi Bohemiae concessam procedat. Nr. 616. pag. 476.
— 26. „ Pontifex, abbate monasterii Tinciensis Cracoviensis dioecesis petente, quasdam litteras ex Regesto Beuedicti XII. quibus cavetur, ne professores ordinum mendicantium ad ordines S. Benedicti et Cisterciensem transeant, excribi facit. Nr. 617. pag. 477.
— 2. Nov. Iacobo episcopo Sambiensi, ut cum apostolica benedictione ad suam ecclesiam sese transferat. Nr. 618. p. 477.
1345. 9. Mart. Ioanni regi Bohemiae de gestis Ludovici de Bavaria et Casimiri regis Poloniae responsum datur. Nr. 619. p. 478.
— 27. Maii Archiepiscopo Gnesnensi, ut denarium B. Petri per se et alios collectum ad cameram apostolicam transmittat, et suffraganeos suos ad solvendum praedictum censum compellat. Nr. 620. pag. 478.
— 18. Iunii Ottoni de Russin rectori ecclesiae Brunsbergensis conservatores constituuntur. Nr. 621. pag. 479.
— 5. Sept. Episcopo Vladislaviensi, ut interdictum, cui quidam ducatus, petente Casimiro rege Poloniae, suppositi erant, relaxet. Nr. 622. pag. 479.
..... Summarium ex Registro denarii B. Petri et decimarum etc. collectorum in Polonia ab an. MCCCXLIV. usque ad an. MCCCLVIII. Nr. 623. pag. 480.
— 18. Oct. Guillelmo de Pusterla nuntio apostolico super pace inter Bohemiae et Poloniae reges reconcilianda scribitur. Nr. 624. pag. 483.
— 18. „ Eidem, ut si praedicti reges suis monitis acquiescere noluerint, treugas inter eos auctoritate apostolica indicat. Nr. 625. pag. 483.
— 18. „ Ioanni regi Bohemiae, ut treugas cum Casimiro rege Poloniae inire velit. Nr. 626. pag. 483.
— 18. „ Carolo marchioni Moraviae super eodem argumento. Nr. 627. pag. 484.
— 18. „ Casimiro regi Poloniae, ut a parentela cum Ludovico Bavaro resiliat, et nullum schismaticis favorem prestet. Nr. 628. pag. 484.
— 19. „ Apetzco de Frankenstein ecclesiae Lubucensi in episcopum praeficitur et commendatur. Nr. 629. pag. 485.
— 19. „ Idem electus commendatur archiepiscopo Guesnensi. Nr. 630. pag. 486.
— 19. „ Casimiro regi Poloniae, ut eundem electum commendatum habeat. Nr. 631. pag. 486.
— 29. „ Ioanni regi Bohemiae, ut treugas et pacem cum rege Poloniae conservare velit. Nr. 632. pag. 486.
— 29. „ Carolo primogenito regis Bohemiae super eodem argumento. Nr. 633. pag. 487.
— 3. Dec. Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Vratislaviensi et Cracoviensi, ut falsarios litterarum apostolicarum capi faciant. Nr. 634. pag. 487.
..... Summae denarii B. Petri in Polonia quibusdam mercatoribus ad camerae apostolicae solvendum per Arnaldum de Lacaucina assignatae ab an. MCCCXLV. usque ad an. MCCCLIV. Nr. 635. pag. 488.
1346. 9. Ian. Regi Poloniae, ut nuntios apostolicos ad regem Hungariae missos commendatos habeat et adiuvet. N. 636. p. 491.
— 31. „ Episcopo Lubucensi munere consecrationis impertito licentia ad ecclesiam suam accedendi datur. Nr. 637 p. 491.
— 9. Febr. Episcopo Vratislaviensi, ut Petrum praepositum de Reichenbach ord. S. Augustini ab irregularitate absolvat. Nr. 638. pag. 492.
— 9. Maii Eidem episcopo, ut de sufficiente numero canonicorum et reditibus ecclesiae Luthomislensis inquirat et referat. Nr. 639. pag. 492.
— 22. „ Regi Poloniae, ut ad pacem inter ipsum et regem Bohemiae reconciliandam ad curiam Romanam suos nuntios mittat. Nr. 640. pag. 493.
— 22. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut eumdem regem ad supradicta, quo modo melius poterit, inducat. Nr. 641. p. 493.
— 3. Iunii Archiepiscopis Gnesnensi et Pragensi, ut quisque Gamoto de Albinio ad reges Poloniae et Hungariae, ad pacem inter reges Poloniae et Bohemiae reconciliandam misso, de CL. flor. auri ad vitam necessariis provideant. Nr. 642. pag. 494.
— 1. Iulii Cum Alberto nato ducis Saxoniae, fratre hospitalis S. Mariae Teutonicorum, super defectu natalium dispensatur. Nr. 643. pag. 494.
— 1. „ Cum Magno nato eiusdem ducis Saxoniae super defectu natalium dispensatur. Nr. 644. pag. 495.
— 18. „ Cum Ioanne clerico dioecesis Cracoviensis, ut non obstante, quod quosdam latrones edixerit, qui eam ob causam morte condemnati fuerint, ad minores ordines promoveri possit, dispensatur. Nr. 645. p. 495.
— 3. Aug. Instrumentum, quo cives quidam Cracovienses ad octo marcas auri camerae apostolicae solvendas sese obligatos dicunt. Nr. 646. pag. 495.
— 2. Sept. Episcopo et capitulo Lubucensibus, ut sedem episcopalem ad locum tutiorem eiusdem dioecesis transferre, eumque in civitatem erigere possint. Nr. 647. pag. 497.
— 23. Oct. Ioannes de Vishusen ecclesiae Tarbatensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 648. p. 498.
— 12. Nov. Exsecutoribus, ne episcopum et clerum Caminenses occasione decimae regi Poloniae concessae molestari permittant. Nr. 649. pag. 499.
— 19. „ Episcopo Tarbatensi munere consecrationis impertito ad suam ecclesiam accedendi licentia datur. N. 650. p. 501.
— 21. „ Universis fidelibus ecclesiam Tarbatensem visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 651. pag. 501.
1347. 4. Ian. Archiepiscopo Gnesnensi, ut cum duce Masoviae et uxore eius super matrimonio in gradu prohibito contracto dispenset. Nr. 652. pag. 501.
— 19. Febr. Andreas ecclesiae Posnaniensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 653. pag. 502.
— 19. „ Casimiro regi Poloniae idem Andreas commendatur. Nr. 654. pag. 502.

1347. 5. Mart. Andreae episcopo Posnaniensi munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam accedendi datur. Nr. 655. pag. 503.
— 7. Maii Nicolao de Heylsberg in ecclesia Varmiensi beneficium ecclesiasticum confertur. Nr. 656. pag. 503.
— 4. Iunii Arnoldus ecclesiae Pomesaniensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur. Nr. 657. p. 503.
— 6 „ Eidem episcopo Pomesaniensi conceditur, ut MM. flor. auri mutuos contrahere possit. Nr. 658. pag. 504.
— 15. Aug. Instrumentum, quo Wilczko notarius regis et Nicolaus Werzingi III. marcas auri camerae apostolicae se solvere debere confitentur. Nr. 662. pag. 507.
— 21. „ Conservatores Arnoldo episcopo Pomesaniensi constituuntur. Nr. 659. pag. 505.
— 21. „ Episcopo Pomesaniensi, ut monasterium monialium sub habitu et regula fratrum B. Mariae Teutonicorum fundare et dotare, et eidem monasterio duas ecclesias parochiales suae civitatis unire possit. Nr. 660. p. 506.
— 21. „ Nicolao de Hollandia clerico beneficium ecclesiasticum in dioecesi Pomesaniensi confertur. Nr. 661. p. 507.
— 21. Nov. Instrumentum, quo consules Cracovienses XXXIII. marcas auri camerae apostolicae solvere sese obligatos confitentur. Nr. 663. pag. 508.
— 28. „ Episcopus Vratislaviensis et duo abbates conservatores episcopo Posnaniensi constituuntur. Nr. 664. p. 508.
— 12. Dec. Petrus Stanislai ecclesiae Cracoviensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 665. p. 508.
— 31. „ Donatio et ordinationes per Henricum episcopum Vratislaviensem eiusque fratrem, ac nepotes de ecclesia parochiali in Virbena abbati et conventui de Camentz Cisterciensis ordinis dioecesis Vratislaviensis factae confirmantur. Nr. 666. pag. 509.
1348. 17. Ian. Episcopo Cracoviensi, ut cum Ioanne Boguta et Prikka de Ruduo uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 667. pag. 512.
— 8. Febr. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum emptio donatioque ducatus Estoniae, insertis regis Danorum litteris, confirmatur. Nr. 668. pag. 512.
— 28. „ Petro episcopo Cracoviensi licentia a curia ad suam ecclesiam recedendi datur. Nr. 669. pag. 513.
— 17. Mart. Albertus ecclesiae Posnaniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 670. pag. 513.
— 17. „ Andreas ab Posnaniensi ad Swerinensem ecclesiam transfertur et de more commendatur. Nr. 671. p. 514.
— 17. „ Vromoldus ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 672. pag. 515.
— 5. Maii Eidem Vromoldo munere consecrationis impertito ad suam ecclesiam licentia eundi datur. Nr. 673. pag. 516.
— 2. Iunii Nuntio apostolico, ut pecunias ex decimis in Polonia et Hungaria collectas fratribus Malabayla assignet. Nr. 674. pag. 516.
— 2. „ Antonio et Guideto Malabayla fratribus mandatur, ut illos, a quibus pecunias camerae apostolicae debitas in regnis Poloniae et Hungariae nomine camerae predictae receperint, absolvant. Nr. 675. pag. 517.
— 10. „ Vromoldo archiepiscopo Rigensi pallium traditur. Nr. 676. pag. 517.
— 13. „ Bodzatha ecclesiae Cracoviensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur. Nr. 677. p. 517.
— 29. „ Eidem licentia MMD. flor. auri mutuos contrahendi datur. Nr. 678. pag. 518.
— 19. Iulii Eidem munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam accedendi datur. Nr. 679. pag. 518.
— 23. „ Universis fidelibus ecclesiam Cracoviensem visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 680. pag. 519.
— 10. Sept. Vromoldo archiepiscopo Rigensi licentia testandi conceditur. Nr. 681. pag. 519.
— 10. „ Praeposito et capitulo Rigensi, ut prioratum ecclesiae Rigensis viro idoneo conferre possint. Nr. 682. p. 519.
— 8. Oct. Instrumentum, quo procurator Cracoviensis, quod ab ipso fratres Malabayla MMCCXXIII. scutata non acceperunt, protestatur. Nr. 683. pag. 520.
— 30. Nov. Ramwoldo Schaschonis domicello Vratislaviensis dioecesis indulgetur, ut cum sex hominibus loca sacra terrae sanctae visitare, ipsisque semel plenam peccatorum remissionem confessor elargiri possit. N. 684. p. 521.
— 5. Dec. Vromoldo archiepiscopo Rigensi conceditur, ut ecclesias et coemeteria violata per idoneos presbyteros reconciliare possit. Nr. 685. pag. 521.
— 21. „ Episcopo Vladislaviensi eiusque collegis, ut constitutionem Beuedicti XII. circa apostatas pro Nicolao de Dirsovia observandam cureut. Nr. 686. pag. 521.
1349. 1. Mart. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut quaestionem inveteratam cum archiepiscopo Rigensi amicabiliter componant. Nr. 687. pag. 522.
— 1. „ Carolo regi Romanorum Vromoldus archiepiscopus Rigensis commeudatur. Nr. 688. pag. 523.
— 18. Aug. Praelatis Poloniae, ut iudulgentiam anni sancti MCCCL. fidelibus basilicas apostolorum et Lateranensem in Urbe visitantibus concessam promulgent. Nr. 689. pag. 523.
— 13. Sept Nuntio apostolico, ut episcopum Cracoviensem ad restituendam certam pecuniam camerae apostolicae reservatam compellat. Nr. 690. pag. 525.
— 16. „ Regi Poloniae, ut archiepiscopus Gnesnensis sacerdotes ad Lithuanos fidem catholicam amplexuros mittat. Nr. 691. pag. 525.
— 16. „ Archiepiscopo Gnesnensi super eodem argumento. Nr. 692. pag. 526.
— 19. „ Kerstuti eiusque germanis ducibus Lithuanorum ad fidem catholicam conversuris pontifex congratulatur. Nr. 693. pag. 526.
— 20. Oct. Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut sectam flagellantium a suis arceant. Nr. 694. pag. 527.
1350. 5. Febr. Carolo regi Romanorum de eius nuntiis receptis, circa negocia Herbipolensis et subiectiouis Vratislaviensis ecclesiarum ad curiam Romanam missis, respondetur. Nr. 695. pag. 528.
— 29. Apr. Ioannes ecclesiae Varmiensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 696. pag. 529.
— 29. „ Eidem conceditur, ut IIIM. flor. auri mutuos contrahere possit. Nr. 697. pag. 529.
— 18. Aug. Iacobus ecclesiae Culmensis episcopus confirmatur. Nr. 698. pag. 530.
— 25. „ Eidem episcopo Culmensi licentia IIIM. flor. auri mutuos contrahendi conceditur. Nr. 699. pag. 530.

1351. 14. Mart. Episcopo Osiliensi eiusque collegis, ut omnibus earumdem partium mercatoribus prohibeant, ne arma, ferrum, equos et victualia Ruthenis catholicae fidei inimicis vendere aut portare praesumant. Nr. 700. p. 530.
— 14. „ Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut Karelos et Ingros una cum rege Svetiae contra Ruthenos adiuvent. Nr. 701. pag. 531.
— 14. „ Praelatis Poloniae decima omnium ecclesiasticorum proventuum ad onera ecclesiae Romanae sublevanda, ac regi Poloniae ad convertendos Ruthenos persolvenda per quadriennium imponitur. Nr. 702. pag. 531.
— 14. „ Iisdem, ut praedictam decimam colligendam curent. Nr. 703. pag. 533.
— 9. Iulii Episcopo Vratislaviensi, ut cum Ludovico duce Legnicensi et Agnete uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 704. pag. 534.
— 12. „ Regi et regiuae Poloniae, ut in locis interdictis sibi divina officia celebrari facere possint. Nr. 705. p. 535.
— 12. „ Cum Fraucisco de Opatovicz presbytero Cracoviensis dioecesis super defectu natalium et irregularitate dispensatur. Nr. 706. pag. 535.
— 15. „ Guillelmo de Guttstad clerico Varmiensis dioecesis, ut non obstante aetatis defectu beneficia ecclesiastica accipere possit. Nr. 707. pag. 536.
1352. 15. Ian. Andreae de Raslavitz cauonico Vratislaviensi praebenda in eadem ecclesia coufirmatur. Nr. 708. p. 536.
— 2. Mart. Arnaldo cardinali S. Sixti, ut per alium visitationis officium in suo archidiaconatu Opoliensi Vratislaviensis dioecesis exercere possit. Nr. 709. pag. 536.
— 2. „ Nicolao Zanissy de Mlin praepositura Visliciensis confirmatur. Nr. 710. pag. 537.
— 25. „ Theoderico episcopo Slesvicensi ecclesia parochialis de Novoforo Vratislaviensis dioecesis, quam Ioannes electus Nuemburgensis obtinebat, confertur. Nr. 711. pag. 537.
— 26. „ Guillelmus abbas S. Vincentii prope Vratislaviam confirmatur. Nr. 712. pag. 538.
— 15. Maii Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Cracoviensi et Vratislaviensi, ut in regno Poloniae etc. contra Tartaros verbum crucis proponant. Nr. 713. pag. 539.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 714. pag. 540.
— 27. Iulii Regi Poloniae indulgetur, ut indulgentia omnibus, qui in missarum solemnibus pro ipsius salute deum orent, concedatur. Nr. 715. pag. 540.
— 13. Sept. Cum Ottone de Rosen et Margareta de Tisenhusen eius uxore Rigensis dioecesis super matrimonio ineundo dispensatur. Nr. 716. pag. 541.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 717. pag. 541.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

1353. 7. Ian. Henricus ecclesiae Lubucensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 718. pag. 542.
— 7. „ Idem Henricus regi Poloniae et regi Romanorum commendatur. Nr. 719. pag. 543.
— 18. „ Nicolaus Ruthenus ecclesiae Premisliensi in episcopum a Clemente VI. praefectus confirmatur, et de more commendatur. Nr. 720. pag. 543.
— 18. „ Sbiludo dicto Paluca praepositura Vladislaviensis eccl. per Clementem VI. collata confirmatur. N. 721. p. 544.
— 24. „ Universis fidelibus ecclesiam S. Nicolai in Bochna Cracoviensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 722. pag. 545.
— 17. Mart. Adelhaidi reginae Poloniae, ut Casimiro regi Poloniae marito suo subiectionem et obedientiam debitam coniugalem exhibeat. Nr. 723. pag. 545.
— 11. Iunii Episcopo Vratislaviensi, ut cum Mirano de Parthonitz milite et Czuchua uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 724. pag. 546.
— 12. Aug. Exsecutoribus mandatur, ut ad civitatem Rigensem personaliter se conferentes, civitatem ipsam una cum castris et fortaliciis eiusdem ad manus sedis apostolicae recipiant et reducant. Nr. 725. pag. 546.
— 16. Nov. Nicolao de Crosna ex ord. Miuorum vicario Russiae, ut fratres sui ordinis siue alia licentia ad partes Russiae ducere possit. Nr. 726. pag. 551.
— 23. „ Duci Masoviae, ne a suis subditis infideles Lithuanos et Ruthenos contra Magistrum et fratres Teutonicos foveri permittat. Nr. 727. pag. 551.
— 23. „ Elizabethae seniori reginae Hungariae super eodem argumento. Nr. 728. pag. 552.
— 16. Dec. Henrico duci Glogoviae concedditur, ut cum decenti comitiva loca terrae sanctae visitare possit. Nr. 729. p. 552.
— 18. „ Donatio et concessio abbati et conventui monasterii Lubens Vratislaviensis dioecesis de iure patronatus capellae S. Laurentii sitae in castro Legnicensi dictae dioecesis facta confirmatur. Nr. 730. pag. 552.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 731. pag. 553.
1354. 14. Mart. Ludolphus ecclesiae Curoniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 732. pag. 553.
— 31. „ Exsecutoribus, ut super matrimonio inter Albertum ducem Bavariae et Margaretam natam L. ducis Lignicensis coutracto dispensent. Nr. 733. pag. 554.
— 23. Apr. Episcopo Vratislaviensi, ut fundationem conventus fratrum Augustinianorum in sua civitate per Carolum regem factam coufirmet. Nr. 734. pag. 554.
— 27. Iulii Universis praelatis per Poloniam et Silesiam etc. constitutis, ut inquisitoribus haereticae pravitatis contra beghardos et beghinas auxilium praebeant. Nr. 735. pag. 555.
— 12. Aug. Nicolao Rutheno electo Premisliensi, ut a quocunque antistite catholico consecrari possit. Nr. 736. p. 555.
— 23. „ Eidem licentia a curia Romana ad suam ecclesiam recedendi datur. Nr. 737. pag. 556.
— 8. Nov. Iaroslao archiepiscopo Gnesnensi et aliis episcopis, ut de securo conductu ferentibus Brugas pecuuias ad cameram apostolicam spectantes provideant. Nr. 738. pag. 556.

1354. 22. Nov. Regi Poloniae decima proventuum ecclesiasticorum in suo regno, retenta ipsius medietate camerae apostolicae applicanda, conceditur. Nr. 739. pag. 556.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 740. pag. 557.
1355. 31. Ian. Episcopo Lubucensi, ut fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum iustitiae complementum contra regem Svetiae faciat. Nr. 741. pag. 557.
— 12. Febr. Praelatis Poloniae decima regi Poloniae in subsidium contra Tartaros et Lithuanos infideles et camerae apostolicae persolvenda imponitur. Nr. 742. pag. 558.
— 11. Iulii Elisabethae seniori reginae Hungariae, ut Ludovicum natum suum pro rege Poloniae certam dispensationem petere dissuadeat. Nr. 743. pag. 559.
— 23. Aug. Arnaldo de Lacaucina, ut per se vel alios monasteria, collegia, ecclesias etc. exempta in regnis Poloniae et Hungariae visitet. Nr. 744. pag. 559.
— 29. Sept. Ludovico regi Hungariae, ut Casimirum regem Poloniae, avunculum suum, ad Adhelaidim uxorem veram, superiuducta omnino dimissa, recipiendam et maritali affectione pertractandam moneat et inducat. Nr. 745. p. 560.
— 23. Oct. Eidem regi Hungariae, ut conversionem Lituanorum infidelium ad fidem catholicam promoveat. Nr. 746. p. 561.
— 23. „ Wladislao duci Opuliensi super eodem argumento. Nr. 747. pag. 561.
— 23. „ Semovito duci Masoviensi super eodem argumento. Nr. 748. pag. 561.
— 23. „ Episcopo, vicariis et officiali Vladislaviensibus, ut ecclesias, monasteria, collegia etc. non exempta visitent. Nr. 749. pag. 562.
— 17. Nov. Ioannes ecclesiae Varmiensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 750. pag. 563.
— 12. Dec. Eidem litterae Innocentii PP. IV. de limitatione dioecesum Prussiae transcribuntur. Nr. 751. p. 563.
— 12. „ Eidem litterae Innocentii PP. IV. de inhibitione facta episcopo Prussiae, ne terras sui episcopatus infeudet, transcribuntur. Nr. 752. pag. 565.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 753. pag. 565.
..... Assignationes pecuniarum collectarum in Polonia, Svetia, Dacia et Norvegia factae camerae apostolicae annis MCCCLIV — MCCCLX. Nr. 754. pag. 565.
1356. 11. Ian. Ioannes ecclesiae Posnaniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 755. pag. 567.
— 11. „ Universis fidelibus ecclesiam Varmiensem visitantibus et manus porrigentibus adiutrices indulgentiae conceduntur. Nr. 756. pag. 568.
— 15. Febr. Episcopo Posnaniensi, ut Ioanni Hecardi canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi conferendos curet. Nr. 757. pag. 568.
— 18. „ Eidem conceditur, ne ad observandum iuramentum praestitum de apostolorum liminibus visitandis usque ad sex annos teneatur. Nr. 758. pag. 569.
— 18. „ Universis fidelibus ecclesiam Posnaniensem visitantibus et manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur. Nr. 763. pag. 571.
— 1. Mart. Episcopo Lubucensi, ut pacem inter fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum et archiepiscopum Rigensem ac Tarbatensem et Osiliensem episcopos instauret. Nr. 759. pag. 570.
— 1. „ Archiepiscopo Rigensi et episcopis Tarbatensi et Osiliensi, ut cum fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum pacem ineant. Nr. 760. pag. 570.
— 1. „ Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia, ut cum praedictis episcopis pacem ineant. Nr. 761. pag. 570.
— 1. „ Magistro generali eiusdem hospitalis super eodem argumento. Nr. 762. pag. 571.
— 6. Iulii Priori ordinis eremitarum S. Augustini conceditur, ut tria loca in terra Semoviti ducis Masoviae recipere possit. Nr. 764. pag. 571.
— 19. „ Litterae Clementis PP. VI. quibus mercatoribus Livoniae prohibetur, ne Ruthenis catholicae fidei inimicis de victualibus etc. providere praesumant, petente Magno rege Svetiae, transcribuntur. Nr. 765. pag. 572.
— 9. Aug. Monasterio in Lubens ord. Cisterc. parochialis ecclesia in Sichia a ducibus Glogoviae concessa et alia statuta, insertis Gentilis cardinalis legati et Nankeri episcopi Vratislaviensis litteris, confirmantur. Nr. 766. p. 573.
— 9. „ Eidem monasterio ecclesia parochialis in Rothlitz Vratislaviensis dioecesis a Boleslao duce concessa, insertis eiusdem ducis et Nankeri episcopi litteris, confirmatur. Nr. 767. pag. 574.
— 18. „ Cum Henrico nato ducis Opuliae super aetatis defectu, ut dignitates ecclesiasticas obtinere valeat, dispensatur. Nr. 768. pag. 577.
— 17. Sept. Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut a fovendis Lithuanis aliisque paganis earum partium contra Casimirum regem Poloniae, desistant, ipsique in repellendis auxilium praestent. Nr. 769. pag. 577.
— 17. „ Praelatis Poloniae, ut regi in repellendis Lithuanis aliisque fidei inimicis praesto sint. Nr. 770. pag. 578.
— 17. „ Episcopo Cracoviensi, ut in monialium monasteriis suae dioecesis in civitatem transferendis regularem disciplinam instauret. Nr. 771. pag. 578.
— 17. „ Alberto Ioannis canonicatus in ecclesia Gnesnensi confertur. Nr. 772. pag. 579.
— 25. Oct. Arnaldo de Lacaucina pontifex potestatem nuntii apostolici ad Vratislaviensem, Caminensem et Lubucensem dioeceses extendit. Nr. 773. pag. 579.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 774. pag. 580.
1357. 10. Ian. Episcopo Tarbatensi, ut cum Nicolao de Ixkulle et Hildegunde de Tisenhusen super matrimonio ineundo dispenset. Nr. 775. pag. 580.
— 24. „ Casimiro regi Poloniae pontifex insinuat, ut ab omni foedere cum infidelibus Lithuanis et Ruthenis contra magistrum et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum resiliat, immo eos contra infideles pugnantes foveat. Nr. 776. pag. 581.

1357. 31. Ian. Nicolao Strosberg praeposito Gnesnensi, ut quasdam pecunias in Polonia collectas iis, qui eas solverant, restitui faciat. Nr. 777. pag. 582.
— 5. Febr. Archiepiscopo Gnesnensi, ut supradicto Nicolao in assequenda praepositura et in negotiis camerae apostolicae se favorabilem exhibeat. Nr. 778. pag. 582.
— 11. Aug. Regi Poloniae, ut summam a nuntio apostolico mutuam receptam restituere non postponat. Nr. 779. pag. 583.
— 10. Oct. Bernardus a Milcoviensi ad Plocensem ecclesiam transfertur et de more commendatur. Nr. 780. p. 583.
— 2. Dec. Cum Conrado duce Slesvicensi et Agnete ducissa Thessinensi (Teschinensi) eius uxore de matrimonio contracto dispensatur. Nr. 781. pag. 584.
— 17. „ Arnaldo de Lacaucina nuntio apostolico, ut ad Romanam curiam cum libris suarum rationum et pecuniis collectis se conferat. Nr. 782. pag. 584.
— 20. „ Eidem, ut pecunias nomine camerae apostolicae collectas magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum assignet. Nr. 783. pag. 585.
— 27. „ Eidem et socio suo, ut pecunias decimarum in Polonia etc. collectas Brugis sociis societatis des Malabailles assignent. Nr. 784. pag. 585.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 785. pag. 586.
1358. 2. Maii Petrus ecclesiae Ladimiriensi in episcopum praeficitur et commendatur. Nr. 786. pag. 586.
— 7. „ Bartholomaeus ecclesiae Sambiensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 787. pag. 587.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 788. pag. 588.
1359. 27. Ian. Archiepiscopo Pragensi, ut inter regem Poloniae et fratres S. Mariae Teutonicorum pacem et concordiam reconciliet. Nr. 789. pag. 588.
— 27. „ Andreae de Czechow conceditur, ut sepulchrum dominicum et loca terrae sanctae visitare possit. Nr. 790. p. 589.
— 18. Maii Ioanni nato Casimiri ducis Teschinensis, clerico Vratislaviensis dioecesis, ut beneficia ecclesiastica ad collationem Romanorum imperatoris seu imperatricis pertinentia acceptare possit. Nr. 791. pag. 589.
— 2. Dec. Ministro generali et fratribus ord. Minorum conceditur, ut locum in oppido Tarnow Cracoviensis dioecesis accipere possint. Nr. 792. pag. 590.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 793. pag. 590.
1360. 24. Ian. Iacobus ecclesiae Curoniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 794. pag. 591.
— 20. Apr. Nicolaus electus Pomesaniensis eidem ecclesiae in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 795. pag. 592.
— 30. „ Statuta et ordinationes pro perpetuis vicariis in ecclesia S. Crucis Vratislaviensis facta pontifex confirmat. Nr. 796. pag. 593.
— 5. Iunii Episcopo Olomucensi, ut cum Nicolao duce Oppaviae et Iutta nata ducis Silesiae de matrimonio iam contracto dispenset. Nr. 797. pag. 595.
— 25. „ Instrumentum, quo Otto de Nissa, et Petrus, Hanco et Nicolaus fratres Duringi cives Vratislavienses mille florenos auri camerae apostolicae certo termino Brugis se solvere debere confitentur. Nr. 798. pag. 595.
— 26. „ Instrumentum, quo Petrus de Gostina canonicus Vratislaviensis et socii eius mille florenos auri camerae apostolicae certo termino Brugis se solvere debere confitentur. Nr. 799. pag. 596.
— 2. Iulii Instrumentum, quo Nicolaus Gansbis et Ioannes Ulmbruch et eorum socii cives Vratislavienses de CC. florenis auri solvendis se obligant. Nr. 800. pag. 597.
— 14. „ Exsecutoribus, ut Bernardum episcopum Plocensem in corporalem possessionem etc. suae ecclesiae inducant et defendant. Nr. 801. pag. 597.
— 31. „ Archiepiscopo Gnesnensi eiusque collegis, ut Bernardum episcopum Plocensem ad comparendum personaliter infra tres menses coram pontifice citent. Nr. 802. pag. 598.
— 2. Aug. Instrumentum, quo Ioannes episcopus Posnaniensis DCCC. florenos auri camerae apostolicae transmittere se obligat. Nr. 803. pag. 599.
— 7. „ Universis fidelibus parochialem ecclesiam S. Catherinae in Visnitza Cracoviensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 804. pag. 600.
— 12. „ Pontifex omnes processus et sententias per Bernardum episcopum Plocensem factos et latas usque ad quinque menses suspendit. Nr. 805. pag. 600.
— 15. „ Ioanni dicto Iura comiti Cracoviensi et Elisabethae eius uxori indulgetur, ut si ipsos in locis ecclesiastico interdicto suppositis mori contigerit, ecclesiasticae sepulturae tradi valeant. Nr. 806. pag. 601.
— 17. „ Iudicibus, ut consules et cives ad obediendum archiepiscopo Rigensi eorum domino compellant. Nr. 807. p. 601.
— 17. „ Svantoslao clerico Cracoviensis dioecesis omne ius, quod quondam Wernero de Necolicz in ecclesia de Swislavicz competebat, confertur. Nr. 808. pag. 602.
— 17. „ Universis Christifidelibus visitantibus ecclesiam Rigensem indulgentiae conceduntur. Nr. 809. pag. 602.
— 17. „ Praeposito et capitulo ecclesiae Rigensis donatio bonorum episcopalium et castri Dolen per praesules Rigenses facta confirmatur. Nr. 810. pag. 603.
— 11. Oct. Archiepiscopo Magdeburgensi et Vratislaviensi et Misnensi episcopis, ut in locis ordinis fratrum Minorum et monasteriis monialium ordinis S. Clarae per Saxoniam festum coronae domini nostri Iesu Christi celebrari concedant. Nr. 811. pag. 606.
— 11. „ Iisdem, ut festum S. Hedwigae iisdem in locis et monasteriis celebrari auctoritate apostolica concedant. Nr. 812. pag. 607.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 813. pag. 607.
1361. 1. Apr. Episcopo Tarbatensi, ut cum Gerhardo Virkes et Elisabetha de Werden de matrimonio iam inito dispenset. Nr. 814. pag. 607.

1361. ..... Conradus Cruczborch se excusat, quod suae vicariae valorem in ecclesia Tarbatensi camerae apostolicae certificare non potuerit. Nr. 815. pag. 608.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 816. pag. 608.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

1362. 8. Nov. Indulgentiae universis fidelibus capellam cuiusdam hospitalis Cracoviensis dioecesis visitantibus ab Innocentio VI. concessae promulgantur. Nr. 817. pag. 609.
— 8. „ Donationes abbatissae et conventui Strelinensi ord. S. Clarae Vratislaviensis dioecesis factae per duces Silesiae, insertis eorumdem ducum litteris, confirmantur. Nr. 818. pag. 609.
— 23. Dec. Eidem conventui concessio duarum parochialium ecclesiarum per bonae memoriae Gentilem tituli S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem facta confirmatur. Nr. 819. pag. 611.
1363. 5. Febr. Instrumentum, quo Henricus et Nicolaus fratres dicti Slancz et socii ipsorum cives Vratislavienses mille florenos auri certo termino camerae apostolicae Brugis solvere se obligant. Nr. 820. pag. 612.
— 17. Mart. Casimiro regi Poloniae, ut Adelheidim reginam suam coniugem sibi reconciliet et maritali affectione pertractet. Nr. 821. pag. 613.
— 17. „ Adelheidi reginae Poloniae, ut cum Casimiro rege se reconciliet, ac dotem suam eidem regi persolvi curet. Nr. 822. pag. 613.
— 17. „ Henrico lantgravio Hassiae, patri eiusdem Adelheidis, super eodem argumento. Nr. 823. pag. 614.
— 24. „ Wieboldus de Velstey ecclesiae Culmensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 824. p. 614.
— 28. „ Eidem electo Culmensi indulgetur, ut a quocunque antistite catholico consecrari possit. Nr. 825. p. 615.
— 6. Apr. Archiepiscopo Gnesnensi, ut de ecclesia cathedrali in oppido Lamburgae (Lembergae, Leopolis) erigenda inquirat et referat. Nr. 826. pag. 615.
— 6. „ Eidem archiepiscopo, ut canonicos et clerum Plocenses a censuris, quas resistentes Bernardo episcopo incurrerint, absolvere possit. Nr. 827. pag. 616.
— 26. Maii Imislaus ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur, et ut moris est, commendatur. Nr. 828. pag. 616.
— 6. Iunii Regi Poloniae, ut quosdam consules et cives Cracovienses satisfacere camerae apostolicae de pecuniis debitis compellat. Nr. 829. pag. 617.
— 29. „ Eidem regi Poloniae, ut ecclesiae Romanae contra Bernabonem de Vicecomitibus et alios hostes auxilium exhibeat. Nr. 830. pag. 617.
— 29. „ Iaroslao archiepiscopo Gnesneusi eiusque suffraganeis super eodem argumento. Nr. 831. pag. 618.
— 29. „ Legato sedis apostolicae, ut Ioannem Pacoslai militem, qui Romanae ecclesiae in auxilium veniat, benigne pertractet. Nr. 832. pag. 618.
— 8. Iulii Universis fidelibus regem Poloniae in debellandis Lithuanis et aliis paganis adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 833. pag. 618.
— 20. „ Gotfrido Warendorp omne ius, quod quondam Ioanui Guilaberti in decanatu ecclesiae Tarbatensis competebat, confertur. Nr. 834. pag. 619.
— 24. „ Conradus ecclesiae Osiliensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 835. pag. 620.
— 13. Oct. Arnesto archiepiscopo Pragensi, ut cum Imislao episcopo Plocensi nomine camerae apostolicae de fructibus ecclesiae Plocensis, quos ille veluti intrusus ante suam canonicam institutionem perceperit, componere possit. Nr. 836. pag. 621.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 837. pag. 622.
— 7. Nov. Episcopo Posnaniensi, ut de querela Conradi ducis Silesiae contra capitulum Vratislaviense inquirat et referat. Nr. 838. pag. 623.
1364. 20. Ian. Episcopo Vratislaviensi, ut Ioannem marchionem Moraviae, qui matrimonium cum Elisabetha, nata quondam Casimiri ducis Thessinensis, moniali ord. Cisterciensis de facto contraxerit, a talibus illicitis abstinere moneat. Nr. 839. pag. 624.
— 7. Mart. Casimiro regi Poloniae, ne calumnias Ioanni de Busca imputatas credat. Nr. 840. pag. 624.
— 31. Maii Archiepiscopo Pragensi, ut Marcum praepositum monasterii Strelinensis Praemonstratensis ordinis Vladislaviensis dioecesis seu alium idoneum in abbatem monasterii S. Vincentii extra muros Vratislavienses praeficiat. Nr. 841. pag. 625.
— 1. Sept Generale litterarum studium in civitate Cracoviensi, Casimiro rege petente, cum certis privilegiis instituitur. Nr. 842. pag. 626.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 843. pag. 626.
— 4. Dec. Sbilutus Vladislaviensi ecclesiae in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 844. pag. 628.
1365. 23. Ian. Iudicibus, ut episcopum et cives Tarbatenses contra vexationes fratrum hospitalis S. Mariae Teutonicorum defendant. Nr. 845. pag. 629.
— 5. Febr. Abbati Tinciensi, ut de quodam monasterio monialium ord. S. Augustini per Casimirum regem fundando in civitate Cracoviensi, et de quantitate dotis, numero monialium et aliis se informet et referat. Nr. 846. pag. 630.
— 8. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut Nicolao de Czuchow archidiacono Cracoviensi de aliqua capituli Cracoviensis villa campestri provideat. Nr. 847. pag. 631.
— 24. „ Casimirum regem Poloniae de eo, quod Carolus imperator nunquam procuraverit, ut ecclesia Vratislaviensis a subiectione Gnesnensis ecclesiae liberetur et Pragensi subiiciatur, et de episcopo Vormatiensi certiorem pontifex reddit. Nr. 848. pag. 632.

1365. 2. Mart. Universis fidelibus capellam S. Spiritus in hospitali pauperum Vislicensi dioecesis Cracoviensis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 849. pag. 632.

— 14. Apr. Conrado de Bruynsberg, ut ad capitulum fratrum hospitalis S. Ioannis Ierosolimitani in oppido Carpentoractensi ad impugnandos Turcas habendum personaliter accedat. Nr. 850. pag. 632.

— 21. „ Praeposito et conventui mouasterii Tremesnensis Gnesnensis dioecesis quoddam privilegium Eugenii III. quo una cum suis villis et possessionibus expressis sub B. Petri protectione suscipiuutur, transcribitur. Nr. 851. pag. 633.

— 15. Maii Nicolao Truolini et Hermanno Craus civibus Cracoviensibus conceditur, ut unusquisque altare in parochiali ecclesia B. Mariae Virginis Cracovieusi fundare et dotare possit. Nr. 852. pag. 634.

— 17. „ Iudicibus, ut sententiam pro Ioaune Petri Brunonis canonico Vratislaviensi contra quondam Wenceslaum ducem Silesiae latam exsequantur, et filios eiusdem ducis ad praedicto Ioanni satisfaciendum censuris ecclesiasticis compellant. Nr. 853. pag. 634.

— 3. Iunii Episcopo Vratislaviensi, ut archiepiscopum Gnesnensem ab vexandis praeposito et conventu monasterii Tremesnensis ordinis S. Augustini desistere compellat. Nr. 854. pag. 635.

— 4. „ Eidem, ut cum Belicone et Iutta de matrimonio iam coutracto dispenset. Nr. 855. pag. 636.

— 5. „ Ducibus Theschinensi et Opoliensi indulgetur, ut in locis interdictis missam et alia divina officia sibi facere celebrari possint. Nr. 856. pag. 636.

— 27. Aug. Episcopo Vratislaviensi, ut causam inter Arnaldum de Lacaucina et Ioannem ducem Ossvenciniensem super quibusdam scholastriae Cracoviensis decimis audiat et decidat. Nr. 857. pag. 637.

— 22. Sept. Arnaldo de Lacaucina, ut pecuuiam ex decimis collectam quibusdam de Albertis antiquis, mercatoribus Florentinis, Venetiis, Bruxellis seu Brugis assignet. Nr. 858. pag. 637.

— 22. „ Praedictis mercatoribus, ut dictam summam ab eodem Arnaldo recipiant. Nr. 859. pag. 637.

— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 860. pag. 638.

— 10. Dec. Nicolaus ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 861. pag. 638.

— 20. „ Preczlao episcopo et capitulo Vratislaviensi oppidum Grotcoviae cum omnibus iuribus et pertinentibus a Boleslao duce Silesiae IIIMCCL. marcis anno MCCCXLIV. emptum, insertis eiusdem ducis et Ioannis regis Bohemiae litteris, confirmatur. Nr. 862. pag. 639.

1366. 11. Iunii Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut pecunias ex decima receptas Arnaldo de Lacaucina collectori assignent. Nr. 863. pag. 641.

— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 864. pag. 641.

1367. 23. Ian. Universis fidelibus ecclesiam Varmiensem visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 865. pag. 642.

— 11. Mart. Episcopo Posnaniensi, ut regis Poloniae votis obsecundans, prioribus fratrum Praedicatorum et Minorum in Polonia loca quaedam ab ipso rege concessa recipiendi licentiam concedat. Nr. 866. pag. 642.

— 9. Apr. Officiali Posnaniensi, ut causam rectoris parochialis ecclesiae S. Michaelis Gnesnensis dioecesis contra Swanchonem canonicum de certis decimis audiat et decidat. Nr. 867. pag. 643.

— 27. Iulii Ioanni dicto cantori de Luthomusl, ut meliorem praebendam vacantem in ecclesia Vratislaviensi optare possit. Nr. 868. pag. 644.

— 16. Aug. Florianus ecclesiae Cracoviensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 869. pag. 644.

— 29. Oct. Iudicibus, ut causam civium quorumdam oppidorum contra episcopum Posnaniensem audiant et decidant, et eosdem ab excommunicatione absolvere possint. Nr. 870. pag. 645.

— 5. Nov. Iudicibus, ut Goffridum abbatem monasterii de Lokna ordinis Cisterciensis Gnesnensis dioecesis canonice electum defendant. Nr. 871. pag. 646.

— ..... Clericis de canouicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 872. pag. 646.

— 17. Dec. Casimiro regi Poloniae, ut Petro de Calesio nuntio apostolico fidem adhibeat. Nr. 873. pag. 648.

1368. 25. Ian. Decano ecclesiae Cracoviensis, ut Nicolao de Curnik praeposituram eiusdem ecclesiae conferendam curet. Nr. 874. pag. 648.

— 26. Maii Iudicibus, ut de matrimonio inter Hermannum Tzurchow et Elisabeth Maczkowine Caminensis et Vladislaviensis dioecesum inquirant. Nr. 875. pag. 648.

— 26. „ Rex Poloniae ab infamia circa falsas litteras apostolicas suo nomine factas absolvitur atque insons reputatur. Nr. 876. pag. 649.

— 3. Sept. Praeceptoribus fratrum hospitalis S. Mariae Teutouicorum contra infideles pugnantibus et propriis vexillis utentibus altare portatile conceditur. Nr. 877. pag. 649.

— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 878. pag. 650.

— 1. Dec. Carolus Romanorum imperator in causa iurisdictionis exorta inter capitulum et cives Vratislavienses iudex constituitur. Nr. 879. pag. 651.

— 22. „ Episcopo Pomesaniensi, ut causam Glabuvez de Tessuudorf militis contra filias audiat, et quod iuris est, decernat. Nr. 880. pag. 652.

1369. 13. Febr. Universis fidelibus ecclesiam S. Petri in oppido Hosteyn Pomesaniensis dioecesis visitantibus indulgeutiae conceduntur. Nr. 881. pag. 653.

— 15. Maii Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum usque ad duos annos in suis dioecesibus colligant, et Casimiro regi ad restauranda quaedam in dioecesi Cracoviensi castra tradant. Nr. 882. pag. 653.

— 8. Iunii Iudicibus, ut causam de DCCC. scutis, quae archiepiscopus Bremensis archiepiscopo Rigensi solvere debeat, audiant et decidant. Nr. 883. pag. 655.

— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 884. pag. 655.

1370. 11. Apr. Siffridus Blomemberch ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 885. p. 656.
— 11. Iunii Casimiro regi Poloniae, ut pecunias et quandam domum camerae apostolicae restituat. Nr. 886. pag. 659.
— 19. Aug. Instrumentum, quo Ioannes de Lo consul Thorun. D. flor. auri a nuntio apostolico in depositum acceptos Brugis solvere promittit. Nr. 887. pag. 657.
— ..... Duobus clericis do canonicatibus providetur. Nr. 888. pag. 658.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

1371. 10. Mart. Arnaldus de Lacaucina collector apostolicus in regnis Hungariae et Poloniae constituitur. Nr. 889. p. 659.
— 5. Maii Hinco Buconomis ecclesiae Vladimiriensi praeficitur in episcopum et de more commendatur. Nr. 890. p. 660.
— 9. „ Iuramentum fidelitatis et obedientiae, et professio fidei catholicae Andreae episcopi Cerethensis in Moldavia ab episcopo Cracoviensi et suis collegis auctoritate apostolica instituti. Nr. 891. pag. 660.
— 8. Iunii Otto ecclesiae Curoniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 892. pag. 662.
— 20. „ Episcopo Posnaniensi, ut processus per episcopum Vratislaviensem contra ducem Falkenbergensem factos observari faciat. Nr. 893. pag. 663.
— 4. Aug. Instrumentum publicum de Andreae ord. Minorum in episcopum Cerethensem in Moldavia consecratione per episcopum Cracoviensem facta. Nr. 894. pag. 664.
— 2. Sept. Magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut concordiam cum Ioanne episcopo et capitulo ecclesiae Varmiensis ineat. Nr. 895. pag. 665.
— 18. „ Carolo imperatori, ut ad faciendam concordiam inter praedictos partes suas interponat. Nr. 896. pag. 666.
— 24. „ Archiepiscopus Pragensis iudex controversiae inter episcopum Varmiensem et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum vertentis constituitur. Nr. 897 et 898. pag. 666 et 667.
— 11. Oct. Cum Anna et Hedwige Casimiri regis Poloniae natis super defectu natalium dispensatur. Nr. 899. p. 667.
— 19. Nov. Archiepiscopo Gnesnensi eiusque collegis, ut fratres Minores verbum dei in partibus Russiae praedicantes foveant et defendant. Nr. 900. pag. 668.
— 19. „ Nicolao de Curia Regnitz canonico melior ecclesiae Vratislaviensis praebenda confirmatur. Nr. 901. p. 669.
— 14. Dec. Instrumentum, quo Otto Vestwal et Henricus Kactzer cives Cracovienses ad cc. flor. camerae apostolicae solvendos sese obligant. Nr. 902. pag. 669.
— 17. „ Christifidelibus capellam S. Georgii Olsnicensis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 903. pag. 670.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 904. pag. 670.
1372. 30. Apr. Fratres Sepulchri dominici de Mechovia ord. S. Augustini ab omni iurisdictione ordinariorum iuxta insertum Eugenii IV. privilegium eximuntur, et soli patriarchae Hierosolymitano subiiciuntur. Nr. 905. p. 673.
— 11. Maii Praeposito Scepusiensi, ut causam episcopi Cracoviensis de certis decimis contra Raphaelem de Tarnow militem audiat et decernat. Nr. 906. pag. 674.
— 10. Iulii Episcopis Posnaniensi et Vladislaviensi, petente praeprimis rege Hungariae, quinque clericis suarum dioecesum beneficia ecclesiastica conferendi facultas conceditur. Nr. 907. pag. 674.
— 14. „ Exsecutoribus, ut de statu Haliciensis, Premisliensis, Lodimiriensis et Chelmensis ecclesiarum pontificem certiorem reddant. Nr. 908. pag. 675.
— 14. „ Salvus conductus pro Nicolao de Grisnia de Polonia ord. fratrum Minorum. Nr. 909. pag. 675.
— 19. „ Episcopo Cracoviensi, ut episcopos schismaticos in terra Russiae, si qui ibi inveniantur, amoveat. Nr. 910. p. 676.
— 8. Oct. Universis Christifidelibus ecclesiam fratrum Eremitarum S. Augustini in Czechonoro Plocensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 911. pag. 676.
— 8. „ Iisdem eccl. fratrum Eremitarum S. Aug. in Warschova visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 912. p. 676.
— 8. „ Episcopo Plocensi, ut abbati et conventui castri Plocensis et abbatissae et conventui S. Mariae Magdalenae Plocensis eorum monasteria permutandi det licentiam. Nr. 913. pag. 677.
— 8. „ Universis Christiidelibus ecclesiam fratrum Eremitarum S. Augustini in Rava Guesnensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 914. pag. 677.
— 3. Nov. Episcopo Varmiensi, ut novas praebendas in sua ecclesia iuxta Anselmi episcopi ordinationes creatas proventibus augmentare possit. Nr. 915. pag. 678.
— 5. „ Officiali Posnaniensi, ut de subiectione, quam fratres Sepulchri dominici Ierosolimitani ord. S. Augustini hospitalis S. Mariae de Nissa dioecesis Vratislaviensis domui Mechoviensi eiusdem ord. Cracoviensis dioecesis debent, inquirat et referat. Nr. 916. pag. 678.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 917. pag. 679.
1373. 7. Ian. Officiali Cracoviensi, ut Hinconi de Opatovicz canonicatum in eccl. Cracoviensi conferri curet. Nr. 918. p. 680.
— 16. „ Officiali Vratislaviensi, ut litem inter cives Olavienses Vratislaviensis dioecesis et Ioannem de Nymptz de quodam lacu dirimat. Nr. 919. pag. 681.
— 1. Febr. Praeposituram S. Michaelis in castro Cracoviensi pontifex suae dispositioni reservat. Nr. 920. pag. 682.
— 25. „ Ioanni episcopo Varmiensi augmentandi dotes dignitatum suae ecclesiae facultas datur. Nr. 921. p. 682.
— 25. „ Eidem disponendi de certis suae ecclesiae emolumentis in pane, cerevisia etc. facultas datur. Nr. 922. p. 682.
— 25. „ Eidem facultas divinum officium in sua ecclesia ordinandi et regulandi datur. Nr. 923. pag. 683.
— 25. „ Ioanni episcopo Varmiensi statuta suae ecclesiae in melius commutandi facultas datur. Nr. 925. p. 685.
— ..... Iudicibus, ut civium Posnaniensium sacrilegos ausus contra clerum et ecclesias reprimant. Nr. 924. p. 683.
— 10. Maii Nicolao de Teschin decanatus ecclesiae Opatoviensis Cracoviensis dioecesis confertur. Nr. 926. pag. 685.
— 26. Iunii Iudicibus, ut Nicolaum Frizkonis in possessione parochialis ecclesiae de Opatovicz Cracoviensis dioecesis defendant. Nr. 927. pag. 686.

1373. 29. Iunii Officiali Pomesaniensi, ut de controversia inter Wicboldum episcopum et cousules Culmenses vertente inquirat et referat. Nr. 928. pag. 687.
— 8. Iulii Exsecutoribus, ut sententias pro fratribus hospitalis S. Spiritus Vladislaviensis ord. Cruciferorum cum stella de decimis oppidi Iaczow contra episcopum Vladislaviensem latas exsequantur. Nr. 929. pag. 688.
— 22. „ Episcopo Vratislaviensi, ut cum Bolkone duce de Munsterberg et Eufemia de Falkenberg super matrimonio inito dispenset. Nr. 930. pag. 692.
— 6. Aug. Episcopo Cracoviensi, ut Ioannem ducem Osvencinensem ad solvendum v. millia marcharum argenti, et D. flor. auri, quas summas eius pater Arnaldo de Lacaucina debebat, compellat. Nr. 931. pag. 692.
— 5. Sept. Henricus ecclesiae Varmiensi in episcopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 932. pag. 693.
— 23. Oct. Archiepiscopo Prageusi, ut litem inter episcopum Varmiensem et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum componat. Nr. 933. pag. 694.
— 23. „ Ducibus Lithuanorum, ut fidem catholicam accipere velint, subditosque suos ad idem faciendum invitent. Nr. 934. pag. 695.
— 23. „ Ludovico regi Hungariae et Poloniae, ut ad convertendos Lithuanos laborare sollicite velit. Nr. 935. pag. 695.
— 23. „ Semovito duci Masoviensi super eodem argumento. Nr. 936. pag. 696.
— 5. Nov. Ioanni de Essendi de canonicatu in ecclesia Tarbatensi providetur. Nr. 938. pag. 696.
— 12. „ Arnoldo de Culmaria beneficium ecclesiasticum in dioecesi Tarbatensi confertur. Nr. 937. pag. 696.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 940. pag. 697.
1374. 4. Ian. Syfrido archiepiscopo Rigensi privilegium ecclesiae suae ab Innocentio PP. III. die IV. Ian. MCC. collatum transcribitur. Nr. 939. pag. 697.
— 9. „ Praeposito Vratislaviensi, ut controversiam inter rectorem parochialis ecclesiae in Slyzav Vratislaviensis dioecesis et episcopum Lubucensem de quibusdam decimis componat. Nr. 941. pag. 698.
— 13. „ Archiepiscopo Gnesnensi, ut contra presbyterum nonnullos errores spargentem procedat. Nr. 942. p. 699.
— 10. Febr. Carolo imperatori Romanorum super eodem argumento. Nr. 943. pag. 700.
— 28. Apr. Ioannes ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 944. pag. 700.
— 28. „ Idem electus Gnesnensis Ludovico regi Poloniae et Hungariae commendatur. Nr. 945. pag. 701.
— 16. Maii Iaroslao episcopo, olim archiepiscopo Gnesnensi, e mensa archiepiscopali quorumdam bonorum ususfructus, quoad vixerit, conceditur. Nr. 946. pag. 701.
— 5. Iulii Officiali Gnesnensi, ut Ioanni de Tranlang canonicatum in ecclesia Gnesnensi conferri curet. Nr. 947. p. 702.
— 17. Aug. Exsecutoribus, ut Vromoldo de Vifhusen canonicatum ecclesiae Tarbatensis conferri curent. Nr. 948. p. 702.
— 21. „ Petro Stephani collectori in Hungaria et Polonia recipiendi denarium B. Petri et alia camerae apostolicae debita potestas datur. Nr. 956. pag. 708.
— 5. Sept. Archiepiscopo Pragensi, ut inter episcopum Cracoviensem et praepositum S. Mariae Cracoviensis concordiam instauret. Nr. 949. pag. 703.
— 5. „ Ioanni decano Pragensi, ut praedictos ad rationem decimarum etc. reddendam compellat. Nr. 950. p. 703.
— 23. Oct. Ioannes ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Nr. 951. pag. 704.
— 23. „ Henricus de Slesvicensi ad Osiliensem ecclesiam transfertur. Nr. 952. pag. 705.
— 27. „ Abbati monasterii Polplinensis Vladislaviensis dioecesis, ut de causa Nicolai Muthekeze presbyteri eiusque patris contra archidiaconum Dyminensem Caminensis dioecesis inquirat et decernat. Nr. 953. pag. 705.
— 3. Nov. Eidem, ut de causa Nicolai Muthekeze eiusque patris contra quosdam nobiles Caminensis dioecesis inquirat et decernat. Nr. 954. pag. 706.
— 12. „ Iudicibus, ut de causa Arnoldi Langen clerici dioecesis Varmiensis contra quosdam nobiles dictae dioecesis inquirant, et contra eosdem culpabiles usque ad excommunicationem procedant. Nr. 955. pag. 707.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 957. pag. 709.
1375. 17. Ian. Collectori decimarum etc. in Hungaria et Polonia, ut omnia bona, quae bon. mem. Guillelmus cardinalis tit. S. Clementis in dictis regnis habebat, ad cameram apostolicam mittat. Nr. 958. pag. 709.
— 31. „ Nicolao Strosberg nuntio apostolico, ut archiepiscopum Gnesnensem et suffraganeos aliosque ad sibi rationem reddendam decimarum collectarum et eas solvendas compellat. Nr. 959. pag. 710.
— 31. „ Eidem, ut praedictos ad restituendas quasdam pecunias collectas compellat. Nr. 960. pag. 711.
— 3. Febr. Eidem, ut incolas provinciae Gnesnensis et dioecesis Culmensis ad solvendum denarium B. Petri per parochos moneat et colligi faciat. Nr. 961. pag. 711.
— 5. „ Ioanni archiepiscopo Gnesnensi, ut eidem Nicolao Strosberg in assequendo ecclesiae Gnesnensis canonicatu etc. faveat. Nr. 962. pag. 712.
— 13. „ Ladislao duci Opuliensi de ecclesiis cathedralibus Haliciensi, Premisliensi, Lodimiriensi et Chelmensi respondetur. Nr. 963. pag. 712.
— 13. „ Ecclesias Haliciensem, Premisliensem, Lodimiriensem et Chelmensem in partibus Russiae fuisse et esse cathedrales pontifex declarat, et Haliciensem ecclesiam in metropolitanam erigit. Nr. 964. pag. 713.
— 16. „ Concordia inter fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum et episcopum et capitulum Varmienses facta, insertis eiusdem concordiae litteris divisionem eorum bonorum continentibus, confirmatur. Nr. 965. p. 714.
— 16. „ Archiepiscopo Gnesnensi et Cracoviensi ac Plocensi episcopis, ut se informent, utrum Luczensis, Thurensis et Kioviensis ecclesiae consueverint esse cathedrales, an parochiales, et rescribant. Nr. 966. pag. 718.
— 3. Mart. Iisdem praelatis, ut de sede archiepiscopali Haliciensi in oppidum Lamburgense (Leopolis) transferenda se informent et rescribant. Nr. 967. pag. 719.
— 28. „ Episcopo Sambiensi, ut de infeudandis aliquibus possessionibus ad mensam episcopalem Varmiensem pertinentibus inquirat, et eas de novo infeudandi episcopo Varmiensi licentiam concedat. Nr. 968. pag. 719.

1375. 12. Apr. Decano Vratislaviensi, ut sententiam pro praeposito Iezoviensi ord. S. Benedicti Gnesnensis dioecesis contra quosdam laicos latam exsequatur. Nr. 969. pag. 720.
— 4. Maii Pretzlao de Boszk praepositura Iezoviensis ord. S. Benedicti Gnesnensis dioecesis confirmatur. Nr. 970. p. 720.
— 7. „ Nicolaus ecclesiae Posnaniensi in episcopum praeficitur, et de more commendatur. Nr. 971. pag. 721.
— 9. „ Episcopo Sirmiensi et aliis collectoribus, ut omnes pecunias collectas Venetias transmittant. Nr. 972. p. 722.
— 9. „ Episcopo Bononiensi thesaurario generali in Italia potestas recipiendi omnes pecunias a praedictis collectoribus datur. Nr. 973. pag. 722.
— 18. „ Exsecutoribus, ut sententiam pro Swenthoslao de Domanevicz rectore ecclesiae parochialis in Ianislavicz Gnesnensis dioecesis contra Philippum Debincz latam exsequantur. Nr. 974. pag. 723.
— 1. Iunii Exsecutoribus, ut pro Iacobo cardinali S. Georgii ad Velum aureum sententiam de decimis scholastriae Cracoviensis contra ducem Osvencinensem latam exsequantur. Nr. 975. pag. 723.
— 27. „ Debeslaus ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur et ut moris est, commendatur. Nr. 976. pag. 724.
— 12. Oct. Archiepiscopo Gnesnensi, ut restitutionem parochialis ecclesiae in Luberzicia ab episcopo Cracoviensi factam confirmet. Nr. 977. pag. 725.
— 23. Nov. Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum eorum domus seu hospitia in urbe et in civitatibus Montisflasconensi et Viterbiensi exempta ab habitatione cardinalium etc. reservantur. Nr. 978. p. 725.
— 24. „ Thomas electus Nimociensis collector decimarum etc. in Polonia etc. constituitur. Nr. 979. pag. 726.
— 24. „ Eidem, ut unius anni fructus beneficiorum cardinalium in illis partibus colligat. Nr. 980. pag. 727.
— 24. „ Eidem quaedam facultates conceduntur. Nr. 981. pag. 727.
— 3. Dec. Wenceslaus ecclesiae Lubucensi in episcopum praeficitur, et de more commendatur. Nr. 982. pag. 728.
— 3. „ Cum eodem Venceslao super aetatis defectu dispensatur. Nr. 983. pag. 729.
— 5. „ Episcopo Tarbatensi, ut de valore possessionum, quas ecclesia Rigensis in dioecesi Sverinensi vendere velit, inquirat et referat. Nr. 984. pag. 729.
— 11. „ Electo Lubucensi, ut a quocumque antistite catholico muuus consecrationis suscipere possit. Nr. 985. p. 730.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 986. pag. 730.
1376. 14. Ian. Ioanni canonico Crusviciensi beneficium ecclesiasticum in dioecesi Culmensi confertur. Nr. 987. pag. 731.
— 26. „ Petro cardinali Portuensi confertur canonicatus et praebenda in ecclesia Agriensi, quos Mathias electus Haliciensis tempore suae promotionis obtinebat. Nr. 988. pag. 731.
— 2. Febr. Indicibus, ut Ioannem de Cruschin militem dioecesis Culmensis et complices, qui Wicboldum episcopum Culmensem cum sociis captivaruut, non obstantibus eiusdem episcopi promissionibus et obligationibus, excommunicatos etc. nuntient. Nr. 989. pag. 732.
— 8. „ Officiali Vratislaviensi, ut Ioanni Felicis parochialem ecclesiam hospitalis S. Spiritus Vratislaviensis confirmet. Nr. 990. pag. 734.
— 16. „ Boguslaus de Oporow camerae apostolicae medios primi anni fructus scholastriae suae Lancitiensis solvere per procuratores se obligat. Nr. 991. pag. 735.
— 5. Mart. Decano Varmiensi, ut Theoderico de Wernersdorf canonicatum in ecclesia Crusviciensi Vladislaviensis dioecesis conferri curet. Nr. 994. pag. 737.
— 26. „ Episcopo Vladislaviensi, ut cum Petro Rusae et Catheriua super matrimonio ineundo dispenset. Nr. 992. p. 736.
— 22. Apr. Ioanni nato quondam Nicolai de Rugettel canonicatus in ecclesia Varmieusi confertur. Nr. 993. pag. 736.
— 12. Maii Nicolao de Curia Regnitz canonicatus in ecclesia Vratislaviensi confertur. Nr. 995. pag. 737.
— 11. Aug. Universis Christifidelibus capellam S. Antonii prope Regiomontum Sambiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 996. pag. 738.
— 5. Sept. Swentoslao Gregorii canonicatus in ecclesia Cracoviensi confertur. Nr. 997. pag. 738.
— 5. „ Bronislao de Stralcow canonicatus in ecclesia Gnesnensi confertur. Nr. 998. pag. 739.
— ..... Duobus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 999. pag. 739.
1377. 5. Mart. Bernardo episcopo Bononiensi, ut praelatos et alios ecclesiasticos regnorum Hungariae, Poloniae et Dalmatiae ad ecclesiae Romanae de aliquo subsidio subveniendum requirat. Nr. 1000. pag. 739.
— 5. „ Eidem, ut praelatos praedictorum regnorum ad tale subsidium praestandum compellat. Nr. 1001. p. 740.
— 7. „ Eidem, ut a praedictis unius anni decimam omnium proventuum ecclesiasticorum exigat. Nr. 1002. pag. 741.
— 8. „ Eidem, ut praelatos dictorum regnorum ad camerae apostolicae debita solvenda compellat. Nr. 1003. p. 741.
— 13. „ Decano Varmiensi, ut Henricum Wonne plebanum in Wormenyc a sua ecclesia amoveat. Nr. 1004. p. 742.
— 13. „ Eidem, ut dictum plebanatum in Wormenyc Nicolao Rugettel canonico Varmiensi conferat. Nr. 1005. p. 742.
— 13. Apr. Ericus de Winsen ecclesiae Premisliensi in episcopum praeficitur et de more commeudatur. Nr. 1006. p. 743.
— 14. „ Praeposito monasterii in Mechow, ut de interdicto, cui episcopus Cracoviensis oppidum Bresti supposuerit, inquirat et decernat. Nr. 1007. pag. 743.
— 5. Iunii Nicolao Frizconis canonico Posnaniensi canonicatus in ecclesia Vratislaviensi confertur. N. 1008. pag. 744.
— 11. Sept. Officiali Gnesnensi, ut Boguslao de Oparow scholastriam ecclesiae Lancitiensis confirmet. Nr. 1009. p. 745.
— 18. Nov. Nicolao Strosberg collectori iu Polonia necessariae facultates conceduntur. Nr. 1010. pag. 746.
— 18. „ Eidem, ut omnes propter decimas et alia nou soluta excommunicatos absolvere possit. Nr. 1011. pag. 746.
— 30. „ Episcopo Vladislaviensi, ut cum Nicolao de Pacostz et Agnete super matrimonio inito dispenset. Nr. 1012. p. 746.
— 13. Dec. Episcopo Plocensi, ut Iacobum Ponzthala canonicum ecclesiae Plocensis suo canonicatu privet. N. 1013. p. 747.
— ..... Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 1014. pag. 747.
1378. 30. Ian. Alexandro de Litwauia domino de Camnicz indulgetur, ut confessor ipsi plenam omnium peccatorum remissionem semel impertiri valeat. Nr. 1015. pag. 748.
— ..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 1016. pag. 749.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

(1358.) ..... Instrumentum publicum recognitionis litterarum ab Innocentio PP. IV. ad episcopum Livoniae de conversione Lithuanorum directarum. Nr. 1017. pag. 750.

1380. 23. Maii Zavisio electo Cracoviensi, ut bona mobilia a praedecessoribus suis camerae apostolicae reservata pro eadem recuperet. Nr. 1018. pag. 751.

1382. 15. Mart. Custos Cracoviensis et cantor Quinqueecclesiensis collectores in Polonia constituuntur. Nr. 1019. p. 751.

— 21. Maii Iisdem, ut adhaerentes antipapae in illis partibus beneficiis ecclesiasticis privent. Nr. 1020. pag. 752.

— 21. „ Iisdem, ut contra falsos verbi crucis praedicatores in illis partibus iuxta canones procedant. N. 1021. p. 753.

— 6. Iunii Iisdem, ut vigesimam unius anni partem omnium redituum eccl. in illis partibus exigant. Nr. 1022. p. 754.

1386. 10. Febr. Dobrogostius episcopus Posnaniensis collector generalis triennalis in Polonia constituitur. Nr. 1023. p. 755.

— ..... Idem Dobrogostius novem subcollectores in Polonia etc. constituit. Nr. 1024. pag. 756.

1387. 18. Maii Archiepiscopus et clerus Gnesnensis a censuris decimarum causa incursis absolvuntur. Nr. 1025. p. 757.

— 17. Nov. Episcopus et clerus Cracoviensis simili modo absolvuntur. Nr. 1026. pag. 757.

1388. 30. Apr. Stanislao dicto Grad militi quamdam domum in civitate Cracoviensi pontifex concedit. Nr. 1027. p. 758.

— 30. „ Episcopo Posnaniensi collectori, ut omnes se impedientes ad curiam Romanam citet. Nr. 1028. pag. 759.

1389. 23. Iulii Iudicibus, ut episcopum et clerum dioecesis Vratislaviensis a censuris, quas non solvendo decimas incurrerint, absolvant. Nr. 1029. pag. 759.

— 24. Aug. Petrus de Radolina praepositus Vladislaviensis nuntius apostolicus et collector generalis in Polonia et Hungaria constituitur. Nr. 1030. pag. 760.

— 24. „ Salvus conductus pro eodem Petro nuntio apostolico. Nr. 1031. pag. 761.

— 25. „ Eidem nuntio, ut rigore canonum contra eos, qui decimas solvere recusent, procedat. Nr. 1032. pag. 761.

EPISTOLAE BONIFACII PP. IX.

1390. 11. Iulii Episcopo Posnaniensi, ut cum praeposito Gnesnensi de solvendis fructibus benigne agat. Nr. 1033. p. 763.

— 28. Nov. Archiepiscopis Pragensi et Gnesnensi eorumque suffraganeis, ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum in dioecesibus suis ad subveniendam cameram apostolicam per biennium colligi iubeant. Nr. 1034. p. 764.

1393. 1. Iulii Nicolaus episcopus Culmensis collector denarii B. Petri in sua dioecesi et partibus Pomeraniae de cccc. florenis assignatis absolvitur. Nr. 1035. pag. 765.

— 4. „ Iacobus de Guidonis collector generalis in Polonia constituitur. Nr. 1036. pag. 765.

1395. 14. Oct. Nicolaus episcopus Culmensis collector denarii S. Petri in Pomerania etc. constituitur. Nr. 1037. p. 766.

1399. 22. Apr. Matzeus de Lamberto collector generalis in Polonia constituitur. Nr. 1038. pag. 767.

— 22. „ Eidem collectori generali, ut omnes fructus, proventus etc. omnium beneficiorum ecclesiasticorum in regno Poloniae et provincia Gnesnensi vacantium per tres annos camerae apostolicae reservet. Nr. 1040. p. 768.

— ..... Idem collector novem subcollectores instituit. Nr. 1039. pag. 767.

— 4. Maii Episcopo Cracoviensi, ut contra Tartaros et Turcas verbum crucis proponat. Nr. 1041. pag. 769.

1400. 19. Ian. Episcopus Vratislaviensis in regno Poloniae etc. collector decimae in eiusdem regni subsidium contra Tartaros constituitur. Nr. 1042. pag. 771.

— 19. „ Episcopo Vratislaviensi, ut pecunias decimae per se vel subcollectores collectas regi Poloniae in subsidium contra Tartaros tradat. Nr. 1043. pag. 773.

— 12. Aug. Ioannes de Bzovia et Petrus Lysse capellani pontificii creantur. Nr. 1044. pag. 773.

1401. 30. Apr. Praeposito et cantori Vratislaviensis ac decano Premisliensis ecclesiarum, ut episcopum Vladislaviensem ad satisfaciendum Benedicto de Bardis de quatuor millibus et centum florenis auri compellant. Nr. 1045. p. 774.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VII.

1404. 27. Dec. Wladislao regi Poloniae, ut ipse veniat vel nuntios ad tractandum de schismate in ecclesia tollendo mittat. Nr. 1046. pag. 775.

1405. 1. Iulii Nicolao archiepiscopo Gnesnensi, ut suffraganeos et alios praelatos suae provinciae, ad ferendam contra antipapam eiusque sequaces sententiam, in synodum provincialem convocet. Nr. 1047. pag. 776.

— 1. „ Salvus conductus Petro episcopo Cracoviensi ad Romanam curiam venienti datur. Nr. 1048. pag. 776.

— 1. Aug. Nicolaus Peneskonis collector generalis in Polonia et provincia Gnesnensi constituitur. Nr. 1049. p. 777.

— 21. „ Salvus conductus pro eodem collectore Nicolao Peneskonis. Nr. 1050. pag. 777.

1406. 30. Apr. Fridericus Deys collector generalis in Bremensi et Rigensi provinciis etc. consituitur. Nr. 1051. p. 777.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

1407. 12. Mart. Matzeo de Lamberto collectori in Polonia, ut pecunias ad cameram apost. mittat. Nr. 1052. pag. 778.

— 1. Apr. Idem Matzeus de Lamberto collector generalis in Polonia confirmatur. Nr. 1053. pag. 778.

— 13. Dec. Nicolaus episcopus Caminensis collector in Bremensi et Rigensi provinciis constituitur. Nr. 1054. p. 779.

1409. 26. Iulii Albertus episcopus Posnaniensis legatus sedis apostolicae in Polonia constituitur. Nr. 1056. pag. 780.

— 23. Aug. Episcopus Posnaniensis et alii Nicolao episcopo Caminensi constituuntur conservatores. Nr. 1055. p. 779.

— 24. „ Nicolaus episcopus Caminensis legatus sedis apostolicae in Prussia et Pomerania constituitur. Nr. 1057. p. 782.

— 7. Dec. Bernardus electus Tarbatensis collector generalis in Rigensi provincia constituitur. Nr. 1058. pag. 782.

VETERA

POLONIAE ET LITHUANIAE

GENTIUMQUE FINITIMARUM

MONUMENTA HISTORICA.

EPISTOLAE HONORII PP. III.

I.

Duci de Kalis pontifex gratulatur de pace cum duce Poloniae inita.

Honorius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Nobili viro Wlodislavo duci de Kalis, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum illius licet immeriti teneamus (locum) in terris, qui non est dominus dissensionis, sed pacis, ad ea, que pacis sunt, libenter intendimus, et preces, que nobis pro servando pacis federe porriguntur, libenter intendimus, et libeuti animo exaudimus. Eapropter, dilecte in domino fili, tuis iustis postulationibus inclinati, compositiouem pacis, que inter te ac nobilem virum Wlodislavum ducem Polonie, patruum tuum, amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et iuramento firmata, et in publico instrumento exinde confecto plenius debetur contineri, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Laterani v. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 249. fol 63.

II.

Gnesnensi archiepiscopo pacem a duce de Kalis cum duce Poloniae initam se confirmasse nunciat.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Guezuensi Archiepiscopo et suffraganeis eius, salutem etc. Preces dilecti filii nobilis viri Wlodislavi ducis de Calis recepimus supplicantis, ut compositionem pacis, que inter ipsum et Nobilem virum Wlodislavum patruum suum nobis mediautibus intervenit, sicut iuramento firmata est, et in publicam scripturam redacta, diguaremur apostolico munimine roborare. Quocirca Uuiversitati vestre per apostolica scripta precipieutes maudamus, quatenus compositionem ipsam, sicut pro bono pacis provide facta est, sollicitudinis vestre curantes ministerio couservari, si qua partium ab ea temere resilire presumpserit, presumptionem eius, sublato appellationis obstaculo, per ceusuram ecclesiasticam compescatis. Datum Laterani v. Idus Febr. Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 250. fol. 63.

III.

Ducem de Kalis sub sanctae sedis protectione suscipit.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Wlodislavo duci de Calis, salutem etc. Sacrosancta Romana ecclesia etc. usque iuclinati, persouam tuam, terram et homines, possessioues et alia boua, que impresentiarum rationabiliter possides, aut in futuruu iustis modis prestante domiuo poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus, distri-

ctius inhibentes, ne Venerabilis frater noster Gneznensis archiepiscopus in te, vel terram tuam, absque manifesta et rationabili causa, et monitione premissa sententiam excommunicationis promulget. Ad indicium autem huiusmodi a nobis percepte protectionis censum decem marcarum auri, que de tertio in tertium annum te promisisti liberaliter soluturum, nobis et successoribus nostris persolves. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis etc. Si quis autem etc. Datum Laterani v. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 314. fol. 82.

IV.

Archiepiscopum Gnesnensem a voto peregrinationis Hierosolymitanae absolvit.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Litteras tam episcoporum quam principum Gneznensis provincie nobis accepimus presentatas, in quibus nec ipsi nobis absque multa mentis amaritudine intimarunt, nec nos absque paterna compassione audivimus ea, que circa fideles ipsius provincie, peccatis nostris exigentibus, exercuit et exercet feritas paganorum. Quamquam certum sit, quod alto divine dispositionis consilio agitur, ut conversi ad deum persecutionum angustias patiantur, quatenus se totos interius colligentes suam imbellicitatem agnoscant, et in conspectu dei humilient semetipsos, eique in timore serviant, et tremore, et proposito sibi certamine, in quo certent pro nomine dei sui, multiplicem habeant satisfaciendi materiam, qui cottidie offendentes in multis multipliciter prolabuntur ad culpam. Unde speramus, quod ipse, qui solus laborem et dolorem considerat peccatorum, virgam super sortem iustorum finaliter non relinquet, nec fideles suos patietur ultra posse temptari; sed faciet cum temptatione proventum, ut valeat sustinere, qui suos semper in tribulatione dilatat, sic in infirmitate virtutem perficiens eorumdem, ut cum se consumptos putaverint, ut lucifer oriantur. Sane prefati episcopi atque principes nobis humili instantia supplicarunt, ut illius terre necessitate inspecta te a Ierosolimitane peregrinationis labore, a quo, ut asserunt, ipsa te absolvit infirmitas, absolvere dignaremur, et dare nichilominus tibi licentiam retinendi crucesignatos provincei memorate per triennium contra predictorum paganorum barbariem pugnaturos, concessa tibi et illis ea venia peccatorum, que crucesignatis transituris ad partes Ierosolime indulgetur, ne si sepedictam provinciam tuam bellatoribus depauperari contigerit, eadem ex toto paganorum incursibus pateat, et per illos, qui ad eam tutandam aliquatenus suffecissent, terre sancte modicum utilitatis accedat, cum omnes fere sic sint pecunia vacui, ut nonnulli eorum vix credantur expensas ad ipsum iter necessarias habituri. Licet igitur inter ceteras sollicitudines nostras primum locum obtineat negotium terre sancte, gerentes tamen de tua caritate ac religione fiduciam specialem, te ipsum ac ceteros crucesignatos tue provincie tibi committendos duximus in hac parte, ut videlicet, si cognoscis te tanta infirmitate gravatum, quod ad subeundum Ierosolimitane peregrinationis laborem teste conscientia iudices te ineptum, et ipse quidem remaneas, provinciam tuam a dictorum paganorum incursibus, quantum dominus concesserit, defensurus, et illos crucesignatos tecum ad illius defensionem retineas, quos vel imbecillitas virium vel opum tenuitas reddit inhabiles et inutiles negotio ipsius terre sancte, illis, qui ad hoc idonei videbantur, ad eiusdem succursum, cum ad id se voto astrinxerint, profecturis, et tam hiis, quam illis ea gavisuris venia peccatorum, que approbatione concilii generalis crucesignatis generaliter indulgetur. Ad hec quia demum fuit nobis instantissime supplicatum, ut omnes crucesignatos saltem duorum ducatuum Polonie, qui sunt magis vicini paganis, a voto Ierosolimitane peregrinationis absolvere dignaremur, iniuncto eisdem, ut pugnent contra paganos ipsos eadem indulgentia gavisuri, id tue prudentie duximus relinquendum. Sub interminatione autem anathematis districtius inhibemus, ne quisquam terram baptizatorum de Prussia sine permissione sui episcopi cum exercitu intrare presumat, quia dei et nostram indignationem incurreret, qui de cetero in tante presumptionis audaciam prosiliret. Datum Laterani xvi. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 266. fol. 69.

V.

Duci Silesiae quandam compositionem inter ipsum et episcopum Vratislaviensem de decimis persolvendis initam confirmat.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro H. duci Zlesie, salutem etc. Olim inter te, ac Venerabilem fratrem nostrum Wratislaviensem episcopum super decimis prestandis a quibusdam Teutonicis, qui de novo ad illius terre inducti fuerant incolatum, questione suborta, tandem post altercationes

multiplices, ex quibus lites, ex litibus nascebantur et provenichant odii simultates in Venerabilem fratrem nostrum C. Episcopum quondam Alverstatensem, virum providum et discretum (pars utraque concorditer promisit), qui habito super hoc diligenti tractatu, de partium voluntate, inter vos equum arbitrium promulgavit. Unde, tam tu, quam idem Episcopus, ac Venerabiles fratres nostri H. Gneznensis Archiepiscopus et Suffraganei sui, Decanus quoque et Capitulum Wratislavienses per vestras litteras nobis humiliter supplicastis, ut arbitrium inter vos amicabiliter initum ac sponte receptum, apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris precibus grato concurrentes assensu, compositionem ipsam, sicut sine pravitate facta est, et ab utraque parte sponte recepta, ut in instrumentis exinde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani xv. Kal. Marcii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 253. fol. 64.

VI.

Duci de Kalis, ut duci Silesiae castrum de Kalis restituat.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Wlodislavo duci de Kalis, salutem etc. Exposita nobis dilecti filii Nobilis viri H. ducis Zlesie conquestio patefecit, quod cum dudum te ab hereditate tua iniuste depulsum, ac bellorum clade quassatum, in terram suam tum pietatis, tum consanguinitatis intuitu recepisset, castrumque suum de Calis tibi pro vite tue subsidio assignasset, prestito a te primitus iuramento, quod post recuperationem terre tue, fortuna tibi prospere arridente, castrum illud sibi restitueres sine mora: tu recuperata postmodum terra tua, castrum predictum contra proprium iuramentum detinens, ad te asseris pertinere, ac in periculum anime tue reddere contradicis: quasdam etiam res immobiles pertinentes ad castrum alienasse diceris in ipsius ducis preiudicium et gravamen, cuius alienationis contractum Venerabilis frater noster Gneznensis Archiepiscopus contra ipsius prohibitionem minus licite asseritur confirmasse. Quia vero in nullo tibi accresceret, immo plurimum deperiret, si pretextu alicuius comodi temporalis anime tue incurreris detrimentum, Nobilitatem tuam monemus et exhortamur attente, per apost. tibi scripta monentes, quatenus, ne idem dux inde incurrat incommodum, unde videtur preminm meruisse, prefatum castrum cum omnibus pertinentiis suis sibi restituas, ut teneris. Alioquin, quia in iure suo eidem duci deesse non possumus, sicut etiam nec debemus, dilectis filiis Scolastico Wratislaviensi, et Archidiacono et Slavo canonico Cracoviensibus damus nostris litteris in mandatis, ut te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, iustitia mediante compellant. Datum Laterani viii. Kalendas Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 297. fol. 78.

VII.

Iudicibus mandatur, ut ducem de Kalis ad restituendum castrum de Kalis duci Silesiae compellant.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Scolastico Wratizlaviensi, et... Archidiacono et Slavo Canonico Cracoviensibus, salutem etc. Exposita nobis dilecti filii Nobilis viri H. Ducis Zelesie conquestio patefecit, quod cum dudum Nobilem virum W. Ducem de Chalis ab hereditate sua iniuste depulsum, ac bellorum clade quassatum in terram suam tum pietatis, tum consanguinitatis intuitu recepisset, castrumque suum de Chalis sibi pro vite sue subsidio assignasset, prestito ab ipso primitus iuramento, quod post recuperationem terre sue, fortuna sibi prospere arridente, castrum illud sibi restitueret sine mora: ipse recuperata postmodum terra sua, castrum predictum contra proprium detinens iuramentum, ad se asserit pertinere, ac in periculum anime sue reddere contradicit. Quasdam etiam res immobiles pertinentes ad castrum alienasse dicitur in ipsius Ducis preiudicium et gravamen, cuius alienationis contractum Venerabilis frater noster Gneznensis Archiepiscopus contra ipsius prohibitionem minus licite asseritur confirmasse. Quia vero in nullo sibi accresceret, immo plurimum deperiret, si pretextu alicuius commodi temporalis anime sue incurreret detrimentum: eidem Duci nostris litteris dedimus in mandatis, ut ne idem Dux inde incurrat incomodum, immo videtur premium meruisse, castrum cum omnibus pertinentiis suis sibi restituat, ut tenetur. Alioquin quod in iure suo eidem Duci deesse non possumus, sicut etiam non debemus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus Dux mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, iustitia mediante cogatis. Quod si non omnes, duo vestrum etc. Datum Laterani viii. Kalendas Marcii Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 529. fol. 130.

VIII.

Archiepiscopo Gnesnensi super vicesima colligenda et in terrae sanctae utilitatem crucesignatis distribuenda.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Gneznensi et suffraganeis eius, salutem etc. Approbante generali concilio etc. ut in Theineri Monumentis historicis Hungariae Tom. I. Nro. 8. fol. 6. Datum Laterani II. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 312. fog. 81.

IX.

Archiepo Gnesnensi, ut in suae provinciae duces et magnates, qui ecclesias earumque homines vexant, censura canonica animadvertat.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Tua nobis fraternitas intimavit, quod duces et magnates provincie tue, tibi et ecclesiis tuis frequenter dampna gravia et iniurias inferentes, ad appellationis diffugium se convertunt, ut sic canonicam possint eludere ac enervare censuram. Unde nobis humiliter supplicasti, ut huiusmodi obviare malitie dignaremur. Cum igitur appellatio non in diffugium opprimentium, sed in eorum, qui opprimuntur, refugium sit inventa, presentium tibi auctoritate concedimus, ut si ecclesiarum, seu hominum tuorum oppressores iniusti, a te semel secundo tertiove commoniti, satisfactionem exhibere contempserint competentem, liceat tibi, non obstante frustratoriae appellationis obiectu, in eos censuram canonicam exercere. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere, vel ei etc. usque contraire. Siquis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum IV. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1032. fol. 246.

X.

Universis Christi fidelibus Poloniae et Pomeraniae, ut Prutenis recenter ad fidem conversis contra barbaros auxilium ferant.

Honorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus per Poloniam et Pomeraniam constitutis, salutem etc. Alto divine dispositionis consilio agitur, ut conversi ad dominum persecutiones sustineant et pressuras, et Israelem exeuntem Egyptum Pharao acrius persequatur: in cuius conspectu terram promissionis intrantis consumpsit deus magnus et terribilis nationes paulatim atque per partes, ne pariter illis deletis multiplicarentur bestie contra illum, hostes interiores videlicet acrius persequentes. Iebuseus quoque habitavit in Hierusalem cum filiis Beniamin, ne otio effeminati torpescerent, sed habentes cum quibus se exercerent ad prelium, certando legitime glorie coronam acciperent post triumphum. Tribulatio namque virtutum adiutrix, ut aurum fornax, probat electos, partaque tuetur et auget: quoniam vexatio dat intellectum auditui, et Abel esse renuit, quem Cayn malitia non exercet, cum otium vitiis tribuat incentivum. Ad hoc ergo dominus, qui mala non permitteret fieri, nisi eliceret inde bonum, suos exterius tribulari permittit, ut se totos interius colligentes suam imbecillitatem cognoscant, et in conspectu dei humiliantes seipsos ab eo auxilium prestolentur, et dicant, tua est potentia, tuum regnum, non pacem temporis, sed potius pectoris expectendo. Quoniam etsi pax interdum in pace Babilonis sit, eis, in ipsa tamen pace frequenter amaritudo amarissima est illorum. David etenim, quem bella non vicerant, pax prostravit, et fortius cecidit, quam si fuisset a visibilibus hostibus superatus. Aliud quoque circa nos dominus sue iudicium exhibet bonitatis in hoc, quod reservat fidelibus suis hostes, quos posset conterere solo verbo, cui venti obediunt atque mare, ut videlicet qui offenderunt in multis, multiplicem habeant satisfaciendi materiam, et succurrendo in personis et rebus fidelibus tribulatis, saltem accepto calice salutari retribuant aliquid domino, qui pro eis tradidit semetispsum hostiam deo in suavitatis odorem. Ecce namque circumiacens populus barbarus Prutenorum gentem, que nuper ad agnitionem veritatis pervenit, in contemptum persequitur redemptoris, et de tenebris erutam nititur ad tenebras persecutionibus revocare: sed speramus in domino, quod ipsam ultra id, quod potest, non permittet temptari, sed faciet cum temptatione proventum, ut valeat sustinere, qui devotionem querit fidelium in eorum auxilium et salutem, et quamvis bonorum nostrorum non egeat, ea tamen a nobis exposcit, ut sic nobis filios dei fieri, sue bonitatis clementia tribuat potestatem, et hii, qui ei servire in subsidium terre sancte non possunt, saltem in succursum Prutenice gentis ei devotum exhibeant famulatum. Cum igitur plures ex vobis existant, qui non disponunt suis humeris affigere signum crucis in terre sancte subsidium profecturi, eis in remissionem iniungimus peccatorum, quatinus in eorundem accedant auxilium contra barbaras nationes pro plantatione novella fidei christiane, tam spiritualibus armis, quam

materialibus pugnaturi, tam eis, quam illis, qui aliquos illuc in suis mittent expensis, vel ad eorum subventionem de suis facultatibus ministrabunt, concessa iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum venia peccatorum secundum quod transituris Ierosolimam indulgetur. Ad hec autem ecclesiarum prelatos monendos duximus et exhortandos attentius, presentium auctoritate mandantes, quatinus populo sibi commisso hec annuntiare procurent, et ipsum ad hoc opus fideliter exhortentur. Datum Rome apud sanctum Petrum III. Non. Maii. Anno Secundo.

In e. m. Universis Christi fidelibus per Coloniensem, Salzeburgensem et Moguntinam provincias constitutis.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1148. fol. 262.

XI.

Archiepiscopis Germaniae et Poloniae, ut episcopum Prussiae in defendendis Prutenis recenter ad fidem conversis contra incursiones barbarorum piis largitionibus sublevent.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis per Moguntinam, Salzeburgensem, Gnesnensem et Londonensem Provincias constitutis, salutem etc. Legistis, ut credimus, et memorie commendastis, qualiter apostolus fieri mandabat in ecclesia primitiva collectas, per quas posset sanctorum, qui erant in Ierusalem, necessitatibus subveniri, suo secuturos post se docens exemplo, ut in similibus simili consilio uterentur. Cum igitur Venerabilis frater noster... Episcopus Pruscie, et alii, qui zelo fidei christiane succensi, evangelizant in partibus Pruscie dominum Ihesum Christum, et eos, qui iam per baptismum induerunt eundem, defendere satagunt ab incursibus paganorum, qui velut alii Amalechite impugnant multipliciter Israelem, ut eum vel in deserto perimant vel revocent in Egyptum, non sufficiant ad onera expensarum, nisi subveniatur eisdem liberali fidelium pietate: fraternitatem vestram rogamus in domino et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatinus singuli universis ecclesiarum prelatis vestrarum diocesum firmiter iniungatis, ut quilibet populum sibi commissum saltem semel in anno prudenter moneat et inducat, ut prefato episcopo pro tam laudabili opere pias elemosinas largiantur, obligaturi exinde sibi bonorum operum omnium largitorem. Datum Rome apud sanctum Petrum II. Non. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1154. fol. 263.

XII.

Duci Silesiae compositio quaedam intra ipsum et ducem Poloniae de castro Lubus inita confirmatur.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro H. duci Zelezie, salutem etc. Tam per tuas, quam Venerabilium fratrum nostrorum... Pozuaniensis, ... Wratislaviensis et... Lubicensis episcoporum, nec non nobilis viri W. patrui tui, ducis Polonie, litteras nobis fuit humiliter supplicatum, ut quod factum est, mediantibus eisdem episcopis, ad fedus dilectionis inter te ac predictum ducem perpetuo conservandum, te cedente in signum perfecte amicitie ac mutue caritatis quoddam castrum, quod Lubus dicitur, duci prefato quoad vixerit possidendum, ita quod post obitum ducis eiusdem ad te vel heredes tuos, omni occasione ac dilatione remotis, directo redeat cum suis pertinentiis castrum, apostolico dignaremur munimine roborare. Cum igitur nos eius vicem, licet immeriti, geramus in terris, qui pacem hominibus nuntiavit, et cum mundo reliquit, tuis et prelibati ducis, nec non predictorum episcoporum supplicationibus grato concurrentes assensu, quod super hoc provida est deliberatione statutum, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem rei huius cautelam tenorem litterarum prefati ducis Polonie, in quibus, quod statutum est inter te ac ipsum, plenius continetur, presentibus duximus inserendum. Qui est talis. Venerabili patri ac domino Honorio sancte Romane ecclesie summo Pontifici W. dux Polonie, paratum ad omnia sue subiectionis obsequium. Cum vicarius eius in terris sitis divinitus constitutus, qui et firma corroborat, et fracta consolidat, maxime in hiis vestre auctoritatis robur credimus accessurum, que paci consonant, et piam unitatem ex diversis vinciunt et compouunt. Volens igitur in gestis nostris legitimis etiam ex auctoritatis vestre plenitudine munimen habere perpetue firmitatis pactum, quod inter me et nepotem meum, dominum H. ducem Zelezie, de virorum prudentum et prelatorum ecclesie consilio intervenit, paternitati vestre dirigo confirmandum, quod ad maiorem cautelam huic nostro scripto de verbo ad verbum inseruimus, quod tale est. Ego Vlodizlavus magnus dux Polonie, considerata utilitate tam terre mee, quam nepotis et compatris mei ducis Henrici, consensi in fedus amicitie cum ipso nullo tempore violandum. Inde est,

quod promisi ei, quod pro posse modo assistam eidem ad honorem ipsius conservandum et reformandum. Illud quoque sibi promisi, ut nullum respectum ad aliquam partem terre, quam nunc possidet, unquam habiturus sim. Occasionem quoque discordie precidere volens spopondi, quod homines mei homines suos omisso iudicio vadiare nullatenus presumant: sed et homines ipsius fugitivos a tempore colloquii habiti in Zandovel, tam a me quam a meis detentos, restituam. Ad illud etiam specialiter me obligavi, ut fures tam fraudulentos quam violentes bona fide cohibeam et exterminem, ne aliquod nocumentum maxime terre predicti ducis H. faciant, et a nullo nobilium meorum serventur sub pena perpetue infamie, et iureiurando super hoc prestito, ita quod si quis ter ammonitus non resipuerit, nobilitate et hereditatibus careat, directo ad me divolvendis et non ad heredes eorum, nisi forte malitie ipsorum contrarii fuerint. Dux etiam Henricus omnia premissa vice versa mihi promisit. Super fugitivis etiam reddendis sese milites nostri firmiter obligarunt. Promisi etiam pro posse meo bona fide etiam extraneos cohibere, ne per fines de Lubus transeuntes nocere valeant vel terre sue specialiter, vel marchie Lusicensi, quamdiu ab eodem duce H. tenetur. Ad robur autem et incitamentum sincere caritatis dux H. de castro suo Lubus persone mee cedit, ita tamen, ut si finis meus fataliter contigerit, dictum Lubus eidem duci H., si supervixerit, vel heredi eius, a quocunque tunc detentum fuerit, sine difficultate reddatur: super quo promisso ego ipse in persona mea iuravi, et mei de meo consensu, in quibus vel eorum successoribus maior vis visa est ad hoc effectui mancipandum. Excommunicatio etiam late sententie de meo et meorum consensu tam in me, quam in meorum quemlibet, si ab aliquo ex nobis contra hoc placitum fraus vel impedimentum ullo tempore opponeretur vel procuraretur, missa est a P. Poznaniensi, L. Wratizlaviensi et L. Lubicensi episcopis: consensi etiam in confirmatione domini pape et archiepiscopi et episcoporum Polonie denunciationem faciendam super eadem excommunicatione. Uterque autem nostrum, quod promisit, iuramento firmavit. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infrigere, vel ei etc. usque contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum VII. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1059. fol. 250.

XIII.

Episcopis Poloniae, ut praedictam compositionem per censuram canonicam observari faciant.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Gneznensi et universis episcopis per Poloniam constitutis, salutem etc. Dilecti filii Nobiles viri W. Dux Polonie ac H. Dux Zelesie per suas nobis litteras supplicarunt, ut quod factum est ad fedus dilectionis inter eos perpetuo conservandum, eodem Duce Zelesie cedente in signum perfecte amicitie ac mutue caritatis quoddam castrum, quod Lubus dicitur, prefato Duci Polonie, quoad vixerit, possidendum, ita quod post eius obitum ad ipsum et heredes suos, omni occasione ac dilatione remotis, directo redeat cum suis pertinentiis idem Castrum, per vos faceremus per excomunicationis sententiam firmiter observari. Cum igitur eius vicem, licet immeriti, geramus in terris, qui pacem omnibus nuntiavit, et eam mundo reliquit, supplicationibus annuentes ipsorum, Universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, quod super hoc provida est deliberatione statutum, observari sub apostolica obedientia per eandem sententiam faciatis, et ad maiorem huiusmodi rei cautelam, tenorem litterarum prefati Ducis Polonie, in quibus, quod statutum est inter ipsos, plenius continetur, presentibus duximus inserendum. Qui est talis. Venerabili patri etc. ut supra usque in finem.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1060. fol. 151.

XIV.

Crucesignatis Poloniae etc. ne in adiuvando Prussiae episcopo pro conversione gentilium laborante mundana lucra quaerant.

Honorius episcopus etc. Universis Crucesignatis Teutonie, Boemie, Moravie, Dacie, Polonie et Pomeranie ad subsidium Prutenorum proficiscentibus, salutem etc. Cum secundum apostolum nemo militans deo implicat se secularibus negotiis, ne non que sursum sunt, sed que super terram quercre videatur, cavendum est vobis, ne cum vos ascripscritis obsequio Ihesu Christi, ad defendendum Venerabilem fratrem nostrum... Pruscie episcopum, noviter baptizatos et conversos ab incursibus paganorum hoc alicuius lucri temporalis gratia faciatis: quia secundum evangelicam veritatem nemo potest duobus dominis servire deo et mammone, et ve homini terram viis duabus intranti. Simplex enim in simplicitate querendus est dominus, qui adest omnibus in veritate invocantibus nomen eius. Quocirca Uni-

versitatem vestram monendam duximus, et hortandam, per apostolica scripta mandantes, quatinus non que vestra sunt, sed que Christi querentes, ad convertendum ad deum, non ad subiugandum vestre servituti paganos intendere studeatis, ne (quod absit) illi timentes subici servituti, in sui erroris pertinacia fortius obstinentur, et vos frustra laboretis in eis, si dominus, qui renes scrutatur et corda, votis vestris non faverit insensatis: sed ut legitime certare probemini ab omnibus abstinentes illicitis, Venerabili fratri nostro... Episcopo Pruscie super hiis modis intendatis, cui dominus in hiis est hactenus miserabiliter prosperatus. Nos enim eidem Episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut siqui contra voluntatem eius terram baptizatorum vel baptizandorum totius Pruscie intrare, vel in ea disponere quicquam presumpserint, per quod posset paganorum conversio prepediri, vel deteriorari conditio conversorum (eos a presumptione huiusmodi monemus presentibus), per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescat. Datum Rome apud sanctum Petrum XVII. Kal. Iunii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1149. fol. 262.

XV.

Iudicibus mandatur, ut duci Silesiae castrum de Kalis restituendum curent.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis... de Andreio et... de Wangoz abbatibus Cracoviensis diocesis, et... Archidiacono Wratislaviensi, salutem etc. Dilectus filius nobilis vir H. Dux Zelesie transmissa nobis petitione monstravit, quod cum nobilem virum W. natum quondam Oddonis diocesis Gneznensis, bellorum clade quassatum in terra sua tum pietatis, tum consanguinitatis intuitu recepisset, castrumque suum de Chalis sibi pro vite subsidio assignasset, exhibito ab ipso primitus iuramento, quod post recuperationem terre sue sibi restitueret idem Castrum, prefatus W. ad restitutionem Castri predicti se in omnem eventum asserit non teneri, et quod super hoc nullum subierit iuramentum. Unde iam dictus Dux Zelesie a nobis suppliciter postulavit, ut eidem super hoc providere paterna sollicitudine dignaremur, ne processu temporis probationis ei copia fortuitis casibus subtrahatur. Ideoque presentium vobis auctoritate utriusque partis procuratorum assensu mandamus, quatinus memoratum W. suum recognoscere iuramentum moneatis attente, ac efficaciter inducatis. Quod si ad hoc induci forte non poterit, ne veritas confessa succumbat, testes, qui super hoc nominati fuerunt, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, cogatis auctoritate nostra veritati testimonium perhibere, denuntiando primo prefato W. ut huic receptioni testium, si velit, intersit, et super denuntiatione sic facta confici faciatis publicum instrumentum. Cum autem pro prefato Duce Zelesie per impetrantis errorem super facienda sibi restitutione Castri predicti ad... Scolasticum Wratislaviensem, et Zlavosum Cracoviensem canonicum, et te, fili Archidiacone, fuerit apostolicum mandatum obtentum, per quod tu et dicti coniudices tui ad citationem tantummodo processistis: volumus ad petitionem prefati Ducis Zelesie mandatum ipsum fore invalidum, et vestro processui non obstare. Quod si non omnes, duo vestrum etc. Datum Rome apud sanctum Petrum VII. Kalendas Iunii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1105. fol. 256.

XVI.

Episcopo Prussiae pontifex villam de Cecoviz et alia ecclesiae suae a duce de Kalis concessa privilegia, insertis eiusdem ducis litteris, confirmat.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Pruscie, salutem etc. Iustis petentium etc. usque complere. Eapropter, Venerabilis in Christo frater, etc. usque assensu, Villam de Cecoviz, et libertates ac immunitates secularium exactionum a dilecto filio Wladizlavo duce de Kalis pia tibi liberalitate concessas, sicut eas iuste obtines et quiete, et in eiusdem ducis autentico plenius continetur, cuius tenorem de verbo ad verbum presenti pagine duximus annotandum, tibi et per te ecclesie tue auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem autentici eiusdem est talis. Ego Wladizlavus dux de Kalis Omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris notum facio, quod Venerabili patri... Episcopo et... (?) abbati de Pruzia et successoribus eius in ducatu meo villam, que Cecoviz vocata est, liberali collatione donavi. Preterea Universitati vestre notissimum esse cupio, quod eidem episcopo et successoribus eius hanc libertatem donavi, ut in supradicta villa teutonicos sive alios hospites collocet, qui ibidem liberrimum forum habeant, qui euntes et redeuntes, vendentes et ementes in ducatu nostro thelonea nequaquam persolvant, nec ad castri iura ullo modo

respiciant, nec monetarios ducis in foro suo recipiant. Ad iudicium etiam castri non veniant, nec Castellanus vel Iudices Castri inter eos iudicio sedeant, nec aliquod ius sibi concessum in eis exerceant. Ad expeditionem etiam ducis non vadant, nec vestigia recipiant. Si vero inter homines ducis et supradicti episcopi homines tam enormis causa emerserit, que subticeri facile non valeat, cum sigillo eiusdem episcopi, ipso episcopo presente ac mediante, ante ducem provocentur, ita tamen, ut si episcopi homines culpabiles inventi fuerint, totius culpe solutio ad episcopum revertatur. Hanc autem libertatem non solum in supradicta villa, sed etiam omnibus villis et hominibus, quos idem episcopus in posterum iuste in ducatu nostro poterit adipisci, condonavi. Testes vero huius donationis mee hii sunt: Castellanus Ywanus, Castellanus de Ruda Ymmizlaus, Castellanus de Srem Petrus, Palatinus Stephanus, Pincerna Iohannes et alii nobiles mei, scilicet Milozlaus, Dirsec, Woicech, Raciborius, Isizlaus, quorum omnium testimonio hanc nostram donationem meo sigillo confirmavi. Anno ab incarnatione domini M.CC.XII. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere, vel ei etc. usque contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum III. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1146. fol. 261.

XVII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut ad correctionem dioecesis Plocensis secundum canonicas sanctiones procedat.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gnesnensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Accedentes ad apostolicam sedem dilecti filii B. et R. procuratores Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi, et dilectorum filiorum . . . Decani et Capituli Plocensis, coram dilecto filio nostro sancte Marie in Cosmedin diacono Cardinali, sibi et dilectis filiis . . . Decano et . . . Archidiacono Lanciciensi, procuratoribus tuis a nobis auditore concesso, graviter sunt conquesti: quod tu ab olim Plocensem ecclesiam incepisti multipliciter molestare, ipsius episcopi clericos invitos coram te litigare compellens, propter quod dudum fuit ad sedem apostolicam appellatum, ipsi episcopo interdicens, ne in nuptiis nobilis viri Conradi ducis Mazovie parrochiani sui missam sponsaliciam celebraret, ac satagens quandam insulam ad Plocensem ecclesiam pertinentem . . . preposito monialium de Plocse conferre, Plocenses canonicos pro eo, quod tibi nolebant acquiescere in hac parte, gravibus iniuriis fatiscendo. Ad hec, cum ipsam accedis ecclesiam, thronum tibi facis erigi altiorem cum clericorum ipsius ecclesie gravibus laboribus et expensis, in qua sedens oblationes recipis, et etiam sanguinem Christi sumens, in scandalum populorum pedes tibi faciens osculari. Quasdam quoque sententias pro prefato B. auctoritate sedis apostolice promulgatas pro tue voluntatis arbitrio nuntiasti, eundem B. sine causa rationabili excomunicans, et suis spolians beneficiis, ac eadem alteri conferens in ipsius et prefati episcopi preiudicium et gravamen, exponendo nichilominus bona eiusdem B. in direptionem et predam principi seculari. Porro familia tua transiens per episcopatum Plocensem ipsius clericos gravare presumpsit multipliciter in expensis, ne tibi esset dissimilis, qui a quodam suffraganeo tuo, quem veniens ad concilium, in provincia tua dimiseras pro exhibendis ecclesiasticis sacramentis, centum marchas, sicut iidem procuratores asserunt, extorsisti. Postmodum autem, officio legationis assumpto, percussores clericorum, nulla passis iniuriam satisfactione impensa, et penitentiales absque suorum conniventia prelatorum absolvens, Plocensem diocesin cum effrenato evectionum numero, centum ac decem equorum videlicet, et obsequentium multitudine introisti, ibique moram faciens longiorem, nec necessariam, sed dampnosam, eiusdem clericos expensis gravasti superfluis ultra modum, eiusdem diocesis clericos super pluralitate beneficiorum, que obtinuerunt ante generale concilium, molestando. Cumque in Plocensi ecclesia synodum celebrans nil invenisses in clero, vel episcopo corrigendum, duos, A. videlicet et W. clericos elegisti, qui tanquam speciales criminum delatores excessus deferrent episcopi atque cleri, quibus frivola proponentibus, quod per ea contra episcopum procedere non valebas, secundum animi tui motum viam excogitasti aliam, subito testes septem eligens synodales, connumerando inter ipsos duos clericos supradictos, et alium quendam P. nomine, qui ab episcopo et capitulo fuerat condempnatus, eo quod quendam suum concanonicum traxerat ad iudicium seculare, per quos credebas tuum desiderium adimplere, sicque in nullo servata generalis concilii forma edita super corrigendis excessibus subditorum, cum nec accusatores inscriberent, nec denuntiatores, premissa caritativa monitione, aliqui apparerent, nec clamor credibilis ascendisset, quare ad inquisitionem criminum te descendere oporteret, descriptis primum, et ostensis dictis episcopo et clericis articulis inquirendis, novis adinventionibus canones novos cudens, novo modo

contra ipsos procedere festinabas, et cum tuam diocesim a culpis gravioribus non purgasses, trabe de tuis oculis non eiecta, festucam de oculo fratris tui cicere satagebas. Quare prefati episcopus, decanus et Capitulum propter predicta et alia te suspectum habentes, ac in multis sentientes se indebite aggravari, (ad) sedem apost. appellarunt, nobis humiliter supplicando, ut cum debitam correctionem non refugiant, sed affectent, et te olim ante legationem susceptam caritative monuerint super multis, que nobis denuntiare volebant, propter que timent te contra ipsos indignationem ac rancorem aliquem concepisse, mandaremus viris discretis, ut tam te, quam ipsos, et tuam ac ipsorum dioceses dicta pre oculis habentes corrigereut et iuxta sanctiones canonicas reformarent. Verum prefati procuratores tui predicta negantes ex parte (tua), ac in aliis te multipliciter excusantes dixerant, quod iamdicti cp̄us et capitulum confingebant ideo supradicta, ut in suis excessibus remanereut, et penam evaderent debite ultionis. Nam cum de ipsorum excessibus dudum ad aures tuas clamor validus ascendisset, et maxime super eo, quod prefatus episcopus totius episcopatus sui tempore vix ter ad populum sermonem dicitur habuisse, ac decimas, que in pias causas debentur, deputans quorumdam stipendiis venatorum, censumque nobis debitum frequenter a te monitus exigere uegligens, ac Vicesimam terre sancte subsidio deputatam nec de suis curans proventibus solvere, nec exigere de suorum redditibus subditorum, vitiaque subiectorum non corrigens, sed sacerdotes tolerans uxoratos, et legitima matrimonia in quadam parte sui episcopatus dissimulans separari, ac pretium recipi pro pueris baptizandis, canonicos etiam bigamos scienter sustinet in ecclesia cathedrali, et decanum a prima prebeuda, in qua immediate patri successit, transferens in canonicatus fraudem ad quintam, meclias (? meliores) contulit affinibus et cognatis, colligatione impietatis, ut dicitur, ordinata, ne videlicet in ipsorum ecclesia probus aliquis admittatur: tu hec et alia volens corrigere iuxta officii tui debitum, rite ad eorum correctionem procedere incepisti, sed ipsi animarum salute contempta, sub appellationis clipeo suam volentes malitiam occultare, ad sedem apostolicam provocarunt, ipso episcopo loco predicte Vicesime extorqueute quandam collectam a clero, quam prefatis procuratoribus suis tradidit pro expensis, quorum appellationi ob nostram reverentiam humiliter detulisti, uon que tua, sed que Ihesu Christi sunt, querere te ostendens, propter quod iidem procuratores tui ex parte tua uobis humiliter supplicaruut, ut ad correctiouem episcopatus predicti misericorditer dignaremur uostre provisionis oculos incliuare. Cum igitur Cardinalis predictus hec et alia, que coram eo fuere proposita, nobis fideliter retulisset, uos in hac parte tibi deferre volentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad correctiouem diocesis Ploceusis iuxta commissum tibi legationis officium secundum canouicas sanctiones, et prescrtim iuxta coustitutiones coucilii generalis procedas, tuos non negligeus, quibus specialiter es astrictus, habeusque in omnibus dominum pre oculis, et pensans equa lance in stativa iudicii universa pura mente ac simplici, omni uebula obscuritatis exclusa, per viam regiam gradiendo uon declines ad dexteram vel sinistram, ita quod viarum tuarum semita in conspectu dei et hominum quasi lux splendeat, et usque ad diem perfectum excrescat amplius in fulgore, nosque de te nichil sinistrum credere, sed de tuis possimus bonis actibus gloriari. Datum Rome apud sanctum Petrum XVI. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1195. fol. 268.

XVIII.

Duci de Kalis ecclesiam B. Pauli de Kalis sub protectione sanctae sedis se suscepisse significat.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro W. Duci de Kalis, fundatori ecclesie beati Pauli de Kalis, salutem etc. Solet annuere etc. usque asseusu, Ecclesiam beati Pauli de Kalis, nec non et personas in ea domino famulantes, cum omnibus, que impresentiarum ratiouabiliter possidet, aut iu futurum iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectioue suscipimus, et presentis scripti patrociuio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectiouis infringere. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum X. Kaleudas Iulii. Pontificatus nostri Anno II.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1222. fol. 274.

XIX.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut legationis officium in partibus Prussiae abdicet.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gnezuensi, salutem etc. Cum tibi olim pro novella plantatione in Pruscie partibus fidei christiauae legationis fuerit officium ab apo-

stolica sede commissum, ne te gravi forte, sicut audivimus, langore correpto minus quam expediat iniunctam tibi super hoc valeas sollicitudinem exercere, absolvendum te duximus ab eadem, volentes, ut ab huiusmodi legationis onere de cetero conquiescas. Datum Rome apud sanctum Petrum v. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 457. fol. 96.

XX.

Capitulo et clero Guesnensis civitatis et dioecesis, ut archiepiscopum, quem eis praefecerit, recipiant.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo et Clero Gneznensis civitatis et diocesis, salutem etc. Cum pie recordationis Henrico Gneznensi Archiepiscopo rebus humanis exempto vos filii Capitulum convenissetis in unum de substitutione Pontificis tractaturi, votis vestris divisis in partes, quidam ex vobis . . . Decanum Gneznensem, quidam vero B. Cracoviensem prepositum elegerant. Procuratoribus ergo parcium propter hoc in nostra presentia constitutis, nos auditis et intellectis, que super electionibus ipsis proponere curaverunt, invenimus neutram ipsarum a maiori parte Capituli celebratam, et ad ipsas per secularis potestatis abusum fuisse processum: unde cum contra statuta concilii generalis fuerit utraque presumpta, de consilio fratrum nostrorum utramque pronuntiamus irritam, et electores eligendi hac vice potestate privatos, de misericordia, que superexaltat iudicio, in hoc benigne agentes cum electoribus et electis, quod ipsos ab aliis penis exemimus in eiusdem statuto concilii denotalis. Satagentes autem tanto celerius et accuratius providere Gneznensi ecclesie, quanto id non solum ecclesie ipsi, sed etiam toti provincie, cuius est ipsa metropolis, noscitur expedire, Venerabilem fratrem nostrum Ivonem Episcopum, quem clara fame preconia eius predicant scientie, nobilitatis, honestatis ac meriti, ut tanto credatur congruere oneri et honori, a regimine Cracoviensis ecclesie duximus absolvendum et preficiendum metropoli memorate, ut eo pluribus prosint virtutes, quibus est a domino preditus, quo in maiori dignitate fuerit constitutus. Unde prefato episcopo nostris districte damus litteris in preceptis, ut nulla sollicitudinum aut laborum mole deterritus, nullove blandimento quietis aut temporalis commodi retardatus, ad metropolim transeat antedictam, et eius regimen de superno auxilio et apostolice sedis favore fretus confidenter assumens, sic preesse studeat et prodesse, quod fama eius, que hactenus clara fuit, de altiori loco clarius elucescat. Ideoque per apostolica vobis scripta precipientes mandamus, quatinus eundem episcopum recipiatis ylariter, et ei sicut pastori vestro humiliter intendatis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, precipimus usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum Viterbii II. Nonas Novembris. Anno IV.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 596. fol. 138.

XXI.

Fulconi cantori Gnesnensi, quod factum est super nunciatione suae legitimationis, confirmatur.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Fulconi Cantori Gnesnensi, salutem etc. Cum olim illegitimitatis nota tibi coram nobis fuisset in modum exceptionis obiecta, licet obiectorem penituisse videretur obiecti, et dicto eius refragaretur multorum assertio, quibus fides adhibenda merito videbatur: tu tamen nolens in te huiusmodi maculam remanere, supplicasti nobis humiliter et instanter, ut super hoc inquiri faceremus diligentius veritatem, et per declarationem legitimitatis tue prenotatam maculam aboleri. Unde nos dilectis filiis . . . Abbati et . . . Priori Tincie ac . . . Archidiacono Cracoviensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut reciperent testes idoneos, quos super tua legitimitate duceres producendos, et si constaret eisdem, quod de legitimo matrimonio natus esses, te legitimum auctoritate apostolica declararent, quid inde facerent, nobis fideliter rescripturi. Quare per suas nobis litteras intimarunt, quod exequentes mandatum apostolicum diligenter testes super dicto articulo receperunt, et attente sub testimonio Capituli Cracoviensis, inspectis depositionibus eorundem, invenerunt te de legitimo matrimonio, antequam pater tuus aliquos suscepisset ordines, esse natum, quare te nuntiaverunt legitimum, prout sibi a nobis fuerat demandatum. Ne igitur veritas semel super tuis declarata natalibus alicuius dubitationis scrupulo valeat in posterum offuscari, quod super hoc factum extitit ab eisdem, presenti pagina scribi fecimus ad cautelam, et bulle nostre munimine roborari. Datum Viterbii XIII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 684. fol. 168.

XXII.

Episcopo et abbati B. Mariae Vratislaviensibus, iniungant capitulo Gnesnensi, ut virum idoneum in pastorem eligant.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo et dilecto filio... Abbati sancte Marie Wratislaviensibus, salutem etc. Vacante Gneznensi ecclesia Venerabili fratri nostro... Cracoviensi Ep̄o note probitatis et clare fame viro duximus iniungendum, ut assumeret onus regiminis ecclesie memorate. Verum quia idem episcopus postulavit instanter, ne id oneris imponeremus eidem, nos provisioni eiusdem ecclesie tanto studiosius intendentes, quanto ex defectu pastoris maioribus dispendiis dicitur subiacere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eiusdem Capitulum auctoritate nostra convocantes ad locum competentem et tutum iniungatis eisdem, ut de persona, que huiusmodi congruat oneri et honori, sibi provideant infra Quadraginta dies, postquam a vobis commoniti fuerint, canonice in pastorem. Quod si forte non fecerint, vos extunc, ne sepedicta ecclesia diutius viduitatis incomoda patiatur, personam tanto congruentem officio auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, preficiatis eidem, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non ambo, alter vestrum etc. Datum Viterbii III. Idus Maii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 725. fol. 178.

XXIII.

Capitulo Gnesnensi, quod examinata postulatione praepositi, pontifex ipsam duxerit admittendam.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo Gneznensi, salutem etc. Ex litteris Venerabilis fratris nostri... Episcopi et dilecti filii... Abbatis sancte Marie Wratislaviensium nobis innotuit, quod cum iidem episcopus et abbas vobis, prout in mandatis a nobis acceperant, iniunxissent, ut infra Quadraginta dies post commonitionem ipsorum provideretis vobis de persona idonea canonice in pastorem: alioquin ipsi ex tunc personam vobis auctoritate nostra preficerent huiusmodi honori et oneri congruentem: vos invocata spiritus sancti gratia, in dilectum filium Vincentium ecclesie vestre maiorem prepositum, virum industrium, generis et morum nobilitate preclarum, ac litteratura sufficienter ornatum, omnes unanimiter convenistis, una cum prefatis episcopo et abbate, necnon Venerabilibus fratribus nostris... Cracoviensi et... Poznaniensi episcopis, qui ei testimonium perhibent de predictis, nobis humiliter supplicantes, ut eundem, qui est in minoribus ordinibus constitutus, vobis in Archiep̄um et pastorem concedere dignaremur. Nos igitur decreto vestris subscriptionibus roborato, ac predictorum episcoporum et abbatis litteris, in quibus commendant multipliciter prepositum memoratum, diligenter inspectis, et etiam super modo postulationis, natalibus, etate ac litteratura ipsius prepositi, et aliis, que in dignitate huiusmodi exiguntur, recepto iuramento dilectorum filiorum Magistri Egidii Zavichoztensis et P. Poznaniensis Archidiaconorum et Sandivori canonici sancti Georgii Gneznensis, qui pro dicta postulatione ad nostram presentiam accesserunt, postulationem ipsam de gratia duximus admittendam. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsi Electo tamquam pastori vestro intendatis, et obediatis humiliter et devote. Datum Viterbii III. Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 117. fol. 30.

XXIV.

Archiepiscopo Gnesnensi et praelatis suae dioecesis, ut cardinalem S. Theodori legatum apostolicum benigne recipiant.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis ecclesiarum Prelatis per eius diocesim constitutis, salutem etc. Suscepti cura regiminis, que nos omnibus constituit debitores, exposcit, ut qui officium speculatoris assumpsimus, non solum ad propepositos, sed etiam ad longe positos nostre sollicitudinis aciem extendamus, ac de agro dominico studeamus extirpare plantaria vitiorum, ne forte illis per nostram incuriam excrescentibus nobis possit adaptari, quod legitur: Per agrum hominis pigri transivi, et ecce urtice repleverant eum, et operuerant faciem eius spine. Quia vero humane conditionis natura non patitur, ut per nos ipsos cuncta nobis imminentia exequamur, exemplo eius, qui cum ubique sit presens, spiritus angelos suos facit, et in diversa ministeria mittit illos, aliis ea exequenda committimus, que per nos ipsos exequi non valemus, maiora maioribus, prout ratio singulorum expostulat, committentes. Ut igitur in persona

cius, quem ad vos destinare curavimus, plenius agnoscatis, quam et quantam de vobis sollicitudinem habeamus, ecce mittimus ad vos dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio sancti Theodori diaconum Cardinalem apostolice sedis legatum, virum utique prudentia et honestate conspicuum, ac nobis inter ceteros fratres nostros suis meritis exigentibus specialiter carum, commisso sibi plene legationis officio, et concessa sibi plenaria potestate, ut evellat et destruat, edificet atque plantet, prout queque secundum datam sibi a deo prudentiam viderit facienda. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso recipientes ylariter et honorifice pertractantes, eidem tamquam persone nostre intendatis et obediatis humiliter et devote, ac ipsius salubria monita et statuta irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, precipimus usque ad satisfactionem inviolabiliter observari. Datum Laterani II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In eodem modo scriptum est . . . Archiepiscopo Upsallensi et Suffraganeis eius, Abbatibus, Prioribus et aliis ecclesiarum prelatis in Upsallensi provincia constitutis; — Archiepiscopo Lundensi etc. Episcopo Pragensi etc. Episcopo Olomucensi etc. Episcopo Missinensi etc. Episcopo Noscensi et Abbatibus etc. Episcopis Lubecensi, Razeburgensi, Sverinensi et Caminensi etc.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 307. fol. 62.

XXV.

Abbati S. Vincentii Vratislaviensis arbitrium pro monasterio suo latum confirmatur.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati sancti Vincentii Wratislaviensis, salutem etc. Iustis petentium desideriis etc. usque complere. Eapropter etc. usque ad concurrentes assensu, Arbitrium, quod inter te ex parte una et . . . ac quosdam alios monachos ordinis sancti Benedicti et fautores eorum Gnesnensis et Cracoviensis diocesium ex altera super monasterio tuo, et rebus aliis, de quibus coram dilectis filiis . . . Preposito Glogaviensi et coniudicibus suis fuerat aliquandiu ex delegatione apostolica litigatum . . . Abbas de Andreov et college ipsius electi a partibus arbitri, exigente equitate, tulerunt, sicut est equum, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli igitur etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc. Datum Laterani Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 346. fol. 68.

XXVI.

Iudicibus, ut ducem Poloniae a voto in subsidium terrae sanctae transfretandi absolvant, eique iniungant, ut ipse petierat, ut episcopo Prussiae in convertendis suis gentilibus opem ferat.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . . epo Wratizlaviensi, et dilectis filiis . . . Preposito Glogoviensi et . . . . decano Lucitiensi Wratizlaviensis et Gneznensis dioces. salutem etc. Audito quondam, quod dilectus filius nobilis vir L. dux Polonie sollempniter voverat se transfretaturum in subsidium terre sancte, vel profecturum in auxilium Prutenorum noviter conversorum, quia ipse votum suum exequi differebat, nos de ipsius salute solliciti, eum nostris litteris paterno affectu monuimus, et per alios fecimus commoneri, ut quod promiserat veritati, veraciter adimpleret. Nuper autem nobis est pro certo relatum, quod idem dux corporis gravedine gravis vix aut numquam posset in terre sancte subsidium transfretare, presertim cum ex accidenti verso in naturam nec vinum, nec simplicem aquam bibere valeat, consuetus potare tantum cerevisiam vel medonem, et si forsitan transfretaret, non posset de tam remotis partibus secum congruum bellatorum ducere comitatum, et propter multas ineptias nequiret ibi moram facere fructuosam: sed cum sit vicinus Prutenie, facile potest eam intrare cum multitudine bellatorum, non solum defensurus neophitos, verum etiam alias paganos suo studio et diligentia, faciente domino, conversurus, utpote qui, sicut dicitur, novam in medio terre illius intendit construere civitatem, ibique statuere forum salis et ferri, quorum pagani penuriam patiuntur, ut sic illuc illi necessario venientes, per ora predicatorum facilius audiant, et efficacius exaudiant verba vite, aliosque fidelium moribus perfectius assuescant. Nos igitur e duobus artati cum et ista et illa terra urgentissime indigeat maturo succursu, persone ipsius ducis habitudinem, et negotii terre illius circumstantias ignorantes, vobis, qui ratione vicinitatis hec potestis melius indagare, committimus fiducialiter vices nostras: ideoque discretionem vestram monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus huiusmodi negotii circumstantiis provide circumspectis, iniungatis eidem duci alterum predictorum, quod ipsius saluti et

christiane fidei profectui magis videbitis expedire. Et quia in utroque casu mora enormiter posset esse dampnosa, sub ea, qua decet, districtione indicatis eidem, ut quod iniunxeritis, celeriter et efficaciter exequatur. Ceterum si contigerit vos iniungere illi, ut remaneat in subsidium Prutenorum, indicatis ei, ut secundum consilium et dispositionem Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Pruscie studeat in hoc domino efficaciter famulari. Quod si non omnes etc. Datum Laterani xv. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 532. fol. 108.

XXVII.

Iudicibus, ut crucesignatos in Polonia ad adiuvandum episcopum Prussiae in convertendis suis paganis cohortentur, iisque indulgentias transfretantibus in terram sanctam concessas largiantur.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Archidiacono Gneznensi, ... Custodi Poznaniensi et ... Licitiensi Gneznensis diocesis, salutem etc. Si pro varietate negotiorum vel temporum consilia provide variamus, non est imputandum inconstantie levitati, sed maturitati potius ascribendum. Sane audito quondam, quod in partibus Pruscie noviter baptizati vexabantur acriter a paganis, nos timentes, ne non solum convertendi a conversionis retardarentur proposito, verum etiam conversi cogerentur averti, ecclesiarum prelatis circumposite regionis direximus scripta nostra, ut Christi fideles ad suscipiendam crucem, et ad succurrendum noviter baptizatis predicatione sedula commonerent, eandem eis peccatorum veniam indulgentes, que concessa est transfretantibus in subsidium terre sancte. Postmodum autem Venerabili fratre nostro ... Albanensi episcopo, apostolice sedis legato, et aliis crucesignatis existentibus apud Damiatam in servitio Ihesu Christo, suis nobis litteris et nuntiis intimantibus, quod urgentius, quam umquam indiguissent, maturo et manuali personarum et rerum auxilio indigebant: Nos cupientes, ut ad id maxime collectis in unum viribus intenderet totus populus christianus, ne quasi divisus in partes minus sufficeret ad utrumque, revocamus quod ad crucesignandos tunc indulgentias supradictas, nunc autem quia, sicut nobis est pro certo relatum, si dimiserimus sic noviter baptizatos, laberetur exiguo, quod partum est tempore longo, cum si levantes oculos suos ad montes, unde sperant auxilium sibi venire, speratis fraudarentur auxiliis, cum uxore Loth retro respicere cogerentur, et sic nulla relinqueretur spes de aliis convertendis, crucesignandis in eorum auxilium eandem peccatorum veniam, quam concessimus proficiscentibus in subsidium terre sancte, iterum duximus concedendam. Quocirca discretionem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatinus Christi fideles per Poloniam tantum et Pomeraniam constitutos ad succurrendum eis secundum consilium Venerabilis fratris nostri ... episcopi Pruscie salubriter exhortantes, omnibus, qui accepta cruce ad succurrendum eis se accinxerint, iuxta proprias facultates peccatorum suorum veniam, prout superius est expressum, auctoritate nostra esse denuntietis indultam. Datum Laterani xii. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 529. fol. 108.

XXVIII.

Iudicibus, ut cum episcopo Cracoviensi de cessione episcopatus dispensent, ac capitulum Cracoviense ad idoneum pastorem sibi eligendum compellant.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratizlaviensi, et dilectis filiis ... Abbati Lubensi Wratizlaviensis diocesis, et Scolastico Wratizlaviensi, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Cracoviensis episcopus nobis supplicavit instanter, ut cum tam voto, quam iuramento teneatur habitum assumere monachalem, sibi cedendi licentiam largiremur. Licet igitur huiusmodi supplicatio nobis gravis fuerit et amara, eo quod, sicut ex multorum didicimus testimonio, idem episcopus et in spiritualibus salubriter, et in temporalibus utiliter ministravit, et timendum est, ne Cracoviensi ecclesie luctuosa sit eius absentia, cuius extitit presentia fructuosa: ne tamen ipsius videremur invidere quieti, eius quasi coacti duximus precibus annuendum, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus vice nostra cessionem, si tamen fuerit voluntaria, recipientes eiusdem, usu sibi pontificalium reservato, faciatis ei, sicut expedit, de bonis Cracoviensis ecclesie provideri, Contradictores, siqui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam. appellatione postposita, compescendo. Capitulo quoque ipsius ecclesie nichilominus iniungatis, ut sibi de persona idonea per electionem canonicam provideant in pastorem, que tanto congruat oneri et honori. Quod si non omnes etc. Datum Laterani v. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex reg. orig. Tom. IV. ep. 126. fol. 37.

XXIX.

Episcopo Prussiae villae et castra etc. a Masoviae et Cuiaviae duce et ab episcopo Plocensi ei et ecclesiae suae in terra Culmensi donata confirmantur.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Pruscie, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Ex litteris sane tam nobilis viri C. Maczovie et Cuiavie Ducis, ac Venerabilis fratris nostri G. Episcopi et Dilectorum filiorum Capituli Plocensis, quam aliorum plurium episcoporum et nobilium sigillis munitis accepimus, quod cedentibus tibi predictis Episcopo et Capitulo decimas et omnia iura spiritualia cum possessionibus, que in terra, que Colmensis dicitur, obtinebant, idem Dux terram eandem cum quibusdam Villis consistentibus in eadem, Colmo videlicet, Muthe, Charuse et Bolemino, necnon Castra Gruzenz, Wabsk et Capruiense, ac possessiones, Velsac scilicet, Kisin et Plot, ab omni exactione libera cum suis pertinentiis tibi, et per te ecclesie tue ac tuis successoribus contulit intuitu pietatis. Nos ergo tuis iustis precibus inclinati, terram, castra et alia supradicta, sicut ea omnia iuste, canonice ac pacifice possides, et in predictis litteris plenius continetur, tibi et per te ipsi ecclesie ac tuis successoribus auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc. Datum Laterani III. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 138. fol. 38.

XXX.

Archidiacono Zavikostensi dioecesis Cracoviensis a magnatibus suae regionis ob zelum religionis insectato indulgetur, ut in ecclesiis, in quibus beneficia obtinet, per vicarios possit deservire.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Sdizlao Archidiacono Zavikoztensi Cracoviensis diocesis, salutem etc. Certantibus pro iustitia et laborantibus pro ecclesiastica libertate impendimus auxilium et favorem, cum in hiis nostri potius coadiutores existere videantur, qui ecclesiarum omnium curam tenemur gerere generalem. Cum igitur tamquam vir fidelis et prudens contra oppressores ecclesiarum magnanimiter te opponens, pluries ad sedem apostolicam laborans, qua re multorum magnatum inimicitias incurristi, quibus te indebite persequentibus in locis, in quibus beneficia optines, nequis interdum secure morari, et interdum etiam, dum pro una laboras, ab aliarum obsequiis subtrahere te oportet: nos nolentes, ut inde patiaris dispendium, unde premium promereris, devotionis tue precibus inclinati, auctoritate tibi presentis indulgemus, ut in ecclesiis, a quibus beneficia optines, valeas per vicarios idoneos deservire. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum Laterani VIII. Kalendas Decembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 98. fol. 121.

XXXI.

Iudicibus, insistant apud episcopum Cracoviensem, ut deposito habitu monachali ad regimen suae ecclesiae redeat.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, et . . . dilectis filiis . . . Abbati Lubensi et C. monacho quondam scolastico Wratislaviensi, salutem etc. Quodam nuntio Venerabilis fratris nostri . . . Cracoviensis episcopi olim in nostra presentia proponente, quod idem Episcopus voto et iuramento tenebatur astrictus assumere habitum regularem, ac ex parte ipsius humiliter supplicante, ut eidem cedendi licentiam largiremur: Nos, licet huiusmodi supplicatio nobis esset gravis admodum et amara, eo quod dictus dicebatur in spiritualibus salubriter, et in temporalibus utiliter ministrasse, ne tamen eius videremur invidere quieti, vobis dedimus in mandatis, ut cessionem suam reciperetis, si tamen esset voluntaria, vice nostra, usu ei pontificalium reservato, facientes ipsi de bonis Cracoviensis ecclesie congrue provideri. Nuper autem vestras, Cracoviensis Capituli et multorum aliorum litteras recepimus, continentes, quod prefatus Episcopus non posset hoc tempore sine gravi Cracoviensis ecclesie detrimento, propter quod nobis unanimiter supplicastis, ne per cessionem huiusmodi eandem viduari et desolari ecclesiam pateremur. Nos igitur attendentes, quod etsi Rachel et clara oculis et facie formosa describitur, in comparatione tamen fecunditatis lippe sororis sterilis appellatur; considerantes etiam, quod cum sepedictus Episcopus regularem habitum iam susceperit, per quod desiderio suo satisfecisse videtur, eidem nostris dedimus litteris firmiter in preceptis, ut regimen Cracoviensis ecclesie quasi de novo auctoritate nostra suscipiat, et eam vigilanter more solito regat. Cum etiam in episcopio possit et interdum pulere Rachelis amplexibus per studium contempla-

tionis insistere, et interdum per predicationis verbum et bone operationis exemplum spirituales de Lia filios generare, memor, quod patriarcha Iacob post Rachel amplexus ad Liam rediisse narratur, et Moyses nunc delituisse in tabernaculo, nunc foras exisse ad populum memoratum. Idcoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad recipiendum cessionem ipsius Episcopi nullatenus procedatis. Datum Rome xv. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 100. fol. 121.

XXXII.

Decano et capitulo Cracoviensi super eodem argumento.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Decano et Capitulo Cracoviensibus, salutem etc. Quodam nuntio etc. usque invidere quieti, Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Wratislaviensi et Collegis eius dedimus in mandatis, ut cessionem suam, si tamen esset voluntaria, reciperent vice nostra etc. usque provideri. Nuper autem vestras et multorum aliorum litteras recepimus, continentes etc. usque per cessionem huiusmodi vestram viduari ac desolari ecclesiam pateremur. Nos igitur commendantes, quod talem virum desideratis habere pontificem, vestroque salubri desiderio annuentes, eidem Episcopo dedimus firmiter in perceptis, ut cum regularem abitum iam susceperit, per quod desiderio suo satisfecisse videtur, regimen ipsius ecclesie quasi de novo auctoritate nostra suscipiat etc. usque ad populum memoratum. Idcirco Universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem tanquam pastori et Episcopo animarum vestrarum intendatis, et obediatis humiliter et devote. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 100. fol. 121.

XXXIII.

Regi Bohemiae, ut possessiones, quas marchio Moraviae ecclesiae Vratislaviensi violenter abstulerat, eidem restitui curet.

Honorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio . . . Illustri Regi Boemie, salutem etc. Olim Venerabili fratre nostro . . . Wratislaviense Episcopo accepimus intimante, quod clare memorie . . . marchio Moraviensis possessiones quasdam ecclesie sue, in quibus auri fodine consistunt, per violentiam detinebat. Unde nos marchionem duximus rogandum eundem, monuimus et exhortati, sumus in domino, ut possessiones ipsas cum perceptis ex eis fructibus ecclesie restitueret memorate ita, quod omnipotentem dominum, quem male detinendo possessiones easdem offenderat, ex ipsarum sibi valeret restitutione placare, ac nos devotionem ipsius commendare possemus, dantes nichilominus Venerabili fratri nostro . . . Cracoviensi Episcopo, et dilectis filiis . . . Abbati de Andreow, et T. Scolastico Luciocensi Cracoviensis et Gnesnensis diocesium nostris litteris in mandatis, ut si prefatus marchio, quod ipsum fueramus ortati, non duceret adimplendum, ipsi eum ad restituendas possessiones easdem per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogerent, iustitia mediante: sed dicto marchione ante decisionem negotii memorati viam universe carnis ingresso, ecclesia pretaxata possessiones per eos recuperare non potuit antedictas. Cum igitur, sicut nostris est auribus intimatum, ad manus tuas tam possessiones iam dicte, quam omnia bona marchionis prefati devenisse dicantur, serenitatem tuam rogamus, monemus attentius et hortamur, quatenus possessiones ipsas cum fructibus perceptis ex eis ob reverentiam beati Petri et nostram Episcopo et ecclesie restituas supradictis, preces nostras taliter admissurus, quod dictus Episcopus eas sibi et ecclesie sue fructuosas sentiat per effectum, et nos excellentiam regiam propter hoc non immerito commendare possimus. Datum Laterani vi. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep, 226. fol. 147.

EPISTOLAE GREGORII PP. IX.

XXXIV.

Iudicibus, ut principes Poloniae a molestandis gentilibus in terra principum Gedauensium recenter ad fidem conversis deterreant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo ... et dilectis filiis ... Abbati sancti Vincentii Wratislaviensis et ... Decano Gnesnensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Letati sumus in domino super fide ac devotione nobilis viri Sventopelk principis de Gdansk et fratrum suorum, qui, prout intelleximus per dilectos filios fratres ordinis predicatorum, locum in terra sua pro paganorum conversione dederunt fratribus supradictis, contra infideles nichilominus prelia domini continue preliantes. Quia vero quidam principes Polonie contra nobiles ipsos dicuntur adducere paganos, quandoque latenter, interdum aperte in iniuriam nominis christiani, cum per hoc a paganis eisdem spolientur et exurantur ecclesie, ac fideles captiventur, ab illis quoque perpetue servituti subduntur, et coacti abnegant fidem Christi, et alias ipsos indebitis gravaminibus persecuntur: nos hiis assistere, et illis obviare volentes, cum isti non agant causam propriam, set communem, et illi fidem nostram prebentes persecutoribus auxilium persequi videantur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos Polonie Principes, ut ab huiusmodi conquiescant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Quod si non omnes hiis exequendis interesse potueritis, tu, frater Episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Laterani III. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 75. fol. 11.

XXXV.

Episcopo Cuiaviensi, ut omnes, qui in partibus Prutenorum pro fide propaganda laborant, absolvere possit, si qui in canonem sententiae promulgatae inciderint.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cuiaviensi, salutem etc. Cum benigne sit agendum cum illis, qui agunt commune fidei negotium in partibus Prutenorum, et occasio tolli debeat, qua posset quis retrahi a prosecutione negotii memorati, et magis compatiendum sit illis, qui iuxta eorumdem Prutenorum terminos constituti, propter persecutiones ipsorum ad apostolicam sedem nequeunt laborare: fraternitati tue concedimus, ut auctoritate apostolica usque ad beneplacitum nostrum possis illos secundum consuetam ecclesie formam absolvere, qui insistentes huiusmodi negotio inciderunt, vel incidunt in canonem sententie promulgate, ac illos etiam, qui propter timorem paganorum apostolicam sedem adire non possunt, nisi forte tam enormis esset excessus, quod scandalum generaret, si non mitterentur ad sedem apostolicam huiusmodi manuum iniectores. Datum Laterani III. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 76. fol. 11.

XXXVI.

Fratres militiae Christi in Masovia una cum possessionibus sibi ab episcopo et ducibus Masoviensibus et canonicis Vladislaviensibus donatis sub protectione sanctae sedis suscipiuntur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et fratribus Militie Christi contra Prutenos in Mazovia, salutem etc. Sacrosancta Romana ecclesia etc. usque confovere. Eapropter etc. usque impertientes assensu, Personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, prestante domino, etc. usque suscipimus. Specialiter autem Villam et Insulam ante Dobrin a Venerabili fratre nostro . . . Episcopo Mazovie, tunc Electo, de Capituli sui assensu, Castrum et ecclesias de Dobrin cum terris, que inter Rivulos, Camenicam videlicet et Celimcnicam, usque in Prusciam, partem ville, que Quercus ultra villam, et villam ante viveñ (?) Wlodizlau, que Sedlce vulgariter appellantur, libertates quoque ac immunitates secularium exactionum a nobilibus viris Conrado duce Mazovie et Cuiaviensi ac filiis suis, nec non et ius, quod habetis in villa de Wissino, cum pertinentiis suis a canonicis ecclesie Wladislaviensis pia vobis liberalitate concessa, nec non possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice obtinetis, et in autenticis exinde confectis plenius dicitur contineri, vobis et per vos domui vestre auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Datum Perusii v. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 57. fol. 89.

XXXVII.

Episcopo Cracoviensi et Pragensi et S. Michaelis Cracoviensis praepositis, ut controversiam inter Olomucensem et Vratislaviensem episcopos dirimant, aut instructam ad sedem apostolicam remittant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi, et dilectis filiis . . . Pragensi et . . . sancti Michaelis Cracoviensis prepositis, salutem etc. Venerabilis frater noster . . Olomucensis Episcopus transmissa nobis petitione monstravit, quod cum olim Venerabilis frater noster . . . Wratislaviensis Episcopus contra eum super limitibus diocesium suarum ad . . . Abbatem de Buch et eius coniudices apostolicas litteras impetrasset, idem Olomucensis ab eis ex sufficienti gravamine ad apostolicam sedem appellans, super hoc ad . . . Abbatem de Cella et eius collegas ab eadem litteras impetravit, quorum iudicium cum idem Wratislaviensis per frivole appellationis diffugium declinasset, a nobis ad . . . Decanum Misnensem et eius coniudices per falsi suggestionem committi obtinuit causam ipsam, a quibus idem Olomucensis sentiens indebite se gravari, eo quod testes partis adverse ante litis ingressum, ipso non citato, nec se per contumaciam absentante, contra iustitiam receperunt, nostram audientiam appellavit. Unde petebat, ut revocato in irritum quicquid per dictum Decanum Misnensem et eius collegas fuerat temere attemptatum, processum Abbatis de Cella et collegarum eius faceremus executioni mandari. Cum autem impetrate super hiis littere legerentur, Magister Aston Scriptor noster, Wratislaviensis canonicus, procurator Episcopi Wratislaviensis prefati eis communi audientia contradicens, coram dilecto filio nostro tituli sancte Marie Transtiberim presbitero Cardinali, sibi et Henrico canonico Olomucensi procuratori Olomucensis prefati a nobis auditore concesso, proposuit ex adverso, quod cum causa, que inter . . . Episcopum Wratislaviensem eundem et nominatum Olomucensem Episcopum super limitibus suorum diocesium de Golesisco vertitur, olim dilectis filiis Abbati de Buch et suis coniudicibus a sede apostolica commissa fuisset, dicti Iudices Wratislaviensem ipsum propter adverse partis contumaciam manifestam in possessione rerum petitarum in iudicio causa custodie induxerunt. Prefatus vero Olomucensis Episcopus se ab eis legitime appellasse confingens, ad . . . Abbatem sancte Marie de Cella et . . . Magdeburgensem et . . . Pataviensem Prepositos super hoc litteras apostolicas impetravit. Nominato autem Pataviensi Preposito committente Magistro Alberto clerico vices suas, quia dictus Abbas de Cella cum ipso clerico, absente preposito Magdeburgensi iamdicto, nec se per litteras vel nuntium excusante, ad testium receptionem minus canonicam procedendo, et ipsorum depositionibus minime publicatis, processum iudicum premissorum de ipso non cognito contra iustitiam revocavit. Procurator eiusdem Wratislaviensis vocem ad nos appellationis emittens, ad . . . Decanum et Scolasticum Misnenses et B. canonicum Cicensem Nuhemburgensis diocesis super hiis a nobis sub certa forma litteras impetravit. Qui de iudicum utrorumque processu legitime cognoscentes, processu Abbatis de Cella et Clerici premissorum penitus irritato, eundem Wratislaviensem in dictam possessionem rerum ipsarum reduci sententialiter decreverunt: a quorum sententia ex parte Olomucensis prefati, ut sic saltem te-

nere posset iamdictum negotium diutius in suspenso, fuit iterum nostram audientiam appellatum. Quare sepefatus Wratislaviensis Episcopus humiliter postulabat, ut nec propter huiusmodi diffugia impediri diutius valeat negotii memorati processus, providere super hoc de benignitate sedis apostolice dignaremur. Licet autem super premissis omnibus fuisset a procuratoribus antedictis coram auditore prefato diutius disceptatum, quia tamen per ea, que fuere proposita coram ipso, nobis non potuit de meritis cause liquere, causam eandem de procuratorum ipsorum assensu vestro duximus examini committendam, Discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus de omnium iudicum premissorum processu legitime cognoscatis, et illum vel illos, quos vel quem de iure videritis admittendos, reliquo vel reliquis penitus irritatis, facientes per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Ad litis contestationem infra quatuor mensium spatium post citationem factam a vobis, ad quod, si necesse fuerit, partes auctoritate nostra, sublato cuiusvis controversie et appellationis obstaculo, compelli volumus et mandamus, legitime procedatis ad decisionem negocii, si de partium voluntate processerit, ratione previa processuri, alioquin causam ipsam sufficienter instructam ad apostolice sedis remittatis examen, prefigentes partibus terminum competentem, quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iustam, dante domino, sententiam recepture. Si vero ad litis contestationem procedi non poterit iuxta quod superius est expressum, nec per tergiversationem alicuius fiat huiusmodi questio immortalis, prefigatis partibus terminum competentem, quo litem contestature ac in eadem causa, sicut iustum fuerit, processure per se vel procuratores idoneos compareant coram nobis. Testes etc. Quod si non omnes etc. Datum Perusii VII. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 20. fol. 117.

XXXVIII.

Fratribus S. Mariae Teutonicorum donatio facta a duce Poloniae (Masoviae) confirmatur, et monentur, ut fidem inter Prutenos sedulo dilatent.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Fratribus Domus sancte Marie Teutonicorum in Teutonia et Prutenorum partibus constitutis, salutem etc. Circa fideles suos indicium bonitatis sue dominus exhibet in hoc, quod reservat eis hostes, quos posset conterere solo verbo: ut videlicet, qui offenderunt in multis, succurrendo pro amore suo proximis, et retribuendo aliquid sibi, qui pro eis tradidit semetipsum, satisfaciendi habeant materiam, et salventur. Sane dominus et redemptor noster, in cuius odium et contemptum populus barbarus Prutenorum graviter persequitur christianos, qui iuxta ipsos existunt, devotionem querit et auxilium suorum fidelium in hac parte, qui quamvis bonorum nostrorum non egeat, ea tamen exposcit, ut pro eis nobis retribuat in celestibus beneficia potiora. Nuper siquidem dilectus filius Hermannus Magister Domus sancte Marie Theutonicorum in nostra proposuit presentia constitutus, quod Nobilis vir C. Dux Polonie Castrum Colme cum pertinentiis suis, et quedam alia Castra in Prutenorum confinio domui vestre pia liberalitate concessit, adiciens, quicquid de terra illorum per vos et coadiutores vestros poteritis obtinere: quod utique gratum non modicum gerimus et acceptum, sperantes, quod fideles existentes iuxta fines terre predicte cotidie periculo mortis expositi per vos recipere debeant subsidium oportunum. Quia vero ibi sunt pietatis studia sollicitius exercenda, ubi exinde potest maioribus impietatibus obviari, Caritatem vestram monemus et hortamur in domino, vobis et omnibus adiutoribus vestris in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus ad eripiendum de Prutenorum manibus terram ipsam a dextris et a sinistris dei armatura muniti viriliter procedatis, ut favente divina gratia et vestro ministerio, sacrosancta ecclesia, dilatato in partibus illis loco tentorii sui, et funibus tabernaculorum eius extensis, numero et merito fidelium augeatur, vosque centuplum in via et vitam eternam in patria percipere debeatis: proviso, ne contra terram illam, que Venerabilem fratrem nostrum . . . Mutinensem Episcopum dinoscitur recepisse, occasione huiusmodi procedatur. Datum Perusii II. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 101. fol. 149.

XXXIX.

Eisdem super eodem argumento.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Ierusalem, salutem etc. Vestre devotionis sinceritas et laudabilis intentio dilecti filii nobilis viri . . . ducis Mazovie promerentur, ut pia et liberalis gratia ab ipso vobis et ordini vestro facta

favore apostolico fulciatur. Ex ipsius sane litteris intelleximus, quod paganis Prutenis desevientibus nimis crudeliter in christianos in eorum finibus existentes, cum ipse ac christiani predicti eis obsistere non valerent, idem ad auxilium potentie divine confugiens, ordinem vestrum in terram suam ad christianorum auxilium introduxit, quasi plene confidens, per fratres ipsius ordinis, dextera domini in eis faciente virtutem, paganorum sevitiam comprimendam, et eidem ordini castrum, quod Colme dicitur, cum pertinentiis suis pia liberalitate concessit, constituens insuper, ut quicquid fratres vestri in terra Paganorum poterint obtinere, cedat ordini memorato. Nos ergo ipsius ducis supplicationibus annuentes, et cupientes ordinem vestrum in illis partibus propagari, quod ab eodem duce pie ac provide factum esse dinoscitur in hac parte, sicut in suis litteris et privilegiis plenius continetur, dum tamen talis sit paganorum terra, in qua nondum cultus christiane religionis fuerit introductus, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc. Datum Anagnie II. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 63. fol. 31.

XL.

Ducis Masoviae et Cuiaviae donatio terrae Culmensis facta fratribus S. Mariae Teutonicorum.

In nomine sancte et individue Trinitatis Amen. Quoniam iuxta verbum viri sapientis generatio preterit et generatio advenit, nichilque stabile vel permanens est sub sole, set vanitati atque mutabilitati subiacent universa: ne cum labentibus annis rerum magnifice seu utiliter gestarum labatur pariter et abolcatur memoria, munificentias ac liberalitates, presertim in pias causas et loca religiosa collocatas, scriptura convenit perpetuari, que non solum omnem emergentem in posterum precidat et tollat ambiguitatem, verum etiam universis, ad quorum notitiam pervenerit, laudabilis et imitatione digni exempli speciem representando commendet, et ad similia invitando accendat. Cum enim omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum sit a patre luminum descendens, qui omnibus dat affluenter, nemini improperat, hominibus concedens temporalia, non ut placeat aut delectet, quia in sui natura vana vaga sunt et corruptibilia, set tanquam semen et materiam ad exercenda misericordie opera benigne subministrans, oportet diem extreme messionis, quando omnes simul in unum dives et pauper stabunt ante tribunal districti iudicis, rationem de omnibus gestis strictissime reddituri, operibus caritatis preveniri in huius vite via seminando, quod tunc metatur in patria, quando in exultatione reportabuntur manipuli bonorum operum cum fructu centuplato. Eapropter ego Conradus divina miseratione Dux Mazovie et Cuiavie cunctis presentibus et futuris presens scriptum inspecturis notum esse volo: quod cum Pruteni et alii christiani nominis inimici magnam partem terrarum mearum, ipsis adiacentium, depredationibus, incendiis tam ecclesiarum quam aliorum locorum, interfectionibus et captivationibus virorum, mulierum et parvulorum, peccatis hominum, qui altissimum in vanitatibus suis irritaverunt, exigentibus, miserabiliter divina permissione vastaverint, eorumque qui Christum oderunt semper ascendens superbia invaluerit, adeo ut nec adhuc ipsum in membris eius presequi cessent aut desistant, non solum res, immo magis ipsum sanguinem fidelium inter infinitas et horrendas auditu et dictu abusiones, quas in contumeliam exercent creatoris, sitientes: sperans per viros religiosos manum domini, que nos tetigit, et flagellum sue indignationis placari, eiusque favente gratia, qui suis adesse consuevit, per Christi milites, quorum spes, virtus et gloria deus est, brachium fortitudinis Sarracenorum conterendum, salutis anime mee ac meorum eterneque retributionis intuitu, ac ob defensionem fidelium in Polonia, uxore mea Agafia filiisque meis Bolezlao, Kazimiro, Semovito expresse de bona et spontanea voluntate consentientibus, accedente quoque consilio et consensu episcoporum, magnatum et maiorum terre mee, dedi et contuli hospitali sancte Marie domus theutonicorum et fratribus eiusdem ordinis domus totum et ex integro Cholmen territorium cum omnibus suis attinentiis ab eo loco, ubi Drawanza egreditur terminos Prucie, et per decessum eiusdem fluminis usque in Wizlam, et in decessu Wizle usque ad Osam, et per ascensum Ose usque ad terminos Prucie, in veram et perpetuam proprietatem possidendum pleno iure cum omni libertate, fructu et utilitate, totam terram cum aquis aquarumque decursibus, stagnis, paludibus, montibus, vallibus, saltibus, nemoribus, silvis, arbustis, pratis, pascuis, omnibus cultis et incultis, viis et inviis, cum omnium eorum libera et plena utilitate et fructu, que in predictis omnibus sunt vel fuerint inventa, apparentia vel occulta, et specialiter sive aurum sive argentum, vel alia quecumque species eris vel metallorum, aut gemarum fontes vel vene salis, et quicquid omnino in

terra vel supra, vel in aquis iuventum fuerit, castores et omnes venationes quarumque ferarum, piscationes quoque piscium omnium generum cum ipsis aquis predictis et omni earum proventu et utilitate in piscationibus, navigiis, passagiis, pontibus, molendinis et insulis, cum villis, castris, opidis, grangiis, foris, monetis, pedagiis, theloneis terrarum et aquarum, et omnino cum omnibus contentis inter limites predictos, et pleno iure ac integra libertate ipsorum etiam limitum sine qualibet diminutione cum omni honore et iurisdictione perfecto et vero dominio, proprietate et possessione omnium predictorum et aliorum omnium, que in privilegiis largitionum in favorabiles quaslibet personas vel loca in favorem, commodum et cautelam eorum quibus confertur conscribi solent aut possunt, ita ut beneficium mee collationis largissimam ad omne commodum, honorem et utilitatem domus et fratrum eorumdem recipiat interpretationem, nichil prorsus iuris, utilitatis, advocatie, patronatus vel cuiuslibet alterius iurisdictionis aut potestatis, quocumque nomine censeri possit vel appellari, mihi, heredibus vel successoribus meis in omnibus supradictis vel quolibet eorum retinens aut reservans, set omnia ea cum libertatibus et pleno et integro iure sine omni dolo, fraude, captione ac captiositate, sine diminutione ac coarctatione cum bona et exuberante fide et largissimo intellectu domui et fratribus memoratis contuli et collata recognosco, me, heredes et terram meam obligans et teneri volens; de evectione preterea quicquid de personis vel bonis omnium Sarracenorum captivatione, depredatione, extorsione, occupatione vel subiugatione mobilium sive immobilium, terrarum vel aquarum, atque omnium in eis contentorum, quolibet modo fratres predicti adipisci potuerint, cum omni et integro iure ac libertate superius premisse donationis, nulla prorsus dominatione, coarctatione vel impedimento ipsis a me, heredibus meis vel quolibet alio, quem nos prohibere vel cohercere possimus, prestando vel procurando, eisdem concessi cum vera proprietate et perfecto dominio quieto possidendum: et in hoc consensi cum uxoris mee, filiorum meorum, episcoporum, baronum et magnatum terre mee consensu, contra omnem hominem ad observationem et defensionem omnium supradictorum secundum omne posse et totas vires meas eisdem consilium et auxilium bona fide firmiter promittens, omnes heredes et successores meos et terras meas obligans mecum et astringens ad ratihabitionem, observationem et conservationem donationum, concessionum, obligationum et promissionum omnium supradictorum. Fratres quoque predicta bona fide repromiserunt mihi heredibusque meis secundum dei honorem et timorem contra Prutenos et alios Sarracenos, nobis conterminos, terram nostram impugnantes, quamdiu hostes fidei sunt et inimici cultus Christi, assistere et sine dolo ac fictione una nobiscum omni tempore militare. Ne igitur donationes et concessiones predicte celebri digne memoria tam utiles quam necessarie non solum securitati fidelium in Polonia, qui graves impugnationes et oppressiones ab hostibus Christi iam dudum sustinuerunt in presenti proficientes, verum etiam propagationi et ampliationi sacrosancte fidei catholice, ut etiam ipsos infideles, quorum exinde speratur conversio, per dei gratiam profuture abeant in oblivionem, aut cuiusquam calliditate, dolo, versutia, sinistra interpretatione debilitari, perverti, frangi, violari valeant vel irritari, vel saltem malivola machinatione attemptari, set potius pie mee devotionis facta firma permaneant et inconvulsa, ad perpetuam prefatorum gestorum memoriam presentem pagiuam testium inscriptione, mei, uxoris mee, episcoporum et magnatum terre mee sigillis roborari feci atque communiri. Acta sunt in Cruswia ante pontes, Anno Incarnationis dominice M.CC.XXX. Mense Iunio, Indictione III. Testes horum sunt: Guntherus episcopus Mazovie, Michael episcopus Cuiavie, Christianus episcopus Pruzcie, Bervuldus prepositus, Wilhelmus decanus, Pacozlaus senior, Pacozlaus iunior, Comes Dirsicyn, Nicolaus cancellarius, Magister Iohannes cancellarius, Gregorius subcancellarius, et quamplures alii tam religiosi quam seculares.

Ex Reg. orig. Gregorii IX. Tom. IV. ep. 289. fol 223.

XLI.

Universis Christi fidelibus terrarum Septentrionalium, ut fratribus S. Mariae Teutonicorum in conversione Prutenorum opem ferant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus per Magdeburgensem et Bremensem provincias, Poloniam, Moraviam, Suraviam, Holisantiam et Gothlandiam constitutis, salutem etc. Cum misericors et miserator dominus dei filius Ihesus Christus, cuius miserationes super omnia opera sunt ipsius, attenderet hominem iuste dampnatum, iustitia exigente vindictam, et suggerente misericordia pietatem, de inestimabili habundantia caritatis pro ipso tradidit semetipsum, et crucis sustinendo tormentum redemit preciosi sanguinis sui pretio, quem creavit, sciensque ipsum pronum uinium

ad peccandum, ne irrecuperabiliter, quem ad imaginem et sui similitudinem condidit, perderetur, si unde resurgeret non haberet, diversa constituit remedia, quibus posset veniam promereri. Nos ergo, qui licet immeriti vices eius in terris gerimus, affectantes super omnia desiderabilia comodum animarum, libenter fideles populos ad caritatis opera, que idem dei unigenitus voluit causam esse salutis, inducimus, et ut fortius accendantur ad ipsa, suffragium impertimur. Ex litteris sane dilecti filii Nobilis viri... Ducis Mazovie intelleximus, quod Pagani Pruteni nomen Christi, quem ignorant, ad cuius cognitionem venire non volunt, exterminare tamquam prophanum in suis finibus per exterminium christianorum ibidem existentium intendentes, ipsos vehementer impugnant, destruentes terras eorum, qui resistere pre paucitate non possunt, et personas etiam miserabiliter trucidantes; et licet idem Dux ordinem fratrum Hospitalis sancte Marie Theotonicorum in terram suam ad christianorum auxilium introduxerit, et cum ipsius ordinis fratribus ibi existentibus deus misericorditer operetur, conterendo per eos mirabiliter sui nominis inimicos, quia tamen ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt, et egent fidelium subsidiis adiuvari: Universitatem vestram monemus et hortamur, et per omnipotentem deum obsecramus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habentes, et ei retribuentes aliquid pro omnibus, que retribuit ipse vobis, in quos tamquam viros christianos et catholicos cadere obpropria exprobrantium sibi debent, potenter et viriliter accingamini, tamquam zelum dei habentes, ad vindicandam iniuriam sui nominis, et ad liberandum proximos de manibus Paganorum, profecturi et acturi secundum fratrum consilia predictorum, ita quod et vobis premium debeatur eternum, et infideles non possint, quod impune Christi nomini impugnaverint, gloriari. Cum autem multa necessitas exigat, ut illuc fidelium subsidium transmittatur, quatinus libentius securi de retributione procedant: Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, et eis, qui non in expensis propriis illuc accesserint, ibidem per unius anni spatium servituri, seu illis, qui ad subventionem fidelium de propriis facultatibus ministrabunt, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum peccatorum suorum veniam indulgemus, ita quod illi, qui in penitentia vera ibi decesserint, sicut transeuntes in terre sancte subsidium plenam remissionem peccaminum consequantur. Datum Anagnie Idibus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 61. fol. 30.

XLII.

Fratribus ord. Praedicatorum earum regionum super eodem.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Ministris et fratribus ordinis predicatorum per predictas provincias constitutis, salutem etc. Cum misericors et miserator dominus etc. ut supra usque consequantur. Quare nos ad instantiam predictorum fratrum humiliter supplicantium, ut vobis super hoc predicationis officium iniungere dignaremur, discretionem vestram monemus et obsecramus in domino, in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatinus assumpto predicationis officio, propter deum ad id fideles predictos monitis et exhortationibus secundum datam a deo vobis prudentiam diligenter et sollicite inducatis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 62. fol. 30.

XLIII.

Fidelibus Pomezaniae pontifex congratulatur de eorum conversione ad fidem, ipsisque fratres ord. Praedicatorum commendat.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Universis Christi fidelibus per Pomezaniam et Pozolucensem Provincias constitutis, salutem etc. Gratias agimus gratiarum omnium largitori, qui de tenebris errorum vos cruens veritatis sue vobis lumen ostendit, in agnitionem domini Ihesu Christi vos misericorditer perducendo, quem, sicut in ipso confidimus, agnitum diligitis et perfectius diligetis, cum sicut accepimus et utique acceptamus, dilectos filios fratres ordinis Predicatorum, vobis salubriter evangelizantes eundem, suscipientes humiliter et devote ac benigne tractantes, ipsorum monitis et exhortationibus, qui vestrarum salutem sitiunt animarum, intimis affectibus intendatis, quod est utique salutis vestre optimum argumentum, quia sacre predicationis alimento sepe refecti nequaquam potestis eterne vite formidare defectum, cum illorum verba divinitus inspirata spiritus sint et vita. Quia vero Christi Vicarii, licet insufficientibus meritis constituti, fideles eius sincera complectimur caritate, Universitatem

vestram rogamus, monemus, hortamur et obsecramus in domino Ihesu, per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus sicut laudabiliter inchoastis, sequentes gratiam preeuntem studeatis Christo inflexibiliter adherere, inreprehensibilem legem eius animas convertentem satagendo fideliter custodire, Dictos quoque fratres inconfusibiles domini operarios et cooperatores vestre salutis pio amore venerabiliter amplectentes, non deficiatis ipsorum sanam doctrinam desiderabiliter amplexari, eorum monitis efficaciter obsequendo. Ut autem gratiam nostram erga vos efficacius sentiatis, personas et alia bona vestra sub beati Petri et nostra protectione suscipimus speciali, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis infringere. Si quis autem etc. Datum Reate VII. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 97. fol. 109.

XLIV.

Priori prov. Praedicatorum in Polonia suisque collegis, ut fidelibus matrimonia cum Ruthenis schismaticis inire prohibeant.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Priori provinciali ordinis predicatorum in Polonia, . . . Archidiacono et . . . Scolastico Cracoviensibus, salutem etc. Queque nobis erronea displicent, sed turbant nimium, que vergunt in fidei detrimentum. Accepimus siquidem, quod Rutenorum perfidia non contenta, si sola dampnationis eterne tenebris immergatur, sed cupida, quod participes perditionis sue christianos efficiat, qui sunt in eorum vicinia constituti, mulieres catholicas, quas sibi aliquando copulant in uxores, in contemptum fidei christiane secundum ritum ipsorum denuo baptizari faciunt, et eorum errores dampnabiles observare. Verum, quia nec pati volumus nec debemus, quod fideles perfidis matrimoniali copula coniungantur, eo quod lucis ad tenebras conventio non existat, nec deceat membra salvatoris Christi membris sathane perditi sociari, aut picem cum balsamo commisceri: presentibus mandamus, quatinus ne in partibus illis huiusmodi detestanda matrimonia contrahantur, auctoritate nostra firmiter inhibentes, illa deinceps fieri uullomodo permittatis, Contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compesceudo. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie VI. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 319. fol. 93.

XLV.

Archiepiscopo Gnesnensi et suis collegis, ut principes Poloniae ab iniqua subditorum suorum vexatione deterreant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gnezneusi et . . . Episcopo Cracoviensi, et dilecto filio Abbati de Andreov Cracov. dioc., salutem etc. Novum genus molestie dicuntur circa pauperes Polonie Principes invenisse: videlicet quod ipsorum custodie committunt castores et falcones, qui si solita nidorum loca reliquerint, sequentes native spiritum libertatis, vel aliquis de pullis perditur eorumdem, pauperes ipsos in septuaginta Marcharum pena condempnant, pluribus illorum ex hoc, quod gementes referimus, dampnationis eterne materiam ingereudo: nam cum tam iniquam et inauditam pati non valeant servitutem, ad perfidiam Rutenorum et Prutenorum transeunt, cohabitatione fidelium derelicta. Verum, quia huiusmodi modus iniurie prorsus ad metam iusticie non accedit, eo quod domestice aves aliquando de clausuris, et sepe de manibus detentorum, et quia falcones huiusmodi, seu queque rationabili sensu carentia, scientiam vel posse non habeant ad plenum humane dispositionis arbitria subeundi, aut a custodibus deputatis, ut ita loquamur, de volatu licentiam postulandi, cum illuc alas explicando se dirigant, quo ipsas pertrahit aeree conditio qualitatis; quia etiam fidelium animas, quas dominus dei filius redemit sui sanguinis pretio glorioso, avium intuitu vel ferarum sathanc predam effici detestabile decernimus et iniquum, presertim cum pro salute illarum exponendum sit potius quicquid in facultatibus hominum continetur: precipiendo mandamus, quatinus memoratis principibus suadentes, quod in consuetudine tam perversa deo et hominibus offense nimietas inferatur, et id pati aliquando non possimus, eo quod super afflictione pauperum affligamur, et cura nobis illorum immineat specialis, ipsos ab eorum huiusmodi vexatione desistere monentes, precipiendo per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis; proviso, ne in terram dictorum principum excommunicationis sententiam feratis. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie V. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 337. fol. 97.

XLVI.

Eisdem, ut duces Poloniae inter se litigantes ad pacem revocent, ac deterrant, ne in mutuis eorum bellis auxilio gentium paganarum utantur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, et dilectis filiis ... Preposito Wratislaviensi et ... Priori provinciali fratrum predicatorum in Polonia, salutem etc. Sibi graves et molesti proximis esse duces Polonie referuntur: nam seducti arbitrio reprobe voluntatis non contenti, quod pro exercendo mutuo guerrarum discrimine, de quo dampna rerum, strages corporum et pericula proveniunt animarum, utuntur potentia brachii christiani, verum etiam in eorum succursum Sarracenos, Ruteuos et alios catholice fidei advocant inimicos, per quos, ut dolentes accepimus, preter multa, que presumunt, euormia, velut qui viam domini non agnoscunt, et ecclesias diruunt, et horribilius, quam deceat exprimi, tractare sanctissimum Corpus domini non verentur. Cum igitur tantam ferre creatoris iuiuriam non possumus, cuius prohdolor causa videntur existere, qui deberent potius ipsum continue devotionis obsequiis houorare, eo quod ab ipso conditi et redempti nosse, posse, vivere et valere perceperint de sue dextera largitatis, precipiendo mandamus, quatinus memoratos duces ad pacis et coucordie gratiam reducere sathageutes, eos piis monitis et sedulis exhortationibus ad hoc efficaciter inducatis, quod in huiusmodi guerris suis perfidarum nationum subsidia exposcere non presumant, presertim cum ex illarum perfidia siuceritas fidelium maculetur, et consurgant inde multa dispendia deo et homiuibus multipliciter inimica. Quod si monitis vestris acquiescere forte noluerint, vos eos ab huiusmodi presumptione desistere per ceusuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. proviso, ne in terram dictorum ducum interdicti etc. Quod si non omnes etc. tu frater etc. Datum Anagnie III. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 338. fol. 97.

XLVII.

Fratribus ord. Praed. in Russia, ut clericorum et religiosorum vagantium immoderatae licentiae frena iniiciant.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis fratribus ordinis predicatorum in Ruscia, salutem etc. Ex parte vestra fuit uobis humiliter supplicatum, ut cum iu Ruscie partibus nonnulli existant, qui solo nomine religiosi religionem iu se penitus absumentes, ac exeuutes, abiecto prorsus religionis habitu, mouasteria et alia pia loca, iu quibus professi fuerant observautias regulares, in seculo dampuabiliter evagando, palliata religiouis specie, iuiquis persuasionibus multos decipiunt simplices, et nonnullos seducunt astutos, et tam ipsi, quam quidam clerici seculares in minoribus ordinibus constituti ac bigami sacerdotum officium damnabiliter usurpautes, vobis et aliis ibidem evangelizautibus nomen domini Ihesu Christi multipliciter suut infesti, propter quod verendum est, ne ipsorum exemplo, nisi eorum reprimautur excessus, religiosi alii in similem deducautur errorem, providere super hoc paterna sollicitudiue dignaremur. Nos igitur ipsorum saluti cousulere cupientes, mandamus; quatiuus hac vice contra huiusmodi presumptores auctoritate apostolica procedatis, prout saluti animarum suarum videritis expedire, contradictores etc. Datum Anagnie Idibus Martii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 373. fol. 106.

XLVIII.

Accedentibus ad solemnem praedicationem fratrum ord. Praed. in Russia indulgentiae conceduntur, ac fratribus dicti ordinis facultas datur incendiarios ac clericorum percussores absolvendi.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori provinciali Polonie et fratribus ordinis predicatorum commorautibus in Ruscia, salutem etc. Ut fidei vestre puritas sibi tantum eterue vite adipisci delicias non coutenta, sed anxia, quod illarum dulcedinem ceterorum fidelium devotio mereatur, eo facilius in huius invio seculi constitutos ad viam dirigat celice mausionis, quo ipsis, donantibus nobis, poteritis de potiori gratia providere, omuibus, qui ad sollempnem predicationem vestram accesserint, quamdiu fueritis iu Ruscia, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, Quadraginta dies de iuiuucta sibi penitentia relaxamus, auctoritate vobis presentium concedentes, ut pauperibus, debilibus et infirmis in Ruscie partibus constitutis, qui pro incendiis et violenta iniectioue manuum iu clericos seculares, vel alias religiosas personas in canonem incideriut sententie promulgate, uequeuutes ad sedem apostolicam personaliter laborare, dummodo dampna passis et iniurias satisfeceriut competeuter, absolutionis beneficium impendatis, nisi forte adeo ipsorum

difficilis fuerit et enormis excessus, quod propter hoc merito ad sedem apostolicam sint mittendi. Presentibus, postquam apostolice sedis legatus Rusciam intraverit, minime valituris. Datum Anagnie Idibus Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 372. fol. 105.

XLIX.

Electo Gnesnensi, ut propter paupertatem ecclesiae suae reditibus villarum quarundam ecclesiae Cracoviensis frui possit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Electo Gneznensi, salutem etc. Assumptus nuper ad regimen Gneznensis ecclesie, que in medio prave nationis est et perverse, eo amplius nostri favoris presidium tibi noscitur oportunum, quo fortius predicta ecclesia per tirampnos et paganos circumpositos allisa est hactenus, et adhuc allidi proponitur diversis et variis fluctibus tempestatum. Cum igitur ex hoc usque adeo attenuate sint eiusdem ecclesie facultates, quod te non posse de hiis sustentari proponas, nos tuis precibus inclinati presentium tibi auctoritate concedimus, ut, si est ita redditus quarumdam villarum Cracoviensis ecclesie a bone memorie . . . Episcopo Cracoviensi olim in beneficium tibi concessos valeas usque ad nostrum beneplacitum retinere. Datum Narnie xv. Kal. Iunii. Anno VI.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 10. fol. 4.

L.

V. vidua ducissae de Opol sub apostolica protectione suscipitur.

Grgorius episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili mulieri V. Vidue Ducissè de Opol, salutem etc. Inter ceteras apostolice sedis curas, quibus iugiter occupamur, cordi nostro est humilium relevare gravamina et subvenire oppressionibus viduarum, ut defensionis nostre munite presidio a perversorum molestiis secure maneant et quiete. Tuis igitur, dilecta in Christo filia, devotionis precibus inclinati, tuam ac filiorum tuorum personas in devotione ecclesie persistentes cum omnibus bonis, que impresentiarum iuste ac rationabiliter possidetis etc. in modum protectionis usque communimus. Nulli ergo nostre protectionis etc. Si quis autem etc. Datum Laterani III. Nonas Decembris. Anno VII.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 407. fol. 114.

LI.

Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Vratislaviensi et Olomucensi, ne eam ab aliquibus molestari permittant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi et . . . Vratislaviensi et . . . Olomucensi Episcopis, salutem etc. Inter ceteras etc. usque quiete. Cum igitur dilectam in Christo filiam V. Viduam Ducissam de Opol ac filios eius in devotione ecclesie persistentes cum omnibus bonis, que impresentiarum iuste ac rationabiliter possident, sub apostolice sedis protectione recepimus speciali, mandamus, quatenus eos contra huiusmodi protectionis nostre tenorem non permittatis ab aliquibus indebite molestari. Molestatores huiusmodi etc. usque compescendo. Quod si non omnes etc. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Laterani x. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 408. fol. 114.

LII.

Archiep̄o Gnesnensi et episcopis Cracoviensi et Vratislaviensi, ut ducem Masoviae ad restituenda ablata ducissae Sandomiriae compellant.

Gregorius episcopus servus servorun Dei. Venerabilibus fratribus . . . Archiep̄o Gnesnensi et . . . Cracoviensi et . . . Wratislaviensi Episcopis, salutem etc. Inter ceteras, etc. ut supra usque quiete. Sane dilecta in Christo filia nostra Nobilis mulier G. vidua Ducissa Sandemerie transmissa nobis petitione monuit, quod cum Nobilis vir C. Dux Mazovie, et filii eius, ac quidam alii eiusdem Ducisse Vassalli Cracoviensis diocesis in presentia tua, frater Archiepiscope, ac Suffraganeorum tuorum corporaliter prestito iuramento firmarunt, ut ipsam et B. filium eius, et eorum bona defensantes ab impugnationibus aliorum, eam nullatenus molestarent: ipsi postmodum, religione iurameti contempta, suc salutis immemores, Ducissam eandem, ut sub simulate pacis et amicitie ficte vellere iniquitatem, quam conceperant, possent facilius exercere, ad iniquum invitarunt colloquium, ibique ipsam rebus omnibus turpiter spoliatam, et inhumaniter graviter afflictam verberibus arte custodie manciparunt, desolationi

dantes et igni terram et alia bona sua, que manu potuerunt attingere vastatorum, pecuniam nichilominus, quam eadem Ducissa apud quorundam religiosorum loca deposuit, secum nequiter asportando. Tantum igitur eiusdem Ducisse nolentes, sicuti nec debemus, sustinere gravamen, cum ipsam et eundem filium suum sub protectione sedis apostolice recepimus speciali, mandamus quatenus, predictos ducem et alios tante iniquitatis actores, ut prefatis Ducisse ac filio eius oblata universa restituant, et de huiusmodi iniuriis et dampnis illatis satisfaciant, ut tenentur, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis: proviso, ne in terram dicti Ducis etc. Testes autem etc. Quod si non omnes etc. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Laterani x. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Nobili viro Henrico Duci Zlesie.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 409. fol. 114.

LIII.

Colomanuo duci Sclavoniae, ut ducissam Sandomiriae eiusque filium defendat.

Gregorius episcopus etc. Karissimo in Christo filio C. Illustri Regi Sclavoniae, salutem etc. Inter ceteras etc. ut in supracisatis Monumentis Hungariae Tom. I. Nro. 204. fol. 121. Datum Laterani x. Ianuarii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 410. fol. 114.

LIV.

C. vidua ducissa Sandomiriae sub apostolicae sedis protectione suscipitur.

Gregorius episcopus etc. Nobili mulieri C. vidue Ducisse Sandomerie, salutem etc. Inter ceteras etc. ut supra usque communimus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 408. fol. 114.

LV.

Cives latini Kiovienses in beati Petri tutelam recipiuntur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Ulrico et fratribus suis eorumque concivibus Latinis in Kiow, salutem etc. Sacrosancta Romana ecclesia etc usque confovere. Cum igitur, sicut accepimus, zelo fidei ac devotionis accensi vos murum defensionis opponatis in Ruscie partibus pro cultu divini nominis ampliando, et occasione huiusmodi a persecutoribus fidei christiane, qui vobis assiduas ponunt insidias, sepius molestati dampna sustinueritis et rapinas: nos vestris iustis precibus inclinati, personas vestras cum familiis et aliis bonis vestris, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum etc. usque communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis etc. Si quis autem etc. presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Reate xvii. Kal. Iulii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 109. fol. 187.

LVI.

Iudicibus mandatur, ne praedicti latini ab ullo molestari permittant.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Decano, . . . Preposito et . . . Scolastico Zandomirensibus, sal. etc. Cum dilectum filium Ulricum et fratres suos eorumque concives Latinos in Kiow, qui, sicut accepimus, zelo fidei et devotionis accensi se murum defensionis opponunt in ipsis partibus pro cultu divini nominis ampliando etc. ut supra usque sub protectione suscepimus beati Petri et nostra, mandamus, quatinus non permittatis eosdem contra nostre protectionis tenorem ab aliquibus indebite mostari, Molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam etc. Quod si non omnes etc. Presentibus etc. Datum Reate xvii. Kal. Iulii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 110. fol. 187.

LVII.

Fratribus S. Mariae Teutonicorum terram Culmensem a duce Poloniae douatam, in ius et proprietatem B. Petri susceptam, et quidquid terrae ab paganis Prussiae expugnatum eaut, pontifex in perpetuum possidendum etc. concedit.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Magistro et fratribus Hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Pietati proximum et rationi consonum arbitramur, ut vobis, qui voluptatibus seculi derelictis tollentes crucem secum secuti estis dominum crucifixum, omnem,

quam cum deo possumns, favoris gratiam liberaliter impendamus, presertim cum licet immeriti eiusdem vicem domini geramns in terris, qui sua vestigia sequentibus perhemnis vite premia largietur in celis. Hinc est, quod sicut vestro relatu didicimus, cum vos ad Pruscie partes salvatoris virtute preambula procedentes, in terra nomine Colmen, quam a christianis longis retro temporibus habitatam, predecessoribus dilecti filii nobilis viri C. ducis Polonie dominantibus in eadem, idem nobilis vobis pro salute sua et fidelium in confinio dictarum partium positorum pia liberalitate donavit, pront in eiusdem privilegio super hoc confecto plene perspeximus contineri, constructis per vos castris et villis non absque multis laboribus et expensis, et Prntenorum impetu divina propitiante gratia refrenato, ac dictorum salute procurata fidelium, quos a multis temporibns afflixerat eorumdem insania Prutenorum, Pruscie partem christiano nomini reddideritis snbiugatam, nos volentes, nt pro einsdem acquisitione terre eo plenius vester animus invalescat, quo vos et existentes ibidem fidei catholice professores a nobis obtinebitis gratiam specialem, quod a vobis suffragante exercitu christiano iam de ipsa terra, auctore domino, noscitur acquisitum, in ius et proprietatem beati Petri snscipimus, et eam sub speciali apostolice sedis protectione ac defensione perpetnis temporibus permanere sancimus, ipsamque vobis et domui vestre cnm omni iure et proventibns suis concedimns in perpetunm libere possidendam, ita ut per vos vel alios dicta terra nullins unquam subiciatur dominio potestatis. Que vero in futurum, largiente domino, insistendo defensioni christianitatis de terra paganorum in eadem provincia vos contigerit adipisci, firma et illibata vobis vestrisqne successoribns sub iure et proprietate sedis apostolice eodem modo statuimus permanenda. Ceterum in eadem terra dispositioni sedis apostolice reservamus, ut per ipsam, cum vos propitiationis divine munere oblata eiusdem terre spatia contigerit obtinere, ac de statu ipsius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de constituendis in ipsa ecclesiis, et instituendis ibidem clericis, episcopis et prelatis aliis, nec non de providendo, qnod iidem de prefata terra congruam habeant portionem, et qnod promissiones et pactiones, quas presentibus habitatoribus eiusdem terre fecisse noscimini, ant futuris facietis, in posternm a vobis valeant observari, et quod in recognitione dominii et percepte a sede apostolica libertatis ecclesie Romane census annnns persolvatur, sicut in domino ad honorem ecclesie ac utilitatem vestram visum fuerit expedire. Nulli ergo etc. nostre protectionis, concessionis et constitntionis etc. Si quis antem etc. Datum Reate III. Nonas Augusti. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 290. fol. 224.

LVIII.

Universis Christi fidelibus per Bohemiam et Poloniam veniam unius anni in consecratione etc. monasterii S. Francisci Pragensis concedit.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibns per Bohemiam et Poloniam constitutis, salntem etc. Quia sensus hominis proni ab adolescentia sunt ad malum, et a primis natnre vestigiis omnis etas vitinm imitatur, sicnt ex sensualitate caro vergit in culpam, ita vigore spiritus procedente, et gratia snbseqnente divina, animus niti debet ad veniam, et remedia semper inquirere, quibus mortis occasiones innumeras valeat declinare. Cnm igitur non sit facile habitantibus super terram incursus evadere delictorum, propter quod divina snffragia sunt plurimum oportuna, per que, si digne petantur, nostrornm corrnptela criminum aboletur, Universitatem vestram rogamus et hortamur in domino, ac in remissionem vobis iniungimns peccatorum, quatinus ad monasterium sancti Francisci Pragense imploraturi a domino veniam delictorum in humilitate spiritus accedatis: Nos enim de omnipotentis dei misericordia, et beatornm Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Universis cum debita reverentia et devotione illuc accedentibus in eius consecratione annum unum, ac anniversario die consecrationis ipsius quadraginta dies, et totidem in festo confessoris eiusdem usque ad octavas de iniuncta sibi penitentia relaxamns. Datum Spoleti II. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 210. fol. 205.

LIX.

Duci Poloniae gratulatur de favoribus fratribus S. Mariae Teutonicorum in Prussia datis, et quidquid ipsi fratres in Prussia expugnatum eant, in proprietatem B. Petri suscipere annuntiat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro C. Duci Polonie, salutem etc. Multorum instrncti relatibus, quod sis in conspectu dei et hominnm gratiosus, pietatis vacando cultui, ut possis eterna Christi mnnera promereri, gaudium exinde grande concipimns: ut semper ad meliora proficias, affectamus, Nobilitatem tnam gratiarum plenitudine prosequentes, quod ad sanctam Romanam eccle-

siam matrem tuam filialem reverentiam habere dinosceris, et acceptos sibi fructuosa dilectione diligere delectaris. Hinc est, quod cum dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, fidei negotium in Pruscie partibus pro redemptoris gloria magnanimiter promoventes, tuorum bonorum liberali largitione refeceris, sicut ipsorum iocundo relatu didicimus, et in tuo privilegio perspeximus contineri, sinceritatem tuam rogamus et obsecramus in domino Ihesu Christo, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus prudenter advertens, quod quanto promptior ad superioris honorem quis redditur, tanto eiusdem gratiam plenius promeretur, memoratos fratres ita superni Regis intuitu assiduo favore confoveas, ipsos protectionis tue munimine roborando, ut tam in personis quam bonis eorum, et precipue in illa parte Pruscie, quam per ipsos defensioni fidelium desudantes, dei et christiani exercitus faciente subsidio, christiano nomini subiugatam, vel ab eisdem in posterum tuentibus familiam Redemptoris, actore domino, subiugandam in ius et proprietatem beati Petri suscipimus, ipsisque cum omni iure et proventibus suis concessimus in perpetuum libere possidendam, nullam ab aliquo patiantur iniuriam vel iacturam, sed potius pace gaudeant et quiete, sicque fiat, quod eisdem cum ceteris fidelibus christiani exercitus in predictis Pruscie partibus constitutis, quos tibi, sicut in deo possumus, fiducialiter commendamus, existentibus ab omni adversitate liberis, per ipsos amplietur gloria creatoris, sitque tibi exinde felicitatis eterne perceptio, et favor sedis apostolice in tempore proveniat oportuno. Datum Spoleti v. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 229. fol. 209.

LX.

Episcopo quondam Mutinensi sedis apostolicae legato in Polonia, ut de statu ecclesiae Caminensis referat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo quondam Mutinensi, Penitentiario nostro, apostolice sedis Legato, salutem etc. Sua nobis Venerabilis frater noster... Episcopus Caminensis petitione monstravit, quod licet episcopatus suus apostolice sedi, sicut dicitur. immediate subiectus, ab aliis convicinis episcopatibus olim fuerit certa limitatione distinctus, prout in apostolicis privilegiis ecclesie Caminensi concessis dicitur contineri, nuper tamen Venerabilis frater noster... Archiepiscopus Gneznensis et... Zvrinensis Episcopus, et quidam alii vicini Episcopi quasdam partes et terminos sue diocesis per violentiam occuparunt, et detinent in enorme sue ecclesie dispendium occupatos. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatinus de prefatis terminis auctoritate nostra inquiras diligentius veritatem, et que inveneris, nobis tuis studeas litteris fideliter intimare, ut super hoc procedamus, iuxta quod secundum deum viderimus procedendum. Datum Viterbii XIII. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 428. fol. 118.

LXI.

Henricum natum ducis Silesiae et Cracoviae in sedis apostolicae protectionem suscipit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Henrico nato dilecti filii Henrici ducis Zelezie et Cracovie iuniori, salutem etc. Extimantes, quod filius ad matris reverentiam nequeat induci facilius, quam quod eiusdem favor circa illum oportunis habeatur temporibus expeditus, te matris ecclesie gratia volumus libenter attollere, ut eidem prompte devotionis operibus studeas assidue complacere. Hinc est, quod sinceritatem tuam affectionis paterne brachiis amplexantes, personam tuam cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri etc. usque communimus, districtius inhibentes, ut dum in fide ac devotione Ecclesie Romane perstiteris, nullus super bonis eisdem te presumat indebite molestare. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis etc. Si quis autem etc. Datum Perusii x. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 126. fol. 43.

LXII.

Henrico duci Silesiae et Cracoviae compositionem inter ipsum et ducem Poloniae factam confirmat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico duci Zlesie et Cracovie, salutem etc. Ea, que iudicio vel concordia terminantur etc. usque communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod cum inter te ac nobilem virum Wlodizlavum Ducem Polonie fratrem tuum super

terra Polonie questio fuisset exorta, tandem mediantibus Venerabilibus fratribus nostris F. Gneznensi Archiepiscopo et P. Episcopo Poznaniensi, amicabiliter inter partes compositio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius continetur, quam apostolico petivisti munimine roborari. Nos igitur devotionis tue iustis precibus inclinati, compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem facti huius evidentiam, tenorem dictarum litterarum fecimus presentibus annotari. Qui talis est. In nomine sancte Trinitatis Amen. Nos Fulco Gneznensis ecclesie minister humilis, et Paulus Poznaniensis episcopus, Omnibus, ad quorum auditum vel intelligentiam hoc scriptum pervenerit, notum facimus, quod cum inter dominum Henricum Ducem Cracovie et Zlesie filiumque eius Henricum, et dominum Wlodislavum filium Odonis Ducem Polonie ex parte altera non modica cresceret discordia, et crebra moveretur questio rancorosa, super possessione videlicet illius totalis partis Polonie, quam antea dominus Wlodeslavus, Mesconis filius, possederat, ex officio nostro medios nos iniecimus, et impetum ire seu mali, quod ex utraque parte imminebat, precibus et consilio, domino adiuvante, hoc modo mitigavimus, ut videlicet fluvius Varta, inter ipsos terram dividens, meta esset immutabilis, incluso tamen Santok parti domini Henrici, cum omni eo, quod ipso inferius est. Dominus vero Wlodizlavus Naroncincones Castrorum suorum Nachel, Usche, Charuchow, Velen, Dreden, et ex parte altera, sicut antea dominus Wlodizlavus, pacifice possidebit: Srem vero in domini Buruvii cum omnibus, que eidem ab avunculo suo donata dinoscuntur, liberam cedet possessionem. Et quoniam pacis inimicus per se membraque sua nititur semper pacem de terra tollere, quod omnimodis volentes precavere, et pacem firmam stabilire, ex utraque parte tale promissum recepimus, ad perpetue inter ipsos pacis robur et munimen: Primum, quod si quis ipsorum persone alterius, aut filiorum ipsius vi, dolo, seu aliqua arte, vel astutia, malum mortis machinabitur, aut si predictos terminos amicabiliter constitutos transgressus fuerit, aut terram alterius exercitu, vel alio manifesto gravamine spoliaverit; Item, si aliquod de Castris alterius per vim aut fraudem, vel alicuius donationem contra alterius voluntatem intraverit, aut si quempiam de Baronibus alterius, aut militibus, aut simplicibus, qui medio tempore discordie ipsorum Ducum incurrerunt indignationem, aut in personis leserit, aut captione, seu hereditatum iustarum bonorumque mobilium ablatione sine iudicio gravaverit, aut iustas hereditates heredibus non reddiderit, tali pene subiacebit: Primum, quod ius dominii in prefata parte Polonie cum sua in perpetuum amittet posteritate; Item excommunicationi domini pape et Archiepiscopi Gneznensis, omniumque ipsius Suffragancorum subiaceat, ita dumtaxat, ut si qui de nobis a ferenda in transgressorem excommunicationis sententia se continuerint, aut subtraxerint, nichilominus quivis ipsorum plena uti poterit potestate: Preter hoc, si ex parte Ducis Henrici, seu filii eius transgressio intervenerit, Stargord cum suis utilitatibus in ius cedet et dominium ecclesie Poznaniensis, vel si a parte domini Wlodislavi, vel filiorum eius transgressa fuerint supradicta, Hostrow Castrum similiter cum suis attinentibus in ius et dominium ecclesie cedet Gneznensis in perpetuum. Adiectum est etiam, quod Wlodislavo restat petere de terra memorata, si quid voluerit, per gratiam aut iudicium, si voluerit, termino finali constituto in proximo festo Pentecosten. Verumtamen, si ad iudicium iudicum, quos ad hoc elegerint, perventum fuerit, utrique tunc maiora petendi de ipsa quondam terra domini Wlodislavi ius et libertas remanebit, aut uterque, si magis placuerit, iuri actionis renuntians, extunc partem suam pacifice possideat secundum factam tunc divisionem. Preterea ante pacis inter ipsos per dominum papam confirmationem nulli ipsorum licet interim aliquod Castrum de novo erigere, aut construere sine alterius voluntate, sed iam stans et constructum, si ruinam minatur, aut minus forte est, poterit emendare, sed cum pleno pacis federe, ut dictum est, per dominum papam stabilientur, extunc unus quisque in suo, quod volet, facere sine omni poterit contradictione. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Perusii VI. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 133. fol. 44.

LXIII.

Henrico duci Silesiae et Cracoviae supradicta compositio, insertis ducis Poloniae litteris, iterum confirmatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico duci Zlesie et Cracovie, salutem etc. Ea, que iudicio etc. ut supra usque qui talis est. In nomine domini Amen. Ego Wlodislavus dei gratia

Polonie dux notum facio universis et singulis, quod cum inter me ex una parte, et fratrem meum ducem Henricum ex altera non modica esset suscitata discordia propter terram, que speciali nomine dicitur Polonia, cuius verum semper me heredem putavi et principem, ipso contrarium asserente propter domini quondam Wlodizlavi, ut asserit, patrui nostri sibi factam filioque suo donationem: Venerabilis pater dominus Fulco Gneznensis archiepiscopus una cum domino Paulo Poznaniensi episcopo videns, quod tante discordie et litis decisio esse non posset sine armis et gladio, sine lacrimis viduarum, desolatione ecclesiarum, vastatione pauperum, medium se iniecit, et tanquam alter Aaron properans sine querela, proferens sue servitutis scutum, deprecationem restitit ire, et finem imposuit necessitati, et in se tanquam lapide angulari utrumque parietem hoc pacis federe colligavit, ut fluvius Wartha inter nos esset meta immutabilis, ita quod ego unum litus, ipse vero H. dux una cum filio suo aliud cum suis possideret utilitatibus tam piscium quam castrorum, et si qua fuerint theloneorum, a parte nostra excluso Suthoc et eius incluso cum eo, quod ipso inferius est. Srem vero castrum in domini Borvii cedat liberam et pacificam possessionem cum omnibus eis, que eidem ab avunculo suo data esse dinoscuntur. Ego vero Naroncincones meorum castrorum Hachel, Urche, Charchov, Welon, Drezen etiam ex parte altera quiete possidebo, quemadmodum patruus meus antea possidebat. Ob amorem itaque Ihesu Christi et fratris mei et filii eius, et maxime pacem totius Polonie, prefata et maxima hiis cavens pericula, dictos seu prepositos terre terminos nullatenus per vim aut aliquam fraudem transgredi bona fide promitto, quamdiu ipsi suam mihi servaverint promissionem. Hoc autem lucidius expono singula necessario observanda, quod si unquam personam dicti Ducis aut filii eius, vel domini Borvii etiam, per me aut per meos precepto aut consilio lesero, mortis cuiuspiam ipsorum causa existens, aut si predictos terminos, ut dictum est, transgressus fuero, aut terram ipsorum exercitu, aut simili gravamine expoliavero, aut si aliquod de castris ipsorum per vim aut fraudem, aut alicuius donationem contra ipsorum voluntatem intravero, aut si quempiam de Baronibus aut militibus suis, aut etiam simplicibus, qui medio discordie tempore meam intraverunt indignationem, aut in personis, aut in captione, aut hereditatum seu bonorum mobilium ablatione sine iudicio gravavero, aut iustas hereditates heredibus non reddidero, tali me pene subicio: Primo, quod toti terre sepe nominate renuntio et abiuro cum mea in perpetuum posteritate; Item excomunicationi domini pape, et domini Gneznensis archiepiscopi, omniumque episcoporum Polonie me subicio, ita dumtaxat, ut si quis ipsorum gratia aut favore a prefata sententia se continuerit aut subtraxerit, nichilominus quilibet ipsorum plenam exerceat potestatem. Preter hoc, si transgressus fuero supradicta, castrum Ostrov in ius cedat cum suis proventibus ecclesie Gneznensis, aut si ex parte altera transgressio intervenerit, Stargrod similiter ecclesie cedat Poznaniensis: et ad maius facti robur et evidentiam hec omnia in Registris domini pape, dominis episcopis procurantibus, redigantur. Actum anno gratie M.CC.XXXIV. in die beati Mauricii sociorumque eius, presentibus omnibus Baronibus Cracovie, Zlesie, Polonie et Sudomirie. Nulli ergo nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Perusii VI. Kal. Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 134. fol. 45.

LXIV.

Eidem, ut homines ecclesiarum Poloniae contra vexationes principum earum regionum protegat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo quondam Mutinensi, Penitentiario nostro, apostolice sedis Legato, salutem etc. Principum eternorum aggregari collegio dilecti filii Polonie Principes, sicut accepimus, non procurant, dum prave consuetudinis observantiam a longis retro temporibus ad presentia protrahentes, homines cathedralium et aliarum ecclesiarum Polonie, qui terras excolunt earumdem, angariis, perangariis et vectigalibus graviter contra iustitiam fatigando, facientes per ipsos transitum vel regressum, necnon suos venatores recipere, ac in omnibus procurare compellunt. Quid ultra? dicti homines in expeditionibus Principum eorumdem coacti propriis militare stipendiis, et munitionibus intendere construendis, alias per ipsos tam enormiter pregravantur, quod nec suis possunt vacare negotiis, nec prefatis, ut tenentur, ecclesiis deservire. Ipsi etiam a dictis Principibus et ipsorum Officialibus indifferenter, quasi eorum sint proprii, iudicantur, et iudicatum exigitur ab eisdem actoris forum sequi compulsis, tamquam ignoretur ibidem, quod ideo iudiciorum vigor iurisque publici tutela sit in medio constituta, ne quisquam sibi sumere valeat ultionem. Nos igitur sic super hiis provideri debitum arbitrantes, ut sic tanta molestatione gravatis respirationis remedium, et eisdem

Principibus huiusmodi precidatur materia delictorum, mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, dictos Principes, ut aliqua consuetudine, que potius dici debet confusio, non obstante, ab huiusmodi molestiis hominum predictorum de cetero conquiescant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sicut iustum fuerit, appellatione remota, compellas: proviso, ne in terras dictorum Principcipum etc. Datum Interamni xv. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 127. fol. 170.

LXV.

Eidem, ut ducem Silesiae ad satisfaciedum de damnis illatis ecclesiae Gnesnensi moneat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo quondam Mutinensi, penitentiario nostro, apostolice sedis legato, salutem etc. Dilecti filii Capitulum et Clerus Gneznensis sua nobis conquestione monstraverunt, quod cum Nobilis vir Dux Zlesie terram Nobilis viri Ducis Polonie grandi comitatus exercitu pluries intravisset, Gneznensi ecclesie, necnon personis ecclesiasticis et habitatoribus villarum eiusdem dampna gravia inferendo, et Venerabilis frater noster ... Gneznensis Archiepiscopus eum, ut ab huiusmodi molestatione cessaret, de dampnis ac irrogatis iniuriis satisfactionem congruam impendendo, moneri fecerit diligenter, ipse non ad studia penitudinis, sed cavillationis diffugia se convertens, ad nos frivolam appellationem emisit, quam iam elapso biennio prosequi non curavit. Verum cum sit indecens et dampnosum illatam predictis iniuriam absque provisionis condigne remedio preteriri, vel quod idem Dux sub tanta peccati sarcina negligatur, mandamus, quatenus si est ita, ipsum ut supradictis de prefatis dampnis et iniuriis congruam satisfactionem impendat, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sicut iustum fuerit, appellatione remota, compellas: proviso etc. Datum Interamni xv. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 128. fol. 170.

LXVI.

Archiepiscopo Gnesnensi indulgetur, ne extra suam dioecesim ultra duas dietas in causam trahi possit.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Etsi libenter petentibus gratiam impendamus, fratribus tamen et coepiscopis nostris, qui sunt in partem sollicitudinis evocati, eo favorabiliores in suis petitionibus nos convenit exhibere, quo facilius odia multorum incurrunt, et graviores insidias patiuntur, dum pastorale officium exequendo nequeuntes omnibus complacere, quasi signum sunt positi ad sagittam. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nonnulli clerici et laici non tam iustitiam suam prosequi, quam te persequi dampnabiliter intendentes, te ultra duas dietas, pluresve extra diocesim Gneznensem per litteras apostolicas faciant malitiose citari, ut fatigatus laboribus et expensis vel cedere litibus vel dampnosas pactiones subire cogaris: Nos, quantum cum deo possumus, quieti tue consulere cupientes, ne de cetero ultra duas dietas extra ipsam diocesim per litteras a sede apostolica impetratas trahi possis in causam, auctoritate tibi presentium indulgemus, nisi littere ipse de indulgentia presenti fecerint mentionem. Nulli ergo nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Interamni xv. Kal. Iulii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 131. fol. 170.

LXVII.

Abbati de Stragow et suis collegis, ut de sententia excommunicationis ob ecclesiam Gnesnensem in ducem Silesiae lata decernant.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati de Stragow premostratensis ordinis, ... preposito et ... Archidiacono Pragensibus, salutem etc. Nobilis vir H. dux Zlesie et Cracovie pridem transmissa nobis petitione monstravit, quod Venerabilis frater noster ... Archiepiscopus, Capitulum et Clerus Gneznenses, asserentes ipsum et suos sibi et ecclesie Gneznensi eiusque hominibus dampna gravia et iniurias irrogasse, ac offendisse in pluribus ecclesiasticam libertatem, et quod pluries monitus ab eodem Archiepiscopo super hiis satisfacere non curavit, ad appellationis diffugium convolando, super hoc contra eum ad Venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum quondam Mutinensem, tunc in Pruscie partibus apostolice sedis legatum, nostras litteras impetraverit. Et licet idem Nobilis tunc, sicut asserit, esset infirmitate gravatus, et pro recuperatione Castri sui de Pobzin ab hostibus invadentibus terram eius per violentiam occupati, ac aliis bonis suis inoffense servandis grande studium assumere cogeretur,

paratus nichilominus, quam cito facultas occurreret, coram dicto Episcopo personaliter comparere pro causa tam ardua, quam per procuratorem nolebat, nec comode poterat expedire: quia tamen idem Episcopus dicti Ducis excusationem huiusmodi non admittens, ipsum in tante necessitatis articulo constitutum, ad litigandum coram ipso contra iustitiam compellebat, ipse nostram audientiam appellavit. At idem Episcopus, legitima eius appellatione contempta, tulit excommunicationis sententiam in eundem, et excomunicatum fecit per totam terram ipsius publice nuntiari. Quare pro dicto Nobili fuit nobis humiliter supplicatum, ut sententiam ipsam irritam nuntiari, et in statum revocari debitum quicquid post eandem appellationem attemptatum constiterit, mandaremus. Dictus vero Archiepiscopus proposuit ex adverso, quod cum ipse dudum contra dictum Ducem super eo, quod libertatem Gneznensis ecclesie, ac aliarum ecclesiarum Polonie multipliciter deprimit et conculcat, ad supradictum Episcopum nostras litteras impetrasset, dictus Episcopus in ducem ipsum, quia legitime citatus ab eo ad respondendum coram ipso comparere contumaciter contempnebat, excomunicationis sententiam, exigente iustitia, promulgavit, propter quod idem Dux vocem ad nos appellationis emisit: quare idem Archiepiscopus postulavit a nobis, ut seuteutiam ipsam faceremus robur debitum obtinere. Unde nos vobis de ipsius Archiepiscopi et procuratorum dicti Ducis assensu dedimus nostris litteris in mandatis, ut si dictam excomunicationis sententiam inveniretis post appellationem ob dictas causas, vel earum alteram ad nos interpositam esse latam, denuntiantes eam penitus non tenere, revocaretis in statum debitum quicquid post eandem appellationem constaret temere attemptatum: alioquin sententiam ipsam, sicut rationabiliter prolata esset, faceretis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, integre observari, appellantem in expensas legales condempnando. Verum cum in iamdictis litteris ad vos directis nulla sit vobis super principali attributa cognitio, et in dispendium supradictis vertatur ecclesiis, quod causa ipsa maneat diutius in suspenso, nos utrique partium super hoc salubriter providere volentes, mandamus, quatenus eisdem litteris non obstantibus sepedicto Duci ad cautelam absolutionis beneficium impendentes, eidem spatium trium mensium terminum peremptorium prefigatis, quo post monitionem nostram per procuratorem sufficientem et idoneum se nostro conspectui representet, super principali facturus et recepturus, quod dictaverit ordo iuris. Quicquid autem super hoc feceritis, nobis fideliter rescribatis. Quod si non omnes etc. Datum Viterbii III. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 263. fol. 330.

LXVIII.

Episcopo Plocensi et suis collegis, ut in causa episcopi Vratislaviensis contra ducem Silesiae decernant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri, ... Episcopo Plocensi, et dilectis filiis ... Plocensis et ... Crusniciensis Cuiaviensis dioecesis ecclesiarum Decanis, salutem etc. Lecta coram nobis Venerabilis fratris nostri ... Wratislaviensis episcopi petitio continebat, quod cum Nobili viro Henrico Duci Zlesie direxerimus scripta nostra, ut ab iniuriis et molestiis Wratislaviensis ecclesie ac hominum eius desisteret, predecessorum suorum prava consuetudine non obstante, scripserimus etiam ... Abbati de Lumbeus Cisterciensis ordinis, et collegis ipsius, ut eum ad id monerent attentius et inducere procurarent, quicquid idem Dux inde faceret vel etiam responderet, nobis fideliter rescripturi: memoratus Dux mandatis apostolicis et illorum monitis parere non curans, se nobis super hiis per specialem nuntium asseruit responsurum. Sed pretextu responsionis huiusmodi non solum ecclesia prefata, et eius homines nullum consecuti sunt comodum vel levamen, immo tam idem Dux, quam Nobilis vir H. filius eius homiues ipsos angariis, perangariis, vestigalibus, et aliis exactionibus indebitis solito durius aggravant et affligunt, alias ei dampna gravia et iniurias irrogando, per quod apparet, facto loquente, quod inde sit furor eorum accensus, unde credebantur lenitatis spiritum assumpsisse, et ut liberius suam in talibus exerceant voluntatem, prefatam ecclesiam litibus et sumptibus fatigando, cum nequeat in partibus illis de pari contendere cum eisdem, maxime sic afflicta: ad ... Abbatem Stravoviensem Premonstratensis ordinis, eiusque collegas constitutos in terra sororii filii dicti Ducis, in quos consensit ipsius Episcopi procurator, quamquam de consentiendo in ipsos speciale mandatum aliquod non habet, idem filius contra prefatum episcopum et eius Capitulum super hiis apostolicas in communi forma litteras impetravit. Unde nobis fuit humiliter supplicatum, ut super afflictionibus et pressuris suis eidem ecclesie paterno compatieutes affectu super eo, quod coram prefatis iudicibus tute non posset prosequi

causam suam, congruum remedium apponere curaremus. Nos igitur volentes in iure suo ipsi ecclesie sic adesse, ut partis alterius iustitiam non ledamus, mandamus, quatenus, si vobis constiterit, quod dicti Episcopus et Capitulum coram Iudicibus ipsis tute non valeant causam prosequi memoratam, prefigatis partibus terminum peremptorium comparendi, quo per sufficientem et idoneum procuratorem compareant coram nobis, facture et recepture super premissis omnibus, quod ordo dictaverit rationis. Quod autem inde feceritis, nobis fideliter rescribatis. Alioquin iniungatis iudicibus ipsis, ut absque personarum acceptatione, cum non sit personarum acceptio apud dominum, sic rite et sine pravitate aliqua in cause cognitione procedant, quod non videantur ad siuistram vel dexteram declinare. Non obstantibus constitutionibus etc. dummodo ultra tertiam vel quartam etc. Quod si non omnes etc. tu ea, frater episcope etc. Datum Lateraui x. Kalendas Novembris. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 268. fol. 331.

LXIX.

Henrico duci Silesiae, ut a molestanda ecclesia Wratislaviensi desistat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico duci Zlesie, salutem etc. Sperabamus, quod salubribus monitis nostris iuductus a persecutioue Wratislaviensis ecclesie, ac eius hominibus abstineres, deum, quem in hoc offendisse dinosceris, penitentia complacando. Sed tu, qui ex nostrarum precum dulcedine ad humilitatem et devotionem debueras profecisse, nostris precibus tibi porrectis, ac monitorum, quos tibi deputavimus, monitis penitus obauditis, non solum ab ipsius ecclesie ac hominum suorum oppressionibus desistere non curasti, verum etiam contra ipsam, et alias ecclesias Wratislaviensis diocesis immanius seviens, et earum hominibus indebitam collectam imponens, extorsisti ab illis non modicam pecunie quantitatem in earumdem preiudicium et gravamen, sicut Venerabili fratri nostro ... Episcopo Wratislaviensi nobis innotuit conquerente. Satagentes igitur et ecclesiastice libertati et saluti tue iuxta officii nostri debitum providere, nobilitatem tuam sicut iterum sic attente rogandam duximus et monendam, per apostolica tibi scripta precipiendo mandantes, quatinus si res ita se habet, a predictarum ecclesiarum et hominum suorum super premissis molestatione indebita de cetero penitus conquiescens, prefatis hominibus restituas sic extorta. Alioquin cum nonnumquam bona prestentur invitis, damus dilectis filiis ... Abbati de Andreiov Cracoviensis diocesis et ... Decano et Cantori Cracoviensibus nostris litteris in mandatis, ut te a molestatione huiusmodi monentes precipiendo per censuram ecclesiasticam, appellatioue remota, compescant. Datum Laterani Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Auno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 372. fol. 353.

LXX.

C. Masoviae et Lanciciae et aliis ducibus Poloniae, ne homines ecclesiae Gnesnensis molestent.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris C. Mazovie et Lanchicie et aliis Ducibus Polonie, salutem etc. Sua nobis venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Gneznensis petitione monstrabat, quod cum olim ad nostram audientiam pervenisset, quod vos homines cathedralium et aliarum ecclesiarum Gueznensis provincie angariis, perangariis et vectigalibus graviter affligendo, eos, ut vestros venatores in domibus suis reciperent, ac vobis procurationes indebitas exhiberent, in expeditiouibus vestris propriis stipendiis militarent, et vestris munitionibus et domibus construendis insisterent, contra iustitiam cogeretis, et alias per vos tam enormiter gravarentur, quod nec suis poterant vacare negotiis, nec prefatis, ut tenentur, ecclesiis deservire, et nichilominus a vobis et vestris officialibus indifferenter tanquam proprii servi vestri compellerentur obsequiis et iudiciis subiacere: Venerabili fratri nostro ... Episcopo quondam Mutinensi, penitentiario nostro, apostolice sedis legato, scripsimus, ut aliqua cousuetudine, que corruptela potius dicitur, non obstante, vos ab huiusmodi molestiis dictorum hominum coherceret. Preterea cum tu, fili Dux Mazovie et Lanchicie, decimas ecclesiis debitas quibusdam personis pro tua distribueres voluntate, super hoc tibi nostras direximus litteras continentes, ut eas, sicut tenebaris, eisdem ecclesiis exhiberes, prefato Episcopo per alias litteras iniungentes, ut si mandatum nostrum adimplere negligeres, te ad id per censuram ecclesiasticam ratione predicta coactaret. Sed licet idem Episcopus vos, ut ab huiusmodi molestiis desisterctis ipsorum, auctoritate apostolica duxerit monendos, vos tamen, indurantes in hoc vestram faciem supra petram,

predicti Legati in nullo curavistis parere mandatis, peiora postmodum peioribus committentes. Verum cum id non possimus ulterius sub dissimulatione transire, nobilitatem vestram rogandam duximus attente et monemus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ob reverentiam apostolice sedis et nostram a predictorum ecclesiarum et hominum indebitis super premissis gravaminibus quiescentes, omnino eis de illatis dampnis et iniuriis debitam satisfactionem exhibere curetis: alioquin sententias, quas idem Archiepiscopus vel Suffraganei eius iuxta officii sui debitum in personas et terras vestras rite duxerint promulgandas, ratas habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani VIII. Kalendas Aprilis. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. Tom. VI. ep. 4. fol. 1.

LXXI.

Duci Silesiae et Cracoviae super satisfactione facienda archiepiscopo Gnesnensi.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro H. Duci Zlesie et Cracovie, salutem etc. Cupientes, ut ab adolescentia tua timori domini et amori assuefaciens temetipsum, apud deum et homines sic proficias sapientia et etate, ut patris tui vestigia, presertim in oppressionibus ecclesiarum et clericorum, non imitanda relinquens, ecclesias et personas ecclesiasticas pio semper et prompto venereris affectu, libenter te salubribus monitis premunimus, que tanto altius cordi tuo debent infigi, quanto fortius honorem tuum respiciunt et salutem: et qui dux es aliis constitutus, ducatum tuum et quicquid habes, immo quicquid es, ab universorum domino recognoscens, sic teipsum per rectitudinis viam ducas, quod ab eius beneplacitis non recedas. Sane olim non absque mentis amaritudine intellecto, quod nobiles viri Duces Polonie homines cathedralium et aliarum ecclesiarum Gneznensis provincie angariis, perangariis et vectigalibus graviter affligendo, ipsos, ut venatores eorum in domibus suis reciperent, ac eius procurationes indebitas exhiberent, nec non in expeditionibus suis propriis militarent stipendiis, ac eorundem munitionibus et domibus construendis insisterent, contra iustitiam coartabant, et alias per eos tam enormiter gravabantur, quod nec suis poterant vacare negotiis, nec prefatis, ut tenentur, ecclesiis deservire, ac nichilominus ab eis et ipsorum officialibus indifferenter tamquam proprii servi eorumdem compellebantur obsequiis et iudiciis subiacere: Venerabili fratri nostro . . . Episcopo quondam Mutinensi, penitentiario nostro, apostolice sedis legato, litteras nostras direximus continentes, ut aliqua consuetudine, que corruptela dicenda est potius, non obstante, prefatos duces ab huiusmodi molestiis dictorum hominum coherceret. Cumque dictus episcopus ad instantiam Venerabilis fratris nostri . . . Gneznensis Archiepiscopi, prout id in nostra proposuit presentia constitutus, quondam Henricum Ducem Zlesie et Cracovie patrem tuum super huiusmodi oppressionibus pluries ac peremptorie ad suam presentiam citavisset, quia nec per se, nec per procuratorem idoneum coram eo voluit comparere, ad frivole appellationis diffugium se convertens, in eum exigente ipsius contumacia excommunicationis sententiam promulgavit. Eodem igitur Archiepiscopo et predicti patris tui procuratoribus apud sedem apostolicam constitutis, dilectum filium nostrum E. sanctorum Cosme et Damiani diaconum Cardinalem eis concessimus auditorem: coram quo aliquandiu litigato, nos volentes eidem patri tuo sine iuris lesione deferre, ipsum per . . . Abbatem de Stragov et collegas suos ad cautelam absolvi mandavimus et citari, ut coram nobis per se vel procuratorem idoneum certo termino compareret, super principali facturus et recepturus, quod iustitia suadet. Sed ipsi formam mandati apostolici non servantes, licet ipsum iuxta formam eis traditam citavissent, certo ei termino assignato, per alium tamen ipsum de facto, cum de iure non possent, absolvi fecerunt perpetuam ad cautelam. Cum autem in prefixo termino nullus pro eo, etiam post terminum expectato, nisi dumtaxat ad impetrandum et contradicendum comparuerit procurator, dilectus filius noster S. tituli S. Marie Transtyberim presbiter Cardinalis super hoc a nobis deputatus auditor, ipsum merito reputans contumacem, eundem in expensis legitimis, quas dictus Archiepiscopus a tempore citationis emisse fecerat, condempnavit. Tandem vero quidam, qui pro procuratoribus se gerebant, mandatum sufficiens exhibentes, recepto ab Archiepiscopo supradicto libello, tam super exactionibus et gravaminibus antedictis, quam dampnis in villis, possessionibus, hominibus ac rebus aliis sibi et Gneznensi ecclesie irrogatis, nec non et expensis factis a tempore mote litis, super ipso coram eodem Cardinali aliquandiu adinvicem litigarunt: sed antequam rumor de dicti patris tui obitu ad nostram notitiam pervenisset, ad litis contestationem non potuit perveniri. Ut ergo eiusdem patris tui excessus huiusmodi tam detestabiles quam enormes displicere tibi operum exhibitione demonstres, nobilitatem tuam

rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus de gratia in gratiam et de virtute proficiens in virtutem, de illatis eisdem Archiepiscopo et ecclesie dampnis et iniuriis irrogatis plenam satisfactionem impendens, ab ipsorum oppressionibus et molestiis penitus conquiescas, ita quod eidem Archiepiscopo nulla contra te iuste querele materia relinquatur, et nos devotionem tuam possimus merito commendare. Alioquin non immerito poteris formidare, ut iamdictum patrem tuum, qui ob huiusmodi oppressiones vinculo fuit excommunicationis astrictus, exhumari de Cimiterio ecclesie faciamus, et sententias, quas Archiepiscopus memoratus et Suffraganei sui ob defensionem iurium ecclesiarum suarum et ecclesiastice libertatis in te ac terram tuam rite duxerint promulgandas, inviolabiliter observari, alias contra te spiritualiter et temporaliter iuxta meritorum exigentiam nichilominus processuri. Datum Laterani VIII. Kalendas Iunii. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. Tom. VI. ep. 127. fol. 23.

LXXII.

Archiepiscopo Gnesnensi conceditur, ut per suam provinciam sibi crux anteferri possit.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Considerans diligenter, quod in cruce domini nostri Ihesu Christi te oporteat gloriari, pie desideras salutifere crucis eius vexillum ante te facere de nostra licentia baiulari, qui crucis mortificationem iugiter in tuo corpore debis pro divini nominis amore portare. Nos igitur attendentes, quod non sunt tibi armature celestis insignia deneganda, qui contra tue persecutores ecclesie certamine fere incessante laboras, presentium tibi auctoritate concedimus, ut per tuam provinciam ante te deferri facias crucis signum, nisi cum apostolice sedis legatus in Polonia fuerit constitutus, ut in hoc ei deferas tanquam a nostro latere destinato. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Laterani II. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. Tom. VI. ep. 136. fol. 27.

LXXIII.

Iudicibus mandatur, ut fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum a molestando episcopo Prussiae compescant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo, et Dilectis filiis... Maioris ecclesie et... Sancte Afre Prepositis Misnensibus, salutem etc. Venerabili fratre nostro... Episcopo Pruscie accepimus conquerente, quod fratres Hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitani in Pruscia morantes, Prutenos cathecuminos, qui ad gratiam baptismi pervenire cupiunt, insigniri christiani caractere nominis non permittunt, illud in sue temeritatis subsidium allegantes, quod fortius quam deo (?) credentium esse possunt domini paganorum. Baptizatos véro neophitos, et eidem Episcopo iuramento fidelitatis astrictos, qui servare illud cupiunt, nisi eis obediant, diversis cruciatibus affligere non verentur, propter quod quamplures alii horum timore cruciatuum ad infidelitatis errores sunt redire compulsi. Peregrinos, quominus ecclesias construere possint, impediunt, et iam constructas per eos occupationi paganorum relinqui temere procurarunt. Ceterum cum terram Culmensem, quam idem partim elemosinis principum catholicorum ac aliorum fidelium pretio comparavit, partim ex donatione Nobilis viri Ducis Conradi et Venerabilis fratris nostri... Ep̄i et dilectorum filiorum Capituli Plocensis ad opus episcopatus sui obtinuit, iuribus episcopalibus, proventibus, servitiis et prediis quibusdam sibi retentis, certis pactionibus dictis fratribus ad ampliandum episcopatum Pruscie, paganismum impugnandum, defensandam predicationem evangelii pacis ac defensionem fidei catholice concessisset, predicti fratres nec eum defendere, quem Pruteni ceperant, nec etiam quamquam super redemptione sua mandatum apostolicum recepissent, redimere procurarunt. Quosdam Prutenos nobiles, quos tenuerant in vinculis, peregrinorum captos auxilio, quibus eumdem Episcopum redimere poterant, abire pro pecunia liberos dimittentes, et quendam Neophitum nobilem, qui dicto Episcopo super observanda fide catholica filium suum dederat obsidem, quia pecuniam ab ipso iuxta votum extorquere non poterant, peremerunt. Insuper in dicta captivitate eodem Episcopo existente, ecclesiam episcopalem ac totam terram episcopatus, Civitatem et Castrum Sanctir iidem fratres cum Neophitis hostiliter invadentes, ipsos, omnibus mobilibus ibidem inventis, nequiter spoliarunt, Iura episcopalia, decimas ac proventus alios ad mensam Episcopi pertinentes per violentiam detinent occupata, in ecclesiis parrochialibus et Capellis ipsarum dicti episcopatus in institutionibus sacerdotum et clericorum, ac destitutionibus eorumdnm episco-

pali officio, quod sibi contra fas usurpant, illicitum abutentes. Prefatam vero terram Culmensem contra predictas pactiones iuramento firmatas detinent totaliter occupatam, iura episcopalia usurpantes in preiudicium ecclesie Pruscie et ipsius non modicam lesionem. Et licet iidem fratres beneficia plurima in terra Culmensi ad hoc, ut honorem et iura dicti episcopatus Pruscie modis, quibus possent, defenderent, ab eodem Episcopo recepissent, tamen ad tante ingratitudinis vitium devenerunt, quod non solum ipsi debitum servitium iuramento firmatum, verum etiam ut ad eundem Episcopum peregrini, quorum ipse auxiliator extiterat, solitum recursum non habeant, impedire presumunt. Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut super hoc eius compatientes angustiis et sue desolationem ecclesie attendentes, que dictorum fratrum attolli subsidiis et foveri deberet, beneficiis oportunis providere de circumspectione solita curaremus. Quocirca mandamus, quatinus fratres eosdem, ut ab ipsius Episcopi et ecclesie sue omnimoda molestatione desistant, ac eidem satisfaciant de irrogatis dampnis et iniuriis, efficaciter moneatis, presertim cum apud deum et homines se de multa reddant indevotione notabiles, quod dictum Episcopum, qui, se manente paupere, ipsos in bonis pluribus ampliasse dicitur, dampnabiliter persequuntur: et nichilominus ne ipsius iustitia prorogetur, per consuetam auctoritatem causam, et si de ipsarum voluntate processerit, fine debito terminari facientes etc. Alioquin ipsam ad nos remittatis sufficienter instructam, prefigentes eisdem terminum peremptorium competenter, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui represent, iustam, dante domino, sententiam recepture. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, ita quod ultra sextam vel septimam pars altera extra suam diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur. Testes etc. Quod si non omnes, tu frater episcope etc. Datum Laterani III. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Ex Reg. orig. Tom. VII. ep. 17. fol. 3.

LXXIV.

Episcopo Vratislaviensi, ut ducem Lanciciae, cautione idonea adhibita, ab excommunicatione absolvat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Licet grande scelus et immane flagitium deo et hominibus exhorrendum, quod olim Nobilis vir Dux Lancitie instigante diabolo perpetravit, videlicet quondam I. Plocensis et Wratislaviensis ecclesiarum Scolasticum inhumaniter in mortis patibulo perimendo, propter quod Venerabilis frater noster Gneznensis Archiepiscopus eum excomunicatum publice nuntiavit, exigeret merito, ut sicut fuit in eo culpe immensitas, sic illum pene premeret magnitudo: quia tamen, sicut prefato Archiepiscopo intimante didicimus, idem Dux ad cor cum humilitate domino faciente reversus, de scelere penitens perpetrato, pro satisfactione ipsius sceleris Gneznensi, Cuiaviensi et Plocensi ecclesiis, et earum hominibus atque villis maximam contulit libertatem, prout in autenticis super hoc confectis plenius continetur, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum prefatus Dux propter guerram paganorum habitantium in terra sua, et viarum discrimina non possit sine christianorum periculo terram ipsam deserere, ac apostolicam sedem adire absolutionis beneficium petiturus, non obstante, quod eum propter multam utilitatem ecclesiarum de facto idem Archiepiscopus dicitur absolvisse, absolutionem eius vobis (sic) committere. Ideoque mandamus, quatinus dicto Duce predictis et aliis ecclesiis, villis et hominibus offensis ab eo exhibente satisfactionem super illatis dampnis et iniuriis, sicut illius piacularis flagitii magnitudo deposcit, ac idoneam cautionem de servanda huiusmodi libertate prestante, ipsi iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium impendentes, illud humiliter postulanti, et talem pro modo culpe penitentiam iniungentes eidem, quod tam ipse, quam alii metu pene a similibus arceantur, eum ad observandam libertatem eandem per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, eum si contravenire presumpserit, in excommunicationem pristinam reducentes. Datum apud Criptamferratam (Tusculanensis diocesis) Nonis Augusti. Pontificatus nostri Anno XIIII.

Ex Reg. orig. Tom. VII. ep. 152. fol. 27.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. IV.

LXXV.

Episcopo quondam Mutinensi sedis apostolicae legato, ut in Prussia et terra Culmensi novas dioeceses instituere possit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri . . . Episcopo quondam Mutinensi, penitentiario nostro, apostolice sedis Legato, Salutem et apostolicam benedictionem. Hiis, quae per dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Teutonicorum, et alios Christi fideles facta sunt in Pruscie partibus, divina propitiante potentia, cum exaltatione spiritus intellectis, et considerata terre latitudine ibi per dei gratiam acquisite, tibi apud sedem apostolicam constituto, ut in ipsa Pruscia et coniuncta sibi terra Culmensi possis limitare dioceses, ac eiusdem Pruscie terram per partes dividere, ab eisdem Fratribus et Episcopo vel Episcopis, qui pro tempore in Pruscia et eadem terra Culmensi fuerint, obtinendas, prout tua circumspectio duxerit ordinandum, de fratrum nostrorum consilio auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Anagnie IIII. Kal. Augusti. Pontificatum nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 144. fol. 24.

LXXVI.

Episcopo Prussiae nuntiantur, quae episcopus Mutinensis in erectione novarum in Prusaia et Livonia dioecesium egerit, ipsique, quam earum dioecesium maluerit, eligendi facultas datur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Pruscie, salutem etc. Hiis, que per dilectos filios Fratres Hospitalis sancte Marie Teutonicorum et alios Christi fideles facta sunt in Pruscie partibus, divina propitiante potentia, cum exaltatione spiritus intellectis, et considerata terre latitudine ibi per dei gratiam acquisite, Venerabili fratri nostro . . . Episcopo quondam Mutinensi, Penitentiario nostro, apud sedem apostolicam constituto, in ipsius Pruscie ac Livonie partibus plene legationis officium duximus committendum, eidem in ipsa Pruscia et terra Culmensi limitandi dioceses, ac ipsius Pruscie terram dividendi per partes, de fratrum nostrorum consilio potestatem plenam concedentes. Verum episcopus ipse tres in Pruscia et unam in terra Culmensi dioceses limitavit, ac tres partes fecit de terra Pruscie, quarum duas dictis Fratribus ferentibus preliorum angustias et expensarum onera, quos oportet terram infeudare pluribus, deputavit, ita quod, sive unus episcopus fuerit, sive plures, duas partes terre integre cum omni proventu habeant, et Episcopus vel episcopi tertiam similiter integre habeant cum omni iurisdictione et iure, salvis tamen episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, que non possunt nisi per episcopum exerceri. Verum cum nos limitationem et divisionem huiusmodi duxerimus auctoritate apostolica confirmandas, precipiendo mandamus, quatinus una ipsarum diocesium Pruscie, quam maluis, et parte tertia ipsius diocesis contentus existens, terras vel iura ad partem diocesis, quam eligendam duxeris, pertinentia infeudare, alienare, vel dare absque speciali mandato

sedis apostolice non presumas, sciens, quod quicquid de terra Pruscie, vel terra Culmensi aut ipsius alienasti proventibus, in irritum revocamus, et exnunc inanc decernimus, si quid contra inhibitionem nostram super predictorum alienatione de cetero attemptabis. Si vero diocesim Culmensem elegeris tibi, de ipsa terra Culmensi sufficiat, quod in forma compositionis facte super terra Culmensi per te ac legatum eundem et dictos fratres necnon ipsius terre incolas, plenius continetur. Ceterum temporalia, que tibi episcopatus iure competunt, nomine nostro et Romane ecclesie de ipsius legati manu recipias, te talem, sicut pontificalis dignitas et religiosa requirit honestas, in omnibus redditurus, quod deo et ecclesie sit ad gloriam, tibi redundet ad meritum, et Christi fidelibus de Pruscia veniat ad profectum. Datum Anagnie III. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 115. fol. 18.

LXXVII.

Provincialibus et fratribus ord. Praedicatorum in Polonia, Germania aliisque partibus septentrionalibus, ut crucem contra paganos Prussiae et Livoniae praediceut.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio ... Priori provinciali Fratrum ordinis predicatorum in Alemania, Salutem et apostolicam benedictionem. Qui iustis causis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Ihesu Christi, quanto deus homini preferendus esse dinoscitur, et omnis sibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum sicut relatu fidedignorum percepimus exultantes, conditor omnium in Livonie ac Pruscie partibus dilectorum filiorum Fratrum Hospitalis sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitani, ac aliorum fidelium triumphanti dextera faciente, sit multipliciter exaltatus, et spes sit, quod ibidem magis ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi sue partium earumdem favorem, quem in ipso possumus, impendentes, oportunum illi per devotos ecclesie subsidium procuremus, devotionem tuam rogamus et hortamur in domino, per apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus Priores et Fratres tui ordinis constitutos in Magdeburgensi et Bremensi Provinciis, Ratisponenai, Alberstatensi, Ildesemensi et Verdensi diocesibus huiusmodi negotio, quaque postposita difficultate, deputare studeas, et eosdem attentius exhortari, quod assumpto sancte predicationis officio, propter deum fideles dictarum provinciarum et diocesium ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habere, et ei retribuere aliquid pro omnibus, que tribuit ipse illis, piis exhortationibus secundum datam sibi a deo prudentiam studeant informare, diligenter et sollicite petituri, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros christianos et catholicos cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter et potenter accingant tanquam zelum dei habentes ad ampliandam gloriam crucifixi, et liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi et acturi secundum Fratrum consilia predictorum, ita quod et ipsis premium debeatur eternum, et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Illos vero de provinciis et diocesibus memoratis, qui crucis signaculo in Livonie seu Pruscie subsidium insigniti propter paupertatem seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, a voto crucis absolvant, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subventionem exhibeant per manus eorumdem fratrum in idem subsidium convertendam. Nos enim, ut quod pro nomine redemptoris tam digne deposcitur, effectu facili compleatur, omnes dictorum provinciarum et diocesium in succursum eorumdem fidelium, suscepto propter hoc crucis signaculo, processuros, necnon eorum familiam et bona omnia, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis apostolice admittentes, illis ac aliis, qui iuxta facultatem et qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, necnon qui ad subventionem dictarum Livonie vel Pruscie de bonis propriis congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium servituri, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum illam indulgentiam idemque privilegium elargimur, que transeuntibus et subvenientibus in terre sancte subsidium conceduntur. Preterea, ut prefatum negotium, quo pluribus contingit iuvari remediis, prosperitatis optate suscipiat incrementum, Prioribus et Fratribus per te supradicto negotio deputandis presentium auctoritate concedimus, quod illis earumdem provinciarum et diocesium, qui ad eorum sollempnem predicationem accesserunt, XX. dies de iniuncta penitentia relaxare, ac eorum singulis illuc sumpto propter hoc crucis caractere processuris, qui pro incendiis et iniectione manuum in clericos vel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt,

absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie valeant impertiri: proviso, ut passis dampna et iniurias satisfaciant competenter, illis dumtaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles et enormes, quod merito sunt ad sedem apostolicam destinandi. Datum Anagnie VIII. Kal. Octobris. Anno Primo.

In e. m. scriptum fuit ... Priori provinciali fratrum ordinis predicatorum in Polonia, per Regnum Boemie, Poloniam et Pomeraniam; — Priori provinciali fratrum ordinis predicatorum in Dacia per Regna Dacie, Svetie et Norweie.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori et Fratribus ordinis predicatorum Magdeburgensibus, salutem etc. Qui iustis etc. ut supra usque iniungentes, quatinus in Magdeburgensi, Brandeburgensi, Avelbergensi Civitatibus ac diocesibus, Alberstatensi et Verdensi diocesibus, assumpto sancte predicationis officio, propter deum fideles constitutos in illis etc. usque incrementum, presentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earum Civitatum etc. qui sollempnem etc. ut in alia verbis competenter mutatis. — — In e. m. Eisdem Ildesemensibus per Ildesemensem Civitatem et diocesim; — eisdem Bremensibus per Bremensem et Verdensem Civitates et dioceses; — eisdem Viennensibus per Pataviensem Civitatem et diocesim; — eisdem Alberstatensibus per Alberstatensem Civitatem et diocesim; — eisdem Lipicensibus, Mersburgensis diocesis, per Mersburgensem et Numburgensem Civitates et dioceses, Magdeburgensem, Alberstatensem et Misnensem dioceses; — eisdem Amburgensibus, Bremensis diocesis, per Bremensem, Razeburgensem et Verdensem dioceses; — eisdem Lubicensibus per Lubicensem, Razeburgensem et Swerinensem Civitates ac dioceses, et Verdensem diocesim; — eisdem Ratisponensibus per Ratisponensem Civitatem et diocesim; — eisdem Olomucensibus et Brunnensibus, Olomucensis diocesis, per Olomucensem Civitatem et diocesim; — eisdem Pragensibus per Pragensem Civitatem et diocesim; — eisdem Friburgensibus per Misnensem Civitatem ac diocesim et Numburgensem diocesim; — eisdem Cracoviensibus per Cracoviensem Civitatem et diocesim; — eisdem Wratislaviensibus per Wratislaviensem Civitatem et diocesim; — eisdem de Wisbu Lingacopensis diocesis per Gothlandiam.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 162. et 163. fol. 28.

LXXVIII.

Fratribus S. Mariae Teutonicorum omnia privilegia ac possessiones a duce Poloniae in Prussia concessa pontifex confirmat, nuntiatque eandem terram Prussiae in ius et proprietatem B. Petri suscepisse, ipsisque tradidisse conditione adiecta, ut annuum censum Romanae ecclesiae persolvant.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et Fratribus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Pietati proximum et rationi consonum arbitramur, ut vobis, qui voluptatibus seculi derelictis, tollentes crucem secuti estis dominum crucifixum, omnem, quam deo possumus, favoris gratiam liberaliter impendamus, presertim licet immeriti eiusdem vicem domini geramus in terris, qui sua vestigia sequentibus perempnis vite premia largietur in celis. Sane vestro ralatu didicimus, quod vos ad Pruscie partes, Salvatoris virtute preambula, procedentes, in terra nomine Colmen, quam a christianis longis retro temporibus habitatam, predecessoribus dilecti filii Nobilis viri C. Ducis Polonie dominantibus in eadem, idem Nobilis vobis pro salute sua et fidelium in confinio dictarum partium positorum pia liberalitate donavit, prout in eiusdem privilegio super hoc confecto plene dinoscitur contineri, constructis per vos Castris et Villis non absque multis laboribus et expensis, et Prutenorum impetu divina propitiante gratia refrenato, ac dictorum salute procurata fidelium, quos a multis temporibus afflixerat eorumdem insania Prutenorum, Pruscie partem reddidistis christiano nomini subiugatam. Nos itaque ad instar pie rec. Gregorii pp. predecessoris nostri digne volentes, ut pro acquisitione terre Pruscie eo plenius vester animus invalescat, quo vos et existentes ibidem fidei catholice professores a nobis obtinebitis gratiam specialem, quod a vobis, suffragante exercitu christiano, iam de ipsa terra, auctore domino, noscitur acquisitum, in ius et proprietatem beati Petri suscipimus, et eam sub speciali apostolice sedis protectione ac defensione perpetuis temporibus permanere sancimus, ipsamque vobis et domui vestre cum omni iure et proventibus suis concedimus in perpetuum libere possidendam: te, dilecte in domino fili Gerarde Magister domus eiusdem, Anulo nostro de terra investientes eadem, ita quod ipsa, pro qua fidelitatem sedi apostolice promisisti, per vos aut alios nullius unquam subiciatur dominio potestatis. Que vero in futurum, largiente domino, insistendo defensioni christianitatis de paganorum in eadem provincia vos contigerit adipisci, firma et illibata vobis vestrisque successoribus sub iure ac proprietate sedis apostolice eodem modo statuimus

permanenda. Ceterum in eadem terra dispositioni sedis apostolice reservamus, ut per ipsam, cum vos propitiationis divine munere optata eiusdem terre spatia contigerit obtinere, ac de statu ipsius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de constituendis in ipsa ecclesiis et instituendis ibidem clericis, episcopis et prelatis aliis, necnon de providendo, quod iidem de prefata terra congruam habeant portionem, et quod promissiones ac pactiones, quas presentibus habitatoribus eiusdem terre fecisse noscimini, aut futuris facietis in posterum, a vobis valeant observari, et quod in recognitionem dominii et percepte a sede apostolica libertatis ecclesie Romane Census annuus persolvatur, sicut in domino ad honorem ecclesie ac utilitatem vestram visum fuerit expedire. Nulli ergo etc. nostre protectionis, concessionis et constitutionis etc. Si quis etc. Datum Anagnie Kalendis Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 168. fol. 29.

LXXIX.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut electo Plocensi, non obstantibus quibusdam defectibus, munus consecrationis impendat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Dilectorum filiorum A. prepositi et Capituli Plocensis ecclesie littere nobis exhibite continebant, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, iidem convenientes in unum de futuri substitutione pontificis tractaturi, commiserunt in tres de collegio fidedignos, videlicet dictum prepositum, P. custodem et H. concanonicum ipsorum, eligendi unanimiter potestatem, qui vice omnium providerent viduate ecclesie de ipsius tamen gremio de pastore. Iidem autem habentes pre oculis solum deum, necessitate ac utilitate diligenter pensatis ecclesie supradicte, ascito ad hoc de voluntate Capituli Venerabili fratre nostro . . . Epō Cuiaviensi, eundem custodem, virum providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in pastorem suum et Episcopum concorditer postularunt, in quem universi et singuli pari voto et voluntate unanimi consenserunt, nobis humiliter supplicantes, ut cum sperent, quod dicta ecclesia, que utpote in medio nationis prave et perverse posita, videlicet Prutenorum, ab eis quasi ad nichilum est redacta, possit per diligentie sue studium grata in spiritualibus et temporalibus suscipere incrementa, postulationem huiusmodi admittere de benignitate sedis apostolice curaremus, non obstante, quod, sicut idem custos asserit, pater suus post contractum legitime matrimonium cum matre ipsius ad sacros ordines est promotus, ante quam prohibitionis edictum de non contrahendis a clericis matrimoniis in Polonie partibus emanasset, aut quod preposituram in ecclesia Wadislaviensi adeptam una cum custodia ipsius ecclesie Plocensis detinet absque dispensatione sedis apostolice speciali. Licet igitur ad eandem ecclesiam Plocensem habentes debitum compassionis affectum, dictoque custodi propter sue probitatis merita, super quibus ei perhibetur laudabile testimonium, facere gratiam intendentes, postulationem ipsam, quam examinari fecimus, prout convenit, diligenter, rite alias invenerimus esse factam, volentes tamen in hac parte tibi deferre, qui loci metropolitanus existis, monemus, quatinus non obstante, quod idem custodiam et prepositurarn easdem tempore postulationis huiusmodi detinebat, super quo cum eo de gratia duximus dispensandum, super eo, quod de natalibus eius asseritur, ipsum sue conscientie relinquendo, prefatam postulationem admittens, eique a subditis suis faciens obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, sibi munus consecrationis impendas. Contradictores etc. Datum Lugduni vii. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 177. fol. 139.

LXXX.

Duci Pomeraniae, ut ab vexandis fratribus S. Mariae Teutonicorum desistat.

Innocentius episcopus etc. Nobili viro Swantopolco Duci Pomeranie, spiritum consilii sanioris. Potentie tue robur in eo deberes experiri potissime, quod esset deo placitum, et christiane religionis proferret augmentum: sed tu, sicut mirantes accepimus, contrarium efficere niteris non absque gravi contumelia creatoris, fideles eius et dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum constitutos in terra Culmensi et Pruscie partibus diris affligendo molestiis, et quod est gravius, invadendo multotiens cum paganis. Stupent, qui audiunt tanti erroris excessum, presertim cum omnem tirampnidem, omnem superet feritatem, cum Letoinis et Prutenis familiam redemptoris impetere, et contra peregrinos innoxios dampnate gentis gladium concitare, destruendo negotium fidei, pro quo a longis retro temporibus et ecclesia multum sollicitudinis habuit, et christianus populus cum sui effusione sanguinis

labores multiplices toleravit. Videndum est tibi, vir nobilis, ne propter hoc contra te provoces iram dei, et des apostolice sedi presumendi materiam, quod fidei puritate carcas, et tibi sit in gaudium claves ecclesie deducere in contemptum, sicut patens ex eo coniectura sumitur, quod tu pro afflictione cleri, ecclesiarum desolatione multiplici, ac pro multis horrende impietatis excessibus iam per octo annos, ut asseritur, excommunicatione ligatus redire ad mandatum ecclesie, non curasti. Te itaque per domini Ihesu Christi crucem et sanguinem obsecramus, quatinus omni dilatione et occasione postpositis, ad pium rediens matris ecclesie gremium, negotium Christi, quod in Pruscia geritur, efficaciter habeas commendatum, predictis fratribus et eisdem fidelibus te reddendo affabilem, ac eisdem pro divina et nostra reverentia benevolum prestando favorem, ut ex hoc celi Regem constituas tibi propitium, et apostolica sedes, que Culmensem et acquisitas Pruscie terras in ius et proprietatem beati Petri recepisse dinoscitur, ex hoc tibi ad speciales gratias teneatur. Alias autem, cum non possimus dei causam negligere, qui ius suum studemus unicuique conservare, contra te, quod absit, in talibus persistentem excessibus taliter, auctore domino, procedemus, ut de necessitate percipias, qualiter ecclesia corde tangitur, quod per te fidei negotium sic dampnabiliter perturbatur. Datum Lugduni Kalendis Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 285. fol. 153.

LXXXI.

Henrico ord. Praed. pontifex congratulatur de felici progressu praedicationis suae apud Prutenos, ipsique quasdam facultates pro eis partibus concedit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio fratri Henrico de ordine predicatorum, Capellano Venerabilis fratris nostri Episcopi Sabinensis, apostolice sedis Legato, salutem etc. Digne volentes, ut causa Christi, que in Livonie ac Pruscie partibus agitur, per nostre provisionis auxilium deo propitio prosperetur, tibi ampliationem catholice fidei, sicut a multis asseritur, ex animo diligenti presentium auctoritate committimus, ut hiis de terra Culmensi et Pruscia, qui ad tuam predicationem accesserint, ac etiam qui pro faciendis edificiis, ac fossatis et aliis munitionibus defensioni fidelium dictarum partium oportunis laborem subierint in personis propriis vel expensis, Viginti dies de iniuncta penitentia relaxare valeas, ac illis ex crucesignatis clericis et laicis in terris huiusmodi constitutis, qui pro violenta manuum iniectione in religiosas personas et clericos seculares, ac pro incendiis, et ecclesiarum fracturis seu rapinis excommunicationis laqueum incurrerunt, iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium impertiri, dummodo iniuriam et dampna passis satisfaciant competenter, ac eorum non fuerit gravis et enormis excessus, propter quem merito sint ad sedem apostolicam destinandi. Cum illis autem ex clericis memoratis, qui facti immemores vel iuris ignari excommunicati receperunt ordines et divina celebraverunt officia, prout eorum saluti videris expedire, dispenses. Si vero scienter talia non in contemptum clavium presumpserunt, eis per biennium ab ordinum executione suspensis, et imposita sibi penitentia salutari, eos postmodum ad gratiam dispensationis admittas, si videris expedire. Ceterum Pomeranos et alios, qui propter invasionem Pruscie seu terram Culmensem lata per Venerabilem fratrem nostrum . . . Sabinensem episcopum, tunc in partibus illis apostolice sedis Legatum, excommunicationis sententia sunt astricti, iuxta predictam formam et premisse satisfactionis modum absolvere valeas, nec non ut neophitis et apostatis ad unitatem ecclesie redire volentibus, qui pro eo, quod aliquos ex fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum, vel ex aliis fidelibus peremerunt, aut discrimen alias intulerunt eisdem, sunt excommunicatione ligati, possis iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium impertiri, tibi auctoritatem presentium concedimus facultatem. Datum Lugduni Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex reg. orig. Tom. I. ep. 286. fol. 153.

LXXXII.

Fratribus S. Mariae Teutonicorum et crucesignatis in Prussia, ut paganos Prutenos ac Letonios brachio potenti deprimant.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Preceptoribus et fratribus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum, ac Universis fidelibus christiani exercitus in terra Culmensi et Pruscie partibus constitutis, salutem etc. Turbat cor nostrum quicquid impie in offensam dei presumitur, et in suorum discrimen fidelium nequiter attemptatur, quorum nos patres licet immeriti a conditore omnium constituti, debemus circa ipsos illius provisionis adhibere studium, quod eos et a periculo perditionis eri-

piat, et ipsis materiam prosperitatis acquirat. Sane vestris ac peregrinorum laboribus et tormentis in Polonie partibus viget et proficit christiana religio, que olim quasi finale patiebatur excidium, exposita gladiis Prutenorum, qui licet, triumphantibus vobis, per divini virtutem auxilii multipliciter sint attriti, tamen hoste humani generis suscitante scandalum, ut fructus vestri operis perferat detrimentum, quidam solo nomine christiani, Christum persequentes in vobis, cum ferali Letoinorum ac Prutenorum gente vos, sicut accepimus, immaniter opprimunt, et terram vestri pretio sanguinis acquisitam divino cultui subducere moliuntur. Verum cum dignum sit, ut omni virtute talium reprimatur impietas, et ab incursu discriminis vestra congregatio preservetur, volumus et mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus huiusmodi perfidos christianos, ac Letoinos et Prutenos eosdem, dei causam sic dampnabiliter persequentes, brachio potenti deprimere, et ipsorum infringere cornua vigilanti sollicitudine studeatis, ita quod vos et ceteri terre Culmensis et Pruscie fideles in hiis, que sunt vestre salutis et christiane respiciunt religionis augmentum, semper possitis deo propitiante proficere, ac tandem perempnis glorie bravium obtinere. Datum Lugduni Kalendis Februarii. Anno II.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 287. fol. 153.

LXXXIII.

Archiepiscopo Gnesnensi et suis suffraganeis, ut fratres S. Mariae Teutonicorum contra ducis Pomeraniae insultus protegant, in eumque censuris ecclesiasticis animadvertant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gnesnensi et Suffraganeis suis, salutem etc. Pruscie negotium non solum laboribus plurimis et expensis, sed multa sanguinis innocentis effusione promotum, Nobilis vir Swantopolcus Dux Pomeranie, sicut audivimus et referimus cum dolore, ad illam inconvenientiam deduxisse dinoscitur, ut nisi super illo cito providentia dei provideat, perdi finaliter timeatur: maxime cum idem Dux contra dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum, et alios Christi fideles in terra Culmensi et ipsius Pruscie partibus constitutos, non solum suarum virium experiatur extrema, sed etiam ad illorum exterminium Letoinos aducet et Prutenos, qui licet per dictos fratres et fideles eosdem, suffragante divini virtute subsidii, multipliciter sint attriti, tamen sub huiusmodi persecutoris vexillo feralem animum resumentes, eo durius in familiam dei deseviunt, quo ipsam de finibus illis posse confusam eicere vel delere totaliter meditantur. Ne igitur hic hostis dei et fidei persecutor, abutens christiani nominis dignitate, populum domini sic impune conterere glorietur, Fraternitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus psum et complices eius infra quindecim dies post susceptionem presentium, quod a tanta penitus temeritate desistant, sicut efficaciter poteritis, moneatis. Alioquin ex tunc in eos excommunicationis sententiam, omni occasione postposita, proferatis, quam singuli vestrum in suis Civitatibus et diocesibus singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, publicetis ac publicari sollempniter, et eosdem tamquam excommunicatos usque ad satisfactionem condignam appellatione cessante faciatis ab omnibus arctius evitari. Ceterum si prefatus Dux, qui pro multe impietatis excessibus, sicut dicitur, excommunicatione ligatus, iam per octo annos claves contempsit ecclesie, ad inductionem vestram a predictorum fratrum et fidelium persecutione non duxerit desistendum, vos contra ipsum velut christiani hostem exercitus seculare brachium invocetis. Datum Lugduni Kalendis Februarii. Anno II.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 288. fol. 153.

LXXXIV.

Abbati et conventui Andreovensi Cisterciensis ordinis Cracoviensis dioecesis privilegia a Boleslao duce Cracoviae concessa, insertis eiusdem ducis litteris, confirmantur.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Abbati et Conventui Monasterii Andreovensis Cisterciensis ordinis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Quanto studiosius divine contemplationi vacatis devote domino famulando, tanto quieti vestre libentius cupimus providere, ut eo devotius, quo quietius ipsi domino servientes proficiatis vobis per vite meritum, et aliis per exemplum. Sicut enim ex parte vestra fuit propositum coram nobis, cum nobilis vir Comes Michael Castellanus Cracoviensis libertates et immunitates, ac exemptiones secularium exactionum vobis a clare memorie Kasimero et Lestcone ducibus Cracovie et Sandomirie pia liberalitate indultas, et privilegia super hiis concessa infringere moliretur, vosque super ipsis indebite molestaret, dilectus filius nobilis vir Boleslaus dux Cracovie et

Sandomirie libertates et immunitates ac exemptiones huiusmodi volens, prout spectabat ad ipsum, debita stabilitate manere, eas gratas habuit atque ratas, statuens nichilominus, ut eedem decetero integre ac illibate consistant, prout in ipsius ducis litteris inde confectis perspeximus plenius contineri. Nos igitur vestris devotis supplicationibus inclinati, quieti et indempnitati vestre volentes paterna sollicitudine precavere, quod ab eodem duce pie ac provide factum est in hac parte, ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri faciendo: qui talis est. In nomine domini nostri Ihesu Christi amen. Cum esset controversia coram nobis Boleslao dei gratia duce Cracovie et Sandomirie, et venerabili matre nostra Grimislava, necnon colloquio nostro in Piassech celebrato inter . . . Abbatem de Andreov nomine Monasterii sui ex una parte, et Comitem Michaelem Castellanum Cracovie ex altera nomine Castellanie eiusdem super libertatibus functionum, prestationum vel munerum inferius annotatis, dicente eodem Abbate se habere privilegia ducum, Kasimeri scilicet et Lestconis, super hiisdem libertatibus, idem Comes petiit sibi privilegia a dicto Abbate exhiberi. Cumque sibi exhibita fuissent in colloquio habito in Cracovia, dixit, ea esse falsa et hoc probare se velle. Cumque postmodum in mora longa esset probandi, nec ab infestatione dicti monasterii et eius hominum medio tempore cessaret, nos, qui iniuste oppressis nostre dominationi subiectis, et precipue viris religiosis, quos ampliori gratia et favore complectimur, in sua iustitia deesse non debemus, nec volumus ex officio nostro, eadem privilegia fecimus diligenter examinari, quibus examinatis invenimus ea non cancellata, non abolita, nec in aliqua parte sui vitiata, attento eo, quia maxima ratio est, que pro religione facit, talem pro Monasterio Andreovense super hiisdem privilegiis ferimus sententiam, ut Monasterium de Andreov cum omnibus villis suis et incolis earundem, liberis sive servis, plenaria gaudeat libertate, ut neque strosam, neque povos, neque solutionem boum solvere teneantur, nec ad aliquod castrum construendum ab aliquibus constringantur, nec alicui intersint expeditioni, nec ab aliquo provocentur aut iudicentur, tantum coram nobis per litteras cum sigillo nostro citati de se querelantibus tencantur respondere: et hanc nostram sententiam sic ratam et firmam manere volumus, ut sepefata privilegia decetero necesse non habeant exhiberi. Testes vero, qui presentes fuerunt in prolatione huius sententie, sunt isti. Fulco Archiepiscopus Gneznensis, Prandota Episcopus Cracoviensis, Clemens palatinus Cracoviensis, Michael Castellanus Cracoviensis, Sando palatinus Sandomiriensis, Stephanus Castellanus Sandomiriensis, Abraham Castellanus Viscil, Iohannes Castellanus de Chescov, Adam pincerna Sandomirie, Thomas Thesaurarius Cracoviensis, Nicholaus palatinus de Syraise, Petrus Cantor Sandomiriensis, Voiceslaus agaso Sandomiriensis, Gerca Virbenta, Pribizlaus nutritor ducis, et plures alii: et ne super premissis aliqua valeat in posterum oriri dubietas, presentem cartam duximus sigilli nostri munimine, et sigillatim personarum superscriptarum in testimonium roborandam. Acta sunt hec Anno ab incarnatione domini Millesimo ducentesimo quadragesimo quinto. Datum in Crober mense Maii XVII. Kal. Iunii, indictione tertia. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Lugduni XII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 95. fol. 226.

LXXXV.

Abbati de Mezano nuncio apostolico in Prussia, ut Prutenis conversis omnia privilegia a sancta sede concessa confirmet.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati Monasterii de Mezano, salutem etc. Cum te in Prusciam pro salubri terre illius statu specialiter destinemus, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus universis eiusdem terre paganis, qui ad fidem Christi sponte converti voluerint, omnes libertates, quas fe. re. Innocentius, Honorius et Gregorius Romani pontifices predecessores nostri predicte terre Neofitis concesserunt, ex parte nostra promittas. Datum Lugduni V. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 205. fol. 243.

LXXXVI.

Eidem, ut discordias inter epum Cuiaviensem, duces Poloniae etc. ac ducem Pomeraniae et Prutenos neophitos componat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Abbati Monasterii de Mezano, salutem etc. Cum inter Venerabilem fratrem nostrum . . . Cuiaviensem episcopum, fratres domus sancte Marie Theutonicorum

in Pruscia, Nobiles viros Polonie et Caminensem Duces ex parte una, et Nobilem virum S. Ducem Pomeranie ac Pruscie neophitos ex altera graves discordie sint exorte, volumus, et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eis auctoritate nostra treugas indicas tamdiu observandas ab ipsis, donec mandatum nostrum receperint in hac parte. Contradictores etc. Datum ut supra in proxima.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 206. fol. 243.

LXXXVII.

Archiepiscopo Prussiae, ut Wernerum ex ordine Praedicatorum in episcopum Varmiae instituat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Pruscie, Livonie et Estonie, apostolice sedis legato, salutem etc. Decet per apostolice sedis providentiam provenire, ut qui laudabilis conversationis et vite, ac scientie iuvantur meritis, ecclesiarum regimini preferantur, et tunc precipue quando in personis huiusmodi honor illis impenditur, per quos Romane decus ecclesie promovetur. Cum itaque de dilecto filio fratre Warnero ordinis predicatorum evidentibus agnoscatur indiciis, quod amori virtutum libenter invigilat, et vite studio religiose desudat, cum sit in causa dei et ecclesie fructuosus: Nos dignum arbitrantes et congruum, ut ipsum propter huiusmodi merita, et intuitu Carissimi in Christo filii nostri H. Illustris Romanorum Regis, cui familiaris et carus esse dinoscitur, speciali prosequamur honore, Fraternitati tue precipiendo mandamus, quatinus fratrem eundem, cessante cuiusque dilationis et dificultatis obstaculo, terre Pomeranie, nisi forte tu ibi sedem velis habere propriam, vel terre Warmie, in qua civitas Elbingum nomine fundata de novo dicitur contineri, infra sex menses post susceptionem presentium preficias in episcopum, et accersitis duobus vel tribus episcopis ei munus consecrationis impendas, faciens sibi a subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Alioquin Venerabili fratri nostro ... Episcopo Numburgensi per litteras nostras iniungimus, ut ex tunc ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum Lugduni II. Nonas Octobris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 138. fol. 327.

LXXXVIII.

Episcopo Cracoviensi, ut fideles ad adiuvandum duci Cracoviae et Sandomiriae in expugnandis fidei hostibus adhortetur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Catholice fidei cultum longius latiusque diffundi per orbem continue super omnia cordis nostri desiderabilia cupientes, ad eiusdem augmentum fidei iugi sollertia non cessamus intendere, ac ut proveuire valeat, totius diligentie studium adhibemus, augmentum ipsum per uos et alios omni ope ac opera sollicite procurando. Hinc est, quod cum populus Christianus in Cracovie et Sandomerie partibus frequentibus paganorum insultibus impetatur, propter quod expedit in manu robusta huiusmodi Christi hostibus a christicolis pro christianitatis defensione resisti, et dilectus filius nobilis vir ... Dux partium earumdem pro fide Orthodoxa tuenda, et cultu Christi nominis ampliando, velut eiusdem fidei specialis athleta, contra prefatos hostes indefessa strenuitate decertet, mandamus, quatinus tam per te, quam per alios providos et honestos, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, universos fideles partium predictarum, ut ad resistendum prefatis hostibus, expugnandumque ipsos una cum predicto Duce ferventibus animis potenter et viriliter se accingant, attentis et crebris exhortationibus iuxta gratiam tibi celitus attributam inducas. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis predictarum partium, qui cum Duce prefato personaliter contra huiusmodi fidei inimicos accesserint, veniam iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum suorum peccaminum indulgemus. Datum Lugduni VII. Idus Febr. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 391. fol. 360.

LXXXIX.

Praelatis et baronibus Poloniae et Pomeraniae etc. ut P. cardinalem legatum sedis apostolicae benigne suscipiant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, prioribus etc. tam exemptis, quam non exemptis, per Poloniam et Pomeraniam constitutis, salutem etc. Quia corporali presentia non possumus locis singulis imminere, de hiis, quos in executione plene potestatis assumimus, nonnunquam in partem sollicitudinis destinamus, exemplo eius in-

structi, qui pro salute humani generis de supremis celorum ad ima mundi descendens, discipulos, quos elegit, in universum orbem transmisit omni creature evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, dilectum filium nostrum P. sancti Georgii ad Velum aureum diaconum Cardinalem, virum scientia preditum et morum honestate decorum ac in consiliis circumspectum, ad partes vestras, commisso sibi plene legationis officio, ut evellat et dissipet, edificet et plantet, sicut viderit expedire, duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, Universitati vestre mandamus atque precipimus, quatenus eum, immo potius nos in ipso benigne recipientes, et honorifice pertractantes, eidem tanquam apostolice sedis legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta, et que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo: alioquin sententiam etc. usque auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Lugduni II. Idus Martii. Anno Quarto.

In e. m. Archiepiscopis et episcopis, Abbatibus, prioribus etc. tam exemptis, quam non exemptis, per Regnum Datie constitutis, ... Episcopo Cameracensi, et Abbatibus, Prioribus etc. per Cameracensem Civitatem et diocesim constitutis, Universis Comitibus, Baronibus et nobilibus per Poloniam constitutis, Universis Comitibus, baronibus aliisque nobilibus per Pomeraniam constitutis.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 969. fol. 423.

XC.

P. S. Georgii ad velum aureum diacono cardinali apostolicae sedis legato, universos ecclesiarum praelatos Germaniae, Daciae, Poloniae etc. moneat, ut contra Fridericum Romanorum imperatorem verbum crucis praedicent.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio P. sancti Georgii ad velum aureum diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Etsi ad defensionem catholice fidei et ecclesiastice libertatis omnes, quos christiana discernit religio, teneantur, viri tamen ecclesiastici tam religiosi quam seculares, et presertim ecclesiarum prelati ad id eo amplius sunt astricti, quo ad dominice sortis participium specialius evocati, gravius Ihesu Christi provocari debent iniuriis, et contra persecutores ecclesie sponse vehementius commoveri. Pre cunctis autem tirampnis F. quondam Romanorum Imperator contra deum et predictam ecclesiam persecutionis arma incessanter exercet, qui quanto celsiori hactenus dignitate, ipsa ecclesia operante, prefulsit, tanto in eam crudeliori animadversione desevit, vires potentie sue adversus illam nefanda mentis perversitate convertens, acuendo in interitum eius gladium, quem ab ipsa contra eius vibrandum susceperat inimicos. Ut autem sua prava intentio penitus auctore domino vacuetur, et confringatur sue fortitudinis robur, malignitatis ipsius resistendum est studiis, suique sunt ubique conatus a Christi fidelibus elidendi. Ideoque mandamus, quatenus Universos ecclesiarum prelatos Alemannie, Datie ac Polonie attente moneas et inducas, ut considerato sollicite, quot tribulationum malleis idem F(ridericus) non solum ecclesias, sed etiam totum fere christianum populum flagellavit, et quandiu in viros ecclesiasticos virus suc feritatis effuderit, quodque seviori continue furiat rabie contra eos, propter quod efficax super hiis convenit remedium adhiberi, ad tuendas fidem et libertatem predictas contra ipsius perfidiam, ferventibus animis urgentes adversus eundem F(ridericum) omnesque fautores ipsius crucis signaculum, de divino et nostro auxilio sperantes, assumant, et tam per te, quam per ecclesiarum prelatos, aliosque religiosos et seculares predictarum Alemannie, Datie ac Polonie, quos ad hoc idoneos esse noveris, proponens iuxta datam tibi a deo prudentiam per easdem Alamaniam, Datiam et Poloniam fidelibus verbum crucis, eos, quod pensantes attente iam dicti F(riderici) detestandam nequitiam et propositum execrandum, contra ipsum suscepto huiusmodi signaculo, celeriter et viriliter se accingant, studiosis et sedulis exhortationibus inducere non postponas. Nos enim de omnipotentis dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa, quam nobis licet indignis deus ligandi atque solvendi contulit, potestate omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierunt et expensis, ac eis, qui non in personis propriis laboraverunt. sed in suis dumtaxat sumptibus iuxta facultatem et qualitatem suam idoneos destinaverint bellatores, necnon illis, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis onus istud assumpserunt, illam suorum peccatorum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque immunitate gaudere volumus, que terre sancte succurrentibus in generali concilio sunt concessa. Huiusmodi quoque remissionis concedimus esse participes iuxta qualitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui adversus dictum F(ridericum) et eius fautores de bonis

suis congrue ministrabunt, aut consilium et auxilium impenderint oportunum. Datum Lugduni xv. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 964. fol. 422.

XCI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut clerum Cracoviensem benigne tractet circa fructuum perceptionem.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum ... Decani, et Capituli Cracoviensium fuit propositum coram nobis, quod licet Cracoviensis civitas et diocesis frequentibus hostium insultibus molestentur, propter quod aliqui ex cisdem et quidam alii clerici predicte Civitatis et diocesis non possunt in suis ecclesiis residere, nichilominus tamen tu occasione mandati nostri, quod pro recolligenda medietate proventuum absentium clericorum convertenda in subsidium Imperii Romanie a nobis diceris recepisse, dictos clericos ad participationem medietatis suorum redditum velud absentes pro tua voluntate compellis: quare iidem provideri super hiis a nobis humiliter supplicarunt. Cum igitur afflictis non debeat affiictio superaddi, monemus te, quatenus ab illis clericis, qui ex predicta causa residere non valent, dummodo iidem clerici alibi de sui episcopi, et Capitulorum suorum beneplacito infra eandem diocesim commorentur, nichil omnino exigas, seu permittas exigi occasione subsidii memorati. Datum Lugduni vi. Kalendas Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 862. fol. 408.

XCII.

I. archidiacono Leodiensi nuncio apostolico, ut treugas inter fratres S. Mariae Teutonicorum, duces Poloniae et Caminensem, ac ducem Pomeraniae et neophytos Prussiae indicat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio I. Archidiacono Leodiensi Capellano nostro, sal. etc. Cum inter dilectos filios ... Magistrum et fratres Domus Theotonicorum in Pruscia, Nobiles viros Polonie et Caminensem Duces ex parte una, et Nobilem virum ... Ducem Pomeraniae ac Pruscie Neophytos ex altera graves discordie sint exorte, volumus et presentium tenore mandamus, quatinus eis auctoritate nostra treugas indicas, tamdiu observandas ab ipsis, donec mandatum nostrum receperint in hac parte. Contradictores etc. Datum Lugduni x. Kal. Decembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1030. fol. 554.

XCIII.

Eidem nuntio apostolico in Poloniam, Prussiam et Pomeraniam misso quaedam facultates conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio I. Archidiacono Leodiensi Capellano nostro, sal. etc. Cum te in Poloniam, Prusciam et Pomeraniam pro bono illarum partium statu de fratrum nostrorum consilio duxerimus destinandum, discretioni tue exercendi libere censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum prelatos, in universa Capitula et Conventus, Comites et barones et quoslibet alios nobiles, in Rectores, Ballivos, potestates, consilia, Universitates, populos et quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, publicas vel privatas partium earumdem, cum videris expedire, indulgentia sedis apostolice, si quam habent, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quibuslibet aliis apostolicis vel legatorum sedis eiusdem indulgentiis nequaquam obstantibus, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum Lugduni xiii. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1026. fol. 552.

XCIV.

Gnesnensi et Prussiae archiepiscopis et suis suffraganeis, ut eundem nuncium benigne recipiant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Gneznensi et ... Pruscie Archiep̄is, ac eorum Suffraganeis, salutem etc. Qui corporali presentia non possumus locis singulis imminere, non numquam viros providos et discretos in partem sollicitudinis destinamus, exemplo eius instructi, qui pro salute humani generis de supernis celorum ad ima mundi descendens, discipulos, quos elegit, in universum orbem transmisit omni creature evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, Dilectum filium I. Archidiaconum Leodiensem, capellanum nostrum, virum utique

litteratum, morum honestate decorum et in consiliis circumspectum, acceptum quamplurimum nobis et fratribus nostris sue merito probitatis, ad partes vestras duximus destinandum, committentes sibi in eisdem partibus vices nostras, ut evellat et dissipet, edificet et plantet, sicut viderit expedire. Quia vero ipsum specialis dilectionis brachiis amplexamur, Universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus eum, immo potius nos in ipso benigne recipientes, et honorifice pertractantes, eidem intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta, et que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adhimplendo: alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles etc. Datum Lugduni. XIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 1027. fol. 553.

XCV.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut principes Poloniae a molestandis episcopo et clero Plocensi compescat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Venerabilis frater noster Plocensis episcopus exposuit coram nobis, quod Nobiles viri principes Polonie, non curantes principum eternorum collegio aggregari, homines cathedralium et aliarum ecclesiarum Polonie adeo indebitis exactionibus aggravant et molestant, licet nullam in eos iurisdictionem obtineant temporalem, quod nec suis possunt vacare negotiis, nec eisdem, ut tenentur, ecclesiis debitum impendere famulatum, propter quod prefatus episcopus tam pro se, quam pro aliis earumdem ecclesiarum prelatis coactus est ad apostolicam sedem habere recursum. Cum igitur indignum sit, ut homines ecclesiarum obsequiis deputati ad secularium servitia retrahantur inviti, monemus, quatinus, si est ita, prefatos principes, ut ab huiusmodi exactionibus omnino desistant, auctoritate nostra monere ac inducere procures: quod si monitis tuis in hac parte acquiescere forte noluerint, tu ipsos, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, precipiendo rationabiliter compescas. Datum Lugduni IV. Nonas Iunii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 883. fol. 536.

XCVI.

Alexandro Novogardiae regi pontifex congratulatur de reditu suo ad ecclesiam Romanam, et quod Pleskoviae sedem episcopalem in Latinorum commodum erigere velit; ad eumdemque archiepiscopum Prussiae mittit.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Alexandro Illustri Regi Novogardie, salutem etc. Aperuit dominus oculos tue mentis, et tuis infudit sensibus sui luminis claritatem, quia, sicut Venerabili fratre nostro Archiepiscopo Pruscie, apostolice sedis legato, accepimus intimante, tu quesisti fideliter et invenisti prudenter directionis semitam, per quam sub felici posses compendio ad paradisi ianuam pervenire. Veruntamen cum claves ipsius ianue beato Petro et successoribus eius Romanis pontificibus a domino sint commisse, ita ut nullum per ipsam ingredi patiantur, nisi Romanam ecclesiam matrem nostre fidei recognoscat, et ipsius pontifici Christi vicario prona mente ac alacri spiritu reverentiam studeat debitam exhibere: tu ne ab ipsius ingressu ianue, quod absit, contingeret te repelli, uniri per veram obedientiam tamquam membrum capiti eidem ecclesie devotissime postulasti, in ipsius obedientie signum affectans in Pleskowe Civitate tua latinorum ecclesiam erigere cathedralem. Super quo Salvatori omnium, qui neminem vult perire, immo venditus nos redemit, vivificavit occisus, et multis lacessitus iniuriis honoravit, gratiarum, quas possumus, uberes referimus actiones, ac te tamquam specialem ecclesie filium caritatis brachiis amplectentes, tanto de tua conversione ampliori animi alacritate perfundimur, quanto in remotioribus partibus constitutus suavitatem ipsius ecclesie persensisti, et plures possunt tuo exemplo laudabili ad eandem devotionem adduci. Conforta te ergo, fili benedicte, preteritorum oblitus ad meliora aciem tue considerationis extendens, ut in ecclesie prefate devotione firmus et stabilis perseverans, in ea flores suavitatis producas, ex quibus tibi postmodum fructus proveniet, qui non perit, nec credas, quod obedientia huiusmodi tibi quicquam ingerat gravitatis, cum per eam ab homine nil aliud requiramus, nisi ut deum diligat, et sic in iustificatione procedat, quod exuto corpore mortis huius mereatur iustorum consortio aggregari, ubi fulget lux, quam non capit locus, sapit cibus, quem non minuit edacitas, et heret amplexus, quem satietas non divellit. Ceterum cum prefatus Archiepiscopus tuam cupiat personaliter visitare personam, Serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus ipsum tanquam nobile membrum ecclesie honeste recipias, et benigne pertractes, ac in hiis, que tibi pro tua et subditorum tuorum salute suggesserit, ipsi reverenter

intendere non omittas. Nos autem facultatem tibi concedimus faciendi de consilio ipsius Archiepiscopi construi ecclesiam supradictam. Datum Lugduni XVII. Kal. Octobris. Anno Sexto.

Ex apographo Reg. orig. quod exstat in Biblioth. Reg. Parisiensi Nro. 4039. ep. 137. fol. 12.

XCVII.

Archiepo Prussiae, ut fratrem Henricum S. Mariae Teutonicorum episcopum Varmiensem instituat, eique munus consecrationis impendat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pruscie, Livonie et Eustonie, apostolice sedis legato, salutem etc. Dedisse tibi dicimur nostris litteris in mandatis, ut aliquem ex fratribus clericis hospitalis sancte Marie Teutonicorum, qui pontificali congrueret oneri et honori, cessante cuiuscumque dilationis et difficultatis obstaculo, uni diocesi Pruscie, cum super hoc a dilectis filiis fratribus dicti hospitalis constitutis ibidem requisitus existeres, in episcopum preficere procurares, et accersitis duobus aut tribus fratribus ei munus consecrationis impendens, sibi a subditis faceres obedientiam et reverentiam exhiberi. Contradictores etc. Cum autem nullum adhuc de huiusmodi gratia dicatur commodum provenisse, nos volentes, quod ipsa eis fructuosa reddatur, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus dilectum filium fratrem Henricum de Stratheich sacerdotem ipsius ordinis, virum utique laudabilis conversationis et vite, ac nobis et ecclesie Romane devotum, uni ex diocesibus memoratis, scilicet Warmie, aut alicui alii, siqua ibidem vacat ad presens, vel quamcito vacare contigerit, prompto affectu preficias in pastorem. Et si forte de predicto fratre aliquid interim humanitus eveniret, ad ipsum facias de alio fratre idoneo, qui eisdem fratribus sit acceptus, preceptum nostrum taliter impleturus, ut digna laudibus et favoris augmento propter hoc apud nos tua sinceritas habeatur. Alioquin ex nunc decernentes irritum et inane, si quod in hac parte contra beneplacitum nostrum contigerit attemptari, Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Coloniensi per litteras nostras iniungimus, ut super hoc iuxta formam tibi traditam mandatum apostolicum exequatur. Contradictores etc. Datum Lugduni III. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex eodem apographo ep. 348. fol. 137.

XCVIII.

Episcopis regionum septentrionalium, ut, si ab archiepiscopo Prussiae requisiti fuerint, Henrico ex ord. Praedicatorum ab ipso in episcopum terrae Iatwesoniae praefecto, munus consecrationis impendant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ad quos littere iste pervenerint, salutem etc. Cedit ad dei gloriam et honorem, quod tales custodes in ipsius vinea preferantur, qui sibi per vite meritum et aliis proficiant per exemplum. Sane sicut accepimus, Venerabilis frater noster . . . Livonie ac Pruscie archiepiscopus, apostolice sedis legatus, prudenter attendens laudabilem conversationem et scientie merita dilecti filii fratris Henrici ordinis predicatorum, qui una cum eo pro negotio fidei et ecclesie diligenter et fideliter laboravit, considerans quoque, quod terra Iatwesonie per ipsius fratris industriam in spiritualibus et temporalibus, auctore domino, laudabilia suscipere poterit incrementa, eundem fratrem predicte terre, prout auctoritate litterarum nostrarum ad dictum archiepiscopum spectabat, prefecit in Episcopum et pastorem. Cum autem idem archiepiscopus extra suam provinciam sit eiectus, nec in aliena permittatur dictum fratrem in Episcopum consecrare, fuit ex parte predicti fratris nobis humiliter supplicatum, ut sibi faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente, mandantes, quatinus quicumque vestrum super hoc ab eodem archiepiscopo per ipsius litteras fuerit requisitus, memorato fratri, convocatis aliquibus de vicinis epis, munus consecrationis impendat. Datum Lugduni III. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex eodem apographo ep. 447. fol. 197.

XCIX.

Fratribus S. Mariae Teutonicorum compositio inter ipsos et archiepiscopum Prussiae inita confirmatur.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Teutonicorum in Pruscia, salutem etc. Ea, que iudicio vel concordia etc. usque communiri. Sane cum inter vos ex parte una, et Venerabilem fratrem nostrum . . . Archiepiscopum Livonie et Pruscie super

diversis articulis ex altera questio suborta fuisset, tandem mediantibus Venerabilibus fratribus nostris P. Albanensi et W. Sabinensi Episcopis, et dilecto filio nostro I. tituli sancti Laurentii in Lucina presbitero Cardinali, amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in litteris inde confectis, et signatis Episcoporum et Cardinalis eorumdem ac utriusque partis sigillis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati compositionem ipsam provide factam, et ab utraque parte sponte receptam, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum fecimus annotari: qui talis est. Petrus miseratione dei Albanensis et Guilielmus Sabinensis episcopi, et Iohannes eadem gratia tituli S. Laurentii in Lucina presbiter Cardinalis, Universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, Salutem in nomine Ihesu Christi. Noverit Universitas vestra, quod inter Venerabilem patrem Albertum Archiepiscopum Livonie et Pruscie, ac dilectos nobis in Christo Th. Magistrum et fratres Hospitalis sancte Marie Teutonicorum in Pruscia et Curonia, mediantibus nobis, super diversis articulis questionum et iurium in hunc modum amicabilis compositio intervenit. Primo quidem, quod omnes iniurias et dampna illata Archiepiscopo et sue familie a fratribus, et e converso ipsi pro se et suis familiis sibi ex corde puro ad invicem penitus remiserunt, et idem Archiepiscopus permittet fratres ipsos redemptiones votorum libere accipere, sicut actenus perceperunt, et sicut eis per litteras apostolicas est indultum, et ipse Archiepiscopus in quibuscumque potuerit, predicando et consulendo crucis et fidei negotium, quod per eosdem fratres in partibus illis agitur, diligenter et fideliter promovebit, nec impugnabit de cetero, aut per aliquem impugnari faciet privilegia et libertates fratribus ab apostolica sede concessa; sed eos libere absque contradictione illis uti permittet, omnia ea rata habendo, quecumque per Venerabilem patrem G. Sabinensem quondam Mutinensem episcopum, tunc in supradictis partibus apostolice sedis legatum, per interpretationem vel alio quocumque modo ordinata existunt. Consentit etiam et expresse ratum habet, ac semper habebit idem Archiepiscopus, quod predicti fratres duas partes terrarum cum decimis habeant in partibus Pruscie et Curonie. Similiter facient fratres de gratiis et indulgentiis ab apostolica sede concessis eidem Archiepiscopo extra Curoniam et Prusciam, qui iurisdictionem Archiepiscopalem per totam suam provinciam libere exercebit: nec idem Archiepiscopus procurabit aliquid malum fratrum ipsorum per se vel per alios litteris, opere, vel sermone, nec umquam cum aliquo vel aliquibus christianis, vel paganis societatem contrahet vel amicitiam contra eosdem fratres. Sepedicti autem fratres memoratum Archiepiscopum, sicut convenit et iustum fuerit, honorabunt, nec contra iustitiam fovebunt excommunicatos et denuntiatos ab ipso; sed vitabunt eos, sicut de iure fuerit faciendum. Preterea si pagani alicuius terre ad fidem converti voluerint, idem Archiepiscopus cum episcopis et fratribus supradictis eos comiter et benigne suscipiet sub conditionibus tolerabilibus et honestis, in quorum receptione, si copia predicti Archiepiscopi haberi non possit, fratres loco ipsius aliquem de suffraganeis eius assumant, qui cum ipsis fratribus negotium prosequatur, Salvis tamen in omnibus supradictis privilegiis et indulgentiis ipsis fratribus ab apostolica sede concessis. Pro hiis autem omnibus fideliter adimplendis, et in perpetuum firmiter observandis partes hinc inde in presentia nostra se fide prestita corporaliter astrinxerunt. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presens scriptum sigillorum nostrorum munimine cum sigillis partium fecimus roborari. Actum Lugduni Anno domini M.CC.LI. sexto Kalendas Martii. Pontificatus domini Innocentii pp. IIII. Anno VIII. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Lugduni VII. Idus Martii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 486. fol. 68.

C.

Episcopo Olomucensi, ut predictam compositionem observari faciat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Olomucensi, salutem etc. Sua nobis dilecti filii . . . Magister et fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Pruscia petitione monstrarunt, quod cum inter ipsos ex parte una, et Venerabilem fratrem nostrum . . . Archiepiscopum Livonie ac Pruscie super diversis articulis etc. ut supra usque continetur. Cum itaque nos compositionem ipsam provide factam, et ab utraque parte sponte receptam ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica duxerimus confirmandam, mandamus, quatinus eandem compositionem facias iuxta tenorem litterarum ipsarum auctoritate nostra, appellatione remota, inviolabiliter observari, Non obstante, si aliquibus sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per litteras apostolicas,

que de indulgentiis huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem. Datum Lugduni VII. Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 487. fol. 68.

CI.

Episcopo Culmensi, ut decimam ecclesiasticam in regno Lithoviae moderate exigi curet.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... episcopo Culmensi, salutem etc. Exquisite diligentie studium plantis adhibendum est teneris, ut profundis firmate radicibus in altum facilius proficere valeant, et desideratam ubertatem fructuum successiva fecundatione producant. Sane de Carissimo in Christo filio nostro Mindowe Illustri Rege Lithovie spiritu exultante percepimus, quod cum ipse olim in erroris devio constitutus conditoris omnium notitiam non haberet, se numero aggregari fidelium fecit per baptismatis sacramentum, pie sine intermissione desiderans, ut numerosa paganorum multitudo sibi subdita christiane professionis titulo decoretur. Quia vero gens huiusmodi olim solita lege nature vivere, divinis institutionibus et preceptis aut canonicis sanctionibus servandis non potest de facili sic plene animum applicare: Nos paterno volentes affectu, ut ipsa, quousque sibi firma soliditas in predicte religionis cultu proveniat, spiritualis lactis poculo foveatur, mandamus, quatinus ... Episcopo et prelatis ac Rectoribus ecclesiarum, qui fuerint in Lithovia constituti, auctoritate nostra districte precipias, quod in exigendis ac percipiendis decimis circa predictum Regem ac eiusdem subditos ita se habeant, ut ipsa sub onere ac iugo domini non pressure aut asperitatis tedium, sed lenitatis ac suavitatis invenisse solatium gratulantes, scandalo perturbari non valeant, nec a bono proposito revocari. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles auctoritate nostra, monitione premissa, appellatione remota compescas. Non obstante, si aliquibus est indultum etc. Datum Mediolani Idibus Iulii. An. VIIII.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 6. fol. 113.

CII.

Rex Lithoviae (Lithuaniae) in beati Petri tutelam suscipitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio... Illustri Regi Luthawie, salutem etc. Multa cor nostrum est super eo iocunditate perfusum, quod dei et redemptoris nostri Ihesu Christi benignitas super te suam faciem illustrando, tibi misericorditer inspiravit, quod te olim in tenebris positum cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam divini nominis regenerari fecit per unde gratiam baptismalis. Quia vero per solemnes ac speciales nuncios nobis humiliter supplicasti, ut te admittere in specialem filium sancte Romane ecclesie, ac paterna benevolentia prosequi deberemus: Nos tuis iustis desideriis, que digna favore plenissimo reputamus, affectu benevolo annuentes, Regnum Luthawie, ac terras omnes, quas per divine virtutis auxilium iam eripuisti de infidelium manibus, vel eripere poteris in futurum, in ius et proprietatem beati Petri suscipimus, et ea cum... uxore, filiis et familia tuis sub protectione ac devotione sedis apostolice permanere sancimus, districtius inhibentes, ne quis te in fide sedis apostolice persistentem super prefatis Regno et terris temere impedire seu molestare presumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre protectionis, constitutionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Mediolani XVI. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 1. fol. 113.

CIII.

Episcopis Osiliensi et Curoniensi, ne regem Lithoviae christianam religionem amplexum molestari patiantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratribus... Osiliensi et... Curoniensi Episcopis, salutem etc. Multa cor nostrum etc. ut in epistola proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque molestare presumat. Quocirca mandamus, quatinus dictum Regem non permittatis super hiis contra protectionis, constitutionis et inhibitionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, Molestatores huiusmodi etc. Non obstante, si aliquibus sit indultum, quod suspendi vel interdici, aut excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis etc. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum ut supra. Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 2. fol. 113.

CIV.

Episcopo Culmensi, ut Lithoviae regi diadematis regalis honorem conferat.

Innocentius episcopus etc. Ven. fratri... Ep̃o Culmensi, sal. etc. Multa cor nostrum est super eo iocunditate perfusum, quod dei et redemptoris nostri Ihesu Christi benignitas super Carissimum in Christi filium nostrum Mindowin Illustrem Luthowie Regem suam faciem illustrando, sibi misericorditer inspiravit etc. ut supra usque annuentes, mandamus, quatinus accersitis aliquibus ecclesiarum prelatis et religiosis personis dictum M. (in) totius Lithowie, ac terrarum omnium, quas per divine virtutis auxilium iam eripuit de infidelium manibus, vel eripere poterit in futurum, autoritate nostra corones in Regem, et sibi ab omnibus constitutis ibidem tamquam Regi catholico, super omnibus diligenter intendi facias, que spectare ad dignitatem regiam dinoscuntur; ita tamen, quod ipse ac successores sui Regnum predictum, ac prefatas terras, que ad suarum precum instantiam in ius et proprietatem beati Petri suscepimus, se ab apostolica sede tenere perpetuo recognoscant Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas, non obstante, si aliquibus sit indultum etc. usque mentionem etc. Datum Mediolani xvi. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 3. fol. 113.

CV.

Episcopo Culmensi, ut ecclesiam cathedralem erigendam in Lithovia curet, eique episcopum praeficiat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Culmensi, salutem etc. Ad hec semper nostri cordis aspirat affectio, ut sicut omnis terra dei maiestate repletur, sic et ubique notitia sui gloriosi nominis habeatur. Sane per inspirationis sue gratiam iam provenisse percepimus, quod Carissimus in Christo filius noster Mindowe Illustris Rex Luthowie, olim in tenebris positus, cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam divini nominis regenerari se fecit per unde gratiam baptismalis. Quia vero tam pia et clara Regis eiusdem merita nos inducunt, ut ipsius iusta desideria favore benevolo compleamus: nos de tua circumspectione confisi presentium tibi auctoritate committimus, quatinus virum honestum et providum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, qui pontificali conveniat oneri et honori, predicte Lithowie auctoritate nostra preficias in episcopum et pastorem, ac duobus vel tribus accersitis episcopis, sibi munus consecrationis impendas, prius tamen a predicto Rege optimo terre solo pro fundanda cathedrali ecclesia, et honorabilibus ac decentibus dotibus assignatis, cui licitum esse volumus, ut quotiens oportunum fuerit, terram ipsius Regis visitet, et cuncta ibidem exerceat, que non possint nisi per episcopum exerceri. Ceterum postquam de prefato episcopo, quem soli Romano pontifici volumus subiacere, provisum fuerit iuxta mandati nostri tenorem, tu ab ipso fidelitatis solite iuramentum nostre et ecclesie Romane nomine recipias iuxta formam, quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas nobis per proprium nuncium quantocius destinare procures. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles etc. Non obstante, si aliquibus etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 4. fol. 113.

CVI.

Rigensi, Tarbatensi et Osiliensi ep̃is, ut regi Lithoviae in convertendis infidelibus ad religionem christianam efficaciter assistant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Rigensi, ... Tharbatensi et... Osiliensi Ep̃is, salutem etc. Spiritu exultante percepimus, quod inspirationis divine gratia faciente, Carissimus in Christo filius noster Mindowe Rex Luthowie, olim cum numerosa infidelium multitudine existens in perfidie tenebris, se ad divini nominis gloriam regenerari fecit per unde gratiam baptismalis. Cum itaque dicti Regis ad hoc ferventer aspiret affectio, ut per suffragium sancte Romane ecclesie ad viventis dei notitiam multitudo circumstantium paganorum, adhuc manens in erroris devio, convertatur: fraternitatem vestram attente rogandam duximus et monendam, mandantes, quatinus eidem Regi super conversione vel subiugatione infidelium huiusmodi obtinenda, necnon super invasoribus seu quibuscumque terre sue molestatoribus compescendis spirituali et temporali districtione una cum dilectis filiis... Magistro

et fratribus hospitalis sancte Marie Theuthonicorum in Livonia manentium, sicut efficacius poteritis, assistatis. Non obstante etc. Datum Mediolani VII. Kalendas Augusti. Anno Nono.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 5. fol. 113.

CVII.

Universis Christi fidelibus per Poloniam, ut Tartarorum incursionibus viriliter obsistant et vexillum crucis sumant.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus per Poloniam constitutis, salutem etc. Cum ad aliorum simus custodiam, disponente domino, licet immeriti deputati, sollicitudinis nostre interesse dinoscitur non tam manifesta, quam suspecta vereri pericula, cordaque fidelium, ne preoccupari ab eis subito valeant, non sine multa instantia propulsare, ut sic prudenter se preparent, et contra ipsa providentie clipeo viriliter se accingant, ut si aliquando, quod absit, ex insperato ingruerint, ab ipsis ferantur facilius minusque noceant utpote iam previsa. Porro plagam, quam repentinus Tartarorum adventus in nonnullis christianitatis partibus crudeliter intulit, dolentes referimus, eoque magis ipsius reminiscimur lacrimosi, quo etati, persone ac sexui minime deferens, multis Christicolis per eosdem Tartaros letaliter est inflicta. Verum licet ipsorum recessus ab illatis molestiis vobis aliquod intervallum temporis indulserit respirandi, quousque tamen in eiusdem ianuis christianitatis habentur, tamquam ad vos aditus deinceps eis non pateat revertendi, non debetis ymaginariam vobis securitatem promittere, ex qua possit vobis grave ruine dispendium de facili provenire. Sane nuper Carissimo in Christo filio nostro Rege Ruscie illustri, quem loci vicinitas suorum secretorum plerumque reddit participem, per litteras suas accepimus, referente, prefatos Tartaros fore paratos ad delendas reliquias, quas divina benignitas in plerisque locis propter fuge presidium ab ipsorum clementer manibus liberavit, et ipsius vicinia christianitatis vesano spiritu, nisi deus eis restiterit, conculcanda, propter quod ne tam infelicis propositi preconceptum sortiatur effectum, ne feralis impetus in multorum debachetur excidium obsistentium robore non repressus, interest vestra precipue, qui prioribus ipsorum incursibus estis expositi, sic disponi, quod per vos eorum conatibus, ne cervicosa ipsorum amplius invalescat superbia irretunsa, acie viriliter resistatur. Aliter eidem reipublice ac vestro detrimento non parum accederet, si vobis negligentibus et eis non obserantibus hostium, cum possitis, ipsos ad alios christianos pestiferum per vos contigerit habere progressum. Ceterum etsi in tam discriminoso belli congressu arma materialia utiliter requirantur, non sunt tamen postponenda, immo preferenda salutifere crucis insignia, ut vos athlete Christi eis laudabiliter insigniti, cui duci deserviatis, evidenter appareat, ac per eius virtutem, in qua Christus debellavit aereas potestates, ipsorum Tartarorum adversitas mirifice vobis cedat. Non videtur itaque prestolandus buccine clangor, non invitatis suggestio creditur opportuna, ut in tanto necessitatis articulo ad prelium hoc vos excitet preliandum, cum in vobis extimemus illius vigere rationis iudicium, quod, nullo etiam vos ad id invitante, maturato presidio casibus curabitis occurrere tam votivis. Verumtamen ne salutem vestram videamur negligere, ac sanguis vester requiratur a nobis gerentibus speculatoris officium, si eum, nobis tacentibus, gladius effuderit impiorum, dilectum filium... Abbatem de Mezano, virum morum honestate conspicuum, preditum scientia literarum, ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, ad vos, commisso sibi plene legationis officio, provide duximus destinandum, ut inibi, auctore domino, tanquam diligens cultor agri dominici evellat et destruat, dissipet, edificet, et plantet, prout sibi dominus ministrabit, ut per se et alios, quos ad hoc idoneos noverit, in sapientia spiritus sancti divinitus attributa vobis contra ipsos Tartaros, ac etiam alios Paganos, christianorum sanguinem non minus eisdem Tartaris sitientes, predicans verbum crucis, ipsius insigni caractere vos studeat premunire. Monemus itaque universitatem vestram attentius et hortamur in domino, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatenus ipsum tanquam legatum sedis apostolice, immo personam nostram in eo recipientes hylariter et honeste tractantes, ipsius salubribus monitis et mandatis pronis mentibus obedire curetis, que inter vos statuenda duxerit, tanquam filii benedictionis firmiter observantes: alioquin sententias, quas rite tulerit in rebelles etc. Ut autem nichil omnino desit ad tam salubre negocium prosequendum, omnibus, qui ab ipso commoniti contra predictos Tartaros receperint signum crucis, illam suorum peccatorum veniam illudque privilegium elargimur, que accedentibus in terre sancte subsidium conceduntur. Datum Asisii II. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

In e. m. Universis Christi fidelibus per regnum Boemie, Moraviam, Sarbiam (?) et Pomoraviam

constitutis etc. Cum ad aliorum etc. usque premunire. Tollat ergo fidelis quilibet crucem suam sequens in splendore armorum domini vexillum glorie summi Regis, ad huiusmodi saltem abolendam verecundie maculam, que vobis ascribitur, quod nunc miserabiliter infidelibus terga datis, quibus nomen vestrum esse terribile consuevit. Ut autem nihil etc. ut supra usque in finem.

In e. m. archiepiscopis et episcopis et aliis universis Christi fidelibus per Rusciam constitutis.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 931. fol. 308.

CVIII.

Abbati de Mezano legato sedis apostolicae, ne principes Poloniae ab aliquibus molestari patiatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati de Mezano apostolice sedis legato, salutem etc. Licet apostolatus officium nos universis constituat debitores, illis tamen specialius et efficatius adesse nos convenit, qui nullo medio subesse sedi apostolice dinoscuntur. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum Nobilium virorum Principum Polonie fuit propositum coram nobis, progenitores eorum, postquam christiane fidei notitiam habuerunt, eidem sedi solummodo subiecti fuerint, et ipsi adhuc existant, et in signum subiectionis huiusmodi censum, qui denarius sancti Petri vulgariter appellatur, iidem et habitatores Polonie ipsi sedi annis singulis persolverint hactenus et persolvant: mandamus, quatinus eisdem Principibus et habitatoribus per te vel per alium efficaciter presidio defensionis assistens, non permittas eos ab aliquibus molestari, siquas infeudationes, distributiones aut occupationes de terra Polonie inveneris, tam a Carissimo in Christo filio nostro W. Rege Romanorum Illustri, quam ab aliis factas, denuncies auctoritate nostra per te vel alium aliquatenus non valere, Molestatores et contradictores, siqui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus aliquibus litteris super hoc a sede apostolica impetratis vel impetrandis, seu si aliquibus de partibus illis est ab eadem sede indultum, quod excommunicari sive suspendi, aut eorum terre interdicto supponi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, seu de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Asisii xvi. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 693. fol. 271.

CIX.

Eidem, ut cum consensu ducum Lanciciae et Cracoviae terras paganorum vicinis dioecesibus annectere possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati de Mezano apostolice sedis legato, salutem etc. Dilecti filii Nobilis viri . . . Ducis Lanchitie et Cuiavie devotis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus terram, que Galens dicitur, et omnes alias terras Paganorum, quas sibi possunt subiugare, si non sunt infra diocesium aliquarum limites, annectere studeas cum eiusdem Ducis consensu episcoporum diocesibus vicinorum, prout melius et utilius videris expedire, Contradictores etc. Non obstante, si aliquibus de partibus illis a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi etc. usque mentionem. Datum Asisii xiii. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno X.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati de Mezano apostolice sedis legato, salutem etc. Dilecti filii Nobilis viri . . . Ducis Cracovie devotis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus terras paganorum etc. ut in alia per totum. Datum Asisii xiii. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 732. et 733. fol. 275.

CX.

Ducibus Lanciciae et Cracoviae, ut paganorum ad fidem conversurorum terras sub sua protectione ac dominio recipere possint.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro . . . Duci Lanchitie et Cuiavie, salutem etc. Cum sicut te intimante accepimus, quidam pagani terre, que Polexia vulgariter appellatur et adiacet terre tue, parati sint ad fidem christianam converti, dummodo ipsos sub dominio et protectione tua recipias temporali, eis libertate servata: nos ipsorum paganorum conversionem nolentes pretextu alicuius obstaculi, quod vitari valeat, retardari, presentium tibi tuisque successoribus auctoritate concedimus, ut dicte terre paganos sub tua possis protectione recipere ac dominio retinere, si sponte propter hoc velint fidem Christi recipere per baptismum, Non obstante, quod fratribus Domus Theutonicorum

tota terra Pruscie, quam gladio sibi subiugare poterint, dicitur esse ab apostolica sede concessa, cum sponte, non coacti gladio, velint ipsi pagani, ut dictum est, ad fidem christiani nominis convolare. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Asisii XIIII. Kal. Iunii. Anno Decimo.

In e. m. Nobili viro Duci Cracovie. Cum sicut te intimante accepimus, quidam pagani terrarum, que sunt contigue terre tue, parati sint ad fidem christianam etc. usque in finem.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 741. fol. 276.

CXI.

Archiepiscopo Prussiae, ut votis regis Lithoviae satisfaciens, in eius regno virum idoneum in episcopum instituere possit.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Livonie ac Pruscie, salutem etc. Carissimus in Christo filius noster . . . Illustris Rex Lethovie de novo conversus ad cultum fidei christiane ferventer in voto gerere dicitur, quod episcopalis sedes in suis partibus habeatur, maxime cum ipse cathedralem ecclesiam in expensis suis de uovo erigere sit paratus, ac ipsam dotare magnifice pro dei gloria et honore. Nos itaque piis eius desideriis annuentes, fraternitati tue, de qua in domino fiduciam specialem gerimus, per apostolica tibi scipta mandamus, quatinus personam providam et honestam, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectam, que sit accepta dicto Regi, cum super hoc ab ipso requisitus extiteris, cidem ecclesie auctoritate nostra preficias in Episcopum et Pastorem, et associatis duobus vel tribus convicinis episcopis, ei munus consecrationis impendas, faciens sibi a subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contra recepturus ab eo postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus inclusam. Forma autem iuramenti etc. usque procures. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, siquid super contra mandati nostri tenorem contigerit attemptari. Datum Asisii VIII. Kal. Iulii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 788. fol. 283.

CXII.

Canonizatio sancti Stanislai episcopi et martyris Cracoviensis adscripti cathalogo sanctorum cum eiusdem festivitatis institutione pro die VIII. Maii.

Innocentius episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, et aliis ecclesiarum Praelatis, ad quos littere iste pervenerint, salutem etc. Olim a gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, et ab eorum cordibus infidelitatis gelide hyeme secedente, vernalis ex eo successit amenitas redolentium florum venustate decora, quod ecclesie prius deserte ac sterili filii devotione precipui valloque constantie premuniti nascuntur, qui ut flores primevi et diffusam spirant suavitatem odoris et uberioris per dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis: sicque filiorum sibi multitudine proveniente innumera, suique loco a mari usque ad mare tentorii dilatatio infra ipsius invaluit terminos, vox turturis gemitus ac doloris, dum seva mitesceus tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis, ad lamenta penitentie, suffragante illo, cuius stupeuda sunt opera, mirifice se convertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa ecclesia, que probrose detrimenta sterilitatis abiciens, salubris iucremeuta fertilitatis suscepit ac nuptiali federe nunc illi gratiosa coniungitur, a quo, priusquam esset assumpta de gentibus, invenerat se desertam. Letetur igitur, emuleque sue de terrestri etiam eiecte Hierusalem, Synagoge videlicet, dudum sibi huiusmodi sterilitatis incommoda impingenti secura respondeat, quod iam sue prolis fecunditate celestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, et que antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipsa sue universitatis illustrabit presentia, felici postmodum perfectione sui atque integritate gaudente. Porro ne huiusmodi exuberante letitia, quispiam in valle miserie, morientium terra, requiem posset sibi polliceri continuam, cuius vita est adversus inimicorum ingruentia bella, exterorum castra, militia super terram, ac ne predicta ecclesia, que mater est cunctorum fidelium, materne conditionis expers existeret, si solitas, presertim in partu quorumdam filiorum suorum, matrum parientium molestias non subiret, interdum instauratur quodammodo sibi adversitas opportuua, sicut in passione pie memorie beati Stanislai Cracoviensis episcopi, cuius meritis prefata refulget ecclesia, patuit evidenter.

Cum enim idem in sortem pontificalis ministerii digne vocatus a domino super gregis sibi commissi prudenter custodiam vigilaret, hostium sagaciter exploravit insidias, malignantium anticipavit consilia, emulique nostri deprehendens laqueos, ipsius caute retiacula dissolvebat. Hic nempe pro suis

ovibus cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo, ut si quem gravi forte deprehenderet tentatione concussum, mox uberc consolationis adhibito cum crigeret desolatum, et quem in bono proficientem adverteret, eum gratulationis ubere protinus confortaret, ut non minus per hoc deficientibus quam proficientibus subditis se claris indiciis ostenderet esse matrem. Verum cum non sine interne mentis angustia: Regem Polonorum nomine Boleslaum in tantum horrendis voluptatibus subici, carnisque nefandis illecebris cerneret enervari, ut in passiones ignominie traditus, et inhumanis contumeliis afficiens corpus suum, mulierum mamillis avulsis, propriis exinde liberis catulos apponeret miserabiliter educandos, ne execrandam fovere malitiam et iniquitati eiusdem Regis videretur prefatus pontifex per dissimulationem favere, postquam ipsum a premissis flagitiis sedula et paterna correctione evocare non potuit, in ipsum consulte medicinalem Petri gladium exercuit in spiritu lenitatis, sperans, ut percussus dolens ad percutientem se in humilitate rediret dominum exercituum suppliciter requirendo.

Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens et increpationem abhominans, discipline imo malleum velud stipulam reputans, non solum nulla penitudine se correxit; verum etiam ad peiora in sue damnationis cumulum provocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iussit pontificalibus indutum antistitem per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari.

Sed ipsi, quotiens in eum irruere tentant, totiens compuncti, totiens mansuescunt prostrati. Et tunc idem Rex sue inseviens impetuosus tyrannidi, manus in eum convertit sacrilegas, sponsum e gremio sponse, pastorem abstrahit ab ovili, patrem inter filie amplexus, et filium in visceribus pene obtruncavit maternis, faciens irritatus atrocitate ferali ipsius proh dolor! corpus inhumaniter in frustra concidi, velud singulis membrorum partibus pene inflictio deberetur.

Sed ille, apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus huius sanctissimi corporis partes splendoribus illustravit, verum etiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum suarum presidio miraculose a ferarum morsibus preservavit. Gustato denique acerrimo ob zelum iustitie calice passionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur consumptus, ecce ut lucifer oritur, et quasi meridianus fulgor in firmamento consurgit, propter quod eius faciem nonnulli in suis necessitatibus devotissime deprecantur. Ipse quidem defossus securus dormit, requiescit, et non est, qui iam ipsum exterreat. Nec mirum, quia civitatem illam honoris et glorie corona insignitus inhabitat, ubi est mansio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens, quod delectat.

Verum ne militans ecclesia de tali ac tanto patrono sic atrociter sibi subtracto inconsolabiliter quasi gemitus singultuosos emitteret, si beneficiorum ipsius affluentia eam non contingeret sepius delectabiliter irrigari, ecce gloriosus in sanctis suis dominus, volens eiusdem patris plenitudinem gloriose indiciis exprimere manifestis, et prestolanti ecclesie grata conferre super hoc recreationis remedia, tot et tantis fecit ipsum famosis miraculis coruscare, de quibus facta nobis et fratribus nostris, prout debuit, per testes idoneos plena fides extitit, quod eius inter sanctos ceteros implorare subsidium reputavimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cecis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis cerebri robur, et demoniacis immundis ab eis eiectis spiritibus corporum requies, ad eius invocationem nominis celesti dextera subito conferuntur.

Propter quod, ne huiusmodi rutilantem lucernam sub modio periculose abscondi contingeret, quam idem dominus tot mirificis signis recte disposuit super ecclesie candelabrum honorifice collocari: presertim cum ex hoc ignorantium deum propellantur tenebre, confundatur perversum hereticorum dogma et fidelium beata credulitas augeatur, nostrorum fratrum, nec non et prelatorum tunc apud sedem apostolicam existentium communicato consilio, predictum beatum Stanislaum episcopum digne sanctorum cathalogo duximus adscribendum.

Quocirca Universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus VIII. Idus Maii, die videlicet, quo mortis absolutus vinculo, victurus perempniter ad fontem superne prodiit voluptatis, festum eiusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis et faciatis sollempniter celebrari, ut id vobis de thesauris cclestibus eius pia intercessione proveniat, quod ipse, prestante Christo, percepisse dignoscitur, et possidere perpetuo gloriatur.

Ceterum, ut Universitati fidelium invisibilis aule consequendi delicias ex concessa nobis potestate, desuper propitiante domino, sit facultas, quinimmo et ut nomen exaltetur altissimi, si sponte suam venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus frequentari, omnibus vere penitentibus et con-

fessis, qui ad dictam sepulturam in memorato festo et usque ad octavam ipsius causa devotionis accesserint annuatim, ipsius suffragia petitnri, de omnipotentis dei etc. unum annum et XL. dies, accedentibus vero annis singulis ad predictam supulturam infra einsdem festi qnindenam, XL. dies de iniuncta sibi penitentia miscricorditer relaxamus. Datum Asisii XV. Kalendas Octobris. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 198. fol. 24.

CXIII.

Universis fidelibus die sancti Stanislai visitantibus ecclesiam Cracoviensem indulgentiae conceduntur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri . . . Episcopo et Dilectis filiis Capitulo Cracoviensibus, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. nsque aptiores. Ut igitur ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eam in die translationis corporis beati Stanislai episcopi et Martiris venerabiliter visitarint, de omnipotentis dei misericordia etc. usque confisi, Unum annnm etc. usque relaxamus. Datum Asisii III. Kalendas Octobris. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 214. fol. 26.

CXIV.

Fundatio hospitalis infirmorum sanctae Elisabethae a ducissa Silesiae et Cracoviae in urbe Vratislaviensi erecti et dotati, insertis fundationis littsris, confirmatur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis . . . Rectori et fratribus hospitalis sancte Elizabeth Cruciferorum stellatorum Wratislaviensis, ordinis sancti Augnstini, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usqne effectum. Sane, sicut ex tenore vestre petitionis accepimus, dilecta in Christo filia Nobilis mulier Anna, relicta clare memorie B. Ducis Zlesie et Cracovie, ac filii sui hospitale vestrum de consensu Venerabilis fratris nostri Wratislaviensis episcopi, pietatis intuitu, propriis sumptibus erexerunt, ac illud bonorum largitione munifica dotavernnt, ipsum vobis et vestris successoribus ad opus infirmornm et pauperum deputando, prout in patentibus litteris eorum confectis exinde, ac suis sigillis signatis plenins continetur. Nos itaque intuitu eiusdem Nobilis ac filiorum suorum, qui propter hoc apostolicam gratiam fecerunt humiliter implorari, vestris precibus inclinati, quod ab eis in hac parte pie et provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usqne commnnimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari: Qni talis est. In nomine sancte et individue Trinitatis Amen. Rex Regum, dominns Ihesns Christus in suis pauperibus se asserit refici et foveri, dicens in evangelio: Quod nni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. In quibus verbis lnce clarius fideles suos amonet et informat, nt hii, qnos universitatis conditor bonis temporalibus in hoc mnndo plus ceteris honestavit, per opera misericordie, quibus repromissio vite eterne facta est, in celo immarcessibiles sibi preparent mansiones. Hinc est, quod nos Henricus et Vlodizlaus Duces Slesie una cnm domina Anna matre nostra, necnon fratribus nostris Duce Bolizlao et Duce Conrado ad notitiam tam presentium, qnam etiam futnrorum terre predicte volnmus pervenire, quod pio innitentes proposito, ac intentioni clare memorie patris nostri Henrici quondam Dncis Slesie, hospitale construimus in civitate Wratislaviensi in honorem sancte Elizabet ad usum paupernm infirmorum, quos indifferenter in eodem hospitali, secnndum quod eius suppetunt facultates, recipi volumus et servari, Statuentes, quod de predictis facultatibus hospitalis nichil extra terram Slesie erogetnr, sed omnia deserviant infirmis receptis ibidem, et ministris, qui ad servitium antedicti hospitalis fuerint deputati, salvo eo, quod annis singnlis dominabus, que circa matrem nostram sunt, dare teneantur X. marcas argenti ponderis polonicalis, qnarum si aliqua debitum carnis exsolverit, eius pars secundum instam proportionem subducta ad hospitalis necessaria redigatur, et sic de singulis fiat, donec omnes in domino moriantur. Item statuimus, quatenns post obitum domine matris nostre ab eodem hospitali in remedium animarum ipsins scilicet et nostrarum per magistrum, quicunqne prefuerit eidem, elemosina qnedam specialis in pios usus singulis annis perpetuis temporibns distribuatur, secundum quod in instrumento super hoc a nobis specialiter edito et sigillato fuerit plenius declaratum, et anniversarii nostri ab eodem hospitali debent in perpetunm, prout in eodem speciali instrumento videbitur ordinatum, fideliter procurari. Bona autem, super quibus idem hospitale nostrum fundatum est, sunt hec: Cnria, in qna consistit ipsnm hospitale, et ecclesia sancti Mathie in eadem Curia constrncta. Item pars Curie domine matris nostre nsque ad Tnrrem latericiam destructam post obitnm eiusdem: Reli-

quam vero partem Curie predicte donamus Claustro et Conventui fratrum minorum in Wratizlavia. Item donamus eidem hospitali Molendina sibi proxima, que fuerunt Hermanni, cum censu suo et hereditate: Et medietatem Molendinorum, que sunt super Oderam penes ecclesiam Omnium sanctorum. Item parrochiam beate Elizabeth in civitate Wratislaviensi cum suis pertinentiis et decimis de Hermanow, Sulchowiz et de Usebotin, et Curiis in Wratislavia pertinentibus ad dotem ecclesie predicte. Insuper has Villas donamus sepedicto hospitali et hereditates cum ipsarum pertinentiis et terminis universis: Ulbin Curiam cum agris et ortis pertinentibus ad illam, Mocronos, Villam, Buguzsizze Villam cum decima, quam contulit dominus episcopus de consensu Capituli Wratislaviensis, Sechenuz Villam, Ossoborowe Villam, Sedoluz Villam, Cheaminirze Villam, Ulrici Villam, Horiovo Villam, Chozzenowiz Villam, ubi etiam pro commutatione facta pro quibusdam aliis bonis donamus Centum mansos et Quinquaginta franconicos sitos in hiis tribus Villis, videlicet Coiacowiz, Chonewiz et Vlofcha. Item L et IV mansos franconicos, quos frater Merboro Magister hospitalis emit a nobis pecunia domus, et super hos ducentos mansos franconicos dominus Thomas Wratislaviensis episcopus de consensu Capituli sui decimas donavit. Preterea concedimus hospitali prefato super hiis bonis locare Civitatem et forum iure Theutonico, que Cruceburch nuncupatur, et in eadem civitate donamus memorato hospitali omne iudicium ibidem libere iudicandum, salvo eo, quod summo iudicio, dum liberatur caput vel manus, tercius ad nos denarius pertinebit. Item damus eidem hospitali decimam vini de Zlup, et pomerium retro Castrum Wratizliense, concedentes etiam sibi libertatem cum uno reti magno vel parvo et sagena super Oderam piscandi. Has itaque donationes, que suprascripte sunt, fecimus de voluntate et consensu Venerabilis patris nostri domini Thome episcopi Wratislaviensis. Et ut hec eadem, que auctore deo, pro nostra voluntate facta sunt, perpetuis temporibus robur obtineant firmitatis, presentem paginam sigillis domine matris nostre, nostris, ac domini Thome episcopi Wratislaviensis duximus munendam. Acta sunt hec in Wratizlavia Anno ab incarnatione domini M.CC.LIII. IV. Kalendas Martii. Presentibus hiis Domino Willelmo episcopo Lubicensi, domino Laurentio Decano Wratislaviensi, domino Conrado Cantore Wratislaviensi, Baronibus vero Mrozchone Castellano de Betizhen, Iaxa Castellano Wratislaviensi, Gebhardo Castellano de Sandowe, et fratre eius Thimone Zbilotone Iudice, Ianusio Mensehiz, Beroldo Rogizlao Zvoni, Werizchone filio Razlai, Iohanne Ozzina, Gallo fratre Priduoi, Boguzlao filio Iavori, Conrado Svero et filio eius Conrado, Ulrico Dapifero, Unimero, et aliis quampluribus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani II. Kalendas Aprilis. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 590. fol. 81.

CXV.

P. sancti Georgii cardinali legato conceditur, ut clerici secum permanentes beneficiorum suorum proventus integre percipiant.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio P. sancti Georgii ad velum aureum diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Cum te ad partes Alamannie, commisso tibi tam in illis quam in Regno Dacie ac Polonia plene legationis officio, dirigamus, clericis, qui tecum permanserint, et quos pro agendis ecclesie duxeris destinandos, ut quamdiu tecum fuerint, vel negociis ipsius ecclesie de mandato tuo institerint peragendis, integre percipiant beneficiorum suorum proventus, distributionibus cotidianis exceptis, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, privilegio, indulgentia, statuto et consuetudine, iuramento seu quacumque alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum Laterani XV. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 900. fol. 131.

CXVI.

Eidem, ut Henricum ex ordine Praedicatorum ab Varmiensi ad Sambiensem sedem transferat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio P. sancti Georgii ad velum aureum diacono Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Volentes Venerabili fratri nostro Henrico episcopo quondam Warmiensi gratiam facere specialem, mandamus, quatinus ipsum ecclesie Sambiensi, a qua nuper Venerabilem fratrem nostrum I. episcopum Lubicensem ad ecclesiam Lubicensem transtulimus, auctoritate nostra preficias in episcopum et pastorem, ac facias ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus ab eo postmodum pro nobis et Romana ecclesia fidelitatis solite iuramentum

iuxta formam etc. usque interclusam. Formam autem etc. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam etc. Non obstante, si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici, aut conveniri extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Asisii Nonis Maii. Anno XI.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 622. fol. 86.

CXVII.

Episcopis Culmensi, Pomezaniensi et Varmiensi, ut fratres S. Mariae Teutonicorum foveant ac protegant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Culmensi, ... Pomezaniensi et ... Warmiensi Episcopis, salutem etc. Frequenter ad nostrum pervenire gaudemus auditum, quod religio dilectorum filiorum fratrum Hospitalis sancte Marie Theutonicorum ad hoc vigil et fervens esse dinoscitur, per quod christiani gloria nominis augeatur. Sane sicut ex relatu dilecti filii fratris Tetrici preceptoris eiusdem Hospitalis in Alamannia et Pruscia, nec non ex vestrarum et aliorum Nobilium de partibus illis serie litterarum accepimus, fratres ipsius Hospitalis cum peregrinorum et aliorum fidelium Christi subsidio terram, que maior Bartha vulgariter appellatur, Warmiensis diocesis, ac terram nomine Galanda prope positam ad cultum fidei catholice, idoneis de predicta Bartha receptis obsidibus, de novo per dei gratiam deduxerunt. Quia vero dictis fratribus pro terris eisdem salubriter conservandis vestrum subsidium esse dicitur plurimum oportunum, fraternitatem vestram rogamus et hortamur attente, mandantes, quatinus eis ad hoc pro divina et nostra reverentia impendatis consilium, auxilium et favorem, nec permittatis ipsos super illis ab aliquibus indebite molestari. Molestatores etc. Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari, seu extra certa loca trahi non possint per litteras eiusdem sedis, non facientes plenam et expressam aut de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu aliquibus litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis vel impetrandis, aut constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, ita quod ultra terciam vel quartam etc. Quod si non omnes etc. Datum Asisii vi. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 776. fol. 109.

CXVIII.

P. cardinalis sedis apostolicae legato in Polonia, ut ecclesiae Sambiensi virum idoneum in ep̃um preficiat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio P. sancti Georgii ad velum aureum diacono Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Pridem Venerabili fratre nostro ... Episcopo Lubicensi, tunc Sambiensi, per sedem apostolicam translato ad ecclesiam Lubicensem, nos circa personam Venerabilis fratris nostri Henrici quondam Warmaciensis (Warmiensis) episcopi dirigentes affectum benivolentie specialis, tibi sub certa forma dedisse dicimur nostris litteris in mandatis, ut ipsum Sambiensi ecclesie preficeres in pastorem. Quia vero dubium est, si dictus H. episcopus vivat, aut velit provisionem huiusmodi acceptare, mandamus, quatinus, si tibi constituerit de ipsius obitu, vel quod nolit assumere curam eiusdem ecclesie Sambiensis, tu ipsi ecclesie personam idoneam de ordine Hospitalis sancte Marie Theutonicorum, aut de alio, prout tue circumspectioni videbitur, eidem Sambiensi ecclesie auctoritate nostra iuxta formam pro eodem H. episcopo tibi traditam preficias in episcopum et pastorem. Datum Anagnie iii. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep, 736. fol. 102.

CXIX.

Abbati de Mezano legato in Polonia, ut episcopum Cracoviensem de munere suo moneat, quod si neglexerit ille, sedem episcopalem in provincia Lucow erigat, et de pastore idoneo provideat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati de Mezano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod inter Rusciam et Ducatum Cracovie quedam existit provincia, que a Civitate Cracoviensi quatuor distans dietis, Lucow vulgariter nuncupatur, in qua homines habitantes, licet christiano nomine censeantur, quia tamen Venerabilis frater noster Cracoviensis episcopus loci diocesanus propter loci distantiam et difficultatem viarum, quas immeabiles facit densitas nemorosa, non potest instructioni eorum intendere, in ruditate sua et cecitate fere pristina perseve-

rant: ibi pueri nisi grandiusculi et gressus potentes firmare vestigium ad fidei ianuam, regenerationis videlicet sacramentum, a parentibus adducuntur, propter quod multi decedunt ibidem unda baptismatis non renati, et alias infinita pericula proveniunt animarum: Nos itaque volentes super hiis quo possumus remedio providere, mandamus, quatinus eundem episcopum moneas attentius et inducas, ut circa erudiendos populos regionis illius, quos fidei sacramenta signarunt, in fide ac christiane religionis moribus, et alios ad veritatis Christi notitiam invitandos efficaciter elaboret. Si autem hoc dictus episcopus neglexerit adimplere, vel tu consideratione habita diligenti perpenderis, quod propter interiacentium locorum distantiam asperitatemque viarum, vel difficultates alias idem episcopus nequeat illis populis curam impendere, sicut oportuerit, pastoralem, tu Venerabilium fratrum nostrorum Gneznensis Archiepiscopi, Metropolitani loci, et episcoporum illarum partium communicato consillo, predicti diocesani requisito consensu, pontificalem ibi sedem constituas, et aliquem virum ordinis fratrum Minorum, opere et sermone potentem, illi plebi preficias in episcopum et pastorem, faciens ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradict. etc. Non obstante, si aliquibus sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi non fecerint mentionem, vel saltem quod inveneris circa ista nobis eorumque circumstantias studeas per tuas litteras fideliter intimare, ut super hoc disponamus salubriter, prout augmentum fidei et salus exegerit animarum. Si vero hiis exequendis ob tuam absentiam vel alium casum non potueris interesse, dicto Archiepiscopo litteris nostris iniungimus, ut ipse super premissis mandatum apostolicum exequatur. Datum Anagnie III. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 37. fol. 148.

CXX.

Episcopo Naumburgensi, ut nomine sedis apostolicae ab episcopo Lithoviae iuramentum fidelitatis, abrogato illo, quod idem archiepiscopo Prussiae praestiterat, recipiat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Nuemburgensi, salutem etc. Inclinati precibus Carissimi in Christo filii nostri... Illustris Regis Lethovie, de novo conversi ad cultum fidei christiane, Venerabili fratri nostro... Archiepiscopo Livonie ac Pruscie, prout accepimus, sub certa forma dedimus nostris litteris in mandatis, ut cathedrali ecclesie, quam dictus Rex in partibus suis de novo sub propriis expensis erigere et dotare magnifice intendebat, Venerabilem fratrem nostrum Christianum episcopum, tunc fratrem presbyterum hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Livonia, ad requisitionem Regis eiusdem auctoritate nostra preficeret in pastorem, et ei munus consecrationis impenderet, ac sibi ab subditis faceret obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus ab eo postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam sibi sub bulla nostra misimus interclusam. Sane idem Archiepiscopus, priusquam ad ipsum huiusmodi nostre littere pervenissent, ecclesie memorate de predicto fratre providit, iuramentum fidelitatis suo et ecclesie sue nomine ab illo recipiens, licet hoc de intentione nostra nullatenus extitisset: maxime cum terra Lethovie sit iuris et proprietatis beati Petri, ac pro eiusdem Regis honore, quem a sue conversionis initio assumpsimus in filium ecclesie specialem, et regie dignitatis titulo fecimus insigniri, nullum ibi esse velimus episcopum, qui alii quam Romano pontifici sit subiectus. Quia vero idem Rex postmodum per affectuosas litteras postulavit a nobis, ut super hoc providere de circumspectione sedis apostolice curaremus, nos eius precibus annuentes, mandamus, quatinus eumdem episcopum ad observantiam predicti iuramenti prefato Archiep̄o taliter prestiti denuncians aliquatenus non teneri, recipias ab ipso pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam litterarum, quas super hoc transmisimus Archiepiscopo memorato. Formam autem iuramenti, quod idem episcopus prestabit etc. usque destinare procures. Contradictores etc. Non obstante si eidem Archiepiscopo aut cuicumque persone, dignitati seu loco de partibus illis a sede apostolica sit indultum, quod per litteras eius suspendi vel interdici, aut excommunicari non possit, nisi de indulto huiusmodi plenam et expressam seu de toto tenore ipsius fecerint mentionem, sive quacumque alia indulgentia, per quam effectus mandati nostri in hac parte impediri valeat vel diferri. Datum Anagnie III. Nonas Septembris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 178. fol. 170.

CXXI.

Christianus episcopus Lithoviae eximitur a iurisdictione archiepiscopi Livoniae et sanctae sedi immediate subiicitur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Christiano episcopo Lethovie, salutem etc. Inclinati precibus Carissimi in Christo filii nostri... Illustris Regis Lethovie, de novo conversi ad cultum fidei christiane, Venerabili fratri nostro... Archiepiscopo Livonie ac Pruscie, prout accepimus, sub certa forma dedimus nostris litteris in mandatis, ut Cathedrali ecclesie, quam dictus Rex in partibus suis de novo sub propriis expensis erigere ac dotare magnifice intendebat, te tunc fratrem presbiterum hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Livonia ad requisitionem Regis eiusdem auctoritate nostra preficeret in pastorem, et tibi munus consecrationis impenderet, ac debitam obedientiam et reverentiam faceret a subditis exhiberi, recepturus a te postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam sibi sub bulla nostra misimus interclusam. Sane idem Archiepiscopus, priusquam ad ipsum huiusmodi nostre littere pervenissent, de te providit ecclesie memerate, iuramentum fidelitatis suo et ecclesie suc nomine a te recipiens, licet hoc de intentione nostra nullatenus extitisset, maxime cum terra Lethovie sit iuris et proprietatis beati Petri, ac pro eiusdem Regis honore, quem a sue conversionis initio assumpsimus in filium ecclesie specialem, et regie dignitatis titulo fecimus insigniri, nullum ibi esse velimus episcopum, qui alii quam Romano pontifici sit subiectus. Quia vero predicto Rege a nobis postmodum per affectuosas litteras postulante, ut super hoc providere de circumspectione sedis apostolice curaremus, nos eius precibus annuentes te ad observantiam predicti iuramenti taliter prestiti decrevimus aliquatenus non teneri, nos provisionem de te factam per Archiepiscopum memoratum, quem propter hoc in persona tua nullam iurisdictionem volumus obtinere, ratam et firmam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, decernentes irritum et inane, si quid, postquam litteras nostras super provisione de te facienda concessimus, sine speciali mandato nostro faciente de illis plenariam mentionem, fuit ab aliquo vel decetero fuerit attemptatum. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis etc. Si quis autem etc. Datum Anagnie xii. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Episcopus Tarbatensis datus est super hiis Conservator. Non obstante, si aliquibus personis vel dignitatibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici, aut excommunicari non possint, nisi de indulto huiusmodi sibi concesso plena et expressa seu de verbo ad verbum in nostris litteris mentio habeatur.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 212. fol. 175.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. IV.

CXXII.

Episcopo Brandeburgensi, ut cum Conrado uato marchionis Brandeburgensis et Constantia nata ducis Poloniae de matrimonio dispenset.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Brandeburgensi, salutem etc. Ex parte dilectorum filiorum I. Marchionis Brandeburgensis et P. Ducis Polonie fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum pro sedandis discordiis et inimiciciis capitalibus sopiendis, que inter predictos Marchionem et Ducem dudum exorte fuerant, velint, quod Nobilis vir Conradus natus ipsius Marchionis, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Constantia nata eiusdem Ducis ad invicem matrimonialiter copulentur, dispensare cum eisdem Conrado et Constantia, ut non obstante, quod alter alterum quarto consanguinitatis gradu contingit, matrimonium contrahere insimul libere valeant, de benignitate sedis apostolice curaremus. Ideoque mandamus, quatenus, si speratur, quod per huiusmodi matrimonium pax et concordia inter prefatos Ducem et Marchionem proveniant, evitentur homicidia, et quies atque tranquillitas illis partibus procurentur, tibique constiterit, quod id Karissimo in Christo filio nostro Willelmo Romanorum Regi Illustri placeat, cum predictis Conrado et Constantia, ut matrimonium ad invicem contrahere libere possint, impedimento non obstante predicto, auctoritate nostra, prout secundum deum videris expedire, dispenses. Datum Laterani xiv. Kalendas Ianuarii. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 777. fol. 114.

CXXIII.

Regi Lithoviae gratulatur de sua fidei professione, et terras Russiae iam conquisitas et suo dominio subiectas confirmat, conceditque, ut per episcopum quendam Latinum filium suum in regem Lithoviae coronari faciat.

Alexander episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro . . . Illustri Regi Lectovie, salutem etc. Catholice fidei cultum longius latiusque per orbem diffundi continue super omnia cordis nostri desiderabilia cupientes, ad eiusdem augmentum fidei vigili sedulaque sollercia non cessamus intendere, ac ut iuxta nostri desiderii plenitudinem valeat provenire, totius diligentie studium, excusso in hac parte cuiuslibet negligentie otio, adhibemus, augmentum ipsum per nos ac alios omni ope ac opera, prout ex alto conceditur, assidue procurando. Hinc est, quod cum, sicut te intimante nobis accepimus, tu divinitus inspiratus de paganice cecitatis errore ad viam vite, que Christus est, baptismatis renatus unda redieris, et deo vivo ac vero placere studeas sub religionis observantia christiane, nos de hoc multo concepto gaudio volentes te in huiusmodi fide congruis roborare favoribus, et condignis gratiis confovere, tuis supplicationibus inclinati, excellentie tue, ut quem malueris latinum episcopum, pacem et communionem apostolice sedis habentem, tibi advocare liceat, qui dilectum filium Nobilem virum . . .

natum tuum ad honorem dei et sancte Romane ecclesie in Regem Lectovie auctoritate nostra coronet, tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Neapoli II. Nonas Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Alexander episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro . . . Illustri Regi Lectovie, salutem etc. Catholice fidei etc. ut supra usque procurando. Cum itaque, sicut ex parte tua propositum coram nobis, tu contra Regnum Russie ipsiusque habitatores in infidelitatis devio constitutos indefessa strenuitate decertans, nonnullas terras ipsius Regni tue subiugaveris dicioni, nos attendentes, quod te terras habente predictas, vicine paganorum et infidelium regiones de facili poterunt tuo dominio subici et acquiri cultui christiano, tuis benigne precibus annuentes, prefatas terras tibi tuisque successoribus, absque catholicorum quorumlibet preiudicio, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 220. et 221. fol. 29.

CXXIV.

Ecclesia metropolitana Rigensis cum omnibus suis possessionibus sub beati Petri protectione suscipitur.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Rigensi, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum, salutem etc. Cum universis ecclesie sancte filiis debitores ex iniuncto nobis a deo apostolatus officio existamus, illis tamen locis atque personis propensiore nos convenit caritatis studio iminere, que ad sedem apostolicam noscuntur specialiter pertinere. Quocirca, Venerabilis in Christo frater . . . Archiepiscope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Rigensem, cui deo auctore preesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus etc. usque communiter, Statuentes, ut quascunque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, Civitatem Rigensem cum omnibus pertinentiis suis, salvo iure dilecti filii . . . Magistri et fratrum hospitalis S. Marie Theutonicorum, Castra, que Thoreda, Lennewarde, Rescule, Remin, Dolen, Kercholme, Cochenhusen, Assuten et Lepene vulgariter nuncupantur, cum omnibus pertinentiis eorundem; Montem Gerziche communiter appellatum cum omnibus pertinentiis suis; Domos, terras, prata, nemora, silvas, possessiones, piscarias, pascua, molendina et decimas, que habetis in locis Semigallie, salvo iure dictorum magistri et fratrum hospitalis S. Marie Theutonicorum, Upemele, Merzepole, Tolewe et Selonie vulgariter appellatis, cum terris, pratis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Episcopatus quoque inferius annotatos Rigensis ecclesie, prout dicitur, metropolitico iure subiectos tibi successoribusque tuis, iure Romane ecclesie ac predictorum Magistri et fratrum hospitalis S. Marie Theutonicorum in omnibus et per omnia semper salvo, auctoritate apostolica confirmamus, videlicet episcopatum Osiliensem, Tharbatensem, Curoniensem, Wironiensem, Culmmensem, Warmiensem, Pomezaniensem, Sambiensem, Rutheniensem et Wersoniensem. Usum quoque pallei, pontificalis videlicet officii plenitudinem, tue fraternitati apostolice sedis liberalitate largimur, quo infra ecclesiam tuam utaris diebus inferius annotatis, videlicet in Nativitate domini, festivitate prothomartiris Stephani, Circumcisione domini, Epiphania, Ipopanti dominica, in Ramis palmarum, Cena domini, Sabbato sancto, Pasca, feria secunda post pascha, ascensione, pentecoste, tribus festivitatibus S. Marie, Natali beati Iohannis Baptiste, sollempnitatibus omnium apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus ecclesiarum, Anniversarii tue consecrationis die, ecclesie tue principalibus festivitatibus, Consecrationibus episcoporum et ordinationibus clericorum. Ad hec cimiteria ecclesiarum et ecclesiastica beneficia nullus hereditario iure possideat. Quod si quis facere presumpserit, censura ecclesiastica compescatur. Preterea quod comuni assensu Capituli tui, vel partis consilii sanioris, in tua diocesi per te vel successores tuos fuerit canonice institutum, ratum et firmum volumus permanere. Prohibemus insuper, ne excommunicatos vel interdictos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia et assensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire presumat, nisi forte periculum mortis immineat, aut dum presentiam tuam habere nequiverit, per alium secundum formam ecclesie, satisfactione premissa,

oporteat ligatum absolvi. Sacrorum quoque canonum auctoritatem sequentes statuimus, ut nullus episcopus vel Archiepiscopus absque tuo consensu concilium celebrare, causas vel ecclesiastica negocia in tua diocesi, nisi per Romanum pontificem vel eius Legatum fuerit eidem iniunctum, tractare presumat. Statuentes preterea, ut nullus cuiusque ordinis clericus ecclesias sibi concessas ad ius Rigensis Archiepiscopi pertinentes sine conscientia et consensu tuo seu successorum tuorum faciat censuales, vel in cuiusquam transferat potestatem, et si factum fuerit, irritum habeatur. Libertates quoque et immunitates, et antiquas et rationabiles consuetudines ecclesie tue concessas et hactenus observatas, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus permanere sancimus. Porro Crucem, vexillum dominicum, tibi per provinciam et episcopatus tibi metropolitico iure subiectos ante te deferendi licentiam impertimur. Decernimus ergo, ut nulli omnino homini liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre etc. usque profutura, Salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam etc. usque ultioni. Cunctis autem etc usque inveniat. Amen, Amen, Amen. Datum Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensis, sancte Rom. eccl. Vicecancellarii II. Kal. Aprilis, Indictione XIII. Incarnationis dominice Anno M.CC.LV. Pontificatus domini Alexandri pape IV. Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 291. fol. 43.

CXXV.

Duci Cracoviae donationes a se factae hospitali pauperum in oppido Zavichost, inserto eiusdem donationis instrumento, confirmantur.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio . . . Nobili viro B. Cracovie et Sandomerie Duci, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod tu pro celestibus felici commercio terrena commutans, cuidam hospitali per te in opido tuo in Cavichast Cracoviensis diocesis constructo ad opus infirmorum et pauperum, ac etiam pro revelandis necessitatibus monasterii pauperum dominarum ordinis sancti Damiani positi in opido supradicto, quasdam villas, possessiones et redditus ad te de iure spectantes pro tua et tuorum salute in perpetuum contulisti, dictum hospitale ac homines et colonos ipsius multis libertatibus muniendo, prout in litteris inde confectis et tuo sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque devotionis tue precibus inclinati, quod super hiis a te pie ac provide, et sine alieni iuris preiudicio factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes: qui talis est. In nomine domini amen. Quoniam omnes morimur, et quasi aque dilabimur, ne mortalium gesta celebri et perpetua memoria semper digna, temporum decursu in oblivionem adducta, queant apud posteros nostros pati ex ambiguitate discrimen, digne solent perpetuate res instrumentorum munimine cum expressione testium perempnari. Hinc est, quod nos Bolezlaus dei gratia Cracovie et Sandomerie Dux Universis Christi fidelibus in omne seculum presens pariter et futurum facimus presentibus manifestum, quod pro remedio felicis anime patris nostri clare memorie Illustris Cracovie et Sandomerie Ducis Lestkonis, et incolumitate nostra, et nostre ingenue genitricis Grimizlave, et Chunegundis nostre generose consortis, semper proponentes deum in conspectu nostro, a quo habemus, quod vivimus, et paternorum principatuum gubernacula possidemus, constructo per nos in Zavichost opido nostro Cracoviensis diocesis hospitali ad usum monasterii ordinis pauperum dominarum sancti Damiani Asisii, auctore domino, per nos etiam consumandi in opido supradicto, et sustentationem etiam infirmorum et egenorum in perpetuum libere duximus conferendum, Venderevice scilicet, Saulowice et Breszani, et Wangrete, et Danbeni, et Chottov, et Wosceniki, et Winare, et Sobotku, et Wesevnice, que nunc Ostrov dicitur, villas et VI. mansos circa Zavichost supradictum, et duas sortes in Prezwod, et ecclesiam in Tarnowez cum omnibus pertinentiis suis, et de sale in Bohna XL. marcarum puri argenti, et totum valorem alvei salis, qui Corito vulgariter appellatur, in loco, qui magnum sal communiter nuncupatur, et marcam auri de theloneo, populariter dicto Brona, annuos redditus, specialiter pro necessitatibus dicti monasterii relevandis eidem secundum conventionis formam, prout taxatum fuerit, certis temporibus persolvendos, decernentes, ut Rectores dicti hospitalis, qui eidem pro tempore aut perpetuo fuerint deputati, iuxta dispositiones Venerabilis sponse Christi germane nostre, quondam Galitie Regine, sororis Salomee, Monasterii et ordinis predicatorum degentes sub obedientia abbatisse monasterii et ordinis eorundem, firmiter teneantur de prenotati facultatibus hospitalis indigentias relevare monasterii sepedicti, eidem per nos memorati hospitalis, et omnium bonorum ad idem pertinentium, pro-

prietatis et possessionis iuribus reservatis, et ut supradicti hospitalis bona, que idem nostra taliter, ut pretactum est, donatione obtinet in presenti, et que in futurum est, auctore deo, iustis modis et legitimis adempturum, possint sufficere ad sustentationem monasterii memorati, et aliorum Christi pauperum cum infirmis, dignum duximus omnia eadem pro se, et omnibus incolis et colonis suis absolvere indistincte ab omni servitio terre, sive sit ordinarium sive casuale, et a strosa et powolowe, et poradelve, et naramb, et thargove, et mito, quod latine theloneum dicitur, et aliis etiam omnibus omnium expensarum principis solutionibus, et a prewad, et powoz, et stan, et aliis servitiis et procurationibus ipsius principis et uunciorum eiusdem, et venatorum ipsius, quibuscumque ipse servitutes et procurationes et solutiones nominibus censeantur, etiam hoc adiecto, quod eorundem incole et coloni predicti per nos in omni causa exempti a palatinorum et castellanorum, et iudicum provincialium, et quorumlibet nostrorum officiatorum iudiciis, ad nostram et nostrorum posterorum dumtaxat per litteras valeant presentiam provocari, pecuniaria pena hospitali prefato ex nostra vel nostrorum posterorum sententia reservata. Decernimus etiam, ut supradicti exempti ad edificationem et reparationem Castrorum, et ad expeditiones venire, aut aliqua servitia vel subsidia impendere nullatenus teneantur. Quibus etiam construendi molendina, et locandi soluturas censum sepedicto hospitali tabernas liberam concedimus facultatem. Testes autem huiusmodi rei sunt hii, Fulco noster Cancellarius, Lesota Scarbimiriensis prepositus, Laurentius beati Floriani in Cracovia, et Wernerus S. Marie in Zavichost Canonici, et alii quam plures Cracoviensis diocesis clericorum; ex laicis autem Clemens Cracovie et Sengnevus Sandomerie palatini, Sulco Wisliciensis et Petrus de Woyniz Castellani, et quamplures alii curiales. Datum in Zavichost anno dominice incarnatione M.CC.LV. Indictione decima tertia, XIV. Kal. Maii. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Anagnie V. Nonas Augusti. Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 572. fol. 85.

CXXVI.

Bartholomaeo de Bohemia ordinis Minorum, ut contra Lithuanos et Ientuesones et alios ethnicos verbum crucis praedicet, et praedicari faciat in Polonia, Bohemia, Moravia et Austria.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Fratri Bartholomeo de Boemia ordinis fratrum Minorum, salutem etc. Nuper ad audientiam nostram pervenit, quod Lithuani et Ientuesones, ac uonnulli alii ethnici, qui Romanam ecclesiam nunquam matrem sue professione fidei agnoverunt, vires exacuunt contra ipsam, dum iidem christianorum finitimas, videlicet Poloniam et quasdam alias vicinas, provincias hostiliter invadentes, multos ex populo christiano morti et infinitos captivitati dederunt, non parcendo sexui vel etati; et nec adhuc fidelium saturati cruore ad impugnandum cum aliis paganis et infidelibus Poloniam et regiones finitimas conflatis in unum viribus se accingunt: propter quod nos gravi dolore confodimur, et super tanta strage fidelium paterno compatientes affectu, remedia, per que tantis obvietur periculis, sollicite cogitamus. Nos igitur de circumspectione tua nobis a pluribus, et in pluribus commendata plenam in domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus tam per te, quam per fratres tui ordinis, quos idoneos ad hoc esse cognoveris, in Polonia, Boemia, Moravia et Austria contra predictos paganos predices et predicari facias verbum crucis, concessa per vos auctoritate nostra illis christianis earundem partium, qui contra infideles eosdem crucis assumpto signaculo se duxerint accingendos, suorum venia peccatorum, que dari consuevit euntibus in subsidium terre sancte. Datum Auaguie VIII. Idus Augusti. Pontificatus uostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 564. fol. 85.

CXXVII.

Archiepiscopo Gnesnensi et episcopis Cracoviensi et Vladislaviensi, ut impios ducis Silesiae in episcopum et clerum Vratislaviensem usus comprimant.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Gneznensi Archiepiscopo, ... Cracoviensi et ... Wladislaviensi Episcopis salutem etc. Gravem ad nos dilecti filii Capitulum ecclesie Wratislaviensis querimoniam destinarunt, quod cum venerabilis frater noster . . . Episcopus Wratislaviensis ad monasterium de Gorca sue diocesis consecraturus ibidem quandam ecclesiam divertisset, nobilis vir Boleslaus Dux Slesie, associatis sibi quibusdam iniquitatis filiis, in ipsum monasterium uocturno tempore subito irruens, euudem Episcopum in lecto iacentem, nullasque tunc formidantem insidias, cum . . . Preposito

et Ecardo presbitero, canonico eiusdem ecclesie, necnon et quibusdam aliis ipsius familiaribus personaliter capere, ipsumque in maiorem pontificalis dignitatis iniuriam ad quoddam Castrum ipsius degustaturum ibidem carcerales angustias, nullum ad deum, cuius idem Episcopus legatione fungitur, habendo respectum, fere nudum adducere ausu sacrilego non expavit, rebus suis, quas ipse ac familiares predicti secum habebant, nequiter asportatis: de quo eo acrioris urgemur doloris aculeis et turbamur, quo iniuriam huiusmodi non minus nobis quam ipsi episcopo illatam fuisse specialius reputamus. Ceterum si forte nominatus dux aliquid contra eum questionis haberet, quomodo causam in tam furiosam tamque detestabilem insaniam prorumpere potuit, ut in Christum dominum manus violentas iniiceret, ipsumque captivum detinere presumeret, qui ex sue dignitatis officio nexus potest solvere delictorum? An putat idem dux, ut ecclesie mucro in vagina tepescens ferire nesciat tam graviter delinquentem, et ut abbreviata sit manus ecclesie, vel eius potestas in aliquo diminuta, quod de tam gravi deo illata iniuria condignam sumere nequeat ultionem? Porro in tantum, suadente iustitia, super hoc accenditur zelus noster, quod nisi per celeris satisfactionis remedium idem dux prudenter sibi duxerit providendum, taliter procedere curabimus contra ipsum, quod, pena docente, cognoscet, quantum excesserit, immo deliquerit in premissis. Verum quia monitio debet esse pene preambula, et prius quam adhibeatur incisionis gladius, linitivis remediis est utendum, fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum ducem, quod Episcopum, Prepositum et Canonicum supradictos, ac etiam alios cum eis captos absque difficultate qualibet pristine libertati restituens, eos libere abire permittat, et de ablatis rebus et irrogatis iniuriis eidem Episcopo et ecclesie, quam in hoc contra se nimium provocasse dinoscitur, plenariam restitutionem et satisfactionem impendat, ex parte nostra monere ac efficaciter inducere procuretis: qui si vestris, immo nostris acquiescere monitis non curarit, ipsum et omnes eius in hac iniquitate consiliarios et fautores, appellatione remota, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, in locis, in quibus expedire videritis, excommunicatos publice nuntietis, et faciatis per vos et alios ab omnibus arcius evitari, supponendo terram eiusdem ducis ac loca, in quibus eundem Episcopum et alios detineri contigerit, ecclesiastico interdicto, ita ut nullum in eis divinum celebretur officium, aut exhibeatur preter baptisma parvulorum et penitentias morientium ecclesiasticum sacramentum, et faciendo nichilominus hoc idem de quolibet loco, ad quem dux predictus devenerit, quamdiu fuerit in eodem, processuri alias contra ipsum per privationem feudorum, que ab ecclesiis, necnon et iuris patronatus, que in quibuscunque ecclesiis obtinet, prout culpe ipsius qualitas et protervitas exegerit pertinacis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Contradictores etc. non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Nos enim omnes litteras, promissiones, concessiones, renunciationes, conventiones, alienationes ac fideiussiones et hiis similia, si qua ab eodem Episcopo et preposito Ecardo et aliis supradictis sic detentis facte fuerint, etiam si iuramento vallata noscantur, nullius ex nunc penitus esse volumus firmitatis, ita quod ad observationem ipsorum prenominatus Ep̄us et successores ipsius, ac alii imposterum nullatenus teneantur. Taliter autem in commisso vobis negocio procedere studeatis, ut idem dux, quem alias culpa similis dicitur reddidisse notabilem, de sua malitia erubescat, et per hec ceteris attemptandi similia aditus precludatur. Quod si non omnes etc. usque exequantur. Datum Laterani Idibus Decembris. Anno II. Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 476. fol. 209.

CXXVIII.

Christifidelibus, qui ad tumulum sancti Stanislai E. M. in civitate Cracoviensi veneraturi accesserint, indulgentiae conceduntur.

Alexander episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is etc. usque aptiores. Cum igitur sicut accepimus, ad tumulum sancti Stanizlavi, quem felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster duxit sanctorum cathalogo ascribendum, ob devotionem, quam ad eundem sanctum habent, populorum multitudo concurrat, nos cupientes, ut fideles Christi locum ipsum eo libentius adeant, quo exinde potiora beneficia se cognoverint percepisse, omnibus vere penitentibus et confessis, qui aliunde quam de Civitate vel diocesi Cracoviensi ad tumulum ipsum accesserint, veneraturi eius merita et devote ipsius suffragia petituri, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, centum dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Lateraui III. Nonas Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 109. fol. 141.

CXXIX.

Episcopo Cracoviensi, ut fideles aliarum Poloniae dioecesium ad tumulum sancti Stanislai E. M. accedentes a peccatis absolvere possit.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Vota, que favorem continent, et fructum afferunt animarum, quadam manu sollicitudinis advocare debemus et totius diligentie studio procurare. Cum igitur, sicut ex tenore tue petitionis accepimus, nonnulli ob devotionem, quam habent ad beatum Stanizlaum, cuius corpus in Cracoviensi ecclesia requiescit, aliunde quam de tua civitate ac diocesi confluant, ut ibi agant sollempniter penitentiam de commissis, nos tuis supplicationibus inclinati, introducendi huiusmodi penitentes in ecclesia, iuxta formam super hoc a canone traditam, necnon reconciliandi eosdem ecclesie auctoritate presentium concedimus facultatem, presentibus post Triennium etc. Datum Laterani XII. Kalendas Februarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 95. fol. 137.

CXXX.

Capitulo Cracoviensi libertates et immunitates a Boleslao duce Cracoviae et Sandomiriae eiusque matre et uxore concessae, ad expiandum delictum a patre suo in sanctum Stanislaum E. M. commissum, confirmantur.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo Cracoviensi, salutem etc. Iustis petentium etc. usque complere. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, Dilectus filius Nobilis vir Bolezlavus Dux Cracovie ac Sandomerie quasdam libertates et exemptiones secularium exactionum rationabiliter vobis duxerit concedendas, prout in litteris suis patentibus inde confectis, suo et Venerabilium fratrum nostrorum ... Archiepiscopi Gneznensis, et ... episcopi Cracoviensis sigillo munitis plenius continetur, nos vestris postulationibus grato concurrentes assensu, libertates et exemptiones ipsas auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, Tenorem litterarum ipsarum presentibus inseri facientes: Qui talis est. In nomine domini, amen. Quoniam, ut ait auctoritas, omnes morimur, et quasi aque dilabimur, ne mortalium gesta celebri et perpetua semper digna memoria temporum decursu queant in dubium adduci, et eorundem mutabilitate ambiguitatis discrimen in posterum aliquatenus possint pati, opere precium est ea, que huiuscemodi sunt, testimonio et expressione testium perempnari. Hinc est, quod nos Bolezlavus dei gratia Cracovie et Sandomerie Dux per oppositum gerere nos volentes Bolezlao quondam Polonorum Regi, reo mortis et sanguinis preclari martiris et pontificis Stanizlai, et animadvertentes, quomodo in suis mirabilis deus sanctis miris virtutum prodigiis dignatus est eundem mirificare plusquam admirabiliter sanctum suum, et ideo cupientes ipsum honorare in terris, quem dominus glorificavit in celis, pro remedio felicis anime patris nostri clare memorie Cracovie et Sandomerie Ducis Leztconis, et incolumitate generose nostre genitricis Ducisse Grimizlave, et nostra et ingenue consortis nostre Cungundis precordialis filie Regis incliti Hungarorum, intuitu beneficiorum et servitiorum, que nobis Venerabilis in Christo pater dominus Prandota episcopus et Capitulum Cracovienses impenderunt, et sunt in futurum, auctore domino, prestituri, omnes villas Capituli Cracoviensis ecclesie, cui memoratus sanctus, dum adhuc ipse vita potiretur presenti, presedit in eadem pontificali officio digne functus, interventu Venerabilis sponse Christi germane nostre sororis, videlicet Salomee, quondam Galitie Regine, plena in perpetuum gaudere concedimus libertate. Id ex nostra devotione rationis arbitrio decernentes, ut omnes liberi homines Capituli supradicti a nostro et nostrorum posterorum, et palatinorum, et Castellanorum, et quorumlibet iudicum aliorum presentium et futurorum iudiciis penitus in perpetuum sint immunes, et prorsus liberi a strosa, et stan, et zovoz et aliis servitutibus et solutionibus ordinariis et extraordinariis, quocumque eedem nomine censeantur, prevod militari excepto, quos volumus dominorum suorum dumtaxat utilitatibus et servitiis perpetuo mancipari. Datum in Cracovia per manum fratris Bartholomei ordinis minorum, mediatoris intra nos ex una parte et Capitulum Cracoviense ex altera parte, anno ab incarnatione domini M.CC.LV. Indictione decima tertia, XV. Kalendas Iunii, et postmodum confirmatum et publicatum in colloquio habito apud Bansonam eodem anno domini Nonis Septembris, presentibus hiis testibus, quorum nomina sunt hec, Venerabiles patres Fulco dei gratia Gneznensis Archiepiscopus, Prandota Cracoviensis episcopus, frater Albertus ordinis minorum domus de Zavichost, Adam Castellanus Cracoviensis, Segneus palatinus Sandomiriensis, Bogufalus Castellanus Sandomiriensis, Sulco Castellanus Wisliciensis, Nicolaus Castellanus de Lublin. Bronsius Castellanus de Beych, Nicolaus iudex Cracoviensis, Petrus iudex

Sandomirie, Smil pincerna Cracoviensis, Sulco Subagazo Cracoviensis, Albertus Subagazo Sandomirie, Petrus subvenator Sandomirie, Char Camerarius domini Archiepiscopi, Petrus Dapifer domini episcopi Cracoviensis, et alii quamplurimi. Ad robur autem omnium premissorum presens scriptum nostro sigillo, Venerabiliumque patrum supradictorum Archiepiscopi et P. Cracoviensis episcopi sigillis duximus muniendum. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani XII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 109. fol. 140.

CXXXI.

Episcopo et capitulo Cracoviensi privilegia et libertates a duce Cracoviae et Sandomiriae ac matre eius sibi concessae, inseertis eiusdem ducis litteris, expunctis in eisdem, quae libertati ecclesiasticae adversabantur, confirmantur.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo, et Dilectis filiis... Capitulo Cracoviensibus, sal. etc. Iustis petentium etc. usque complere. Cum itaque, sicut lecta nobis vestra petitio continebat, Dilectus filius Nobilis vir Bolezlavus Dux Cracovie ac Sandomerie quasdam libertates vobis et ecclesie vestre ab eo et progenitoribus suis concessas, quia in eis ambiguitatis remanserat scrupulus, duxerit declarandas, ac una cum dilecta in Christo filia Nobili muliere G. Ducissa matre sua quasdam vobis et ipsi ecclesie, ac hominibus, villis et rebus eiusdem ecclesie, ac universo Clero Civitatis et diocesis Cracoviensis libertates et exemptiones secularium exactionum rationabiliter duxerit concedendas, prout in suis patentibus litteris confectis exinde, ac suo et Venerabilis fratris nostri... Archiep̃i Gneznensis sigillis munitis plenius continetur: nos vestris supplicationibus inclinati, declarationem, libertates ac exemptiones huiusmodi, sicut provide facte sunt, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, Tenorem litterarum ipsarum presentibus inseri facientes: Qui talis est. In nomine domini nostri Ihesu Christi amen. Nos Bolezlaus dei gratia dux Cracovie et Sandomerie, cum serenissima matre nostra G. Ducissa terrarum nominatarum, cupientes libertatis participes effici, qua Christus suos liberavit, volumus, quantum ipso adiuvante possumus, libertatem ecclesiasticam conservare et nostris successoribus transmittere conservandam. Eapropter Venerabilis patris Prandote episcopi et Capituli ecclesie Cracoviensis sollicitudine pulsati, quosdam libertatis articulos ex canonicis institutis, quosdam ex approbata consuetudine ac prescripta, alios autem ex donatione nostrorum progenitorum, et precipue ducis L. clare memorie patris nostri, aliquos etiam ex nostra eidem ecclesie competentes, super quibus apud nos et nostros Barones dubitatio vertebatur, presenti scripto duximus declarandos, ut omnis dubietatis scrupulus in posterum circa eosdem articulos amputetur, ac in hiis eidem episcopo et ecclesie memorate libertas per nos et nostros successores plenarie conservetur. Et primo annuimus, ut nullus clericus cuiuscunque gradus vel ordinis coram aliquo iudice seculari citetur, vel citatus compareat, aut etiam cogatur in colloquio respondere, pro quacunque re, contractu maleficiove pulsatus. Item, si aliquem laicum in iudicio seculari conventum clericus eximere voluerit, asserens id, pro quo laicus convenitur, de suo factum fore mandato, hoc ei licebit, et coram suo iudice ordinario ipse clericus conquerenti tenebitur respondere, et penam suo iudici persolvet, hoc excepto solum, si contigerit Camerarium vel actorem citantes per homines clerici de mandato ipsius verberari, in quo casu clericus volens percussores eximere, audiatur, et ad suum iudicem reverti debet iudicandus, penam tamen ad quam fuerit in suo iudicio condempnatus tenebitur solvere iudici seculari, in cuius verecundiam aliquem predictorum fecerat baculari. Item, si miles actor lesus fuerit a clerico, vel eius mandato a laico, iniuriam passo clericus debitam penam solvet per iudicem ecclesiasticum iudicatam, alioquin iudex ecclesiasticus penam percipiet in consimili questione. Item in eximendo hoc observetur, quod clericus laicum eximens a iudice seculari, dum ad suum iudicem pervenerit cum actore, ante cause ingressum iurabit, actore tamen petente, quod non dolo in se causam transtulit, pro qua laicus fuerat conventus. Similiter et ea, que suprascripta sunt de clericis, etiam de servis ecclesiarum ascriptitiis observetur, qui etiam citati non debent coram iudicibus secularibus comparere, nec etiam coram Duce. De quibus ascriptitiis, si aliquis occidatur, solutionem capitis ecclesia recipiet, et si homo ecclesie aliquem occiderit alienum, seculari iudici caput solvet: ita tamen, quod tantum homo ecclesie tres videlicet marcas solvat argenti, pro verberato marcam unam, quas et ecclesia ab alio recipit in hoc casu. Omnes autem ascriptitii episcopi et ecclesie cathedralis, et aliarum ecclesiarum pro se et suis prediis liberi sunt ab omni solutione et servitio terre, sive sit ordinarium sive casuale, et tantummodo domino-

rum suorum utilitatibus deputantur, nullum hospitem, vel aliquod genus venatorum principis procurantes. Item Canonici ecclesie Cathedralis hoc gaudent privilegio, ut quilibet eorum ab omni servitio et solutione terre ordinaria, aut extraordinaria, sex servientes persone, aut duodecim qualescunque voluerint, liberandi habeant potestatem. Aliarum quoque ecclesiarum persone sex homines et tres simplices Canonici liberabunt. Item omnes ville ecclesie Cracoviensis sunt libere a solutione omnium expensarum Ducis et venatorum ipsius, videlicet a naraz et a ponoz, et a custodibus villarum, et etiam a solutione, que vulgariter strosa nuncupatur, preter villas, que de novo in proprietatem epi et ecclesie transferentur: tales enim cum suis oneribus sive libertatibus possidebit, hoc tamen salvo, si forte aliqua persona ecclesiastica vel villa aliquod ius vel libertatem promeruerit specialem. In castris autem epi, in quibus habet omne ius ducale et militare, hoc observatur, ut si Ducem per aliquam Castellaniam eorum contigerit pertransire, ab hominibus episcopi semel in anno debet educi, et in sumptibus consuetis procurari, in signum dominii et iuris patronatus: sed si pluries infra eiusdem anni circulum pertransiret, tunc homines episcopales militare prevod ducere tenebuntur, et duos homines cum duobus canibus, qui dicuntur slednici, pascent, dum ipse Dux in silvis venari voluerit transeundo, sed in hiisdem non morabitur in venando, nec mittet ad venandum. Item, dum Cracovia vel Sandomeria ex integro construetur, omnes homines domini episcopi duas scubellas in quolibet ipsorum edificare tenentur, vel si reedificabitur, easdem reedificabunt, ut est a longis retro temporibus observatum. Firmiter autem promittimus, quod de causis et negociis ecclesiasticis nos, vel alii iudices seculares, nullomodo cognoscemus, nec de ipsis nos intromittemus: sed Episcopus, Prepositi, Archidiaconi et alii iudices ecclesiastici de eisdem libere iudicent et disponant, sicut et Episcopus pro se et supradictis ecclesiasticis iudicibus nobis promisit, quod de causis secularibus se nullatenus intromittent, que ad nostrum spectant examen. Item, si aliquis ascriptitius verberaverit aliquem, qui ad iudicium principis pertinet et examen, coram episcopo respondeat, penam tamen Dux ab eo percipiat, et e converso, si homo Ducis ascriptitium ecclesie verberaverit, Dux cognoscet de causa, et penam episcopus percipiet. Item, si quis clericus vel ascriptitius deliquerit testificando coram ecclesiastico iudice, per eundem iudicem puniatur, in cuius iurisdictione deliquit, et e converso si coram ecclesiastico iudice qualiscunque laicus deliquerit, dum perhibet testimonium, per ipsum iudicem ecclesiasticum pena percipietur. Et ut hec omnia in posterum robur obtineant firmitatis et a nostris posteris inviolabiliter observentur, presentem paginam nostro et domini Fulconis dei gratia Gneznensis Archiepiscopi sigillis duximus roborandam. Acta sunt et approbata horum quedam in colloquio de Ogledev, Anno dni M. CC. LII. in die sancti Rufi, presentibus, quorum nomina sunt hec, Venerabilis pater predictus Fulco Gneznensis Archiepiscopus, Michael Castellanus Cracoviensis, Clemens palatinus Sandomeriensis, Adam Castellanus Vslliciensis, Predpelk Cancellarius noster, Signeus Castellanus de Lublin, Sulislaus Castellanus de Zavichost, Iohannes Castellanus Chethov, Florianus Pincerna, Bogufalus Dapifer, Falislaus Subcamerarius, Sbislaus Subdapifer Sudomeriensis, Domaratus, Kilianus Subiudices, et alii multi milites Curie nostre. Alia autem in colloquio ex suprascriptis roborata sunt et approbata in Crober celebrato, Anno domini M. CC. LIIII. XIII. Kalendas Iuli, presentibus supradictis testibus, excepto Michaele Castellano Cracoviensi, qui iam defunctus fuerat, et Sando in loco ipsius substitutus, et postmodum omnia supradicta finaliter determinata interventu Venerabilis sponse Christi sororis Salomee, germane nostre, quondam Regine, in colloquio habito in Kavichost cum Baronibus nostris, Anno gratie M. CC. LV. Kalendis Maii, presentibus fere omnibus proxime suprascriptis, et domino Martino Abbate de Wrancoce Cisterciensis ordinis fratre, et Magistro Bartholomeo de Praga, et fratre Alberto ordinis minorum, quibus mediantibus supradicta omnia sunt completa. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani VII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 109. fol. 139.

CXXXII.

Iudicibus, ut ducem Cracoviensem a violatione immunitatis ecclesiasticae arceant.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati de Lubes Cisterciensis ordinis, et ... preposito ecclesie de Opol Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Ad aures nostras noveritis pervenisse, quod Nobilis vir ... Dux Cracovie clericos Civitatis et diocesis Cracoviensis super prediis, sive ratione ecclesiarum, sive iure hereditario ad ipsos pertineant, quamvis feudalia non existant, coram se et Offi-

cialibus suis de se conquerentibus compellit in iudicio pro sue voluntatis arbitrio respondere in derogationem non modicam ecclesiastice libertatis. Cum itaque actor sequi debeat forum rei, mandamus, quatenus, si est ita, predictum Ducem, ut sue iurisdictionis finibus contentus existens talia de cetero pretextu alicuius consuetudinis, aliquatenus non attemptet, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non ambo etc. Datum Laterani v. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 139. fol. 148.

CXXXIII.

Christifidelibus ecclesiam S. Stanislai E. M. Cracoviae die et infra octavas translationis eiusdem sancti visitantibus indulgentias pontifex elargitur.

Alexander episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. usque aptiores. Cum igitur, sicut ex parte Venerabilis fratris nostri ... Episcopi, et dilectorum filiorum Capituli ecclesie Cracoviensis fuit propositum coram nobis, iidem corpus beati Stanizlavi, quem felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster sanctorum ascripsit cathalogo, quod in eadem ecclesia feliciter requiescens, locus divino munere corruscat miraculis, de loco ad locum transtulerint, ac decenter et honorifice collocarint, nos dignum existere arbitrantes, ut quos divina honorat dignatio, humana devotio prompto affectu debeat venerari, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in die translationis eiusdem sancti cum devotione accesserint, veneraturi eius gloriosa merita et devote ipsius suffragia petituri, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, centum, illis vero, qui infra octavas eiusdem translationis ecclesiam ipsam venerabiliter visitarint, xl. dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani v. Idus Februarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 109. fol. 141.

CXXXIV.

Duci Cracoviae gratulatur de libertatibus ecclesiae Cracoviensi concessis, significatque easdem se confirm asse, demtis iis, quae immunitati ecclesiasticae adversabantur.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro ... duci Cracovie, salutem etc. Sicut bone fame preconiis actus tuos strenuos convenit non tacere, sic illa, per que de merito tuo perit, tuis oportet aspectibus anteponi, ut salubri consilio reformentur in melius, ex quo tue considerationis arbitrio fuerint presentata. Sane nuper accepimus, quod nonnullis libertatibus et immunitatibus Cracoviensem ecclesiam exuberante munificentie tue dextera decorasti, quod nobis ad gaudium, tibi ad laudis titulum et cumulum accedit procul dubio meritorum. Verum cum in concessione libertatum et immunitatum huiusmodi, quod clerici conventi super prediis, etiam non feudalibus, suis coram te cogantur adversariis respondere, ac quedam alia, que in ipsius ecclesie redundant perniciem, tibi, prout in tuis apparet litteris, reservaris, satis apparet, quod tue libertatis exordium perfectionis terminum non attingit, ex quo ipsam tali contingit mutilationis dispendio deformari. Et quidem, fili, non solum ipsi ecclesie, immo illi, qui opus imperfectionis ignorat, obtulisti munera semiplena, et sicut ex premissis evidenter colligitur, tue iurisdictionis terminis non contentus, in iuris iniuriam et in ecclesiastice libertatis iacturam usurpare niteris alienam, de quo tanto maioris turbationis urgemur aculeis, quanto minus vellemus te liberalitatis huiusmodi premio defraudari. Cupientes itaque, fili karissime, quem brachiis plene sinceritatis complectimur, et de cuius salute sumus solliciti, per te libertates eiusdem ecclesie non minui, sed augeri, Nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus reservationem, et alia premissa prudenter ad consistorium revocans tue mentis, illa, per que libertas conculcatur ecclesie, consuetudine aliqua non obstante, que dicenda est potius corruptela, deinceps eis non usurus, de tuis facias penitus litteris ammoveri. Taliter autem preces nostras et mandatum studeas adimplere, quod zelatorem libertatis premisse operis evidentia te demonstres, ac de tuis actibus letitie plene manipulos percipere nos contingat. Nos enim concessionem tuam de libertatibus et immunitatibus premissis, ipsi ecclesie a te factam, per nostras litteras duximus confirmandam, tenorem litterarum tuarum de verbo ad verbum, illis dumtaxat omissis articulis, qui libertati ecclesiastice obviant, in eis inseri facientes. Datum Laterani ii. Idus Februarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 109. fol. 140.

CXXXV.

Episcopo Cracoviensi, ut fideles diebus festivitatum sancti Stanislai E. M. et octavis ad eiusdem tumulum accedentes a peccatis absolvere possit.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Cum sicut tua nobis fraternitas intimavit, ad ecclesiam Cracoviensem, ubi corpus sancti Stanislavi requiescit, ob veneranda ipsius sancti merita confluat populi multitudo, inter quos adveniunt illuc de diversis mundi partibus sollempniter penitentes: nos tuis supplicationibus inclinati, tibi gratificari et per exhibitam tibi gratiam salubriter providere volentes, introducendi in ipsam ecclesiam, et reconciliandi in diebus festivitatum eiusdem sancti, et in octavis earum secundum formam canonicam huiusmodi penitentes, qui ad tumulum sancti eiusdem accesserint, fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Presentibus post triennium etc. Datum Laterani v. Kalendas Marcii. Anno Secundo.

Ex reg. orig. Tom. I. ep. 175. fol. 152.

CXXXVI.

Eidem consuetudo, ut primum post metropolitanum in clero locum habeat, confirmatur.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri P. episcopo Cracoviensi, salutem etc. Ex tue procedit devotionis meritis, ut que digna a nobis postulas, facile assequaris. Sane petitio tua nobis exposita continebat, quod de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine, in cuius existis possessione vel quasi, hactenus est obtentum, ut ecclesie Cracoviensis episcopus ordinatus canonice primum locum et vocem post metropolitanum inter consuffraganeos suos obtineat, etiam si sit posterius ordinatus. Nos itaque ob beati martiris episcopi Stanizlai reverentiam, cuius gloriosum corpus in eadem ecclesia, ut asseris, requiescit, ecclesiam ipsam honorare volentes, consuetudinem huiusmodi auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani vi. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 161. fol. 150.

CXXXVII.

Provincialibus Praedicatorum in Alemania, Polonia, etc. ut fratres sui ordinis ad praedicandum verbum crucis contra paganos in Livonia et Prussia mittant.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio . . . . Priori provinciali fratrum ordinis predicatorum in Alemania, salutem etc. Qui iustis causis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Ihesu Christi, quanto deus homini preferendus esse dinoscitur, et omnia sibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum sicut relatu fidedignorum percepimus exultantes, conditor omnium in Livonie ac Pruscie partibus, dilectorum filiorum fratrum Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Icrosolimitani ac aliorum fidelium triumphanti dextera faciente, sit multipliciter exaltatus, et spes sit, quod ibidem magis ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi sue partium earumdem favorem, quem in ipso possumus, impendentes oportunum illi per devotos ecclesie subsidium procuraremus: devotionem tuam rogamus et hortamur in domino, per apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus priores et fratres tui ordinis constitutos in Magdeburgensi et Bremensi provinciis, Ratisponensi, Pataviensi, Alberstadensi, Ildesemensi et Verdensi diocesibus huiusmodi negotio, quaque postposita difficultate, deputare studeas, et eosdem attentius exhortari, quod assumpto sancte predicationis officio propter deum fideles dictarum provinciarum et diocesium ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habere, et retribuere aliquid pro omnibus, que retribuit ipse illis, piis exhortationibus secundum datam sibi a deo prudentiam studeant informare diligenter, et sollicite petituri, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros christianos et catholicos cadere obpropria exprobantium Christo debent, se viriliter et potenter accingant tamquam zelum dei habentes ad ampliandam gloriam crucifixi, et liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi et acturi secundum fratrum consilia predictorum, ita quod et ipsis premium debeatur eternum, et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Illos vero de provinciis et diocesibus memoratis, qui crucis signaculo in Livonie seu Pruscie subsidium insigniti propter paupertatem seu debilitatem illuc nequeunt perso-

naliter proficisci, a voto crucis absolvant, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subventionem exhibeant per manus eorumdem fratrum in idem subsidium convertendam, Nos enim, ut quod pro nomine redemptoris tam digne deposcitur affectu facili compleatur, omnes dictarum provinciarum et diocesium in succursum eorumdem fidelium suscepto propter hoc crucis signaculo processuros, necnon eorum familiam et bona omnia, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis apostolice admittentes, illis, ac aliis, qui iuxta facultatem et qualitatem suam illuc bellatores ydoneos in expensis propriis duxerint destinandos, necnon qui ad subventionem dictarum Livonie vel Pruscie de bonis propriis congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium servituri, iuxta quantitatem subsidii et devotionis effectum illam indulgentiam idemque privilegium clargimur, quc transeuntibus et subvenientibus in terre sancte subsidium conceduntur. Preterea, ut prefatum negotium, quo pluribus contingit iuvari remediis, prosperitatis oblate suscipiat incrementum, prioribus et fratribus per te supradicto negotio deputandis presentium auctoritate concedimus, quod illis earumdem provinciarum et diocesium, qui ad eorum sollempnem predicationem accesserint, viginti dies de iniuncta penitentia relaxare, ac eorum singulis illuc assumpto propter hoc crucis caractere processuris, qui pro incendiis et iniectione manuum in clericos vel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie valeant impertiri: proviso, ut passis dampna et iniurias satisfaciant competenter, illis dumtaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt dificiles et enormes, quod sint ad sedem apostolicam destinandi. Datum Laterani v. Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In eodem modum scriptum fuit Priori provinciali ord. fratrum Predicatorum in Dacia per Dacie, Svetie et Norwegie Regna, et Priori provinciali ord. fratrum Predicatorum in Polonia per Regnum Boemie, Poloniam et Pomeraniam.

In e. m. Priori et fratribus ordinis Predicatorum Magdeburgensibus usque iniungentes, quatinus in Magdeburgensi, Brandeburgensi, Avelbergensi Civitatibus et diocesibus, Alberstatensi et Verdensi diocesibus, assumpto sancte predicationis officio, propter deum fideles constitutos in eis ad nimiam caritatem etc. usque prudentiam informetis diligenter et sollicite petituri etc. usque gloriari. Illos vero de Civitatibus et diocesibus memoratis, qui crucis etc. usque compleatur, omnes dictarum Civitatum et diocesium in succursum eorumdem fidelium etc. usque incrementum, presentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earumdem Civitatum et diocesium, qui ad sollempnem vestram predicationem accesserint etc. usque incurrerunt, absolutionis beneficium impertiri iuxta formam ecclesie valeatis: proviso etc.

In e. m. Priori et fratribus ord. Predicat. Ratisponensibus in Ratisponensi Civitate et diocesi; — Priori et fratribus ord. Predicat. Alberstatensibus in Civitate et diocesi Albertatensi; — Priori et fratribus ord. Pred. Ildesemensibus in Civitate et diocesi Ildesemensi; — Priori et fratribus ord. Pred. Viennensibus in Civitate et diocesi Pataviensi; — Priori et fratribus ord. Pred. Pragensibus in Civitate et diocesi Pragensi; — Priori et fratribus ord. Pred. Wratislaviensibus in Civitate et diocesi Wratislaviensi; — Priori et fratribus ord. Pred. Bremensibus in Bremensi et Verdensi Civitatibus et diocesibus. — Priori et fratribus ord. Pred. Amburgensibus Bremensis dioc. in Bremensi, Razeburgensi et Verdensi diocesibus; — Priori et fratribus Lubicensibus in Lubicensi, Razeburgensi et Zwerinensi Civitatibus ac diocesibus; — Priori et fratribus ord. Pred. Friburgensibus in Misnensi Civitate et dioc. et Nuemburgensi dioc. — Priori et fratribus ord. Pred. Lippicensibus Merseburgensis dioc. in Merseburgensi et Nuemburgensi Civitatibus ac diocesibus, Magdeburgensi, Alberstatensi et Misnensi diocesibus; — Priori et fratribus ord. Pred. Cracoviensibus in Civitate et diocesi Cracoviensi; — Priori et fratribus ordinis Pred. de Wisbu Lincacopiensis diocesis in Gorlandia; — Olomucensibus et Brunnensibus Olomucensis diocesis prioribus et fratribus ord. Pred. in Civitate et diocesi Olomucensi.

In e. m. Ven. fratribus Henrico Culmensi et Henrico Curonensi Episcopis de fratrum Predicatorum et Minorum ordinibus.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 367. fol. 191.

CXXXVIII.

Universo Poloniae clero indulgetur, ut nonnisi legatis vel nuntiis apostolicis sibi specialiter missis procurationes exhibere teneantur.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi et Suffraganeis eius, ac Universo Clero provincie Gneznensis, salutem etc. Cum sicut intimantibus vobis accepimus,

provincia Polonie, de qua estis, per se provincia esse consueverit et existat, proprio vocabulo Polonia videlicet iusignita, vestris devotis supplicationibus inclinati, ut nullo Legato vel nuntio in Alamaniam, seu alias quascumque vicinas provincias a sede apostolica destinato procurationes exhibere teneamini, nisi de ipsa Polonie provincia in sue legationis vel missionis litteris plena et expressa mentio habeatur, seu ad eandem provinciam fuerit ab ipsa sede destinatus, specialiter vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie v. Nonas Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 330. fol. 182.

CXXXIX.

Episcopo Vratislaviensi, priori Praedicatorum Culmensi et Bartholomaeo ordinis fratrum Minorum, ut qui in Poloniae partibus cultum Dei susceperint, eos omnes in tutelam suam recipiant.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, et Dilectis filiis . . . Priori fratrum predicatorum in Culmea ac fratri Bartholomeo de ordine fratrum Minorum predicatori crucis contra paganos Polonie, salutem etc. Sicut dilectus filius nobilis vir Kazimirus Cuiavie et Lansitie Dux, ecclesie Romane devotus, sua nobis insinuatione monstravit, nonnulli Pagani, qui Ientuosi vulgariter in illis partibus appellantur, suarum terrarum contigui sponte cupiunt ad fidem christianam redire, ac se sue subicere ditioni, et felicis recordationis Innocentius pp. predecessor noster sibi et dilecto filio nobili viro Bolezlavo Duci Cracovie ac Sandomirie suis litteris dicitur concessisse, ut quoscumque paganos eorum terris contiguos vel confines, qui sponte ac sine bello et gladio vellent ad christianam fidem redire, ac sue se subicere ditioni, liceret eis recipere, ac sicut alios christianos manutenere, protegere ac etiam in omnibus defensare, non obstante concessione, qua dicebatur prius ab apostolica sede fore concessum dilectis filiis fratribus domus Theotonicorum partium earumdem, ut quos de partibus illis paganos possent sibi bello et gladio subiugare, suo dominio applicarent. Verum quia gratuita debet esse conversio, non coacta, et ipse deus coacta servitia non acceptat, ipsius Ducis supplicationibus inclinati, mandamus, quatinus dictos paganos, et quoscumque alios sponte ad eandem fidem redire volentes, contra quoscumque auctoritate nostra manuteneatis et defendatis, Contradictores etc. invocato ad hoc, si etc., non obstante indulgentia, qua tibi, fili prior, vel ordini tuo a sede apostolica dicitur esse concessum, quod tu vel ipsius ordinis fratres de causis cognoscere inviti minime teneamini, que vobis a sede committuntur eadem. Quod si non omnes etc. Datum Anagnie Idibus Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 350. fol. 185.

CXL.

Universis Christifidelibus in Polonia, Prussia etc. visitantibus ecclesias fratrum Minorum quibusdam festivitatibus indulgentiae conceduntur.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis . . . Magistro, . . . Custodibus et fratribus Minoribus Boemie, Moravie, Polonie et Pruscie, salutem etc. Sanctorum meritis inclita gaudia fideles Christi etc. usque meritorum. Nos igitur ad consequenda predicta gaudia causam dare fidelibus populis cupientes, omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesias vestras in diebus consecrationis et anniversarii dedicationis ipsarum, et in sanctorum Francisci et Antonii sancteque Clare et post octo dies sequentes, et sanctorum eorum, quorum ibi altaria sunt, festivitatibus cum devotione ac reverentia visitaverint annuatim, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, centum dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 109. fol. 13.

CXLI.

Prioribus ordinis Praedicatorum et guardianis fratrum Minorum in Polonia, ut excommunicationis sententiam in fratres ord. S. Mariae Teutonicorum latam servandam curent.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis . . . de Helbinga et . . . de Culmea Prioribus ordinis Predicatorum, et . . . Guardiano fratrum Minorum in Toruno Culm. dioc., salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Kazimiri Ducis Lancicie et Cuiavie devoti nostri petitio continebat, quod cum olim ei fel. rec.

Innocentius papa predecessor noster terras Paganorum, que Golens et Polexia vulgariter appellantur, duxerit concedendas, dummodo Pagani terrarum illarum sponte sine gladio fidem Christi susciperent per baptismum, dilecto filio . . . Abbate de Mezano Placentine diocesis, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, sibi super hoc conservatore concesso, non obstante, quod tota terra Prussie concessa fuit a sede apostolica Magistro et fratribus domus sancte Marie Teutonicorum, quam possent sibi per gladium subiugare, idem Abbas in dictum Magistrum et quosdam de ipsis fratribus, quia ipsi, ut evacuarent gratiam eidem Duci super hoc factam a predecessore pretacto, terras easdem, ipsis Paganis paratis et volentibus sponte unda renasci baptismatis, intrantes in gladio eas sibi non sine multa effusione sanguinis subiugarunt, et diligenter ab ipso Abbate moniti ab huiusmodi subiugatione resipiscere contumaciter denegarunt, cum hoc esset adeo notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, excommunicationis sententiam, exigente iustitia, promulgavit. Quare fuit ex parte ipsius Ducis nobis humiliter supplicatum, ut eandem sententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Ideoque discretioni vestre ad instar predecessoris eiusdem per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Non obstante indulgentia, qua fratribus vestrorum ordinum ab eadem sede dicitur esse concessum, ne de causis eis ab eadem sede commissis inviti cognoscere teneantur. Quod si non omnes etc. Datum Laterani Nonis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 4. fol. 1.

CXLII.

Dux Cuiaviae et alii duces, barones, et universi crucesignati in Polonia etc. sub sedis apostolicae protectione suscipiuntur.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Kasimiro Craeovie et Cuiavie duci, ac aliis ducibus, Baronibus, et universis crucesignatis per Poloniam, Moraviam et Austriam constitutis, salutem etc. Dignum est, ut celestis Regis obsequiis inherentes speciali debeant prerogativa gaudere. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos zelo fidei et devotionis accensi ad exhortationem Venerabilium fratrum nostrorum . . . Archiepiscopi Gneznensis et suffraganeorum eius, ac dilecti filii fratris Bartholomei de ordine fratrum minorum contra Liewanenses, Iacintiones, et alios paganos et scismaticos, qui terris christianorum confines existunt, de mandato nostro predicantium verbum dei, vivifice crucis assumpto signaculo, contra eosdem perfidos velitis viriliter cum dei adiutorio proficisci, Nos propter hoc vos benigno favore prosequi delectantes, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras cum familia et omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, vobis auctoritate presentium nichilominus concedentes, ut eisdem indulgentiis et immunitatibus gaudeatis, quibus gaudent crucesignati in terre sancte subsidium accedentes. Nulli ergo etc. nostre protectionis et concessionis etc. Datum Laterani Nonis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 6. fol. 1.

CXLIII.

Archiepiscopo Gnesnensi et episcopo Cracoviensi, ut in castro Lucow in confinio Lithuanorum ecclesiam cathedralem erigant, eique Bartholomaeum de Bohemia in pastorem praeficiant.

Alexander episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gnesnensi et . . . Episcopo Craeoviensi, salutem etc. Dilectus filius Nobilis vir . . . Dux Craeovie et Sandomirie, et dilecta in Christo filia Salomea, monialis ordinis sancti Damiani, quondam Regina Gallicie, soror predicti Ducis, necnon Magister Domus Militie Templi in Alamania et Selavonia nobis humiliter supplicarunt, ut Castrum Lucov Craeoviensis diocesis ipsi Magistro et fratribus Militie Templi a prefato Duce Cracovie et Sandomirie collatum, quod est in confinio Letwanorum et aliorum infidelium, statueremus esse decetero Civitatem et ecclesiam Cathedralem ibidem erigere, ac ipsi Castro episcopalem dignitatem concedere, necnon dilectum filium fratrem Bartholomeum de Boemia ordinis fratrum Minorum, qui contra predictos infideles pro negotio fidei in illis partibus diligenter laborat, in Episcopum et pastorem inibi preficere, presertim cum ad id tuus, frater Episcope, qui loci diocesanus existis, assensus accedat, et ex hoc fidei catholice cultus posset in illis partibus augmentari non modicum, apostolica sollicitudine curaremus. Nos igitur huiusmodi cultum fidei cupientes per orbem longius latiusque diffundi, fraternitati vestre presen-

tium auctoritate committimus, quatinus premissis omnibus provida meditatione pensatis, si hoc sine dilectorum filiorum Magistri et fratrum Hospitalis sancte Marie Teutonicorum et aliorum preiudicio fieri poterit, idque ad augmentum fidei cognoveritis redundare, ordinetis, statuatis ac faciatis auctoritate nostra super predictis, prout secundum deum incremento eiusdem fidei videritis expedire. Contradictores etc. Datum Laterani Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 311. fol. 41.

CXLIV.

Episcopo Lubecensi, ut iurisdictionem super Latinos in Russia degentes exercere possit.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Lubicensi, salutem etc. Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Lubucenses Episcopi predecessores tui, qui fuere pro tempore in possessione spiritualis iurisdictionis super omnes Latinos existentes in Ruscia, et aliorum legem colentium eorumdem, fuerint a tempore, cuius memoria non existit, et tu etiam in possessione adhuc existas eadem, ac propter magnam diffusionem terre ac perfidiam dominorum ipsius, nec non malitiam habitantium in eadem, non possis comode predictam diocesim visitare, providere in hac parte tibi et ecclesie tue, ne ex hoc ius ipsius ecclesie deperire contingat, apostolica diligentia curaremus. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati tibi et eidem ecclesie, ut nullum hac occasione vobis in posterum super ipsa iurisdictione preiudicium generetur, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Laterani III. Idus Februarii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 111. fol. 14.

CXLV.

Fratribus ord. Minorum in Polonia etc. ne quis crucesignatos absque speciali sedis apostolicae mandato a voto crucis absolvat.

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis Ministris et aliis Fratribus Boemie, Polonie et Austrie, predicantibus verbum crucis, ordinis fratrum Minorum, salutem etc. Lecta nobis vestra petitio continebat, quod licet vos de mandato apostolico contra Litwanos, Iatuerzanos et alios paganos illarum partium predicaveritis verbum crucis, et ad exhortationem vestram multi fideles, signo vivifice crucis assumpto, proponant in brevi contra paganos eosdem cum dei adiutorio proficisci, quidam tamen potius ardore avaritie, quam pietatis zelo succensi, nonnullos de crucesignatis eisdem, obtentu pecunie, quam ab ipsis recipiunt, a voto crucis absolvunt pro sue libito voluntatis, asserentes, se habere super hoc a sede apostolica potestatem, propter quod huiusmodi negotii prosecutio in dispendium christiane fidei non modicum impeditur: quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum, ut super hoc providere oportuno remedio curaremus. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ne quis decetero Crucesignatos eosdem absque nostro speciali mandato taliter absolvere presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli ergo etc. nostre inhibitionis etc. Si quis etc. Datum Viterbii XVI. Kal. Iulii. Pontificatus notri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 346. fol. 45.

CXLVI.

Fratribus S. Mariae Teutonicorum terram Culmensem a duce Poloniae donatam, in ius et proprietatem B. Petri susceptam, et quidquid terrae a paganis Prussiae expugnatum eant, in perpetuum possidendum confirmat, conditione adiecta, ut Romanae ecclesiae annuum ceusum persolvant (vide supra pagg. 18, 19, 25, 26 et 38).

Alexander episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Pietati proximum et rationi consonum arbitramur, ut vobis, qui voluptatibus seculi derelictis, tollentes crucem secuti estis dominum crucifixum, omnem, quam cum deo possumus, favoris gratiam liberaliter impendamus, presertim cum nos licet immeriti vices eiusdem gerimus in terris, qui sua vestigia sequentibus perennis vite premia largietur in celis. Hinc est, quod sicut vestro relatu didicimus, cum vos ad Pruscie partes, salvatoris virtute preambula, procedentes in terra nomine Culmen, quam a christianis longis retro temporibus habitatam, predecessoribus clare memorie Conradi ducis Polonie dominantibus in eadem, idem dux vobis pro salute sua et fidelium in confinio dictarum partium positorum pia liberalitate donavit, prout in eodem privilegio super hoc confecto plene perspeximus contineri, constructis per vos castris et villis non absque multis laboribus et expensis, et Prutenorum impetu divina propitiante gratia refrenato, ac dictorum salute procurata fide-

lium, quos a multis temporibus afflixerat eorundem insania, Prutenorum Pruscie partem christiano nomini reddideritis subiugatam. Nos ad instar felicis recordationis Gregorii pape predecessoris nostri volentes, ut pro eiusdem acquisitione terre eo plenius vester animus invalescat, quo vos et existentes ibidem fidei catholice professores a nobis obtinebitis gratiam specialem, quod a vobis suffragante exercitu christiano iam de ipsa terra, actore domino, noscitur acquisitum, in ius et proprietatem beati Petri suscipimus, et eam sub speciali apostolice sedis protectione ac defensione perpetuis temporibus permanere sancimus, ipsamque vobis et domui vestre cum omni iure et proventibus suis concedimus in perpetuum libere possidendam, ita ut per vos aut alios dicta terra nullius unquam subiciatur dominio potestatis: que vero in futurum, largiente domino, insistendo defensioni christianitatis de terra paganorum in eadem provincia vos contigerit adipisci, firma et illibata vobis vestrisque successoribus sub iure ac proprietate sedis apostolice eodem modo statuimus permansura. Ceterum in eadem terra dispositioni sedis apostolice reservamus, ut per ipsam, cum vos propitiationis divine munere optata eiusdem terre spatia contigerit obtinere, ac de statu ipsius per vos plenius fuerimus informati, ordinetur de constituendis in ipsa ecclesiis et instituendis ibidem clericis, Episcopis, et prelatis aliis, nec non de providendo, quod iidem de prefata terra congruam habeant portionem, et quod promissiones ac pactiones, quas presentibus habitatoribus eiusdem terre fecisse noscimini, aut futuris faciatis in posterum, a vobis valeant observari, et quod in recognitionem dominii et percepte a sede apostolica libertatis ecclesie Romane Census annuus persolvatur, sicut in domino ad honorem ecclesie ac utilitatem vestram visum fuerit expedire. Tenorem autem predicti privilegii vobis a prefato Duce concessi de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari: Qui talis est. In nomine sancte et individue Trinitatis, Amen. Quoniam iuxta verbum viri sapientis generatio preterit, et generatio advenit, nichilque stabile vel permanens est sub sole, sed vanitati atque mutabilitati subiacent universa: ne cum labentibus annis rerum magnifice seu utiliter gestarum labatur pariter et aboleatur memoria, munificentias et liberalitates, presertim in pias causas et loca religiosa collatas, scriptura convenit perpetuari, que non solum omnem emergentem in posterum precidat et tollat ambiguitatem, verum etiam universis, ad quorum notitiam pervenerit, laudabilis et imitatione digni exempli speciem representando commendet, et ad similia invitando accedat. Cum enim omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, a patre luminum descendens, qui dat omnibus affluentiam, et nemini improperat, hominibus concedens temporalia, non ut placeant aut delectent, quia in sua natura vana vaga sunt et corruptibilia, sed tamquam semen et materia ad excrcenda misericordie opera benigne subministrans: oportet diem extreme messionis, quando omnis simul in unum dives et pauper stabunt ante tribunal districti iudicis, rationem de omnibus gestis strictissime reddituri, operibus caritatis preveniri in huius vite via seminando, quod tum metatur in patria, quando in exultatione reportabuntur manipuli bonorum operum cum fructu centuplato. Eapropter ego Conradus divina miseratione Dux Mazovie et Cuiavie, cunctis presentibus et futuris presens scriptum inspecturis notum esse volo: quod cum Pruteni et alii christiani nominis inimici magnam partem terrarum mearum ipsis adiacentium depredationibus, incendiis tam ecclesiarum, quam aliorum locorum, interfectionibus et captivationibus virorum, mulierum et parvulorum, peccatis hominum, qui altissimum in vanitatibus suis irritaverunt, exigentibus, miserabiliter divina permissione vastaverunt, eorumque, qui Christum oderunt, semper ascendens superbia invaluerit, adeo ut nec adhuc ipsum in membris eius persequi cessent aut desistant, non solum res, immo magis ipsum sanguinem fidelium inter infinitas et horrendas auditu et dictu abusiones, quas in contumeliam exercent creatoris, sitientes, sperans per viros religiosos manum domini, que nos tetigit, et flagellum sue indignationis placari, eiusque favente gratia, qui suis adesse consuevit, per Christi milites, quorum spes, virtus et gloria deus est brachium fortitudinis Sarracenorum conterendum, salutis anime mee ac meorum eterneque retributionis intuitu, ac ob defensionem fidelium in Polonia, uxore mea Agafia filiisque meis Boleslao, Kasimiro, Somovito expresse de bona et spontanea voluntate consentientibus, accedente quoque consilio et consensu Episcoporum, Magnatum et Maiorum Terre mee, dedi et contuli hospitali sancte Marie domus Theutonicorum, et fratribus eiusdem domus totum et ex integro Cholmen territorium cum omnibus suis attinentiis, ab eo loco, ubi Drawanza egreditur terminos Pruscie, et per decessum eiusdem fluminis usque in Wizlam, et in decessu Wizle usque ad Osam, et per ascensum Ose usque ad terminos Pruscie, in veram et perpetuam proprietatem possidendum pleno iure cum omni libertate, fructu et utilitate, totam terram cum aquis, aquarumque decursibus, stagnis, paludibus, mon-

tibus, vallibus, saltibus, nemoribus, silvis, arbustis, pratis, pascuis, omnibus cultis et incultis viis, et inviis, cum omnium eorum libera et plena utilitate ac fructu, que in predictis omnibus sunt vel fuerint inventa, apparentia vel occulta, et specialiter sive aurum sive argentum, vel alia quecumque species eris vel metallorum, aut gemmarum fontes, vel vene salis, et quicquid omnino in terra vel supra, vel in aquis inventum fuerit, Castores et omnes venationes quarumcunque bestiarum ferarum, Piscationes quoque piscium omnium generum cum ipsis aquis predictis, et omni earum proventu et utilitate in piscationibus, navigiis, passagiis, pontibus, molendinis et insulis, cum villis, castris, opidis, grangiis, foris, monetis, pedagiis, theloneis terrarum et aquarum, et omnino cum omnibus contentis intra limites predictos, et pleno iure ac integra libertate ipsorum etiam limitatum sine qualibet diminutione, cum omni honore et iurisdictione perfecto et vero dominio, proprietate ac possessione omnium predictorum, et aliorum omnium, que in privilegiis largitionum in favorabiles quaslibet personas, vel loca, in favorem, commodum et cautelam eorum, quibus conferuntur, conscribi solent, aut possunt, ita ut beneficium mee collationis largissimam ad omne commodum, honorem et utilitatem domus et fratrum eorumdem recipiat interpretationem, nichil prorsus iuris, utilitatis, advocatie, patronatus, vel cuiuslibet alterius iurisdictionis aut potestatis, quocumque nomine censeri possit, vel appellari, mihi, heredibus vel successoribus meis in omnibus supradictis, vel quolibet eorum retinens aut reservans, sed omnia ea cum libertatibus, et pleno et integro iure, sine omni dolo, fraude, captione, ac captiositate, sine diminutione ac coartatione, cum bona et exuberante fide, et largissimo intellectu domui et fratribus memoratis contuli, et collata recognosco, me, heredes et terram meam obligans, et teneri volens; de evectione preterea quicquid de personis vel bonis omnium Sarracenorum captivatione, depredatione, extorsione, occupatione et subiugatione mobilium sive immobilium, terrarum vel aquarum, atque omnium in eis contentorum, quolibet modo fratres predicti adipisci potuerint, cum omni et integro iure ac libertate superius premisse donationis, nulla prorsus dominatione, coartione vel impedimento ipsis a me, heredibus meis, vel quolibet alio, quem nos prohibere vel coartare possimus, prestando vel procurando eisdem concessi cum vera proprietate et predicto dominio quiete possidendum, et in hoc consensi, cum Uxoris mee, filiorum meorum, Episcoporum, Baronum, et Magnatum terre mee consensu, contra omnem hominem ad observationem et defensionem omnium supradictorum secundum omne posse et totas vires meas eisdem consilium et auxilium bona fide firmiter promittens, omnes heredes et successores meos, et terras meas obligans mecum, et astringens ad ratihabitionem, observationem et conservationem, donationem, concessionem obligationum et promissionum omnium supradictorum: fratres quoque predicti bona fide repromiserunt mihi heredibusque meis secundum dei honorem et timorem contra Prutenos, et alios Sarracenos nobis conterminos terram nostram impugnantes, quamdiu hostes fidei sunt et inimici cultus Christi, assistere, et sine dolo ac fictione una nobiscum omni tempore militare. Ne igitur donationes et concessiones predicte celebri digne memoria tam utiles quam necessarie non solum securitati fidelium in Polonia, qui graves impugnationes et oppressiones ab hostibus Christi iamdudum sustinuerunt, in presenti proficientes, verum etiam propagationi et ampliationi sancte fidei catholice, ut etiam ipsos infideles, quorum exinde speratur conversio, per dei gratiam profuture habeant in oblivionem, aut cuiuscumque calliditate, dolo, versutia, sinistra interpretatione debilitari, perverti, frangi, violari valeant vel irritari, vel saltem malivola machinatione attemptari, sed potius pie mee donationis facta firma permancant, et inconcussa, ad perpetuam prefatorum gestorum memoriam presentem paginam testium inscriptione, mei, Uxoris mee, Episcoporum et Magnatum terre mee sigillis roborari feci atque communiri. Acta sunt in Crulw ante Pontes, Anno Incarnationis dominice MCCXXX. mense Iunii. Indictione III. Testes horum sunt: Guntherus Episcopus Mazovie, Michael Episcopus Cuiavie, Christianus Episcopus Pruscie, Bernuldus Prepositus, Wilhelmus Decanus, Pacozlaus senior, Pacozlaus iunior Comes Dirsyon, Nicolaus Cancellarius, magister Iohannes Cancellarius, Gregorius subcancellarius, et quamplures alii tam religiosi quam seculares. Nulli nostre protectionis, concessionis et constitutionis etc. Datum Viterbii VII. Kal. Augusti. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 732. fol. 96.

EPISTOLAE URBANI PP. IV.

CXLVII.

Abbati S. Mariae Vratislaviensis, ut Ioanni canonico Poznaniensi, ducis Lanciciae capellano, in ecclesia Pragensi canonicatum conferendum curet.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio... Abbati S. Marie Wratislaviensis ordinis S. Augustini, salutem etc. Sincere devotionis affectum, quem dilectus filius Nobilis vir Kasimirus dux Lancitie et Cuiavie olim circa nos, tunc fungentes legationis officio in Pruscie partibus, ac etiam postquam divina clementia disponente pervenimus ad culmen apostolice dignitatis, gerere studuit, mente benevola meditantes, dignum esse providimus, ut ipsum gratiosi favoris munere foveamus. Hinc est, quod nos personam dicti ducis in dilecto filio Iohanne de Wratislavia, capellano ipsius, canonico Poznaniensi, de honestis moribus et conversatione laudabili ac etiam litterarum scientia commendato, specialiter honorare volentes, dilectioni tue mandamus, quatinus eundem Iohannem, dummodo sit ydoneus, vel prucuratorem suum eius nomine in Cathedrali ecclesia Pragensi facias per te vel per alium auctoritate nostra in canonicum recipi et in fratrem, sibi de prebenda, si qua ibidem vacat ad presens, vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, provisurum, non obstante statuto de certo canonicorum numero ipsius ecclesie iuramento, vel confirmatione apostolica, seu quacumque firmitate vallato, aut si scripta sedis apostolice sunt ibi directa pro aliis, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari, seu quod idem Iohannes alias beneficiatus existit, vel si venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis capitulo Pragensi communiter seu divisim a sede sit predicta indultum, quod ad receptionem et provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli vel suspendi, aut interdici seu excommunicari non possint, et quod alius nequeat de prebendis et beneficiis ad illorum collationem spectantibus providere per ipsius sedis litteras non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive aliqua indulgentia sedis eiusdem, per quam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cuiusque toto tenore in litteris nostris fieri debeat mentio specialis, vel si aliqui motu proprio dictorum Episcopi et Capituli sint in ecclesia ipsa recepti, quibus predictum Iohannem in assecutione prebende volumus anteferri. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum apud Urbemveterem x. Kalend. Septembris. Pont. nostri Anno Secundo. Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 231. fol. 77.

CXLVIII.

Episcopo Cracoviensi, ut precibus ducis Cracoviensis satisfaciens viros idoneos ad evangelizandos Lithuanos mittat, ac in eorum partibus ecclesias fundet.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Cum sicut lecta coram nobis dilecti filii Nobilis viri... Ducis Cracoviensis petitio continebat, Lituani et non-

nulli alii illarum partium pagani, qui Civitatem et diocesim Cracoviensem frequenter impugnant, venire cupiant ad christiane fidei unitatem: nos, qui ad augmentum divini cultus totis affectibus aspiramus, prout ex iniuncte nobis tenemur officio servitutis, illorum in hac parte propositum in domino commendantes, eiusdem Ducis supplicationibus inclinati, fraternitati tue mandamus, quatinus eisdem paganis, ne, quod absit, videantur velut oves sine pastore relinqui, evangelizare salubriter per te vel alios religiosos, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, verbum dei, ac baptismatis et alia ecclesiastica exhibere auctoritate nostra studeas sacramenta, faciens nichilominus fundari in eisdem partibus ecclesias ad opus huiusmodi conversorum, Non obstantibus quibuslibet religiosorum ipsorum consuetudinibus vel statutis contrariis, per que huiusmodi processus negotii impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem II. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 79. fol. 26.

CXLIX.

Regi Bohemiae, ut Ruthenos schismaticos et Lithuanos una cum Tartaris Poloniam et Prussiam hostiliter invadentes expuguet.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro . . . Regi Boemie Illustri, salutem etc. Agimus deo laudes et gratias, quod sicut fame tue preconium patenter insinuat, tu velut fidelis athleta Christi sollerter intendis ad ampliandum inter barbaras nationes cultum nominis christiani: unde tibi velut catholico et devotissimo principi cum fiducia scribimus super hiis, maxime que augmentum orthodoxe fidei contingere dinoscuntur. Accepimus enim, quod Rutheni scismatici et Lituani, ac alii habitantes in eorum confinibus, qui deum non colunt, sed blasphemant potius nomen eius, una cum Tartaris eorum complicibus, quibus sunt federe dampnato coniuncti, Poloniam hostiliter frequenter invadunt, eis nemine resistente. Ipsi etiam, quicquid est in Pruscia per dilectos filios fratres domus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, auxilio sedis apostolice, Christique fidelium non absque plurima effusione sanguinis acquisitum, conantur destruere, intendentes fidem christianam exinde totaliter extirpare. Ideoque serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus in remissionem peccaminum suadentes, quatinus ad eiusdem fidei tuitionem et sui cultus ampliationem, contra Scismaticos et alios predictos potenti manu procedas. Nos enim apostolica tibi auctoritate concedimus, ut terre Ruthenorum et Lituanorum, quas per ministerium tuum ad christianam fidem favente clementia divina converti, vel per te expugnari contigerit, dummodo predictis fratribus seu quibuscumque aliis catholicis ius in terris eisdem non competat, collocatis in eis christianis fidelibus, in tuo et heredum tuorum dominio perpetuo debeant permanere. Datum apud Urbemveterem II. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 850. fol. 184.

CL.

Episcopo Herbipolensi, ut Fridericum fratrem hospitalis S. Mariae Teutonicorum ecclesiae Culmensi praeficiat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Herbipolensi, salutem etc. Significarunt nobis olim dilecti filii Canonici ecclesie Culmensis, quod eadem ecclesia pastoris solatio destituta, ipsi vota sua in dilectum filium Fridericum de Husen presbiterum fratrem hospitalis sancte Marie Teutonicorum, virum utique de honestate morum, litterarum scientia, et circumspecta prudentia commendatum, unanimiter et concorditer direxerunt, secura concepta fiducia, quod eadem ecclesia per ipsius fratris industriam, fratrum hospitalis eiusdem favore assiduo fulciendam, in spiritualibus et temporalibus deberet multipliciter prosperari, propter quod eisdem Canonicis, ac dilecto filio magistro hospitalis predicti, cum propter viarum pericula securus ad presentiam Venerabilis fratris nostri . . . . . Rigensis Archiepiscopi loci metropolitani, tunc in remotis agentis, non posset accessus haberi, a nobis per suas litteras postulantibus, ut memoratum fratrem eidem ecclesie preficeremus in Episcopum et pastorem: nos tandem dictorum magistri et Canonicorum devotis supplicationibus annuentes, ac ipsius magistri honorare personam, et tam eius quam dictorum Canonicorum intuitu volentes eidem fratri gratiam facere specialem, prefato Archiepiscopo dedimus sub certa forma per nostras litteras in mandatis, ut dicto magistro et ipsis hospitalis fratribus et Canonicis memoratis se pro apostolice sedis et nostra reverentia super hoc reddens affabilem et benignum, ac etiam percaute sollicitum, ne prefata ecclesia pretextu vacationis diutine incurreret aliqua detrimenta, nominatum fratrem Fridericum, si tanto con-

grueret oneri et honori, omni occasione et dilatione postposita, ecclesie supradicte per aliquem de suffraganeis suis vel aliis convicinis episcopis, si personaliter ipse id de facili non posset efficere, in longinquis prout dicebatur partibus constitutus, in Episcopum et pastorem prefieeret, ac ei ascitis duobus vel tribus Episcopis munus consecrationis impendi, necnon obedientiam et reverentiam debitam sibi a suis subditis faceret exhiberi. Contradictores etc. Nos autem nichilominus ex tunc per dictas nostras litteras decrevimus irritum et inane, si secus de Culmensi Episcopatu contigerit attemptari. Porro prefatus Archiepiscopus pro parte dictorum magistri, Canonicorum et fratrum super hoc humiliter requisitus, quod in hac parte sibi mandavimus, pro sue voluntatis libito efficere hactenus non curavit, predicta ecclesia propter hoc, ac etiam pretextu vacationis diutine gravia et diversa discrimina sustinente: quare supradictus magister per suas speciales litteras a nobis humiliter postulavit, ut providere super hoc de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque, sicut olim, sic et modo personam eiusdem magistri specialiter in hac parte honorare volentes, maxime cum prefati Canonici, sicut asseritur, quoad eumdem fratrem Fridericum super hoc in voto pristino perseverent, mandamus, quatenus, si premissis veritas suffragatur, in huiusmodi negotio iuxta formam per dictas litteras nostras traditam Archiep̃o memorato procedens, nominatum fratrem Fridericum eidem ecclesie auctoritate nostra preficias in Episcopum et pastorem, et ascitis duobus vel tribus convicinis episcopis, munus consecrationis impendens eidem, facias sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, Contradictores eadem auctoritate etc. usque compescendo. Postmodum volumus, ut ab ipso recipias nomine prefati Archiepiscopi fidelitatis solite iuramentum, Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi, vel interdici aut excommunicari non possint, sive aliqua indulgentia sedis eiusdem, per quam executio mandati nostri super hiis impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, ita quod ex hoc Rigensi ecclesie in posterum preiudicium nullum fiat. Datum apud Urbemveterem XVII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 323. fol. 68.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. IV.

CLI.

Regi Bohemiae, ut terrae Lithoviae, si e manibus paganorum suo ministerio eripi contigerit, in illa regni solium, sicut prius, erigere, ac illius regimini personam fidelem et ecclesiae Romanae devotam praeficere valeat.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro ... Regi Boemie Illustri, salutem etc. In tui magnificentia culminis mater ecclesia quamplurimum delectatur, dum intentis et devotis studiis elaboras statum magnificare fidelium, et procurare christiane religionis augmentum. Hoc igitur providentia sedis apostolice digne considerans, tibi per suas litteras olim dicitur concessisse, ut terras, quas de manibus Lituanorum et aliorum infidelium, si tamen Tartaris vel aliis christiani nominis inimicis se, prout ferebatur, dampnabiliter copularant, eriperes, illis dumtaxat exceptis, que ad dilectos filios ... Magistrum et fratres Hospitalis sancte Marie Teutonicorum, vel ad alios Christi fideles pertinebant, ad manus tuas libere posses ac licite retinere. Unde cum, sicut asseris, signo vivifice crucis assumpto, proponas in brevi, favente divina clementia, extento potentie tue brachio procedere contra illos, ac tandem in finibus locorum, que predictis infidelibus remanere contigerit, magnum constituere presidium bellatorum, ad infidelium eorumdem locorum populum saltem per vexationis angustias ad caulam domini reducendum: nos zelum tue devotionis, qua circa cultum orthodoxe fidei ampliandum fervere dinosceris, tuumque pium in hac parte propositum, utpote laude dignum, multipliciter in domino commendantes, et intendentes te prosequi favoris gratia plenioris, Regiis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio presentium tibi auctoritate concedimus, ut si terram Letowie, de qua predicte sedis auctoritate Regnum extitit constitutum, presidente illi clare memorie Mindota, qui post receptum baptismatis sacramentum auctoritate apostolica coronatus in Regem fuit, tandem a quibusdam perditionis filiis crudeliter interfectus, de manibus inimicorum tuo ministerio eripi, domino prestante, contigerit, in illa Regni solium, sicut prius, erigere libere valeas, ac illius regimini personam fidelem et ecclesie Romane devotam preficere, prout bono statui fidelium et augmento catholice fidei videris utilius expedire. Nolumus tamen per hoc predictis Magistro et fratribus Hospitalis sancte Marie Teutonicorum, quoad terras, bona et iura spectantia ad eosdem, sive ea teneant, sive ab aliis etiam infidelibus teneantur, in aliquo preiudicium generari. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum Viterbii XIII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio. Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 139. fol. 189.

CLII.

Regi Bohemiae, ne contra infideles in Galandia, Getvesia et Lethovia constitutos procedere tepescat, eosque ad fidem catholicam conducat, et ecclesias cathedrales hisce in regionibus erigat.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Boemie Illustri, salutem etc. Si-

gnificavit nobis Regia celsitudo, quod tu in brevi contra infideles in Galandia, Getuesia, Letowia, et aliis adiacentibus provinciis existentes, qui dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum et alios Christi fideles in Pruscie partibus constitutos incessanter affligunt, iuxta conventionem inter te ac fratres ipsos habitam proponis in manu forti procedere, ac illos, divina favente clementia, convertere ad cultum fidei christiane, quodque Venerabilis frater noster ... Olomucensis Episcopus, signo vivifice crucis assumpto, tecum se conferre proponit ad ipsum negotium fidei promovendum: quare nobis devota precum instantia supplicasti, ut cum in Regno Boemie, Marchionatu Moravie, Austrie ac Stirie Ducatibus tibi subiectis nulla sedes Archiepiscopalis existat, licet antiquitus in Moravia sedes huiusmodi fuisse dicatur, Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Salzeburgensi committere curaremus, ut si dictas Letowiam, Galandiam et Getuesiam, vel ex eis tantum de predictorum infidelium manibus eripi, domino permittente, contingeret, quod possit exinde Metropolis statui congruenter, Olomucensem ecclesiam Archiepiscopali dignitate presignire curaret, ac alias in terris eisdem ecclesias erigeret Cathedrales, que ipsi Olomucensi ecclesie tanquam Metropolitane subessent. Profecto, fili Carissime, tuum in hac parte desiderium, quod ex zelo magne devotionis prodire percipimus, dignis in domino laudibus commendamus: sed quia dicta Olomucensis ecclesia subiecta est, sicut te ignorare non credimus, Moguntine, votis tuis super hoc annuere sine ipsius ecclesie Moguntine preiudicio nequiremus. Nichilominus autem propter hoc in tam laudabili proposito non tepescas, quinimmo prosequens fortitudinis spiritum, quem assumpsisse videris, contra prefatos infideles, sperans de superne clementie virtute, procedas: nam si fuerit tibi ex alto permissum, quod de predictis terris tantum conquirere valeas, quod ad statuendam Metropolim sufficere dinoscitur, super hiis providere curabimus, prout tuis iustis desideriis congruere, ac utilitati partium illarum viderimus expedire. Datum Viterbii XIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 141. fol. 189.

CLIII.

Ep̃o Olomucensi, ut terras Galandiae, Getvesiae et Lithoviae, a rege Bohemiae e manibus paganorum ereptas, in spiritualibus regat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Olomucensi, salutem etc. Ad exercendum opus dominicum, videlicet catholice fidei negotium promovendum, tanquam vir magnanimus et devotus exurgens, proponis, sicut accepimus, una cum Carissimo in Christo filio nostro... Illustri Rege Boemie contra barbaras nationes, inimicas eiusdem fidei, vivifice crucis assumpto signaculo, proficisci. Unde, cum eidem Regi per apostolicas litteras duxerimus sub certa forma inter alia concedendum, ut si terras Galandie et Getuesie de manibus eorumdem infidelium per potentiam dicti regis eripi, domino permittente, contigerit, idem Rex possit illas ad manus suas libere ac licite retinere: nos dicti Regis supplicationibus annuentes, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, presentium auctoritate concedimus, ut terras easdem, cum fuerint, deo propitio, taliter acquisite, valeas in spiritualibus regere, dirigere, ac earum nationes doctrinis salubribus informare, sine iuris preiuditio alieni, donec super hiis duxerimus aliter providendum. Nulli etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Viterbii VIII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 142. fol. 190.

CLIV.

Regi Bohemiae, ut terras, quas e manibus Lithuanorum aliorumque gentilium eriperet, retinere possit.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Boemie Illustri, salutem etc. Ad extollendam fidei catholice gloriam tanquam Princeps christianissimus studio devote mentis intendens, obtinuisse diceris per apostolicas tibi litteras indulgeri, ut terras, quas de manibus Litwanorum vel aliorum infidelium, si tamen ipsi Tartaris et aliis christiani nominis inimicis essent, prout ferebatur, dampnabili federe copulati, per tuam potentiam divine presidio maiestatis eriperes, posses ad manus tuas libere ac licite retinere, illis terris prorsus exceptis, que ad dilectos filios fratres Hospitalis sancte Marie Theutonicorum, seu quoscumque alios Christi fideles pertinere noscuntur, licet illas ad presens alii tenent, etiam infideles. Nunc autem Celsitudini tue pleniorem gratiam facientes, ut terras easdem taliter tue devotioni concessas, postquam per tuum ministerium, deo propitio, extiterint acquisite, non solum ad manus tuas iuxta prescriptam formam retinere libere valeas, sed et de ipsius absque dicto-

rum fratrum preiudicio disponere, prout tua discretio salubriter expedire viderit, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Viterbii VII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 140. fol. 189.

CLV.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Prussia pontifex conventionem inter ipsos et regem Bohemiae de occupandis gentilium terminis initam confirmat.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis... Magistro et fratribus Hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Pruscia, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est etc. usque perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum Carissimus in Christo filius noster O. Illustris Rex Boemie zelo ductus fidei, tam ad ampliandum titulos et cultum nominis christiani, ac Gentilium refrenandam tyrannidem, quam ad ipsorum occupandum et capiendum terminos, eosque divino cultui circa Prusciam et Regiones conterminas subiugandos potenti manu disponeret proficisci, tandem, ut iura vestra in posterum illibata seu conservata vobis plenius apparerent, contestatus est se ita premissa debere prosequi, quod vobis exinde in partibus terrarum Pruscie, quas acquisivistis ibidem, et iam in vestra potestate tenetis, vel in partibus terrarum, que apostatarunt a fide, quasque vos aliquando in vestra possessione ac potentia habuistis, videlicet in terra Culmensi, Lubovia, Soysim, Ponizania, Pazluch, Landesen, Sambia, Pogzania, Warmia, Natangia et Barchia (sic) cum territoriis et attinentiis earumdem, nullum umquam per eundem Regem vel suos successores ratione dominii, nominis, dominationis seu iuris sibi ascribendis, quantum ad predicta loca, tunc vel in posterum preiudicium generetur, in quibus dictus Rex vobis plenum ius, quod et ante habueratis, iurisdictionis, dominationis, proprietatis, possessionis et acquisitionis eorum quietum et liberum professus fuit a se et suis posteris remanere. Promisit quoque idem Rex, quod ad recuperandum dictas terras, que a fide scilicet apostataverunt, vobis assistet pro viribus auxilio et favore. Vos autem ad acquirendum et occupandum Galendiam, Getwesiam, Lutoviam, et alios inimicos crucis Christi pro viribus eum iuvabitis, ut terre ipse cultui fidei christiane ac ditioni Regis applicentur eiusdem, sicut in patentibus litteris ipsius Regis confectis exinde suoque sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super premissis provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari: Qui talis est. Nos Othakarus dei gratia Boemie Rex, Dux Austrie et Stirie ac Marchio Moravie, Omnibus hanc litteram inspecturis, salutem in perpetuum. Regalis celsitudinis gloria, elargiente bonorum omnium datore, decorati, multiplicibus potentatibus divitiarum et virium precellentes, zelo ducti fidei ad ampliandum titulos et cultus nominis christiani, in elisiones et exterminationes gentilium insidiantium fidei christiane, ut refrenetur tyrannidis (?) eorumdem, nos, nostros et potentiam nostram, participii (sic) eterne intuitu beatitudinis, defensorem exponimus atque murum ad occupandum et capiendum terras ipsorum gentilium, et terminos partium eorumdem cultui divini nominis subiugandos: ita videlicet, ut fratribus Militie Domus Theutonicorum in partibus terrarum Pruscie, quas iidem fratres occuparunt, et in sua potestate iam detinent occupatas, vel in partibus terrarum a fide apostatarum, quas dicti fratres aliquando habuerunt in sua potentia et possessione, videlicet terra Culmensi, Lubovia, Soysim, Ponizania, Pazluch, Landesen, Sambia, Pogzania, Warmia, Natangia et Barchia cum territoriis et attinentiis earumdem, nullus umquam per nos vel nostros successores ratione dominii, nominis, dominationis seu iuris nobis ascribendis, quantum ad predicta loca, nunc vel in posterum preiudicium generetur: in quibus sepedictis fratribus plenum ius, quod et ante habuerant, iurisdictionis, dominationis, proprietatis, possessionis et acquisitionis eorumdem quietum et liberum profitemur a nobis et nostris posteris remanere, scriptoque promittimus in presenti, quod ad recuperandum terras iamdictas, a fide scilicet apostatas, ipsis fratribus astabimus pro viribus auxilio, consilio et favore. Iidem quoque fratres ad acquirendum et occupandum Galendiam, Getwesiam, et alios inimicos crucis Christi, quantum possunt, pro viribus nos iuvabunt, ut eedem terre cultui fidei christiane ac nostre ditioni Regie applicentur, prout instrumentis super hoc nobis traditis plenius est expressum. In cuius rei testimonium et vigorem dictis fratribus damus presens scriptum nostrorum sigillorum munimine roboratum. Acta sunt hec Prage Anno domini M. CC. LXVII. Datum ibidem per manum Magistri

Petri Wissegradensis Prepositi, Regni nostri Cancellarii, XIII. Kal. Octobris. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Viterbii II. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 144. fol. 192.

CLVI.

Nicolaus ecclesiae Posnaniensi praeficitur in episcopum et duci Poloniae commendatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Assumpti quamvis immeriti, disponente domino, in plenitudinem potestatis, cum inter primas sollicitudinis nostre curas hec debeat esse propensior, ut ad Christi pascendas oves tales nobis consulentibus persone procedant, in quibus per vite ministerium et prerogativam scientie fidelis dispensatio commendetur: litteratos viros, quos morum et conversationis decorat honestas, libenter in partem iniuncte nobis sollicitudinis advocamus, quoniam per tales et ecclesiarum utilitas et salus provenit animarum. Olim siquidem ecclesia Poznaniensi vacante, Capitulum eiusdem ecclesie dilectum filium P. . . ipsius ecclesie Prepositum in eorum Episcopum elegerunt, cuius electionem Venerabilis frater noster . . . Archiepiscopus Gneznensis Metropolitanus ex certis causis auctoritate metropolitica, iustitia suadente, cassavit, et Venerabilem fratrem nostrum V. . . Episcopum quondam Poznaniensem, tunc Decanum Gneznensem, ipsi Poznaniensi ecclesie auctoritate predicta preficiens in Episcopum et pastorem, munus ei consecrationis impendit. Cumque a provisione ipsi V. facta per eundem Archiepiscopum . . . Decanus, Archidiaconus, et alii ecclesie predicte Canonici ad sedem apostolicam appellassent, et causa mota super hoc inter eumdem Episcopum ex parte una, et ipsos Decanum, Archidiaconum, et Canonicos ex altera, fuisset ad eandem sedem pro appellatione huiusmodi devoluta: nos de ipso negotio cognoscentes, quia eandem provisionem contra constitutionem felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri super hoc editam, non persone vitio invenimus attemptatam, de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam. Demum vero de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, ne ipsa Poznaniensis ecclesia pateretur ex iterate dissentionis dispendio et diutina vacatione discrimen, et de tali eidem persona provideri volentes, que subditis verbo proficeret et exemplo, te tunc Capellanum nostrum, virum utique fame laudabilis et scientie congruentis, et in nostris et fratrum nostrorum oculis probitatis tue meritis gratiosum, de fratrum eorundem consilio eidem Poznaniensi ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, tibique consecrationis munus de nostris duximus manibus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod sepe dictam ecclesiam, auctore domino, salubriter gubernabis. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes, quatenus ad premissam ecclesiam cure tue divina et apostolica provisione commissam cum gratie nostre plenitudine proficiscens, sic eam fideliter et prudenter secundum datam tibi a deo scientiam regere studeas, quod tuo ministerio, annuente divina clementia, salutaribus proficiat incrementis, et nos sollicitudinis tue studium dignis in domino laudibus comendemus. Datum Viterbii XI. Kal. Iunii. Anno Tertio.

In e. m. Capitulo Poznaniensi, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro . . . Duci Polonie, salutem etc. Assumpti quamvis etc. ut in alia usque accedentem cum reverentia suscipiens et honore, sibi et eidem ecclesie favorabilem et benivolum te impendas, ita quod exinde tibi deum reddas propitium, et sedem apostolicam in tuis beneplacitis promptiorem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 39. fol. 148.

EPISTOLAE GREGORII PP. X.

CLVII.

Episcopus Cuiaviensis constituitur administrator ecclesiae Gnesnensis.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Cuiaviensi, salutem etc. Ecclesia Gneznensi pastoris solatio destituta, aliqui ex illis Canonicis dilectum filium Conradum Prepositum, et quidam Iohannem dictum Ridliza Canonicum eiusdem ecclesie in illius Archiepiscopum elegerunt, nosque cognitionem cause super huiusmodi electionibus orte dilecto filio nostro . . . tituli sancti Martini ad montes presbitero Cardinali duximus committendam. Verum quia tam idem Prepositus, quam Canonicus ipse redditus et proventus, ac bona sedis Gneznensis occupare propria temeritate dicuntur, utrique ipsorum suis electoribus indebite faventibus in hac parte, propter quod iidem redditus et proventus, prout intelleximus, distrahuntur, prodigaliter et dampnose bona huiusmodi dissipantur: nos super hoc ipsius sedis indempnitatibus occurrere cupientes, te administratorem bonorum temporalium sedis eiusdem, usque quo alium legitimum administratorem accipiat, deputantes, fraternitati tue mandamus, quatenus omnia, que de hiis per eosdem Prepositum, Canonicum et electores, aliosve quoscumque occupata reppereris, in tuis facias manibus assignari, ac redditus et proventus predicte sedis, extantes videlicet et futuros, integre colligi, tam illa quam universa alia bona sedis eiusdem ad opus futuri pastoris sine iuris preiudicio alieni fideliter conservando, ac inhibendo tam Preposito quam Canonico sepedictis, ne ante confirmationem suam se de hiis quomodolibet intromittant. Contradictores etc. Datum Lugduni xvi. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 83. fol. 98.

EPISTOLAE IOHANNIS PP. XXI.

CLVIII.

Procopio cantori administratio ecclesiae Gnesnensis confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Procopio Cantori ecclesie Gneznensis, salutem etc. Sua nobis dilecti filii ... Archidiaconus, ... Scolasticus, ... Prepositus Lanchitiensis et alii Canonici ecclesie Gneznensis, qui sunt maior et sanior pars Capituli eiusdem ecclesie, petitione monstrarunt, quod ecclesia ipsa pastoris solatio destituta, aliqui ex illis Canonicis Conradum Prepositum, et quidam vero ex ipsis Iohannem dictum Padlizam Canonicum eiusdem ecclesie in Gneznensem Archiepiscopum elegerunt, ac felicis recordationis Clemens papa predecessor noster cognitionem cause super huiusmodi electionibus orte dilecto filio nostro S. tituli sancti Martini ad montes presbitero Cardinali commisit. Verum quia tam idem Prepositus, quam dictus Iohannes redditus et proventus, ac bona sedis Gneznensis occupare temeritate propria dicebantur, utrique ipsorum suis electoribus indebite faventibus in hac parte, propter quod iidem redditus et proventus distrahebantur prodigaliter et dampnose, bonaque dissipabantur prefata, dictis predicte ipsius sedis indempnitatibus super hoc cupiens providere, bone memorie ... Episcopum Cuiaviensem, ipsius proprio nomine non expresso, administrationi bonorum temporalium sedis eiusdem, usque quo alium legitimum administratorem acciperet, deputavit, dando eidem Episcopo suis litteris in mandatis, ut omnia, que de hiis per eosdem Prepositum, Iohannem et electores, aliosve quoscumque occupata reperiret, in suis faceret manibus resignari, ac redditus et proventus dicte sedis, extantes videlicet et futuros, integre colligi, tam illa quam universa bona alia eiusdem sedis ad opus futuri pastoris sine iuris preiudicio alieni fideliter conservando, ac inhibendo tam Preposito quam Iohanni supradictis, ne ante confirmationem suam se de hiis intromietant quoquo modo, Contradictores etc. usque compescendo. Verum predicto Episcopo viam universe carnis ingresso, est ei, ut dicitur, alius substitutus, qui propter senectutem et sui corporis valetudinem huiusmodi administrationi vacare, ac ipsius sedis iura et bona defendere ac manutenere non potest: quare pro parte dictorum Canonicorum, qui sunt maior et sanior pars Capituli, fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc ipsi ecclesie salubriter curaremus, tibi, per quem iura et bona dicte sedis conservari et manuteneri comode poterunt, sicuti dicunt, administrationem predictam nichilominus committendo. Nos itaque de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, eandem administrationem tibi auctoritate predicta duximus committendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus administrationem ipsam exerceas diligenter iuxta predictarum continentiam litterarum. Datum Viterbii III. Kal. Decembris. Pont. nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 26. fol. 9.

EPISTOLAE NICOLAI PP. III.

CLIX.

Martinus ex ordine Praedicatorum ecclesiae Gnesnensi praeficitur in archiepiscopum et ducibus Poloniae commendatur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Martino Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nostrum animum, qui, disponente domino, universali regimini quamvis immeriti presidemus, insultibus impetat successivis, sollicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus ex iniuncto nobis apostolatus officio specialius, imo principalius deputati. Sane ecclesia Gneznensi dudum pastoris solatio destituta, Nos, qui circa viduatas ecclesias continue attentionis oculis ad hoc potissimum vigilamus, ut, mora exclusa dampnosa, talibus ipsarum regimen committatur, per quos salutaria in spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiant, te professorem ordinis predicatorum, tunc penitentiarium et Capellanum nostrum, litterarum scientia preditum, morum honestate conspicuum, consilio providum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis predicte ecclesie in Archiepiscopum preficimus et pastorem, ac tibi de manibus nostris munere consecrationis impenso, palleum de beati Petri corpore sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, cum ea, qua decuit, instantia postulatum tibi fecimus assignari, firmam spem fiduciamque tenentes, quod ecclesiam ipsam salubriter, auctore domino, gubernabis. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et suavi eius oneri humiliter colla submitte, manumque mittens ad fortia ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter studeas et constanter, oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de grege ipso reddita in die stricti examinis ratione, regnum patris eterni, ab origine mundi paratum electis, accipias, in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eundem tibi commissum gregem ad uberioris meriti retributionis cumulum introducas. Datum Viterbii x. Kalendas Iulii. Anno Primo.

In e. m. ... Preposito ... Decano, et Capitulo ecclesie Gneznensis, Clero Civitatis et diocesis Gneznensis, Universis Vassallis, Universis Suffraganeis ecclesie Gneznensis, verbis competenter mutatis.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Universis Ducibus per Gneznensem provinciam constitutis, salutem etc. Licet etc. usque gubernabit. Quocirca Nobilitates vestras rogamus et hortamur, per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus eundem Archiepiscopum ad commissam sibi divina et apostolica providentia prefatam Gneznensem ecclesiam cum plenitudine nostre gratie accedentem habentes propensius commendatum, sibi et eidem ecclesie vos favorabiles et benivolos exhibere velitis: ita quod ipse vestri favoris fultus presidio in executione officii sui possit assidue

prosperari, ac vobis exinde divine retributionis premiis comparatis, nos devotionem vestram possimus in domino merito commendare. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 90. fol. 21.

CLX.

Henricus ecclesiae Warmiensi in episcopum praeficitur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Henrico Episcopo Warmiensi, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes, circa curam omnium ecclesiarum sollertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis gregis dominici curam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus: et quamquam assidue circa singularum comoda vigilemus, tamen erga illas, que deplorant viduitatis incomoda, propensiori cura et maiori pulsamur instantia, ut eis preficiamus viros ydoneos in pastores. Dudum siquidem Warmiensi ecclesia per obitum bo. me. Anselmi Episcopi Warmiensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie ad tractandum de futuri substitutione Prelati, prout moris est, in simul convenerunt, ac per viam compromissi in huiusmodi negotio procedentes, dilectis filiis Henrico Decano et Magistro Iordano Canonico ecclesie supradicte providendi eidem ecclesie de pastore concesserunt liberam potestatem, qui auctoritate concessionis huiusmodi te tunc Prepositum ipsius ecclesie in Warmiensem Episcopum elegerunt. Verum Venerabilis frater noster . . . Rigensis Archiepiscopus loci Metropolitanus presentatam sibi electionem huiusmodi renuit confirmare, asserens se de Iohanne Preposito Rigensi auctoritate propria eidem canonice providisse, propter quod pro parte tua et dictorum Capituli fuit ad sedem apostolicam appellatum. Te igitur et prefato Preposito propter hoc in nostra presentia constitutis, et a te ac ipso Preposito de veritate dicenda prestito iuramento, demum tam tu quam idem Prepositus ius, si quod tibi ex electione predicta ac ipsi Preposito ex provisione huiusmodi competebat, libere in nostris manibus resignastis. Nos itaque, huiusmodi resignatione recepta, de ordinatione ipsius ecclesie sollicite cogitantes, ac talem eidem ecclesie cupientes preesse pontificem, per quem posset salubriter gubernari, ad personam tuam direximus oculos nostre mentis, cui de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia laudabile testimonium perhibetur, teque de fratrum nostrorum consilio ecclesie predicte prefecimus in episcopum et pastorem, et consecrationis munus tibi nostris propriis manibus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia per tue diligentie studium preservabitur a noxiis, et spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus, quam suave, et in dilectionem dei pascendum suscipe gregem eius, super quem noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus invasori, et dominus insuspicabili hora venturus si te invenerit sic agentem, cursu consumato, qui tuo labori proponitur, et eorum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico, supra multa constituat, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Warmiensis, et Clero et Populo Civitatis et diocesis Warmiensis, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 49. fol. 132.

CLXI.

Episcopo Firmano sedis apostolicae in Hungaria legato, ut Wlostiberium in archiepiscopum Gnesnensem electum, si ipsius electionem canonicam invenerit, confirmet.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Philippo Episcopo Firmano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Que de statu, immo casu miserabili Gneznensis ecclesie, ac populi christiani partium illarum tue, necnon dilectorum filiorum . . . Prepositi, . . . Decani et Capituli eiusdem ecclesie, ac quorundam prelatorum partium earundem littere misse nuper lamentabiliter referebant, nobis et fratribus nostris amaritudinis presentavere materiam, et accelerandam gratiose provisionis misericordiam implorabant. Habet enim litterarum ipsarum assertio, quod eadem Gneznensis ecclesia, que diu antea pastore vacarat, et nunc per mortem bone memorie Martini de ordine Predicatorum, quem in Archiep̃um eidem prefeceramus ecclesie, vacare dinoscitur, tam per tyrampnidem paganorum fidem persequentium christianam, quam per temeritates et insolentias plurium aliorum non solum in suis bonis et iuribus gra-

vibus est attrita molestiis, et deducta in paupertatis opprobrium, sed et in personis populi, pastoris eiusdem ecclesie cure commissi, enormibus est convulsa dispendiis, non sine fidei eiusdem iniuria et gravi proh dolor periculo animarum: cum sicut eedem littere continebant, diebus istis preter numerosam stragem hominum, quos paganorum ipsorum crudelitas inhumana peremit, multitudinem copiosam iuvenum dicti populi eorundem paganorum violentia fidem eandem abnegare coegerit, et pertraxerit ad gentilitatis errorem. Habebat insuper earundem litterarum adiectio, quod dicti prepositus, decanus et Capitulum post obitum prefati Archiepiscopi pro futuri substitutione pastoris, sicut moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium Wlostoberium Canonicum Gneznensem, virum utique providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in Gneznensem Archiepiscopum canonice ac concorditer elegerunt. Nuntiis ad tuam presentiam destinatis, primo ad excusandam dicti Electi absentiam, et commissionem huiusmodi negotii a te in illis partibus impetrandam, et demum ad petendam confirmationem electionis ipsius: sed tu, cum nondum partes illas intrasses, variis et arduis in Regno Ungarie occupatus, nec comode presertim absque periculo incumbentium sollicitudini tue in Regno predicto ipsius negotii vacare posses examini, eligens apostolice sedi deferre, ad illam dictum negotium remisisti, humiliter supplicans, illud celeriter expediri, ad id eorundem prelatorum Prepositi, Decani et Capituli devota supplicationis instantia memoratis inserta litteris concurrente. Nos itaque predictis ecclesie ac populo pio compatientes affectu, ac intenso desiderio affectantes, ut persona idonea celeriter ad ipsius ecclesie regimen assumatur, per cuius industriam possit eidem populo salubriter subveniri, gerentes quoque de tua circumspectione fiduciam, de ipsorum fratrum consilio fraternitati tue presentium auctoritate committimus, quatinus inquisita per te, vel per alium seu alios de modo huiusmodi electionis, studiis eligentium, et Electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris canonice de persona ydonea celebratam, eam auctoritate nostra confirmes; si vero in eadem electione defectum inveneris, propter quem de iure cassanda sit eadem electio, vel nulla forsitan nuntianda, tu electionem ipsam, prout iustum fuerit, cassare seu nullam studeas nuntiare: ac nichilominus si personam prefati Wlostoberii fore ydoneam reppereris, tantoque honori ac oneri congruentem, et utilitati eiusdem ecclesie videris expedire, ipsum, dummodo nullus super hoc se opponat, predicte Gneznensi ecclesie preficias eadem auctoritate in Archiepiscopum et pastorem, ac deinde ascitis duobus vel tribus Episcopis, dicto W. munus consecrationis impendas; alioquin dictam electionem, prout ius exegerit, rite casses, vel eam cassam et irritam nuntiare procures, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum x. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 189. fol. 208.

EPISTOLAE MARTINI PP. IV.

CLXII.

Henricus de Brem ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio fratri Henrico de Brem Electo Gneznensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Onerosa pastoralis officii summi dispositione pastoris nobis licet immeritis cura commissa sollicita nos pulsat instantia, ut inter cetera, que undique negotia confluunt, quibusve noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum vacantium sollicitius intendamus, ne ipsis pastoris presidiis destitutis ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia earum oves rapiat et dispergat, ne manus avida illarum bona diripiat, iura presumptionis usurpet: ideoque solliciti reddimur, ut eedem ecclesie a pastoribus dirigantur ydoneis, et rectoribus providis gubernentur. Tunc enim puppis salubri processu dirigitur, cum Rectoris industrii gubernatione non caret: tunc etiam fructibus ager exuberat, cum sibi cultoris non deest presentia diligentis. Sane dudum Gneznensi ecclesia pastore vacante per obitum b. m. Martini Gneznensis Archiep̃i, (dilecti filii) Capitulum eiusdem ecclesie convenientes in unum, Wlostiberium ecclesie eiusdem Canonicum in Archiepiscopum Gneznensem concorditer elegerunt. Postmodum autem predictis Capitulo supplicantibus felicis recordationis N. pape predecessori nostro, ut cum idem Canonicus propter inopiam ecclesie prefate ac expensarum defectum, necnon et viarum discrimina non posset commode ad apostolicam sedem accedere pro sue electionis negotio prosequendo, providere super hoc paterna sollicitudine dignaretur: idem predecessor Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Firmano, in illis partibus apostolice sedis legato, inquisitionem faciendam de modo electionis predicte, ac ipsius Canonici meritis per suas litteras sub certa forma commisit. Cumque predictus legatus predictum Canonicum ad suam presentiam evocasset, idem Canonicus iuri, quod sibi ex electione huiusmodi competebat, vel competere poterat, libere ac sponte in manibus legati renuntiavit eiusdem: Nos itaque paterno desiderantes affectu, quod de sponso legitimo et ydoneo provideretur ecclesie memorate, ac attendentes, quod si eius provisio differretur, multis subiceretur periculis, et gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, ad personam tuam, de qua super litterarum scientia, honestate morum, aliisque virtutum meritis laudabile testimonium a fide dignis accepimus, nostre mentis oculos duximus dirigendos, ac te fratrum minorum ordinis professorem de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis predicte ecclesie preficimus in Archiep̃um et pastorem, sperantes, quod cum esse dicaris consilio providus, generis nobilitate preclarus, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus, ecclesia ipsa, que hactenus debite defensionis auxilio destituta direptioni patens, et prede gravis desolationis iacturam dicitur incurrisse, tue circumspectionis industria et virtute ad statum debitum restauretur, et optata in spiritualibus et temporalibus susci-

piat incrementa. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum a domino tibi onus devote suscipiens, sic super gregem dominicum tibi commissum noctis vigilias diligenter observes, ut liber invadendi aditus non pateat invasori: Beatus siquidem eris, si dominus insuspicabili hora venturus te invenerit sic agentem, quia cursu consumato, qui tuo labori proponitur, et horum fide servata, que tue sollicitudini committuntur, te immarcescibili corona iustitie decorabit. Datum apud Urbemveterem x. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, Clero Gneznensis Civitatis et diocesis, Episcopis Suffraganeis ecclesie Gneznensis, Populo Gneznensis Civitatis et diocesis, Duci Cracovie, Duci Polonie, Duci Wratislaviensi, verbis competenter mutatis etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 126. fol. 38.

CLXIII.

Vratislaviensi et Posnaniensi episcopis, ut impios ducis Cracoviensis in episcopum eiusdem ecclesiae ausus reprimant, in eumque censuris canonicis animadvertant.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus .... Wratislaviensi et .... Poznaniensi episcopis, salutem etc. Gravem et horrendum excessum, quem Nobilis viri Lestcho Cracovie, Sandomeric et Syradie ducis detestanda presumptio in personam Venerabilis fratris nostri Pauli Cracoviensis episcopi dicitur commisisse, nuper audivimus, tanto potius inde turbati, quanto moleste ferimus irrogatas Coepiscopis nostris iniurias et offensas. Intelleximus etenim, quod dux ipse dampnabiliter ad malignitatis opera pravitatis studiis se convertens, ut facilius preconceptam iniquitatem pareret ac impietatis virus, quod adversus eundem Episcopum in malivoli pectoris abditis occultabat, evomeret, parlamentum indixit certo termino celebrandum, ad illud Episcopum specialiter evocans memoratum: quem tandem ad ipsius ducis presentiam fidutialiter accedentem, post benigne et licet ficte salutationis alloquium, quod securitatis comodum promittebat, ad pacis osculum sub velamine simulate devotionis admisit, illius scelesta vestigia, qui humani generis redemptorem fallacis osculi exhibitione tradidit, immitatus. Et primo dum prefatum Episcopum sic receptum, celate fraudis claustra nequiter reserans, et malitie ostium latentis aperiens, iniectis in Episcopum manibus, dei timore postposito, temere violentis, abiectave reverentia, que ministris divinis deberi dinoscitur, ausu sacrilego capi fecit, et vehiculo lingneo ingnominiose impositum, eius pedibus impiis predicti ducis manibus, in offense gravioris augmentum, artius colligatis, ad quoddam ipsius Castrum, quod Siraz vulgariter nuncupatur, illis eidem probris contumeliosis aduci, ibique tetro carceri mancipari, quem adhuc vinculis compeditum ferreis dicitur detinere. Nec suffecit malitie dicti ducis tam proditionaliter eundem Episcopum capere, tam iniuriose tractare, nisi et ipsemet deputata gressibus membra eius sub nodis strictioribus coherceret. Nimirum mirari non immerito cogimur, quod sic dux ipse, si consonent facta relatibus, voluntatis precipitis frena laxare, sic pravis adherere consiliis potuit, ut in tantam prorumperet temeritatis audatiam, ne dicamus insaniam, et in actus tam reprobos, tam enormes quomodolibet prosiliret: cum, sicut fertur, idem dux tamquam in sensum perversum deditus premissorum perpetratione dampnabili non contentus, sed mala malis adiciens, et excessus excessibus coacervans, castra, libros, vestes, pontificalia ornamenta, necnon et equos, proventus ac redditus universos tam ipsius Episcopi, quam Episcopalis sedis Cracoviensis, et Clericorum aliorumque familiarium Episcopi supradicti temerariis ausibus presumpserit occupare, in divine maiestatis offensam, apostolice sedis iniuriam et contemptum, grave scandalum circumposite regionis, ac libertatis ecclesiastice non modicum detrimentum. Quia igitur excessum huiusmodi tam enormem, tam pernitiosum exemplo, et in conspectum superni principis odiosum non possumus, nec debemus taciturnitate silentii preterire, ad illum, ut convenit, castigandum, ne impunitatis deteriora presumat, partes adhibendas censuimus apostolice potestatis. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si de huiusmodi manuum iniectione, carceris mancipatione, et detentione vobis constiterit, prefatum ducem, et omnes alios, qui eiusdem ducis complices extiterint in hac parte, tamdiu vos vel alter vestrum per vos, vel per alium seu alios excommunicatos publice nuntietis, et faciatis ab omnibus artius evitari, donec prefatum Episcopum reddiderint libertati, et super premissis eidem Episcopo satisfecerint competenter, et per sedem apostolicam absolutionis beneficia meruerint obtinere: et nichilominus prefatum ducem, quod predicta omnia occupata taliter ab ipso vel eius favore integre restituat, et de dampnis Episcopo, sedi Cracoviensi, Clericis et familiaribus supradictis illatis, eis plenam

et debitam satisfactionem impendat, monentes precipiendo per excommunicationem in personam ipsius ducis, appellatione remota, cogatis. Quod si forte prefatus dux huiusmodi excommunicationem post huiusmodi nuntiationem vestram per Quindecim dierum spatium animo sustinuerit indurato, vos extunc terras ipsius interdicto ecclesiastico supponatis, aggravaturi alias manus vestras nichilominus contra eum, prout iustitia suaserit et protervitas exegerit contumacis, invocato contra ducem et fautores eosdem postmodum, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores per censuram eandem, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si eidem duci, vel fautoribus eius sub quacunque forma verborum ab apostolica sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, aut terre ipsorum ecclesiastico interdicto supponi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia ipsius sedis indulgentia, cuiuscunque sit tenoris, expressionis aut forme, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri. Datum apud Urbemveterem IV. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 7. fol. 122.

CLXIV.

Iacobus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Electo Gneznensi, sal. etc. Recte tunc ecclesiarum utilitati prospicitur et indempnitati salubriter precavetur, cum dilectis et providis ipsarum cura committitur et viduatarum regimini pastores ydonei preponuntur. Unde uos, qui licet insufficientibus meritis in sublimi sumus apostolici culminis specula, disponente domino, constituti, curis continuis angimur, ut eedem ecclesie nostre sollicitudinis studio per pastores gubernentur industrios, et per duces perspicuos in suis gregibus dirigantur. Sane dudum Gneznensi ecclesia per obitum bone memorie Martini Gneznensis Archiepiscopi destituta pastore, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie convenientes in unum, Wlostiberium eiusdem ecclesie Canonicum in Archiepiscopum Gnezuensem concorditer elegerunt. Postmodum autem predictis Capitulo supplicantibus felicis recordationis Nicolao pape predecessori nostro, ut cum idem Canonicus propter inopiam ecclesie prefate ac expensarum defectum, necnon et viarum discrimina non posset commode ad apostolicam sedem accedere pro sue electionis negotio prosequendo, providere super hoc paterna sollicitudine dignaretur, idem predecessor Venerabili fratri nostro ... Firmano Episcopo, tunc in illis partibus apostolice sedis legato, inquisitionem faciendam de modo electionis predicte, ac ipsius Canonici meritis per suas litteras sub certa forma commisit. Cumque predictus Legatus euudem Canonicum ad suam presentiam evocasset, idem Canonicus iuri, siquod sibi per electionem huiusmodi competebat vel competere poterat, libere ac sponte in manibus legati renuntiavit eiusdem, Nosque paterno desiderantes affectu, quod de sponso legitimo et ydoneo provideretur ecclesie memorate, de dilecto filio fratre Henrico de Bren ordinis minorum, quem nobis de nobilitate generis, litterarum scientia, honestate morum aliisque virtutum meritis fidedignorum testimonia multipliciter commendarunt, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudiue potestatis predicte Gneznensi ecclesie duximus providendum. Verum predicto fratre Henrico reuuente provisionem huiusmodi acceptare, [et] prefati Capitulum eiusdem ecclesie in te tunc Cantorem ipsius ecclesie vota sua unanimiter direxerunt, te in suum Archiepiscopum eligentes; demum vero te in nostra et predictorum fratrum nostrorum presentia in nostris manibus libere ac sponte renuntiante omni iuri, siquod tibi per electionem huiusmodi de te factam fuerat acquisitum: Nos huiusmodi renuntiatione recepta, periculis, que per vacationem diutinam eidem possent ecclesie imminere, provisione celeri occurrere cupientes, ad personam tuam, cui de vita laudabili, conversatione placida, litterarum scientia, morum honestate decora, spiritualium providentia et temporalium prudentia laudabile testimonium perhibetur, nostre considerationis oculos duximus dirigeudos, ac te de eorundem fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Gneznensi ecclesie in Archiepiscopum preficimus et pastorem, in eo, qui dat gratiam et largitur premia, confidentes, quod dicta ecclesia per tuam sollertem industriam et providentiam circumspectam spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam, de apostolice sedis et nostro favore confisus, cum divine gratia benedictionis accedas, te in cura ipsius, cuius plenam in spiritualibus et temporalibus administrationem tibi committimus, talem corde sollicito reddituru, quod grex tue circumspectioni creditus in te salutis ministrum reperisse gaudeat, et tibi tandem

eterni pastoris benignitas unicuique responsura pro meritis eterne retribuat gloriam claritatis. Datum apud Urbemveterem III. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Decano et Capitulo Gneznensis ecclesie, Clero Gneznensis Civitatis et diocesis, Populo Civitatis et diocesis Gneznensis, Universis suffraganeis ecclesie Gneznensis, Duci Polonie.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 50. fol. 133.

CLXV.

Episcopis suffraganeis ecclesiae Gnesnensis, ut Iacobum electum Gnesnensem ad ordinem presbyteratus promoveant.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Universis Suffraganeis Gneznensis ecclesie, salutem etc. Cum nos nuper dilectum filium Iacobum Electum Gneznensem in Diaconatus ordine constitutum de fratrum nostrorum consilio Gneznensi ecclesie prefecimus in Archiepiscopum et Pastorem, volentes ipsius et ecclesie prefate parcere laboribus et expensis, quos eundem Electum subire oporteret pro superioribus suscipiendis ordinibus moram apud sedem apostolicam faciendo: Fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus unus vestrum, quem dictus Electus super hoc duxerit requirendum, ipsum ad presbiteratus ordinem statutis a iure temporibus studeat promovere. Datum apud Urbemveterem Id. Augusti. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 63. fol. 136.

CLXVI.

Eisdem suffraganeis, ut Iacobo electo Gnesnensi munus consecrationis impendant.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Suffraganeis ecclesie Gneznensis, salutem etc. Cum nuper dilectum filium Iacobum Electum Gneznensem etc. usque oporteret, faciendo moram apud sedem apostolicam pro superioribus suscipiendis ordinibus et consecrationis munere obtinendo, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus unus vestrum, quem dictus Electus super hoc duxerit requirendum, ascitis sibi reliquis, aut saltem duobus vel tribus ex vobis, seu aliis Episcopis convicinis, si forte vos contingeret impedimento canonico prepeditos adesse non posse, eidem Electo, postquam fuerit in presbiterum ordinatus, auctoritate nostra munus consecracionis impendat. Datum apud Urbemveterem Idibus Augusti. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 64. fol. 136.

CLXVII.

Eidem electo Gnesnensi, ut ex curia recedere et munus consecrationis una cum pallio in sua ecclesia accipere possit.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Electo Gneznensi, salutem etc. Cum nos Venerabilibus fratribus nostris Suffraganeis Gneznensis ecclesie nostris sub certa forma demus litteris in mandatis, ut unus eorum, ascitis sibi reliquis, aut saltem duobus ex eis, seu etiam ex aliis Episcopis convicinis, tibi, quem nuper de fratrum nostrorum consilio prefate prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, munus consecrationis impendat: ne te oporteat postmodum ad apostolicam sedem pro obtinendo ab ea palleo, quod est insigne pontificalis officii, accedere, seu nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios Philippum Custodem, Iohannem et Raynerium Canonicos Gneznenses, a quibus iuramentum recepimus de palleo ipso fideliter presentando, Venerabilibus fratribus nostris . . . Plocensi et . . . Poznaniensi Episcopis Suffraganeis predicte Gneznensis ecclesie destinamus, ut ipsi vel alter eorum dictum palleum, postquam prefatam consecrationem receperis, tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiant iuramentum. Tu vero, postquam tibi palleum ipsum tibi traditum fuerit, eo intra ecclesiam tuam illis utaris diebus, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, et quod geris exterius, illud serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et predictam Gneznensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum apud Urbemveterem Idibus Augusti. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 61. fol. 136.

CLXVIII.

Eidem electo Gnesnensi conceditur, ut duobus viris idoneis officium tabellionatus conferre possit.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio I. Electo Gneznensi, salutem etc. Devotionis tue merita promerentur, ut in hiis, que digne fieri possunt, nos tibi sentias gratiosos. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, concedendi hac vice Tabellionatus officium duobus viris, quos diligenti examine premisso ad hoc convenienti litteratura et fidelitate, aut alias ydoneos esse repereris, Tabellionatus officium iuxta formam, quam in talibus tenere sedes apostolica consuevit, recepto ab eis iuramento, ut illud prudenter et fideliter exequantur, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum apud Urbemveterem xv. Kalèndas Februarii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 137. fol. 157.

CLXIX.

Iacobo archiepiscopo Gnesnensi, ut ecclesias suae dioecesis vacantes idoneis personis conferre possit.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri I. Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in tua diocesi quamplures ecclesie lege tibi diocesana subiecte cum cura et sine cura tanto tempore vacaverunt, quod earum collatio secundum statuta Lateranensis Concilii est ad sedem apostolicam legitime devoluta. Nos autem volentes tuam super hoc honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi hac vice huiusmodi ecclesias sic vacantes singulis personis ydoneis singulas, Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, Non obstantibus, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod ad provisionem alicuius minime teneantur, quodque de ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad eorum dispositionem spectantibus nulli valeat provideri, seu quod ad id compelli, interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras sedis eiusdem non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod hii, quibus de huiusmodi ecclesiis curam animarum annexam habentibus duxeris providendum, se ad ordines, quos eorundem cura requirit, faciant statutis temporibus promoveri, et personaliter resideant in eisdem: alioquin ab omni iure, quod eis in ipsis ecclesiis fuerit acquisitum, eo ipso cadant iuxta statuta Concilii Lugdunensis. Datum apud Urbemveterem iv. Nonas Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 19. fol. 202.

CLXX.

Ioanni Moscatae archidiacono Lanciciensi, ut in Polonia et Pomerania censum et denarium beati Petri colligat et exigat.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Moscate Archidiacono Lancitiensi in ecclesia Gneznensi, salutem etc. Cum sicut accepimus, nonnulli Episcopi et Archidiaconi, sive alii ecclesiarum prelati, de denario beati Petri sive censu in Polonia, Pomerania ecclesie Romane debito magnam collegerint sive receperint pecunie quantitatem, nec de ipsa, prout debuerunt, Camere nostre satisfacere procurarint, discretioni tue presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus inquisita super hiis diligentius veritate, eos, quos tibi constiterit huiusmodi pecuniam recepisse, ad restitutionem ipsius pecunie faciendam tibi nostro et prefate ecclesie nomine per te, vel per alium, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, non obstante, si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras sedis apostolice non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, ut frequenter rescribas nobis per tuas litteras harum seriem continentes, quod et quantum, et pro quanto tempore, et a quibus per te vel alios idem duxeris colligendum. Datum Perusii v. Kalendas Ianuarii. Anno IV.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 71. fol. 222.

CLXXI.

Ducibus Poloniae et Pomeraniae, ut archidiacono Lanciciensi exactionem denarii beati Petri adiuvent.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Universis ducibus per Poloniam et Pomeraniam constitutis, salutem etc. Credimus, quod geratis in votis more devotissimorum filiorum, ut in hiis, que nobis et ecclesie Romane debentur, promptitudine animi et effectu operis exhibeatis vos

favorabiles et attentos. Cum itaque Iohanni Muscate Archidiacono Lancitiensi in ecclesia Gneznensi, de cuius industria et discretione plene confidimus, denarium beati Petri, census, aliaque iura omnia apostolice sedi debita in partibus Polonie et Pomeranie commiserimus exigenda: Nobilitatem vestram affectuose requirimus et rogamus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eidem Archidiacono pro nostra et dicte sedis reverentia promptum et efficacem super hiis impendatis favorem, cum ab eo fueritis exinde requisiti, ut eo utilius commissa sibi a nobis negotia exequatur, quo circa illa manum vestri auxilii duxeritis efficatius apponendam, et nos vestre diligentie studium, quod in hac parte gratum quamplurimum habebimus et acceptum, propter hoc commendare dignis in domino laudibus, et specialibus gratiarum actionibus prosequi merito teneamur. Datum Perusii v. Idus Ianuarii. Anno Quarto.

In e. m. . . . Duci Slezie et domino Wratislavie, et . . . Duci Cracovie.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 73. fol. 222.

CLXXII.

Archidiacono Lauciciensi facultas exigendi denarium beati Petri in Polouia et Pomerania conceditur.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Moscate Archidiacono Lancitiensi in ecclesia Gneznensi, salutem etc. Puritas devotionis et fidei, quam te circa nos et Romanam ecclesiam tam ex fide dignorum testimonio, quam tue probitatis actibus habere accepimus, nos hortatur, ut personam tuam sincera complectentes in domino caritate, sollicitudinem tuam in nostris et ecclesie predicte agendis, cum expedit, fiducialiter requiramus, sperantes, ut ea, que tibi a sede apostolica committuntur, fideliter exequi et prosequi studeas diligenter. Cum itaque denarius beati Petri sive census ecclesie Romane in Polonia et Pomerania debitus, elapsis iam annis quampluribus, non fuerit ipsi ecclesie, sicut accepimus, persolutus: Nos de discretione tua plenam in domino fidutiam obtinentes, exigendi, colligendi et recipiendi per te, vel alium nostro et ecclesie predicte nomine ea omnia, que sedi apostolice de huiusmodi denario, censibus, redditibus, proventibus, et debitis ex quibuscumque iuribus vel causis spiritualibus vel temporalibus a quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus, Ecclesiis, Monasteriis, Civitatibus, Castris, Villis vel locis debentur, pro toto tempore, quo de huiusmodi censibus, redditibus, proventibus et debitis tibi non constiterit, fore Romane ecclesie satisfactum, necnon et compellendi debitores et detemptores huiusmodi ad solutionem predictorum omnium tibi faciendam, postquam tibi, vel illis, quibus super hiis vices tuas commiseris, de hoc per inquisitionem vel alio modo constiterit, eosque, qui pro huiusmodi debitis non solutis excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias incurrerunt, a prefatis sententiis, postquam de hiis tibi satisfactum fuerit, absolvendi, et faciendi etiam super hoc litteras absolutionis, necnon et quietationis de hiis, que tibi fuerint prefato nomine persoluta, Contradictores quoque, cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis seu gradus existant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, non obstante, si personis aliquibus ab eadem (sede) indultum existat, quod per litteras sedis ipsius excommunicari, interdici nequeant, aut suspendi, et quibuscunque indulgentiis vel privilegiis, per que effectus presentium in hac parte impediri valeat, vel etiam retardari, et de quibus plenam et expressam, aut de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, seu quibuscunque litteris apostolicis super exigendis et recipiendis eisdem denario sive censibus alii vel aliis destinatis, ac Constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Volumus autem, ut frequenter rescribas nobis per tuas litteras harum seriem continentes, quod et quantum, et pro quanto tempore, et a quibus per te vel alios inde duxeris colligendum. Datum Perusii v. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 70. fol. 221.

CLXXIII.

Ducibus de Opol, ut incolas Teutonicos suorum ducatuum denarium beati Petri solvi iubeant.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Ducibus de Opol Wratislaviensis et Cracoviensis diocesium, salutem etc. Honorem vestrum decere credimus, ac vestris et Ducatuum vestrorum profectibus expedire, si que ab hominibus dominii vestri iuste debentur sacrosancte Romane ecclesie matri vestre, prompta liberalitate solvantur, cum ex hoc divinam vitantes offensam, nostram et apostolice sedis gratiam comprobemini uberius promereri. Sane, sicut accepimus, Theotonici et nonnulli

alii, qui se ad incolatum terrarum ducatuum vestrorum transtulisse noscuntur, licet terras et possessiones excolant, quarum ratione consuevit solvi denarius beati Petri, sive census Romane ecclesie supradicte, censum ipsum solvere indebite contradicunt. Cum itaque dilecto filio Iohanni Muscate Archidiacono Lancitiensi in ecclesia Gneznensi, de cuius discretione plene confidimus, denarium beati Petri, census, ac omnia alia, que in Polonia et Pomorania apostolice sedi debentur, commiserimus nostro et ipsius ecclesie Romane nomine exigenda: Nobilitatem vestram rogandam duximus attentius et hortandam, vobis per apostolica scripta mandantes, quatenus pro nostra et dicte sedis reverentia huiusmodi censum, in quo iidem homines predicte sedi teneri noscuntur, pro presenti et preteritis annis a tempore, quo solutus non extitit, prefato Archidiacono nostro et dicte Romane ecclesie nomine integraliter faciatis persolvi, ita quod nos id gratum habentes devotionem vestram debeamus exinde cum gratiarum actionibus in domino merito commendare. Alioquin sententias, quas idem Archidiaconus propter hoc rite tulerit in rebelles, ratas habebimus etc. usque observari. Datum Perusii II. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 74. fol. 122.

CLXXIV.

Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut archidiaconum Lanciciensem ad colligendum in Polonia et Pomerauia denarium beati Petri missum benigne recipiant.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus.... Archiepiscopo Gneznensi et eius Suffraganeis, salutem etc. Cum de dilecti filii Iohannis Archidiaconi Lancitiensis in ecclesia Gneznensi discretionis industria confidentes, denarium beati Petri, census et alia iura ecclesie Romane debita in partibus Polonie et Pomeranie commisimus exigenda: Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus prefatum Archidiaconum pro nostra et apostolice sedis reverentia circa collectionem et exactionem huiusmodi denarii, censuum et iurium habentes favorabiliter commendatum, eidem super hiis, cum ab eo requisiti fueritis, impendatis consilium et auxilium oportunum; ita quod nos id gratum habentes devotionem vestram debeamus exinde cum gratiarum actionibus merito commendare. Datum Perusii II. Idus Ianuarii. Anno Quarto.

In e. m. Dilectis filiis... Magistro,... Preceptori et fratribus Hospitalis sancte Marie Theotonicorum per Prusciam, Poloniam et Pomoraniam constitutis, et Ven. fratri... Epō Caminensi.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 72. fol. 222.

CLXXV.

Litterae passus pro eodem exactore denarii beati Petri in Polonia et Pomerania, ut ipsi de necessariis provideatur.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Gneznensi et eius Suffraganeis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis ac eorum vicesgerentibus, ac ecclesiasticis personis Religiosis et aliis ecclesiarum Capitulis et Conventibus exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon Magistris et Preceptoribus Militie Templi et Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, et beate Marie Theotonicorum per Poloniam et Pomoraniam constitutis, ad quos littere iste pervenerint, salutem etc. Cum dilecto filio Iohanni Muscate Archidiacono Lancitiensi in ecclesia Gneznensi, de cuius circumspectione laudabili et providentia circumspecta plenam in domino fiduciam obtinemus, denarium beati Petri, census aliaque iura in partibus Polonie et Pomoranie apostolice sedi debita nostro et ecclesie Romane nomine commiserimus exigenda: Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ei, postquam ad partes ipsas pervenerit, singulis diebus, quibus per se vel alium seu alios huiusmodi commissioni vacaverit, in Sexdecim solidos Turonenses pro suis necessariis, et de securo conductu liberaliter providere curetis, ita quod devotionem vestram exinde commendare merito debeamus. Alioquin sententiam etc. Non obstante, si aliquibus etc. usque valeat impediri. Datum Perusii Idibus Februarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 75. fol. 222.

EPISTOLAE HONORII PP. IV.

CLXXVI.

Ducibus Poloniae et Pomeraniae, ut archidiacono Lanciciensi in exactione denarii B. Petri assistant.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris universis Ducibus per Poloniam et Pomeraniam constitutis, salutem etc. Credimus, quod geratis in votis etc. ut supra Nro. clxxi. usque merito teneamur. Datum Tibure v. Idus Iulii. Anno Primo.

In c. m. Dilecto filio Nobili viro . . . Duci Slezie et domino Wratislavie, verbis competenter mutatis, et Dilecto filio Nobili viro . . . Duci Cracovie.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 192. fol. 52.

CLXXVII.

Ducibus de Opol super eodem argumento.

Honorius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris . . . Ducibus de Opol, Wratislaviensis et Cracoviensis diocesium, salutem etc. Honorem vestrum decere credimus etc. ut supra Nro. clxxiii. usque observari. Datum Tibure v. Idus Iulii. Anno Primo. Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 194. fol. 52.

CLXXVIII.

Archiep̃o Gnesnensi eiusque suffraganeis etc. super eodem.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi et eius Suffraganeis, ac dilectis filiis Abbatibus etc. etc. Cum dilecto filio Iohanni Muscate Archidiacono Lancitiensi in ecclesia Gneznensi etc. ut supra Nro. clxxv. usque valeat impediri. Datum Tibure v. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo. Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 195. fol. 53.

CLXXIX.

Ep̃is Vladislaviensi et Posnaniensi, ut Ducem Silesiae propter iteratos excessus iu episcopum et clerum Vratislaviensem commissos excommunicatum publice nuntient, terramque suam interdicto ecclesiastico supponant.

Honorius episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus . . . Wladislaviensi et . . . Poznaniensi Episcopis, Salutem et apostolicam benedictionem. Oblata nobis venerabilis fratris uostri . . . Episcopi et dilectorum filiorum Capituli ecclesie Wadislaviensis petitio continebat, quod cum Nobilis vir H. Dux Slesie et dominus Wadislavie prava patris immitando vestigia, cuius heres existit, dictos Episcopum, Capitulum et Ecclesiam decimis, villis, possessionibus, iuribus et aliis bonis suis nequiter spoliasset, necnon et homines et Vassallos Episcopi, Capituli et Ecclesie predictorum capiens, eisque

indebitas servitutes imponens, tam Episcopo, Capitulo et Ecclesie supradictis, quam hominibus et Vassallis eisdem dampna gravia irrogasset. Orta inter prefatos Episcopum et Capitulum ex parte una, et predictum Nobilem super premissis ex altera materia questionis, tandem partes super hiis in Venerabilem fratrem nostrum Philippum Firmanum Episcopum, tunc in Polonie partibus apostolice sedis legatum, tamquam in arbitrum, arbitratorem et amabilem compositorem, sub pena mille marcharum auri et excommunicationis sententia compromittere curaverunt, ita quod pars, que ferendum per dictum Legatum arbitrium non servaret, medietatem dicte pene parti arbitrium servanti prefatum, reliquam vero medietatem Romane ecclesie solvere teneretur. Et licet idem Firmanus Episcopus, dum in partibus illis existeret, equum super hoc tulerit arbitrium inter partes, idem tamen Nobilis illud non solum observare non curat (verumtamen contra Episcopum, Capitulum et Ecclesiam Waldislaviensem predictos peiora prioribus committere non veretur), sed aspirans potius ad quasdam Villas et terras Episcopi, Capituli et ecclesie predictorum, et hostiliter ad eas accedens illas occupare, et occupatas detinere, ac in ipsis novas servitutes imponere, necnon bladum et nonnulla alia bona predictorum Episcopi et Capituli exinde asportari facere, ac eisdem insuper dampna plurima et iniurias irrogare temerario ausu presumpsit, propter que idem Waldislaviensis Episcopus in prefatum Ducem, quia diligenter ab eo monitus occupata restituere, servitutes revocare, ac de dampnis et iniuriis eisdem satisfactionem debitam sibi et Capitulo predicto impendere contumaciter non curavit, nec aliquam rationabilem causam proponeret, quare hoc facere non deberet, et ea essent adeo in partibus illis notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, excommunicationis auctoritate ordinaria, et in omnia loca, ad que Dux predictus accederet, dum moraretur in ipsis, interdicti sententias promulgavit, et super observatione sententiarum ipsarum predictus Episcopus ad venerabilem fratrem nostrum . . . Archiepum Gneznensem, et dilectos filios Dobegueum Archidiaconum Waldislaviensem, ac . . . Abbatem Monasterii de Henricow Wldislaviensis diocesis apostolicas in communi forma litteras impetravit: et licet predicti Archiepus et Archidiaconus, predicto Abbate se super hoc excusante, easdem sententias, quas invenerunt rationabiliter fore latas, mandaverint inviolabiliter observari, dictus tamen Dux sententias ipsas dampnabiliter vilipendens, non solum super premissis satisfacere non curavit, verum etiam tamquam sue salutis prorsus oblitus peiora prioribus committendo, quasdam Civitates, Castra, Oppida, Villas, aliaque suburbia, terras et loca ad Episcopalem sedem Wldislaviensem, nec non decimas, census, redditus, possessiones, ac alia bona quamplura ad nonnullas ecclesias sue Civitatis et diocesis sibi subiectas spectantia temere occupans, aliquas de terris et aliis bonis predictis vendere, ac alias distrahere pro sue voluntatis libito non expavit, sicque dictus Episcopus et alie persone predictarum ecclesiarum, bonis suis ecclesiasticis per prefatum Ducem taliter destituti, coacti sunt miserabiliter exulare, propter quod idem Episcopus, cum hec adeo notoria existerent, quod aliqua tergiversatione celari non poterant, in prefatum Ducem iterato excommunicationis, et in totam terram ipsius interdicti sententias protulit, iustitia suadente, sed prefatus Dux malleum ecclesie tamquam stipulam reputans, easdem sententias per annum et amplius pertinaciter toleravit, redire non curans ad ecclesie unitatem. Unde cum crescente contumacia pena sit merito augmentanda, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si premissis veritas suffragatur, vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios eundem Ducem excommunicatum, dictam vero terram interdicto fore suppositam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam, non obstantibus frivolis appellationibus super hoc ad sedem apostolicam interiectis, seu litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede impetratis eadem, publice nuntietis, et ab aliis nuntiari faciatis, dictumque Ducem ab omnibus artius evitari, et nichilominus alias contra eum aggravetis, prout eius pertinacia exegerit, manus vestras, nobis, quod in hac parte feceritis, fideliter et plenarie rescripturi. Datum Rome apud Sanctam Sabinam v. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 428. fol. 108.

CLXXX.

Ioanni episcopo Tusculano legationis officium in Alemannia, Polonia, Russia et aliis regnis septemtrionalibus confertur, et praelatis et principibus earum regionum commendatur.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Tusculano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Subit assidue nostre mentis archanum plena et anxietate non vacua consideratio

illa terribilis, qua nos ad illius domus custodiam deputatos advertimus, cuius magnitudinem cum stupore propheta miratur: O, inquiens, Israel, quam magna est domus dei! Cumque in eiusdem considerationis examine residentes, opus extimamus iniunctum, nostrarum metimur virium quantitatem, non sufficientes virtutum sumptus dispungimus, et merita comparamus, stupentes attendimus, quod supra vires nostras est nobis iminere negotium, quodque soli proculdubio portare nequimus. Sed superest nobis spes in solo auxilio divino reposita, ad quod humiliter recurrentes devotius imploramus, ut ille, qui nobis universum mundum custodiendum credidit, illum studiose ac utiliter custodire concedat. Subest etiam Ietro Moysi cognati consilium, illum consultius admonentes, ut ex omni plebe viros potentes et deum timentes, in quibus sit veritas, et avaritiam oderint, eligat, ipsosque constituat ad populum iudicandum, ut sic impleri omnipotentis imperium, ac ipsius possint sustentari precepta, et ad loca sua cum pace populus reducatur. Huiusmodi sane consilio et nos sedulo commonemur, ut cum simus commisse nobis custodie, universis Christi fidelibus, debitores, et ad debitum exsolvendum huiusmodi per nos ipsos circuire nequeamus singulas regiones, fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, viris electis ex multis, viris scientia preditis et virtute, nonnunquam Regna, nonnunquam Provincias aliquas decernamus, eos in illis constituendo Legatos, ut ipsis partes nostre sollicitudinis prudenter exequentibus, et imineutia inibi salubriter dirigentibus, in eisdem portantibus onere partito, sit levius, iniunctumque nobis ministerium per nos et ipsos comodius et utilius impleatur. Considerantes itaque partes Alamanie, longis iam exactis temporibus non fuisse per Legatum sedis apostolice presertim missum de latere visitatas, supplicatione insuper Carissimi in Christo filii nostri R(udolphi) Regis Romanorum Illustris, ad hoc post multiplicate petitionis instantiam insistentis inducti, aliquem de ipsis fratribus, ut in dictis partibus Legationis fungatur officio, et memoratum Regem ad recipiendum, ut proponit, de nostris manibus Imperii diadema, deo actore, venturum, in suis oportunitatibus consilio dirigat et auxilio fulciat, deliberavimus destinandum. Ideoque ad personam tuam, quam multis virtutibus in sue habundantia bonitatis sic virtutum dominus insignivit, ut sis in consilio providus, rectus in iudicio, rigidus in censura, in zelo sobrius et strenuus in agendo, deliberationis exitum dirigentes, et te ad premissa de ipsorum fratrum consilio deputantes, circumspectioni tue in dictis partibus Alamanie plene legationis officium, ut inibi evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, prout gratie celestis infusio et tua tibi providentia ministrabit, duximus committendum. Quocirca fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus impositum tibi onus laboris huiusmodi devote suscipiens, illud sic sollicite, sic viriliter et laudabiliter exequi studeas, quod divina favente clementia tuos labores et studium desideratus commendet effectus, tuque proinde retributionis eterne premium et laudis preconium merearis. Nos enim sententias, quas tuleris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, actore deo, inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctam Sabinam II. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri I. Episcopo Tusculano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Subit etc. ut supra usque impleatur. Considerantes itaque Boemie, Datie ac Svetie Regna, longis iam exactis temporibus non fuisse per Legatum sedis apostolice, presertim missum de latere, visitata, et visitatione huiusmodi, sicut multorum fidedignorum habet assertio, indigere, aliquem de ipsis fratribus, ut in Regnis eisdem legationis fungatur officio, ipsorumque Incolas, deo auspice, dirigat in viam salutis et pacis, deliberavimus destinandum. Ideoque ut supra etc. mutatis mutandis usque in finem.

In e. m. eidem Episcopo per Polonie, Pomeranie, Cassubie, Pruscie, Livonie et Ruscie Ducatus.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Archipresbiteris et aliis ecclesiarum Prelatis, Capitulis, Conventibus et Collegiis Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, et aliorum ordinum, necnon Prioribus hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani, domorum Militie Templi et beate Marie Theotonicorum Preceptoribus, ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per partes Alemanie constitutis, salutem etc. Subit assidue etc. ut supra usque deliberavimus destinandum. Ideoque ad personam Venerabilis fratri nostri I. Episcopi Tusculani, quam multis virtutibus in sue habundantia bonitatis sic virtutum dominus insignivit, ut sit in consilio providus, rectus in iudicio etc. usque duximus committendum. Sperantes in domino quod ipso actus eius in suo beneplacito dirigente, de suis laboribus fructus producentur optati. Quocirca Universitatem vestram monemus, ro-

gemus, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus Cardinalem eundem, quem sue probitatis obtentu, inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, immo potius nos in ipso benignius recipientes et tractantes honore condigno, eidem tamquam apostolice sedis Legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta, et que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententias quas tulerit in rebelles ratas habebimus, et faciemus, actore domino, inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctam Sabinam II. Kal. Iunii. Anno II.

In e. m. eisdem per Boemie, Datie ac Svetie Regna, Polonie, Pomeranie, Cassubie, Pruscie, Livonie et Ruscie Ducatus constitutis.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri I. Episcopo Tusculano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cum te ad partes Alamanie, commisso tibi tam in illis quam in Boemie, Datie ac Svetie Regnis, Polonie, Pomeranie, Pruscie, Livonie, Kassubie et Russie Ducatibus plene Legationis officio, destinemus, ut tanto in illis gratior habearis, quanto esse poteris pluribus gratiosus, faciendi recipi auctoritate nostra per te vel per alium aut alios Viginti personas ydoneas in Cathedralibus seu Collegiatis ecclesiis infra eiusdem Legationis terminos constitutis, in singulis videlicet ecclesiis singulas personas in Canonicos et in fratres, et providendi eis de prebendis, si vacant ibidem ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstante de certo Canonicorum numero etc. usque fieri debeat mentio specialis, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam II. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri I. Episcopo Tusculano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cum te ad partes Alamanie, commisso tibi tam in illis, quam in Boemie, Datie ac Svetie Regnis, necnon Moravie Marchia, Polonie, Pomeranie, Pruscie, Livonie, Russie ac Kassubie Ducatibus plene Legationis officio, destinemus, fraternitati tue dispensandi cum tribus clericis dictarum partium, in singulis autem predictis Regnis cum duobus clericis cuiuslibet Regnorum ipsorum; in prefatis vero Ducatibus cum singulis clericis cuiuscumque Ducatuum eorumdem, quos huiusmodi gratia noveris esse dignos, quod eorum quilibet duo beneficia, personatus vel dignitates, etiam si curam habeant animarum annexam, et eis canonice offerantur, licite recipere ac libere retinere valeant, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum ut supra.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri I. Episcopo Tusculano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cum te etc. ut supra usque gratiosus concedendi tribus Nobilibus Mulieribus predictarum partium, in quolibet autem dictorum Regnorum et Ducatuum uni, ita quod earum quelibet cum decenti commitiva mulierum usque ad Triennium post concessionem tuam semel in anno Monasterium quorumcumque ordinum causa devotionis intrare valeant; ita quod ibi non comedant, nec pernoctent, aliqua predictorum ordinum constitutione vel consuetudine contraria non obstante, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum ut supra.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri I. Episcopo Tusculano, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cum te ad partes Alamanie etc. destinemus, Volentes aliqua tibi concedere, per que saluti consulere valeas animarum, absolvendi illos tue Legationis, qui adhesserunt quondam Corrado nato Frederici olim Romanorum Imperatoris, et Corradino eiusdem Corradi filio contra mandatum sedis apostolice, eisque dederunt auxilium, consilium vel favorem, et propter hoc latam in tales excommunicationis sententiam incurrerunt, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Tibure II. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 273 — 302. fol. 204 — 207.

CLXXXI.

Episcopo Cracoviensi, ut cum septem clericis, qui tempore interdicti divina celebraverint, dispensare possit.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri P. Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Ex parte dilecte in Christo filie Nobilis Mulieris . . . Ducisse Cracovie fuit expositum coram nobis, quod olim Venerabilis frater noster Gneznensis Archiepiscopus, ceterique prelati Polonie in generali Synodo inter alia statuerunt, ut si Episcopum aliquem provintie Polonie in aliqua ipsius provintie diocesi capi contingeret, totus clerus eiusdem diocesis statim omnino cessare debeat a divinis, dictaque diocesis sit

eo ipso ecclesiastico supposita interdicto, nulla super hoc pena transgressoribus talibus in huiusmodi constitutione adiecta. Cumque postmodum per dilectum filium Nobilem virum L. Ducem Cracovie captus et detentus fuisses, nonnulli clerici eiusdem Ducisse de ipsius speciali mandato divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, propter quod irregularitatis notam incurrisse noscuntur. Quare prefata Ducissa nobis humiliter supplicavit, ut cum iidem clerici, qui septem dicuntur esse dumtaxat, propter longitudinem variaque viarum discrimina non possint apostolicam sedem adire pro dispensationis huiusmodi beneficio obtinendo, providere super hoc eisdem clericis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsius Ducisse supplicationibus inclinati, volentes in hac parte tibi deferre, fraternitati tue presentium auctoritate committimus, ut cum prefatis clericis, dummodo septennarium numerum non excedant, ac in captionem tuam non fuerint machinati, quorum nomina in presentium presentatione exprimi tibi volumus, et in scriptis redigi, super irregularitate, quam huiusmodi tue captionis et detentionis tempore predicta celebrando officia incurrerunt, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum animarum suarum saluti videris expedire, iiuncto eis, quod de iure fuerit iniungendum. Datum Tibure xv. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 92. fol. 253.

CLXXXII.

Ada canonicus Cracoviensis in Polonia et Hungaria collector decimae in terrae sanctae subsidium indictae constituitur.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Ade de Polonia canonico Cracoviensi, Capellano nostro, salutem etc. De statu decime terre sancte, cuius collectio Venerabili fratri nostro Girardo Episcopo Caiacensi, tunc Subdiacono et Scriptori nostro, in Ungarie, Polonie et Iadrensi provinciis extitit per apostolicam sedem commissa, volentes per tue sollicitudinis studium certitudinem plenam habere, ne collectionem eandem contingat in illis partibus negligi vel omitti, te memorato Scriptori in huiusmodi collectionis officio subrogamus, discretioni tue, de qua plenam in domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandantes, quatinus ad partes easdem, quamcito comode poteris, te personaliter conferens, et iuxta tenorem litterarum apostolicarum pro ipsius negotio decime prefato Scriptori directarum procedens, ab omnibus per eundem Scriptorem ad colligendam in predictis provinciis prefatam decimam deputatis, aut ab aliis quibuscunque ipsius detemptoribus decime, de illa videlicet, que hactenus ad ipsorum manus pervenisse dinoscitur, plenam et diligentem exigas rationem, ac universa, que sive per eundem Scriptorem, aut per quoscunque alios Collectores deputatos ab ipso collecta, seu recepta, vel deposita esse noscuntur, necnon et omnia scripta, litteras et Instrumenta de collectione, receptione ac depositis ipsis confecta, penes quecunque Capitula, collegia et personas quaslibet habeantur, ac etiam que solvenda restant de decima prelibata, necnon et de vicesima, legatis, obventionibus et aliis quibuscunque iamdicte terre sancte subventioni concessis, et in predictis provinciis huiusmodi subventioni relictis, exigere per te vel per alium seu alios, ac etiam recipere auctoritate nostra, lapsu temporis non obstante, nomine terre sancte memorate procures, et tam deputatos et detentores predictos ad reddendam tibi rationem et exhibendam integre predicto nomine decimam, que ad manus ipsorum pervenit, quam etiam quoslibet decime, vicesime, legatorum, obventionum et aliorum predictorum debitores ac depositarios ad plenariam solutionem eorum prestandam; predicta quoque Capitula, Collegia et personas ad dandum et assignandum tibi scripta, litteras et instrumenta prefata, per excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, ac alias etiam prout contumacia eorum exegerit et expedire videris, appellatione postposita, compellendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Et nichilominus tales si forte tibi huiusmodi rationem reddere, aut decimam et Instrumenta, scripta et litteras exhibere, vel satisfactionem prestare infra competentem a te prefigendum eisdem terminum non curarint, ipsos ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra duorum mensium spatium post citationem tuam per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi, quod iustitia suadebit: diem vero citationis et formam, et quicquid super hoc feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Illos autem, qui propter eandem decimam nullo modo, vel scienter non integre, seu in statutis terminis non solutam, aut propter fraudem circa ipsius decime solutionem adhibitam, vel alias propter impedimentum prestitum, quominus predicta decima solveretur, alios quoque, qui pro eo quod vicesimam, legata, obventiones et alia supradicta minime persolverunt, latas sive per Lugdunense Con-

cilium, aut per eundem Scriptorem, vel alias in tales excommunicationum sententias incurrisse noscuntur, post integram solutionem et satisfactionem plenariam pro subsidio terre prelibate impensas ab huiusmodi excommunicationum absolvas sententiis, dispensando nichilominus cum eisdem super irregularitate, quam sic ligati in suis ordinibus ministrando, vel se immiscendo divinis officiis contraxerunt, iniuncto eis, quod de iure fuerit iniungendum. Ceterum, ut commissum tibi officium in hac parte utilius et efficatius exercere valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, ac invocandi contra eos auxilium supradictum, quotiens videris expedire, mutandi etiam predicte decime collectores, quandocunque et quotienscunque fore putaveris oportunum, compellendi quoque auctoritate predicta Archiepiscopos, Episcopos ac alios ecclesiarum prelatos, ac personas ecclesiasticas partium earundem ad providendum tibi de securo conductu, cum super hoc a te fuerint requisiti, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi ac tota eius continentia de verbo ad verbum, et de propriis locorum et personarum nominibus specialem, plenam et expressam non fecerint mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis vel litteris quibuscunque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis et expressa mentio sit habenda. Volumus autem quod nobis per tuas litteras frequenter insinues, quid et quantum de decima, vicesima, legatis, obventionibus et aliis predictis de huiusmodi satisfactione pro terra prefata receperis, ac etiam qualiter in negotio procedatur, quodque in presentia Venerabilis fratris nostri I. Episcopi Tusculani apostolice sedis legati prestes corporaliter iuramentum, quod predicta fideliter colliges, recipies et restitues, ac reddes etiam rationem fidelem et plenariam de eisdem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam VIII. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 268. fol. 200.

CLXXXIII.

Eidem, ut pecuniam eiusdem decimae pro terra sancta collectam societati de Alfanis mercatoribus Florentinis assignet.

Honorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Ade de Polonia Canonico Cracoviensi, Capellano nostro, salutem etc. Cum te ad Ungarie, Polonie et Iadrensem provincias, commisso tibi per nostras sub certa forma litteras colligende inibi decime terre sancte subventioni concesse negotio, destinemus, volumus et per apostolica tibi scripta districte precipiendo mandamus, quatinus totam pecuniam, quam de predicta decima, et vicesima, legatis, obventionibus et aliis eidem subventioni concessis collectam inveneris, quamque colligere te contigerit de eisdem, dilectis filiis Iacomino Alfani, Lapo Brunecti de Alfanis, Vermilio predicti Iacomini filio, Nerio Iohannis, Bruno Aldebrandini, Vanni Galterotti et Bonaventure Gerardi Civibus et Mercatoribus Florentinis, de Alfanorum societate, vel eorum sociis pro eis, nostro et eiusdem terre sancte nomine, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, deponere et assignare procures, nobis vel cui mandaverimus in Romana curia predicte terre nomine per Mercatores ipsos predictam pecuniam integraliter exhibendam, faciens de assignatione ac depositione huiusmodi duo publica similia confici instrumenta, quorum alterum tibi retineas, et reliquum nobis mittas: et nichilominus nobis per tuas litteras frequenter insinues, quid, quantum et quando de decima, vicesima, legatis, obventionibus et aliis supradictis deposueris prefatis mercatoribus, vel ipsorum alicui socio pro eisdem. Datum Rome apud Sanctam Sabinam VIII. Idus Februarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 269. fol. 200.

EPISTOLAE NICOLAI PP. IV.

CLXXXIV.

Bernardo episcopo Tarbatensi, ut laicos clericorum percussores absolvere possit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Bernardo Episcopo Tharbatensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Exigentibus tuc devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus, et in hiis, in quibus aliis gratiosus existas, nos tibi favorabiles exhibemus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod nonnulli Clerici et Laici tue Civitatis et diocesis ob violentam manuum iniectionem in clericos excommunicationis incurrerunt sententias, et frequenter incurrunt. Cumque iidem clerici et laici propter locorum distantiam, ac viarum discrimina et defensionem patrie, que sicut asseritur, Ruthenis et Paganis vicina insultibus et invasionibus continuis eorum impetitur, ad apostolicam sedem accedere nequeant, absolvendi (sic) fraternitati tue presentium auctoritate committimus, quatinus audita super premissis confessione ipsorum, nisi constet tibi predictos clericos et laicos enormiter excessisse, satisfacto prius passis iniuriam competenter, ab excommunicationis sententiis, quibus propter huiusmodi iniectionem astricti fuerint, iuxta formam ecclesie hac vice absolvas eosdem, et iniuncta eis pro modo culpe penitentia competenti, et aliis que talibus debent et consueverunt iniungi, cum predictis clericis ad tempus iuxta tue discretionis arbitrium a suorum ordinum executione suspensis, demum si eis vite merita suffragentur, aliudque canonicum non obsistat, super irregularitate, quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, in suis ordinibus ministrando, vel alias se divinis immiscendo contraxerint, prout animarum suarum saluti expedire videris, auctoritate nostra dispenses; proviso quod huiusmodi manuum iniectores, quorum fuerit gravis et enormis excessus, mittas ad sedem apostolicam absolvendos. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem XIIII. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno II.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 67. fol. 127.

CLXXXV.

Episcopo Havelbergensi, ut de matrimonio inter ducem Slavorum et natam principis Ruganorum contracto dispenset.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Havelbergensi, salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii Nobilis viri Buguslai Ducis Slavorum, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Grete nate dilecti filii Nobilis viri... Principis Ruyanorum petitio continebat, quod cum Dux ipse dudum per quorundam potentiam principum illarum partium de terra sua fuisset eiectus, ac terra ipsa turbatione multiplici fluctuaret, nec aliquatenus recuperare posset eandem, neque recuperatam pacifice possidere, adversariorum suorum potentia obsistente, nisi eandem Gretam, que in quarta consanguinitatis linea dicto Duci attinere dinoscitur, sibi matrimonialiter copularet: prefatus Dux propter huiusmodi necessita-

tem urgentem et evidentem predicte terre utilitatem contraxit matrimonium cum eadem, ex qua duas filias procreavit. Quare Dux et Greta predicti habentes ex hoc conscientias remordentes apostolice sedis misericordiam implorarunt, et asserentes, quod si divortium inter eos celebrari contingeret, gravia in partibus illis guerrarum suscitari discrimina, generari scandala, et multa rerum ac personarum pericula possent evenire, nobis humiliter supplicarunt, ut huiusmodi periculis occurrentes, cum eis, quod impedimentis huiusmodi non obstantibus in matrimonio remanere licite valeant, dispensare misericorditer dignaremur. Nos autem, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christi fidelibus quietis comoda procuramus, volentes evitare pericula supradicta, quia tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, cum illarum partium dicaris esse vicinus, presentium tibi auctoritate committimus, ut si premissis veritas suffragatur, et timeatur de periculis, que narrantur, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum Duce et Greta predictis, quod eisdem impedimentis nequaquam obstantibus in sic contracto matrimonio remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum videris expedire, Prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Datum apud Sanctam Mariam Maiorem VI. Kalendas Marcii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep, 4. fol. 1.

CLXXXVI.

Abbatissae et conventui monasterii de Scala lapidis S. Mariae ord. S. Clarae Cracov. dioecesis exemptio a decimis confirmatur.

Nicolaus episcopus etc. Dilectis in Christo filiabus . . . Abbatisse et Conventui Monasterii de Scalalapidis S. Marie ordinis S. Clare Cracoviensis diocesis, salutem etc. Volentes vobis, que, sicut asseritis, estis ab hominum habitatione semote, gratiarum facere specialem, devotionis vestre precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut de nemoribus et silvis, que vobis et monasterio vestro pia largitione fidelium sunt concessa, que etiam iam ad culturam redacta fore noscuntur, et de illis, que ad culturam redigentur etiam in futurum, dummodo de ipsis aliquis hactenus decimas non perceperit, nulli decimas solvere teneamini, et ad id cogi a quoquam non possitis invite. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum X. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 149. fol. 68.

CLXXXVII.

Episcopo et capitulo Vratislaviensi privilegia ab Henrico duce concessa, insertis eiusdem ducis litteris, confirmantur.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensi, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam rigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quondam Henricus dux Slesie, Cracovie et Sandomirie, in cuius dominio seu ducatu ecclesia Wratislaviensis consistit, diligenter attendens, quod tam ipse, quam proienitores sui vobis et eidem ecclesie in vestris et ipsius ecclesie bonis dampna quamplurima irrogarant, et volens pro bono conscientie ac anime sue remedio salutari vobis et eidem propter hoc recompensationem facere congruentem, omnibus opidis, vicis et villis, possessionibus et prediis tam rusticis quam urbanis ad ecclesiam ipsam spectantibus dedit et concessit pia et provida liberalitate, prout spectabat ad eum, puram, perfectam et integram libertatem, et ea omnia et singula, et specialiter ac nominatim terram Nizensem et Ocmuchoviensem, necnon et alia ecclesiastica bona infra Wratislav. diocesim constituta et ad prefatam ecclesiam pertinentia, ab omnibus servitiis Theotonici atque Polonici iuris, et ab omnibus angariis et perangariis, collectis et vectigalibus, ac ab aliis quibuscumque onerum seu servitutum vexationibus, quocunque nomine censeantur, exemit penitus, et etiam liberavit, Renuntians extunc pro se ac heredibus et successoribus suis iurisdictioni ac iuri, quod sibi et illis ratione dominii seu ducatus competebat, vel posset competere eisdem: ac nichilominus prefatus dux vobis, et per vos eidem ecclesie dominium, iurisdictionem et potestatem, seu facultatem maioris dominii in sanguinum et aliis maioribus causis, que ius ducale seu ducis in opidis, vicis, villis, terra, possessionibus et prediis supradictis hactenus contingebant, liberalitate simili contulit ecclesie, memorate volens et expresse concedens, ut tu, frater Episcope, tuique successores in predicta terra Nizensi et Ocmuchoviensi cudendi et faciendi monetam, ac in causis iudicandi prefatis plenariam potestatem, et in illis plenum dominium ac perfectum ius, quod ratione ducatus ad ducem pertinebat eundem, libere habeatis, ac faciens vos, Epi-

scope et Capitulum, ipsius ecclesie nomine in corporalem induci possessionem vel quasi omnium predictorum. Bandloviz cum toto districtu, quem vobis prefatus dux abstulerat violenter, ac alia bona per quondam patrem et quondam patruum suum, ac etiam per ipsum ducem indebite occupata, plene ac integre cum omni iure, sicut noscebamini hactenus possidere, vobis restituere procuravit, prout in patentibus litteris inde confectis et ipsius ducis appensione sigilli munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes: Qui talis est. In nomine domini Amen. Licet in eximiis principatibus constituti regnorum solia dirigimus, instantis tamen fati necessitate compellimur, ut dum meditamur devota mente novissima, ad placitum disponamur et gratiam celestis misericordie largitoris. Nos igitur Henricus dei gratia Dux Slesie, Cracovie et Sandemirie meditantes et sollicita revolventes indagine, qualiter per nos et per nostros progenitores ecclesia beati Iohannis in Wratislavia, necnon bona, possessiones ipsius ecclesie, atque Monasteriorum aliorumque piorum locorum possessiones et predia, que eidem Episcopatui sunt subiecta, multiformibus ac diversis iniuriis, pressuris et gravaminibus infinitis in salutis nostre dispendium hactenus fuerint desolata, quorum etiam dampnorum extimationem propter infinitatem ipsorum ad certam non possumus reducere quantitatem, in satisfactionem dampnorum ipsorum et restaurationem violentiarum illatarum tam personis, quam prediis supradictis, pro salute anime nostre ac progenitorum nostrorum in remissionem peccatorum, que quacunque temeritate commisimus, in bona valetudine mentis nostre, de consilio et consensu Baronum nostrorum damus, conferimus et liberaliter elargimur omnibus possessionibus, civitatibus, vicis, villis, omnibusque prediis tam rusticis quam urbanis puram, perfectam et integram libertatem ab omnibus servitiis Theutonici iuris atque Polonici, ab omnibus angariis, et perangariis, collectis pariter et vecturis, et aliis quibuscunque vexationibus, quocunque nomine censeantur, liberantes expresse, et nominatim terram Nizensem et Ocmachoviensem, necnon et alia bona ecclesiastica infra Wratislaviensem diocesim constituta ab omnibus servitutibus supradictis, Renuntiantes exnunc pro nobis nostrisque heredibus et successoribus quibuscumque, tam ex testamento, quam ab intestato venientibus, omni iurisdictioni et iuri ducali, quod nobis competebat in possessionibus supradictis, Conferentes etiam Wratislaviensi ecclesie dominium, iurisdictionem et facultatem maioris iudicii supra causis sanguinum, et specialiter super omnibus causis maioribus, que ius ducale hactenus contingebant, Conferentes eidem libertatem in terra Nizensi predicta et Ocmachoviensi tam in iudiciis, quam moneta, Volentes, ut Episcopi, qui pro tempore fuerint, in ibidem plenum dominium perfectumque in omnibus habeant ius ducale. Ad executionem autem omnium predictorum, ne predicta nostra voluntas et pium arbitrium aliquatenus violetur, in possessionem omnium iurium predictorum ipsum Episcopum eiusque nuntios seu procuratores per Subcamerarium nostrum in corporalem possessionem fecimus introduci. Restituimus insuper Wratislaviensi ecclesie Bandloviz cum toto districtu, sicut Episcopus prius possidebat, quod violenter abstuleramus eidem, necnon omnes possessiones et predia, que per patrem vel patruum, seu per nos vite nostre temporibus indebite fuerant occupata. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presentes litteras scribi iussimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum Wratislavie Anno dñi M. CC. LXXXX. presentibus hiis, Bernardo Preposito Mysnensi et Cancellario nostro, Nankero Palatino nostro, Symone Gallico, Henrico de Wisenburc, Pelzone de Snellenwald, Samborio de Siltperc, Gunthero de Bibersten, Bogusio de Pogrella, Petro Stossoviz, Vernero de Logniz, Gislevo Kolneri, Iaroslao de Haverdorph, Budivoyo Copassin, Rascone Drenlik, et aliis quampluribus fide dignis. Datum per manum Lodovici prothonotarii nostri in Vigilia beati Iohannis Baptiste. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbemveterem v. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 397. fol. 78.

CLXXXVIII.

Universis Christi fidelibus, ut ad liberandam terram sanctam crucem assumant.

NICOLAUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Salutem et apostolicam benedictionem. Illuminet super vos dominus vultum suum, et ita suo lumine ad recensendum attentius, qualiter redemptor noster salutem humani generis in Terra sancta dignatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quod accendatur ut ignis ad sub-

veniendum Terre illius necessitatibus zelus vester, concalescant corda, inflammetur affectus, et effectum prompta operis prosecutio subsecuta commendet. Cuius etenim pectoris etiam lapidei quantumcumque duritiam non emolliat considerata illius humanationis humilitas, in qua dei filius factus homo, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in solicitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo? Cuius viscera non inflammet caritatis ardore pia consideratio illius humiliationis extreme, in qua ipse factus obediens usque ad mortem, ad exprobrantium obprobria velut Agnus coram tondente se vere mitis obmutuit, et sicut ovis ad occisionem ductus, post contumelias et terrores, post spinas et sputa, post flagella varia, innocens est sine causa dampnatus, ac demum saturatus obprobriis, clavis affixus, aceto et felle potatus, in crucis patibulo tam dire mortis subiit passionem, misterium redemptionis nostre consumaus, post traditum etiam spiritum lancee illisione confossus? Hec, filii, et innumerabilia largitatis divine carismata, in terra predicta ipsi humano impensa generi ab eodem Redemptore piissimo, si frequenter infra claustra pectoris atteuta meditatione revolvitis, si qua decet attentione pensatis, quis vestrum non fervebit interius, foris ebulliet, exclamabit et dicet: Quid retribuam domino pro omnibus, que retribuit mihi? et nou expectato monitoris vel sollicitatoris officio subiunget ultroneus: Calicem salutaris accipiam et nomen domini invocabo. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solum veneranda et piissima loca illa, in quorum altero oriens ex alto pro nobis nasci dignatus humiliter, in reliquo mori crudeliter non expavit, sed etiam totam quasi iam terram eandem, quam ipse idem sua illustravit corporali presentia, miraculis clarificavit immensis, et tandem effusione sui pretiosi sanguinis in nostre salutis effusi pretium consecravit, occupata per nefandissimos Sarracenos, ipsorum immunditia pollui, fedissima eorum habitatione fedari? Quis absque amaritudine summa commemoret tot christianorum Castra, Civitates et alia loca solennia destructa penitus, ad nichilumque redacta, et eorum Incolas eorumdem Sarracenorum immanitate peremptos? Proh dolor! Quis novi casus, quem deplorare libet potius quam narrare, solers censor, et discriminum, que comminari videntur, discussor attentus per noctem et diem quasi torrentem lacrimas non deducat? Cuius oculi pupilla tacebit? Cuius pectoris penetral continebit suspiria vel in singultuum frequentiam non erumpet, lugubri contemplatione recensens, quod quantumcumque mater ecclesia casum eundem prevenire studuerit, incolis illarum partium in galeis, bellatorum multitudine, ac subventione pecuniaria iuxta persuasam ab eis denuntiate necessitatis exigentiam, et oblate super hoc petitionis instantiam succurrendo, nichilominus tamen Civitas Acconensis, sic eiusdem matris ecclesie studio communita, Quadraginta et quatuor diebus artissima Babilonice potentie obsidione circumdata, terribilibus machinis die noctuque vexata, impetita crebris et diris iusultibus, menibus etiam ipsius per cuuiculos arietatis occultos, quadragesimo quarto die obsidentium viribus dei permissione mirabili et stupenda succubuit, capta per eos et igui exposita, christicolis inibi existentibus cesis innumeris, et ceteris, qui habere nequiverunt ad Maritima Vasa recursum, in captivitatem abductis, ut per iugum barbarice servitutis horribile, dispendiis Civilis mortis addicti, naturali etiam diutius moriantur, et deinde Tyreusis Civitatis deditione secuta. Quis igitur decetero marcebit otio? Quis otius non exurget? Quis ad recuperationem Terre predicte non promptus exiliet? Quis tardabit? Quem non pudebit ingratitudiuis argui, quin potius quasi de infidelitate notari, si creatori proprio tam benefico domino ad redemptionem Terre illius, quam ipsi sacra scriptura testatur omnium cariorem, qua potest promptitudine non assistat; cum etiam secuudum iuris humani censuram subditos suis dominis et ad tuenda, que possident, et recuperanda iniuste subtracta debitum fidelitatis astringat? Quis de tot fidei orthodoxe cultoribus tam immaniter trucidatis, de tot calamitatibus captivorum et aliis christianitatis obprobriis non ex tota mente movebitur, non suspirabit, non anxiabitur ad vindictam? Profecto cum secundum Apostolum omnes simus unum corpus in Christo, non immerito cum illis, de quibus scriptum: Percussisti eos et non doluerunt; insensibilitatis arguitur quisquis tantam huius nostri corporis mutilationem, predictorum videlicet christicolarum non sentit excidium, et tam graviter argui non veretur. Accingimiui ergo Christi fideles, et qui christiana religione censemini, vos christianos esse operis prosecutione monstrate. Accipite devotione qua decet vivifice crucis signum, illud in considerationis vestre scrutinium deducentes, quod viris quantuncumque dignitate preditis et virtute ad gloriam magnam ascribitur, si eis quovis in bello dominorum insignia gerere concedatur, sub quibus contingit frequenter non sine salutis eterue discrimine mortis subire periculum, sub cuiuslibet remuncrationis incerto. Quanto igitur gloriosius, quanto securius Regis Regum in eius bello victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet Christi crucem, sub

qua devotione congrua, puro corde suscepta, conceptum prosequentibus munditia continuata propositum mori, est vite perennis initium, transitorie mortis finis, retributionis inextimabilis certitudo. Festinate itaque, festinate, ad salutis vestre properate compendium, Corpora vestra et corda pariter eiusdem vivifice crucis signo in terre sepefate subsidium insignite. Nunc precipue, dum ipsius terre subventio multis ab olim per sedem apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus et oneribus procurata, sed diversis eventibus diutius impedita, divina, ut supponit devota credulitas, provisione dirigitur, et ad expiandas terre ipsius angustias, eamque, quatenus occupata tenetur, de impiorum manibus eruendam efficaciter sub spe divini numinis preparatur. Siquidem Carissimus in Christo filius noster christianissimus Princeps Eduardus Anglie Rex Illustris, post tractatus varios super generali et suo passagio in ipsius Terre subsidium faciendo diversorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, novissime tamquam benedictionis filius nostris beneplacitis acquievit, et ut post Christum iuxta consilium eius eat, se ipsum abnegans ac tollens, ut eundem sequatur dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet Nativitatis beati Iohannis Baptiste, quod erit Anno domini M.CC.LXXXXIII. et ei ad transfretandum personaliter, necnon ad dictum generale passagium crucesignatis et crucesignandis omnibus duximus prefigendum, humiliter acceptavit, seque ipsum exponere sui redemptoris obsequiis, terre prefate personaliter subveniendo disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, pretermittens Regni sui terrarumque divitias, spernens delitias et gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius predicti gloriosi vexilli dominici caractere insigniri, mercantes felici commertio perpetuam post defunctionem corporis exiguo, immo perpetuitatis comparatione vix momentaneo labore quietem, et permutatione consulta terrena pro celestibus commutantes, transitoria pro mansuris, temporalia pro eternis. Ceterum, licet ad excitandos vestros animos in terre memorate succursum sufficere debeat solers attentio premissorum, ut tamen eiusdem terre negotium eo libentius, eoque ferventius prosequi studeatis, quo potiorem fructum ex vestris laboribus vos noveritis percepturos, Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis licet indignis deus ipse ligandi ac solvendi contulit, potestate, omnibus, qui Vexilli dominici caractere insigniti personaliter propriis sumptibus in predicte terre subsidium proficisci curaverint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum: Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserint, et illis similiter, qui iuxta qualitatem et facultatem suam personas ydoneas in expensis propriis destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis et indulgentie volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum eos, qui licet non iuxta qualitatem et facultatem suam, aliquam tamen seu aliquas personas in subsidium dicte terre propriis sumptibus destinabunt, vel de suis temporalibus bonis contribuent ad aliquas destinandas, necnon omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis eisdem aliqua ministrabunt, prout singulis divina fuerit inspiratione suggestum, aut alias ad promotionem presentis negotii consilium et auxilium impenderint oportunum. Porro, si forte aliquos eorum, qui Cruce suscepta in iam dictum terre sancte subsidium proficiscendi laborem subierint, post arreptum iter huiusmodi ex hac luce migrare contigerit, ipsos nichilominus plene percipere volumus indulgentiam prelibatam. Personas quoque, familias et bona eorum, quos ad transfretandum personaliter, vel iuxta facultatem et qualitatem suam personas ydoneas destinandum votum assumpte iam Crucis astringit, ex nunc, quos non suscipiende crucis decetero votum obligavit ad idem, a die, qua taliter crucem assumpserint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut sub diocesanorum suorum defensione consistant: quod si aliqui eos indebite molestare presumpserint, per diocesanos locorum, in quibus iidem molestatores fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescantur. Preterea ipsis, qui predicto modo crucem vel iam assumpserunt vel assument in posterum, indulgemus, ut per sedis apostolice litteras, vel Legatorum eius, nisi forte ille, que ab eadem sede obtente fuerint, plenam de indulto huiusmodi fecerint mentionem, extra suas dioceses non valeant conveniri, dummodo parati existant coram suis ordinariis de se querelantibus responderc: quos per eosdem ordinarios ecclesiastica censura defendi, cessante appellationis obstaculo, volumus ab hiis, qui eosdem contra indultum huiusmodi presumpserint temere molestare. Si qui vero ipsorum ad prestandas usuras iuramento teneantur astricti, creditores eorum per diocesanos suos censura simili compellantur, ut iuramentum huiusmodi penitus relaxantes ab usurarum ulterius exactione desistant: si autem aliqui

creditorum eos extunc ad solutionem coegerint usurarum, ipsos ad restitutionem ipsarum per eosdem diocesanos simili volumus districtione compelli. Iudeos quoque ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli precipimus potestatem, et donec eas remiserint, ab omnibus Christi fidelibus, quibus hoc per suos diocesanos denuntiatum extiterit, tam in mercimoniis, quam in aliis sub excommunicationis pena iubemus eis communionem omnimodam denegari. Postremo crucesignatis et crucesignandis eisdem volentes plenius providere, diocesanis ipsorum, ac nonnullis aliis absolvendi eos ab excommunicationis sententiis in variis casibus, de quibus secundum iuris et facti exigentiam putavimus expedire, necnon dispensandi cum clericis, qui cum a Canone vel ab homine latam sententiam incurrissent, irregularitatis notam immiscendo se divinis officiis contraxerunt, per alias nostras litteras plenam et liberam concedimus facultatem. Datum apud Urbemveterem Kalendis Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 837. fol. 177.

CLXXXIX.

Archiepo Gnesneusi eiusque suffraganeis, ut verbum crucis ad liberandam terram sanctam praedicent.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis, salutem etc. Terre sancte miserabilem statum non absque gravi amaritudine intra mentis nostre precordia recensentes, atque ad liberationem ipsius nostra simul et desideria convertentes et studia, inter multa operosa subsidia, que ipsi terre, deo auspice, fructuosa sedulo procurare atque impendere studuimus et studemus, generale passagium pro eiusdem terre subsidio in festo Nativitatis beati Iohannis Baptiste, quod erit Anno domini m.cc.lxxxxtertio, de fratrum nostrorum consilio duximus statuendum, sicut in aliis nostris litteris, per quas ad subventionem eiusdem terre universos Christicolas exhortamur, quasque vobis una cum presentibus mittimus, evidentius declaratur. Ut autem ad succurrendum promptius in eodem passagio terre prefate per divini verbi virtutem mentes fidelium salubriter excitentur, Christicolis per diversas christianitatis partes proponendum deliberavimus verbum crucis, ad exequendum deliberationem huiusmodi vos eo confidentius eligentes, quo magis ad compatiendum et subveniendum pro viribus terre predicte pastoralis officii pietas vos invitat. Ideoque predicande ipsius vivifice crucis ministerium tibi, frater Archiepiscope, in tua provincia, vobis autem suffraganeis singulis in Civitatibus et diocesibus vestris presentium auctoritate committimus, fraternitati vestre in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus huiuscemodi ministerium iuxta datam vobis a deo prudentiam, non obstante, quod hoc idem aliis sit commissum, quorum officium per vos nolumus impediri, solerter et efficaciter exequi studeatis, omnes fidei orthodoxe cultores ad tam pii negotii prosecutionem ydoneos predicationibus crebris et sedulis exhortando, ut ad liberandam predictam terram de manibus impiorum victoriosum eiusdem vivifice crucis signum devote suscipiant, et propriis affigentes humeris, ac magis cordibus imprimentes, reverenter et publice deferant, atque ad eiusdem terre succursum in predicto passagio generali promptis animis totisque viribus se accingant. Quod quidem venerabile signum volumus, ut cunctis devote petentibus concedatis generaliter, omnibus predicantes, quod qui eandem crucem susceperint, in predicte terre subsidium vel personaliter in propriis aut alienis expensis accedere, vel iuxta qualitatem et facultatem suam bellatores seu alias personas ydoneas destinare, vel saltem, si ex causis legitimis ecclesie oportunum fore videbitur, suscepte crucis votum ad arbitrium apostolice sedis, seu eorum, qui ad hoc fuerint deputati per ipsam, de facultatibus suis redimere tenebuntur. Hos autem, qui taliter huiusmodi votum redemerint, remissionis et indulgentie, que transfretantibus in subsidium antedictum conceditur, volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii, quod impendent, et eius, qua hoc facient, devotionis affectum: aliorum vero privilegiorum et immunitatum seu gratiarum, que ipsis transfretantibus per presentes et alias universis directas fidelibus nostras litteras conceduntur, plena eos volumus commoditate gaudere. Insuper omnes, qui hactenus idem signum pro eodem subsidio susceperunt, monere ac inducere procuretis, ut illud, si forte dimiserint, resumentes alacriter, votum domino reddere studeant, quod voverunt, terre prefate subveniendo efficaciter, ut tenentur. Cum autem omnibus Christi fidelibus, qui eidem terre succursum impenderunt oportunum, unicuique secundum proprium meritum indulgentiam salutarem, ac maxime illis, qui cruce suscepta in ipsius terre subsidium vel personaliter ibunt, vel personas ydoneas iuxta qualitatem et facultatem suam in propriis sumptibus destinabunt, multiplicium gratiarum beneficia concedamus, sicut in aliis nostris litteris prelibatis seriosius continetur, earumdem litterarum tenorem per

vos populis christianis volumus frequenter et diligenter exponi, ita siquidem provide, quod et beneficia supradicta, que ipsis in terra concedimus, et copiosam mercedem, que ipsis proponitur in celo, cognoscere valeant et amare, nec tamen ex verbis vestris concipiant, se aut plenam in casibus, in quibus nequaquam conceditur, aut maiorem, quam conceditur, indulgentiam promereri. Sane ipsos populos ad certa et ydonea loca, quotiens expedire videritis, convocandi ad verbum crucis humiliter audiendum, ac omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad huiusmodi vestras predicationes convenerunt, et idem verbum audierunt reverenter, Centum dies de iniunctis sibi penitentiis relaxandi vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Si quando autem ad ecclesias interdicto suppositas vos devenire contigerit, liceat vobis ad ipsas populos convocare, ac verbum crucis proponere in eisdem, necnon excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, ianuis clausis, cum vestris familiis divina officia celebrare. Ad hec, si qui eorum, quos ad transfretandum personaliter, vel iuxta qualitatem et facultatem suam personas ydoneas destinandum votum assumpte iam crucis astringit, vel assumende deinceps obligabit ad idem, excommunicationis pro violenta iniectione manuum in personas ecclesiasticas essent vinculo innodati, dummodo non fuerit excessus difficilis et enormis, et passis iniuriam satisfaciant competenter, sive pro eo, quod Sepulcrum dominicum visitare, seu ad quaslibet alias terras accedere, vel aliquibus communicare, non tamen in crimine, contra prohibitionem ecclesie presumpserunt, dummodo equos, arma, ferrum seu lignamina, quibus christianos impugnant, non portaverint Sarracenis, absolvendi eosdem in forma ecclesie, ac dispensandi cum clericis, qui cum excommunicationis sententiam latam a canone, vel ab homine incurrissent, irregularitatis notam immiscendo se divinis officiis, seu ministrando in susceptis ordinibus contraxerunt, vobis et vestrum cuilibet concedimus potestatem, ita videlicet, quod beneficium absolutionis et dispensationis huiusmodi singuli vestrum omnibus, qui de ipsorum manibus crucem susceperint, dummodo persone sint cognite: ac nichilominus tu, frater Archiepiscope, omnibus de tua provincia, vos vero singuli Suffraganei omnibus de Civitatibus et diocesibus vestris iam crucesignatis, vel crucesignandis imposterum impertiri previa discretione possitis. Ceterum, licet hoc predicande vivifice crucis officium nonnullis Religiosis per alias nostras litteras committamus, nichilominus, ut quo plures cooperatores habebitis, eo uberiores fructus ex agro dominico producere valeatis, vobis presentium auctoritate concedimus, ut tu, frater Archiepiscope, quatuor, et quilibet vestrum Suffraganeorum duos viros honesta conversatione probatos et ad huiusmodi aptos officium possitis eligere, ac mutare quotiens oportunum fore videritis, qui crucem in vestris Civitatibus et diocesibus predicent, prout eis vestra prudentia duxerit committendum, quibus quemadmodum vobis facultatem concedimus, et convenientibus ad predicationem ipsorum predictam indulgentiam Centum dierum valeant impertiri. Porro, quia dignus est operarius mercede sua, singulis vestrum, et eorum, quos ad predicationem crucis, ut dictum est, duxeritis assumendos, in hoc divino fideliter laborantibus opere preter mercedem eternam, quam merito sperare potestis, quotienscumque studueritis populis ad hoc specialiter convocatis proponere verbum crucis, Centum dierum indulgentiam elargimur, ac vos et ipsos indulgentie memorate, que transfretantibus in subsidium sepedictum conceditur, iuxta laboris vestri mensuram volumus participatione gaudere. Denique volumus, ut tu, frater Archiepiscope, singulis Suffraganeis tuis sub tuo, et quilibet eorum singulis viris, quos, ut premittitur, ad ministerium predicande crucis elegerit, sub suo Sigillo tam presentium, quam aliarum nostrarum, que Christicolis omnibus diriguntur, copiam faciatis, ut earum tenorem inspiciendo frequenter tam vos quam ipsi de hiis, que vobis committuntur agenda, reddantur plenius informati. Postremo, quia diversis olim temporibus nonnulle super predicatione crucis in sepefatum subsidium concessiones a sede apostolica emanarunt, ne forte occasione illarum turbatio ulla sive confusio valeat suboriri, volumus, ut auctoritate commissionum illarum in locis, ad que presens commissio nostra pervenerit, crux decetero predicetur, sed predicationi huiusmodi eos dumtaxat insistere volumus, qui eiusdem nostre commissionis fuerint auctoritate suffulti. Datum apud Urbemveterem Kal. Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 62. fol. 177.

CXC.

Brandeburgensi praeposito, ut cum Ioanne nato Alberti marchionis Brandeburgensis et Eufemia nata ducis Silesiae de matrimonio ineundo dispensare possit.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio . . . Preposito Ecclesie Brandeburgensis, salutem etc. Petitio dilecti filii Nobilis viri Alberti Marchionis Brandeburgensis nobis exposita continet, quod olim instigante pacis emulo, humani generis inimico, inter ipsum ac progenitores suos ex parte una, et dilectos filios Nobiles viros . . . Polonie ac . . . Slesie duces per progenitores eorum ex altera gravia guerrarum discrimina suscitata fuerunt, quorum occasione preter non modica dampna multa personarum et animarum pericula evenerunt, quodque postmodum inter Nobiles ipsos pacis est tranquillitas reformata, que ut nexu potioris roboris confirmetur, utraque partium cupit, ut dilectus filius Iohannes natus eiusdem Alberti, et dilecta in Christo filia Eufemia nata dilecti filii Nobilis viri Henrici ducis Slesie matrimonialiter ad invicem copulentur. Et quia iidem Iohannes et Eufemia se quarto consanguinitatis gradu contingunt, non potest, impedimento consanguinitatis huiusmodi obsistente, partium ipsarum in hac parte desiderium absque dispensatione sedis apostolice adimpleri: quare idem Marchio nobis humiliter supplicavit, ut super hoc de opportune dispensationis remedio providere misericorditer dignaremur. Nos autem, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christi fidelibus pacis incrementum, caritatis affectum et unitatem concordie, submotis impedimentis quibuslibet, procuramus, dilectioni tue, cum Ecclesia Brandeburgensis pastore vacare dicatur ad presens, per apostolica scripta mandamus quatenus, si tibi constiterit de premissis, et evidens utilitas id exposcat, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum Iohanne et Eufemia predictis, quod impedimento huiusmodi non obstante matrimonium ad invicem contrahere valeant, et tamen in contracto licite remanere auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum videris expedire. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Nonis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 660. fol. 132.

EPISTOLAE BONIFACII PP. VIII.

CXCI.

Episcopo Lubuceusi et abbati de Lubens, ne duces Silesiae ab ullo molestari permittant.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Lubucensi, et dilecto filio Abbati monasterii de Lubens Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Devotionis sinceritas dilecti filii Nobilis viri Ducis Slezie et domini Wratislavie, qua Romanam honorat et veneratur ecclesiam, promeretur, ut personam suam apostolice sedis favorabili gratia prosequamur. Cum itaque nos petitionibus suis benignius annuentes, ipsum cum familia, tota terra, possessionibus et omnibus bonis suis, que impresentiarum rationabiliter possidet, susceperimus sub protectione beati Petri et nostra, districtius inhibentes, ne quis ipsum in devotione ac fide sedis apostolice persistentem super terra, possessionibus et bonis predictis, super quibus, ut dicitur, progenitores sui ab eadem sede fuerunt filialem gratiam hactenus consecuti, gravare indebite vel molestare presumat: Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Duci efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eum contra protectionis et inhibitionis huiusmodi nostre tenorem super hoc ab aliquibus indebite molestari, Molestatores etc. usque compescendo, Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, sive qualibet alia dicte sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda, et constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, ac illa, quam de novo edidimus, ne quis extra suam civitatem et diocesim ad iudicium evocetur, vel procedatur in aliquo contra eum, attentius provisuri, ne de hiis, que cause cognitionem exigunt, et que personam, familiam, terram, possessiones et bona huiusmodi non contingunt, vos ullatenus intromittatis, Nos enim, si secus presumpseritis, tam presentes litteras, quam etiam processum, quem per nos illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiusmodi ergo mandatum nostrum sic exequamini fideliter et prudenter, ut non excedatis quomodolibet fines eius. Dat. Rome apud S. Petrum Kal. Febr. Anno II.

In e. m. eisdem. Devotionis sinceritas dilecti filii nobilis viri Bolconis Ducis Slezie et Domini de Vurstembert (Fürstenberg), qua Romanam etc. ut in precedenti per totum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 2. fol. 1.

CXCII.

Duces Silesiae sub protectione beati Petri suscipiuntur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Duci Slesie et domino Wratisla-

vie, salutem etc. Tue devotionis sinceritas, qua Romanam honoras et veneraris ecclesiam, promeretur, ut personam tuam apostolice sedis gratia favorabili prosequamur. Hinc est, quod nos petitionibus tuis benignius annuentes, personam tuam cum familia, tota terra, possessionibus et omnibus bonis tuis, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis te in devotione ac fide sedis apostolice persistentem super terra, possessionibus et bonis predictis, super quibus, ut dicitur, progenitores tui ab eadem sede fuerunt filialem gratiam hactenus consecuti, gravare indebite vel molestare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis et inhibitionis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Kal. Februar. Anno II.

In e. m. Dilecto filio nobili viro Bolconi Duci Slesie et Domino de Wurstembert (Vurstembere). Tue devotionis etc. ut in precedenti per totum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 3. fol. 1.

CXCIII.

Iisdem indulgetur, ut in locis interdictis divina facere celebrari possint.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Duci Slesie et domino Wratislavie, salutem etc. Devotionis tue precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut cum generale terre fuerit interdictum, liceat tibi cum uxore, filiis ac familia tuis, clausis ianuis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, et voce submissa, audire divina officia et ea per Capellanum proprium facere celebrari, dummodo tu, aut uxor, filii, familia et Capellanus predicti causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Kal. Februar. Anno Secundo.

In e. m. Dilecto filio Bolconi Duci Slezie et Domino de Vurstembert. Devotionis tue precibus etc. ut in precedenti per totum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. Tom. II. ep. 4. fol. 1.

CXCIV.

Henricus ecclesiae Revalensi praeficitur in episcopum, et de more capitulo, clero et regi Daciae commendatur.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Henrico Episcopo Revalensi, salutem etc. In supreme dignitatis specula licet immeriti, disponente domino, constituti, curis continuis angimur et pulsamur insultibus successivis, ut de personis talibus provideatur ecclesiis pastoribus viduatis, quarum industria et virtute eedem ecclesie in suis iuribus et libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status, et comodis salutis et gaudii plebs letetur. Olim siquidem Revalensi ecclesia per obitum bo. me. Iohannis Revalensis Episcopi Pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie quondam Iohannem dictum Tristivere, ipsius ecclesie canonicum, in Revalensem Episcopum elegerunt. Cum autem dictus I. attendens, quod Venerabilis frater noster Archiepiscopus Lundensis loci Metropolitanus per carissimum in Christo filium nostrum E. Regem Datie Illustrem detinebatur captivus, sicque prefatus I. ad eundem Archiepiscopum recursum comode habere non poterat pro confirmatione electionis huiusmodi ab Archiepiscopo predicto petenda, propter hoc ad sedem apostolicam personaliter accessisset, demum dum prosecutioni electionis eiusdem insisteret apud eandem sedem, diem clausit extremum. Nos igitur, quod circa provisionem ipsius ecclesie per eundem Regem de Kanuto ordinis fratrum predicatorum factum fuerat, cassato seu irrito nuntiato, de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, et cupientes illum eidem ecclesie per nostre providentie studium Pontificem presidere, de quo certam haberemus notitiam, quod ipsum clara sua merita redimirent, nec dubia esset eius caritas circa plebem suo regimini commictendam, in te ordinis fratrum Minorum professorem, tunc penitentiarium nostrum, virum utique religione conspicuum, licterarum scientia, gravitate morum et aliarum virtutum muneribus decoratum, direximus oculos nostre mentis, teque de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis preficimus ipsi ecclesie in Episcopum et pastorem, et subsequenter tibi fecimus per Venerabilem fratrem nostrum G. Episcopum Sabinensem munus consecrationis impendi, firma spe fidutiaque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, et continua, deo auctore, in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et tua eius oneri humiliter colla submicte, manumque viriliter mictens ad fortia, curam et administrationem eiusdem ecclesie prudenter exequi studeas, et gre-

gis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de grege ipso reddita in die stricti examinis ratione, regnum patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias letabundus, in dilecta domini tabernacula intraturus. Datum Rome apud sanctum Petrum XII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Revalensis, Clero et Populo Civitatis et diocesis Revalensis. Datum ut supra.

Bonifacius episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro ... Regi Datie Illustri, salutem etc. Gratie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si personis dignitate preditis honor debitus impendatur. Sane Revalensi ecclesia etc. usque incrementa. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus dei ministros, et prescrtim pontificali dignitate preditos benigno favore prosequi, ac eosdem verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari: Excellentiam Regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eidem H. Episcopo ob reverentiam apostolice sedis et nostram Regalia, que per te vacationis eiusdem ecclesie tempore detineri dicuntur, sine qualibet difficultate restituens, te sibi reddas in Regio favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum; ita quod idem H. Episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis offitii possit assidue deo propitio prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Rome apud sanctum Petrum XII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 174. fol. 38.

CXCV.

Archiepiscopo eiusque suffraganeis, ut paganorum incursionibus in Estonia sese opponant.

Bonifacius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Rigensi Archiepiscopo et ... Tharbacensi et ... Ossiliensi Episcopis, salutem etc. Paganorum orrenda perfidia statui christiane religionis infesta, fidelium avida turbare quietem, contra magnificum principem Ericum Regem Illustrem Datie ac Vassallos eius in terra Estonie frequenter, sicut accepimus, ausibus contumeliosis insurgit, ipsos impugnare presumens et satagens exterminare vassallos, ut per eorumdem potentiam paganorum supra terram, quod absit, nephariis conatibus dilatetur: quantum autem detestabile ac pernitiosum existeret, quantumve christicolis, et maxime vobis et aliis illarum partium in dispendium et obprobrium redundaret, si quod advertat altissimus, pagani predicti prevalerent ibidem et innate nequitie venena diffunderent, circumspectio vestra neglectui non debet exponere, sed sic considerate prudenter, quod zelus amoris domini et cultus fidei christiane in vestris ferventer insidere precordiis dinoscantur. Quare fraternitatem vestram rogamus et obsecramus in domino, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatinus efficacibus studiis ac viis et modis, de quibus expedire videritis, huiusmodi paganorum nephandis conatibus oviantes, prefatis vassallis eiusdem Regis Datie pro defensione dicte terre Estonie, ac dilatatione fidei memorate in eis sic prudenter, sic efficaciter assistatis, quod per studia vestra fides et Religio christiana habeant inibi, divini auxilii potentia suffragante, triumphum, vosque per hoc retributionis eterne premium et laudis humane preconium consequi plenius valeatis, et constituatis Regem ipsum processu temporis in vestris beneplacitis debitorem. Datum Laterani XV. Kal. Aprilis. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 164. fol. 171.

CXCVI.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, pace cum archiepiscopo Rigensi inita, citatio et comparitio coram pontifice relaxatur.

Bonifacius episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus domus beate Marie Theotonicorum in Livonia, salutem etc. Nuper ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod dudum ad nostram perducto notitiam, quod tam per vos, quam per subditos vestros contra Venerabiles fratres nostros Iohannem Archiepiscopum Rigensem, ... Episcopum Ossiliensem et dilectos filios Capitulum et Cives Rigenses ac subditos et bona eorum per hostiles aggressus, captionem terrarum et personarum, destructionem bonorum et alias graves et enormes inimitias procedere nequiter presumpsistis, dilectum filium ... Magistrum generalem vestri ordinis et vos per alias nostras sub certa forma litteras peremptorias citari mandavimus, ut comparere coram nobis certis modis et terminis curaretis. Verum, sicut asseritis, idem Archiepiscopus cupiens super discordia et gravibus periculis animarum et corporum, que hinc inde contigerant, et que gravius in futurum insurgere posse verisimiliter timebantur, salubriter pro-

videre, duxerit vobiscum, ut per amicabilem compositionem pacta pacis et concordie taliter ineundum, videlicet quod ipse omnem iniuriam, violentiam et molestiam qualemcumque, per quam a vobis et vestris in persona propria, et in suis subditis sive rebus gravatus fuerat, vel gravari aliqualiter videbatur, vobis liberalitate ac voluntate libera relaxarit, actionem aliquam super hiis, si qua ei de iure vel de facto contra vos competere posset, nullo unquam tempore resumpturus. Vos vero eidem Archiepiscopo omnia eius Castra et munitiones alias cum suis pertinentiis, que et quas ab ipso et eius subditis expugnando subiugasse vobis tempore dissensionis huiusmodi noscebamini, libere ac integraliter reddidistis: omnem etiam iniuriam vobis ab ipso vel suis in personis vel rebus illatam duxistis sibi libere remictendam. Castra autem et possessiones Canonicorum et Vassallorum Rigensis ecclesie, quos concordare vobiscum idem Archiepiscopus proponebat, usque ad festum beati Martini tunc proximo futurum manere in vestra ditione deberent, sequestratis interim fructibus eorumdem, ipsis Canonicis et Vassallis reddenda, dumtaxat si ipsi Canonici et Vassalli secuti eiusdem Archiepiscopi consilium et mandatum vobis secundum virorum bonorum arbitrium [bonorum] super hiis, que vertebantur inter vos et ipsos, ducerent componendum, sin autem extunc erga ipsos et bona eorum haberetis vos, prout secundum deum et iustitiam expediens videretis. Et nichilominus idem Archiepiscopus, inter vos et Civitatem Rigensem guerra et dissensione durantibus, vos omnium bonorum Rigensis ecclesie ad ipsum Archiepiscopum pertinentium tutores elegit ac fecit, eo modo scilicet, quod vos datis ei ex vestris fratribus ydoneis advocatis aliisque offitialibus, qui de bonis ipsis fideliter curam gererent, omnia Castra et munitiones alias eiusdem Archiepiscopi, sive ibi eum interesse contingeret pro libito, vel abesse, faceretis per fratres vestros vel alias personas vobis ad hoc habiles, prout opus existeret, custodiri, et ipsos Archiepiscopum et ecclesiam, ac vos et vestra, et utrorumque neofitos, quo melius valeretis, ab vestrorum et crucis Christi . . . . . preservari: et ne posset prelibatus Archiepiscopus cuiusquam sinistra suspitione notari, promisit motu proprio, quod tempore dissensionis huiusmodi Civitatem Rigensem, Osiliam et alia inimicorum vestrorum loca vitaret, nec haberet susceptas familiaritates aliquas cum eisdem, donec amicabilis compositio vel Treugue tales adessent, per quas huiusmodi eius obligatio scinderetur; alia vero loca omnia tam sui, quam vestri ac fautorum vestrorum districtius, prout sibi videretur, posset idem Archiepiscopus frequentare. Ac volens idem Archiepiscopus compositionem huiusmodi fortius stabilire, renuntiavit in omnibus et singulis supradictis omni actioni, defensioni, exceptioni, doli mali benefitio, restitutioni in integrum, omnibus privilegiis seu licteris simplicibus vel legendis in Romana Curia impetratis, vel etiam impetrandis, et omni iuris canonici et Civilis auxilio, aliisque aminiculis, que contra dictam compositionem de facto vel de iure possent obici vel oponi, prout in ipsius Archiepiscopi patentibus licteris suo et aliorum quamplurium Sigillis munitis plenius dicitis contineri. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum per compositionem eandem huiusmodi vestra et predicti Archiepiscopi dissensio et discordia sit sopita, providere vobis et dicto Magistro generali super relaxatione vestre citationis et vestre comparitionis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, si assertioni vestre super compositione predicta, et hiis, que de ipsa narrantur, veritas suffragetur, vestris supplicationibus inclinati, volentes erga vos et eundem Magistrum generalem in hac parte benignitatis et mansuetudinis gratiam exercere, citationem et comparitionem easdem et omnem earum effectum ipsi Magistro generali et vobis remictimus, ac eum et vos ab ipsis absolvimus de gratia speciali, ita quod ratione citationis eiusdem comparere nullatenus teneamini, nec pro eo, quod non comparueritis, possit sibi, vel vobis ad culpam vel offensam aliquam imputari: alioquin remissio et absolutio nostra huiusmodi nullius penitus sit roboris vel momenti. Volumus tamen, quod quo ad Episcopum Osiliensem, Capitulum et Cives Rigenses predictos, si inter vos et eos non fuerit concordia celebrata, vos et dictus Magister generalis debeatis et teneamini coram nobis per procuratores legitime comparere. Datum Anagnie Idibus Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 210. fol. 182.

CXCVII.

Isarno archiepiscopo Rigensi pallium transmittitur.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Isarno Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Cum palleum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, a nobis cum ea qua decuit instantia postulasses: Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum tibi per dilectos filios nostros

Matheum saucte Marie in Porticu, ac Franciscum saucte Marie in Cosmedin et Petrum sancte Marie Nove Diaconos Cardinales fecimus assignari, ut illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut signum igitur non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur, quatinus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, ac Rigensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, actore domino, incrementis spiritualibus et temporalibus ampliare. Datum Laterani XIIII. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. III. ep. 385. fol. 374.

CXCVIII.

Archiepiscopo Rigensi, ut beneficia ecclesiastica, quae tempore suae promotionis obtinebat, ad triennium retinere possit.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Ysarno Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Attendentes laudanda tue multiplicis probitatis merita, quibus nosceris insignitus, ac etiam grata et accepta servitia, que uobis et sedi apostolice hactenus impendere curavisti, dignum et rationi conveniens arbitramur, ut personam tuam specialibus gratiis et condignis honoribus prosequamur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tua Rigensis ecclesia, cui te pridem prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, propter grandia debitorum onera, quibus per bo. me. Iohannem predecessorem tuum Archiepiscopum Rigensem pregravata existit, et etiam ob multimoda guerrarum discrimina illarum partium, et occupationes ac invasiones bonorum ipsius ecclesie a nonnullis dampnabili temeritate presumptas, adeo in perceptione fructuum, redditum et proventuum fore conspicitur diminuta, quod ex eis non potes ad presens absque nostre provisionis et subventionis auxilio de debitis satisfacere supradictis, nec iuxta dignitatis Archiepiscopalis decentiam comode substentari. Cum itaque Prioratus sancti Bartholomei de Bonavento, per Priorem solitus gubernari, ord. sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, ac archipresbiteratus, canonicatus et prebenda ecclesie Carcassonensis, eiusdem ordinis, quos ex dispensatione sedis apostolice promotionis et consecrationis tue tempore canonice obtinebas, quique per huiusmodi promotionem et consecrationem tuam apud sedem ipsam vacavisse noscantur, ac nullus preter nos prioratum, archipresbiteratum, canonicatum et prebendam eosdem conferre potuerit, constitutione fel. record. Clementis pp. IIII. predecessoris nostri super prioratibus, dignitatibus, canonicatibus et prebendis apud sedem ipsam vacantibus per Romanum duntaxat pontificem conferendis edita obsistente, pro eo, quod nos ante finitum tempus statutum per moderationem pie mem. Gregorii pp. X. predecessoris nostri, super hoc adhibitam in generali Concilio Lugdunensi, prioratum, archipresbiteratum, canonicatum et prebendam prefatos donationi apostolice duximus reservandos, decernentes extunc irritum et inane, si secus de ipsis vel eorum aliquo scienter vel ignoranter attemptatum esset, vel imposterum contingeret attemptari: Nos volentes, ut favorem apostolicum sentias per effectum, fraternitati tue prioratum, archipresbiteratum, canonicatum et prebendam predictos cum omnibus iuribus et pertinentiis suis pro huiusmodi persolvendis debitis, tuisque necessariis supportandis usque ad Triennium auctoritate apostolica de speciali gratia reservamus, ac decernimus prout est irritum et inane, si secus super hoc contra reservationis nostre tenorem a quoquam extiterit attemptatum, tibi nichilominus auctoritate simili concedentes, ut fructus, redditus et proventus prioratus, archipresbiteratus, canonicatus et prebende predictorum per idem triennium percipere libere, ac una cum fructibus, redditibus et proventibus Archiepiscopatus Rigensis prefati licite retinere valeas, Constitutione generalis Concilii et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Volumus autem, quod interim prioratus, archipresbiteratus, canonicatus et prebenda prefati debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, siqua illis iminet, uullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre reservationis et concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Laterani V. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 109. fol. 27.

CXCIX.

Cardinali Ostiensi legato, ut episcopum Cracoviensem propter discordias in Hungaria excitatas coram pontifice comparendum citet.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Ostiensi et Velletrensi Episcopo, apostolice sedis Legato, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod Venerabilis frater noster Cracoviensis Episcopus, si venerabilis dici debeat, non attendens, quam sint periculose discordie, quam abho-

minanda discrimina, mala, dampna et pericula animarum, corporum atque rerum, que in Regno Ungarie temporibus istis invaluisse noscuntur, illa iuxta officii sui debitum minime impendit, sed quod deterius est, in sue salutis dispendium et dampnum irreparabile aliorum ea suscitare, fovere et nutrire presumit, licet hoc non pastoris officium, sed lupi temeritas dinoscatur. Nos igitur nolentes in eodem Episcopo, sicut etiam nec debemus, tantam insolentiam equanimiter tolerare, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si expedire videris, eumdem Episcopum per te vel alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare procures sub pena suspensionis ab administratione spiritualium et temporalium, et depositionis Episcopalis dignitatis, ut infra trium mentium spatium post citationem huiusmodi personaliter nostro se conspectui representet, suam, si poterit, super hiis innocentiam ostensurus, et recepturus pro meritis ac facturus, quod sibi duxerimus iniungendum, quamvis Cracoviensis ecclesia non sit infra tue legationis terminos constituta. Diem vero citationis, et formam et quicquid inde feceris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Datum Laterani VI. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 474. fol. 75.

CC.

Episcopo Revalensi, ne interdictum in regno Daciae promulgatum in sua dioecesi propter Lethovinos, Carelos aliosque recenter ad fidem conversos observet.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Revaliensi, salutem etc. Ex parte tua et dilectorum filiorum ... Decani et Capituli ecclesie Revaliensis, necnon Cleri Civitatis et diocesis Revaliensis nobis extitit intimatum, quod licet Regnum Dacie occasione captionis et detentionis venerabilis fratris nostri Iohannis Archiepiscopi Lundensis auctoritate constitutionis concilii prelatorum dicti Regni, per sedem apostolicam confirmati, ecclesiastico fuerit suppositum interdicto, ac generalis in omnes interdictum huiusmodi non servantes excommunicationis sententia promulgata, tuque servaveris et serves huiusmodi interdictum, quia tamen Civitas et diocesis predicte, que in ducatu Extonie consistentes ab antiquis finibus dicti Regni non modicum distare noscuntur, posite sunt inter Neophitos plurimos, eciam infideles, idem Decanus et alii de Capitulo et Clero predictis attendentes, quod si ipsi servarent huiusmodi interdictum, qui ad fidem catholicam de novo conversi nondum in illa constantes vacillant, non modicum in eadem occasione huiusmodi possent ab eadem fide de facili deviare, ac errores repetere primitivos, cum presertim ad id per Ruthenos, Carelos, Ingeros, Watenos et Lethevinos, qui sunt in locis circumposite regionis, eos quasi iugiter impugnantes cotidie impellantur, non in contemptum clavium, sed ut ipsos incolas in fide predicta, quam susceperant, confirmarent, sub spe misericordie in tali articulo a sede apostolica obtinende in Civitate et diocesi predictis in eodem Regno consistentibus divina officia celebrarunt et celebrant, ac ministrarunt et ministrant eisdem incolis ecclesiastica sacramenta. Quare tu et ipsi decanus, Capitulum et Clerus ad apostolicam in premissis clementiam recurrentes nobis humiliter supplicastis, ut cum in dictis Civitate et diocesi cultum fidei christiane quasi totaliter aboleri, si prefatum servetur inibi interdictum, verisimiliter formidetur, cum eisdem decano et aliis de Capitulo et Clero predictis super hiis misericorditer agere, ac precavere periculis, que in ipsis Civitate et diocesi possent contingere in futurum ex eiusdem observantia interdicti, paterna sollicitudine dignaremur. Licet autem alias sub spe venie nullus delinquere debeat, quia tamen ipsi decanus et alii de Capitulo et Clero predictis non disciplinam ecclesiasticam contempnendo, sed in divini cultus favorem tanquam orthodoxe zelatores fidei hec gesserunt. Nos premissa omnia pia consideratione pensantes, ac cupientes eiusdem fidei cultum non minui, sed augeri, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatinus eosdem decanum et alios de Capitulo et Clero predictis, a quibus super hoc fueris requisitus, ab huiusmodi excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, auctoritate nostra iuxta formam ecclesie absolvas, ac super irregularitate qualibet horum occasione contracta dispenses misericorditer cum eisdem, imposita eis penitencia salutari, prout animarum suarum saluti videris expedire, ipsis nichilominus eadem auctoritate concedens, ut interdictum servare prefatum, cui dictum Regnum occasione huiusmodi subiacet, in eisdem Civitate et diocesi nullatenus teneantur, illo in aliis partibus dicti Regni nichilominus in suo robore duraturo. Datum Laterani VII. Idus Decembris. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 339. fol. 90.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XI.

CCI.

Archiepiscopo Gnesnensi, moneat et compellat episcopum Vratislaviensem, ut archidiaconum Glogoviensem in suam dignitatem restituat.

Benedictus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri.... Archiepo Gneznensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius Magister Mirozlaus Archidiaconus ecclesie Glogoviensis Wratislaviensis diocesis, quod Venerabilis frater noster Henricus Episcopus Wratislaviensis contra eum sine causa rationabili provocatus, post nonnullas iniurias et gravamina per eum sibi illata, in eum non convictum de aliquo crimine vel confessum, immo absentem, sed non per contumaciam, sine aliqua causa rationabili excommunicationis sententiam promulgavit, quam postmodum relaxare noluit, ab eo super hoc pluries humiliter requisitus, quin potius addens afflictionem afflicto, ipsum archidiaconatu suo Glogoviensis ecclesie, necnon canonicatibus et prebendis, quos in Wratislaviensi ac Oppoliensi dicte diocesis ecclesiis canonice fuerat assequutus, ac etiam quibusdam decimis ad eum spectantibus, in quorum quidem archidiaconatus, canonicatuum, prebendarum et decimarum dictus Archidiaconus possessione pacifica existebat, contra iustitiam privavit et etiam spoliavit, dictosque archidiaconatum, canonicatus ac prebendas contulit aliis minus iuste pro sue libito voluntatis in grave ipsius Archidiaconi detrimentum. Cum autem dictus Archidiaconus ad nostram in hac parte duxerit providentiam recurrendum, nos ei nolentes in suo iure deesse, qui sumus omnibus in iustitia debitores, sed intendentes eidem in hac parte de remedio consulere oportuno, fraternitati tue sub excommunicationis pena, et in virtute obedientie districte precipiendo per apostolica scripta mandamus, quatinus eumdem Episcopum ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, ut infra triginta dierum spatium post monitionem huiusmodi predictam excommunicationis sententiam sine qualibet difficultate relaxet, dictoque Archidiacono archidiaconatum, canonicatus, prebendas et decimas antedictas cum fructibus inde perceptis, et qui percipi potuerunt, plene restituat, faciens ipsum pacifica illorum possessione gaudere, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, alioquin tu ex tunc, si tibi constiterit de premissis, eumdem Archidiaconum auctoritate nostra ab huiusmodi sententia iuxta ecclesie formam absolvens, ipsum, prout iustum fuerit, in corporalem possessionem archidiaconatus, canonicatuum, prebendarum et decimarum predictorum reducas, et redactum etiam tuearis, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, Non obstantibus, si aliquibus ab eadem sit sede indultum, quod etc. usque mentionem, Contradictores etc. usque compescendo. Et quia huiusmodi negotium cordi gerimus, volumus tibique districte mandamus, quatinus quicquid per te in hac parte et dictum Episcopum actum fuerit, nobis per tuas litteras harum serie continentes fideliter intimare procures. Datum Laterani II. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. Tom. I. ep. 418. fol. 98.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. V.

CCII.

Iudicibus, ut Ioannem episcopum Cracoviensem ab violentiis Wratislai ducis Cracoviensis tueantur.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri... Episcopo Tiberiadensi, et dilectis filiis Nicolao de Bancz, et Conrado de Boemia Canonicis Wratislaviensibus, Salutem et apostolicam benedictionem. Nephande presumptionis excessus in personam Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Cracoviensis, honorabilis ecclesie dei membri, per impietatis filium Nobilem virum Wratislaum Ducem Cracoviensem temeritate dampnabili perpetratus, prout ipsius ecclesie clamor insinuat et querelis fame divulgatis affatibus aperitur, nuper apostolice sedis auditum perculit, turbavit mentem, et eius intima quasi diri doloris aculeus sauciavit. Audimus etenim, quod licet idem Episcopus pro rerecuperandis decimis, iuribus et libertatibus ad ecclesiam suam Cracoviensem spectantibus penes dictum Ducem, qui temere illa occupaverat, et detinebat etiam occupata, prout ad dictum pertinebat Episcopum, institisset, idem Dux temerariis ausibus, data licentia, et preconceptam nequitiam ducens ad partum, prefatum Episcopum tunc in domo fratrum Predicatorum Cracoviensi existentem ausu sacrilego capere non expavit, quem adhuc taliter captum detinere presumit, quamvis dictus Dux coram pluribus fidedignis iuramento super hoc ab eo prestito prefato Episcopo securitatem dedisset, quod cum ipso Episcopo super premissis, ac etiam super dampnis et iniuriis alias per ipsum Episcopo et ecclesie Cracoviensi prefatis illatis penitus concordaret, ac nichilominus mala malis accumulans Canonicos prefate Cracoviensis ecclesie, ac alios ipsi Episcopo adherentes extra terram suam eiecit alios in ipsorum beneficia presumptione temeraria intrudendo. Castra vero et alia bona ad Episcopalem sedem Cracoviensem spectantia nequiter occupavit, alias Episcopum et ecclesiam Cracoviensem predictos multipliciter opprimendo in divine maiestatis offensam, apostolice sedis contemptum, et dicti Ducis anime detrimentum. Cum itaque tam orrende ac superbe temeritatis audaciam et execrabilem detentionis iniuriam Epi memorati nolimus, sicut etiam non debemus, equanimiter sustinere: nos de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus negotium huiusmodi, quod potissime cordi gerimus, devotionis promptitudine assumentes, vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios prefatum Ducem ex parte nostra diligenter monere curetis, ut statim post monitionem vestram memoratum Episcopum sine difficultate et dilatione qualibet pristine restituat libertati, alioquin dictum Ducem et omnes alios, qui in captione ac detentione prefati Episcopi culpabiles fuerint, pronuntietis extunc in excommunicationis sententiam latam a Canone incidisse, ac terram et alia bona eorum supponatis ecclesiastico interdicto, ipsosque tandiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos, ac terras et loca

eorum predicta subiacere huiusmodi interdicto publice nuntietis, et faciatis per omnia loca, de quibus expedire videritis, per alios publice nuntiari, dictosque excommunicatos ab omnibus arctius evitari, donec Dux et culpabiles supradicti meruerint super hiis ab eadem sede absolutionis beneficium obtinere, prefato Duci nichilominus iniungentes, ut infra certum terminum, quem ei ad hoc prefixeritis, Castra et alia bona per eum, ut prefertur, ablata ipsi Episcopo cum integritate restituere non postponat, dictosque Canonicos et adherentes ad dictam terram suam reducat, et ad beneficia eorum predicta cum fructibus inde perceptis, et qui percipi potuerunt, integraliter restituat, amotis dictis intrusis, et quibuslibet aliis detentoribus ab eisdem, et nichilominus de huiusmodi dampnis et iniuriis tam eidem Ep̄o, quam Canonicis et adherentibus prefatis illatis plenam et debitam satisfactionem impendat, ipsum ad hoc per excommunicationis in personam eiusdem Ducis et in terram ipsius interdicti sententias compellendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Moneatis insuper intrusos eosdem, ut beneficia ipsa infra terminum a vobis prefigendum eisdem predictis Canonicis, et adherentibus libera et expedita omnino dimittant, nec ipsos molestent ulterius super illis: alioquin eosdem intrusos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc similiter, si opus fuerit, auxilio brachii supradicti: et nichilominus eos omnibus beneficiis ecclesiasticis, que obtinent, auctoritate nostra privetis, et reddatis inhabiles ad ea vel alia beneficia in posterum obtinenda. Non obstantibus (constitutionibus) de duabus dietis edita in concilio generali, et fel. rec. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam diocesim, nisi in certis casibus, et in illis ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad iudicium non trahatur, seu si prefato Duci, vel aliquibus aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi, seu terre eorum interdicto supponi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Sanctum Saturninum Uticensis diocesis IV. Nonas Martii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 89. fol. 17.

CCIII.

Archiepiscopo Gnesnensi eiusque collegis, ut episcopum Vratislaviensem ad comparendum in curia Romana citent.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Gnesnensi Archiepiscopo et ... Episcopo Posnaniensi, ac dilecto filio ... Rectori ecclesie in Olsenicz Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Grave gerimus et molestum, cum sinistra nobis de quibusvis personis ecclesiasticis, vel etiam secularibus referuntur, sed in excessibus prelatorum, qui in seipsis debent ostendere, qualiter oporteat alios in domo domini conversari: cum ad nostrum perferuntur auditum, eo gravius provocamur, quo dampnabilius eorum culpe remanent incorrecte, cum facile trahatur a subditis, quod ab eisdem prelatis agitur, in exemplum. Dudum siquidem dilecti filii Guntherii de Byberstein presbiteri Wratislaviensis diocesis gravi conquestione percepta, quod olim felicis recordationis Benedictus papa XI. predecessor noster, ante susceptum ab eo apostolatus officium, tunc Nicolaus Episcopus Ostiensis et in illis partibus apostolice sedis legatus, prefatum presbiterum, quem ob reverentiam dicte sedis sibi fidelem et obedientem invenerat, ad publicandum quosdam processus per eundem legatum rite habitos contra Venerabilem fratrem nostrum Henricum Wratislaviensem Episcopum, si dici venerabilis mereatur, et eius complices occasione excessus perpetrati in personam cuiusdam Nuncii dicti legati, qui, eodem Episcopo sciente ac permittente, ex ordinatione et mandato complicum predictorum captus et percussus, ac miserabiliter interfectus fuerat, duxerat transmittendum, et quod nonnulli ecclesiastice persone, clerici et laici Wratislaviensis Civitatis et diocesis, qui sunt de complicibus antedictis, in dictum presbiterum mandatum huiusmodi predicti legati in ecclesia fratrum ordinis minorum Wratislaviensi fideliter adimplentem, presente dicto Episcopo, qui tunc exercebat in eadem Civitate dominium temporale, quamquam sibi antea plenam securitatem promiserat, ante maius altare ipsius ecclesie, ubi hec agebantur, plures videlicet eorum evaginatis gladiis ausu sacrilego irruentes, eundem presbiterum interficere conati fuerant, ac ipsum interfecissent, si sacristiam ipsius ecclesie, ad quam confugerat, subito non intrasset, prefato Episcopo hoc videnti, ipsaque, cum potuisset, minime prohibente, ac hiis malefactores huiusmodi non contenti, dictum presbiterum per se et per alios spoliarant omnibus bonis suis tam ecclesiasticis quam mundanis, et cuidam procuratori suo pedem in eius iniuriam amputare, ipsumque de terris Polonie, Boemie et Moravie huiusmodi pretextu duxerant expellendum, propter quod idem presbiter cogebatur mi-

serabiliter exulare. Nos dicto presbitero paterno in hac parte compatientes affectu, super premissis ex relatione Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Ostiensis, cui super eis inquisitionem faciendam commisimus, plenarie informati, dilecto filio ... Abbati monasterii sancti Egidii in Nueremberg Bambergensis diocesis, et duobus aliis suis in hac parte collegis per nostras inter alia dedimus litteras in mandatis, ut ipsi omnes vel duo aut unus eorum prefato presbitero omnia bona predicta tam ecclesiastica quam mundana, quibus eum fuisse directe vel indirecte, seu etiam per oblicum spoliatum occasione huiusmodi, summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii constaret, eidem cum fructibus inde perceptis, et qui percipi a tempore huiusmodi spoliationis potuerant, facerent cum integritate restitui, reducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in illorum corporalem possessionem, et redductum etiam defendentes, sibique facientes de dampnis et iniuriis super hiis illatis eidem debitam satisfactionem impendi, ac prestari per Episcopum supradictum sic plenam securitatem et cautionem de non offendendo eum in persona vel rebus, quod in terris predictis posset libere commorari, Non obstantibus, si dicto Episcopo Wratislaviensi ab eadem foret sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca trahi non posset per litteras etc. usque mentionem, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo: dictum insuper Episcopum Wratislaviensem ex parte nostra peremptorie citare curarent, ut infra certum competentem terminum, diutius iam elapsum, post citationem huiusmodi compareret personaliter coram nobis, mandatis et beneplacitis nostris in hac parte plenarie pariturus, ac facturus et recepturus super predictis, quod iustitia suaderet. Et licet idem Abbas prefatum Episcopum Wratislaviensem per prepositum et vicedecanum ecclesie Glogoviensis dicte diocesis, ad instanciam dicti presbiteri, coram se super predictis de iustitia responsurum citari fecisset, et in termino sibi ad hoc prefixo comparuisset coram dicto Abbate generalis ipsius Wratislaviensis episcopi procurator, ac de consensu ipsius presbiteri obtinuerit sibi terminum prorogari, infra quem amicabiliter componeret idem Wratislaviensis Episcopus cum presbitero memorato: in huiusmodi tamen termino prorogato dictus Episcopus Wratislaviensis per se vel aliquem responsabilem coram Abbate predicto comparere contempsit, in eodem termino et post ipsum diutius expectatus, dicto presbitero comparente, et ipsius Episcopi Wratislaviensis non comparentis contumaciam accusante, propter quod idem Abbas reputans dictum Episcopum Wratislaviensem, prout erat, merito contumacem, receptis testibus et aliis probationibus coram eo pro parte antedicti presbiteri productis, quia sibi constitit per dicta ipsorum testium, et per alias probationes huiusmodi de violentia, spoliatione ac iniuriis supradictis, et per iuramentum ipsius presbiteri de dampnis eidem illatis, ac suis rebus et bonis amissis occasione predicta, dictum Episcopum Wratislaviensem citatum, ut examinationi predictorum interesset, et per contumaciam absentem, ad solutionem ipsi presbitero faciendam infra certum terminum, diutius iam elapsum, de quibusdam non modicis pecuniarum summis pro dampnis huiusmodi et rebus mobilibus ipsius presbiteri amissis, ac pro fructibus, quos idem Episcopus Wratislaviensis a tempore eiectionis dicti presbiteri de possessionibus eius [quas] perceperat, et potuerat percepisse, et pro expensis, quas idem presbiter in lite fecerat, prout suo iuramento firmaverat, sententialiter condempnavit, reducendo et reponendo dictum presbiterum per huiusmodi sententiam in possessionem omnium bonorum suorum, quibus per violentiam fuerat spoliatus, ac decernens, ut idem Episcopus Wratislaviensis ydoneam cautionem prestaret eidem presbitero de non offendendo ipsum in persona vel rebus eius, qui in terris ac possessionibus suis secure posset ac libere commorari, in prefatum Episcopum Wratislaviensem propter huiusmodi suam contumaciam supradictam excommunicationis sententiam promulgando, ipsumque faciendo per venerabiles fratres nostros ... Argentinensem et ... Spirensem Episcopos, ac quosdam alios, eorum in hac parte collegas, excommunicatum publice nuntiari. Ac idem Episcopus Wratislaviensis, sue salutis immemor, sic ligatus divina officia, ut dicitur, celebrare, immo verius, quantum in eo est, prophanare presumit in anime sue periculum, ecclesiastice discipline contemptum, dicti presbiteri preiudicium et scandalum plurimorum. Porro quamvis dictus Abbas prefatum Episcopum Wratislaviensem per archidiaconum Lignicensem, iuxta formam earundem litterarum, ad presentiam nostram citari fecisset, idem tamen Episcopus Wratislaviensis coram nobis contumaciter comparere contempsit in termino huiusmodi, et post illum diutius expectatus, non curavit saltem responsalem ydoneum destinare, prout super hiis omnibus per relationem dicti Nicolai Episcopi Ostiensis, et dilecti filii nostri Landulfi sancti Angeli diaconi Cardinalis, quibus super prefatis informationem recipiendam commisimus, sumus plenius informati. Nos igitur predicti Episcopi Wratislaviensis ulcisci volentes huiusmodi violentiam et contumaciam in

hac parte, ne de ipsis valeat gloriari, eiusdem Episcopi Wratislaviensis inobedientia et contumacia predictis exigentibus, ac etiam ex aliis iustis et legitimis causis, ab administratione spiritualium et temporalium Wratislaviensis ecclesie supradicte usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum duximus suspendendum. Rursus etiam experiri volentes, si prefatus Episcopus Wratislaviensis in huiusmodi inobedientia et contumacia perdurabit, ac intendentes, prout nec debemus, predicta, ne in exempli pernitiem aliorum transeant, non dimittere incorrecta, discretioni vestre sub excommunicationis pena, quam eo ipso vos incurrere volumus, si huiusmodi mandatum nostrum neglexeritis adimplere, districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios memoratum Episcopum Wratislaviensem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra sex mensium spatium, a die citationis huiusmodi numerandum, sub pena privationis Episcopalis dignitatis, quam eo ipso eum incurrere volumus, de apostolice plenitudine potestatis, si coram vobis in eodem termino non curaverit comparere, se nostro conspectui personaliter representet, nostris et sedis eiusdem beneplacitis et mandatis humiliter et efficaciter pariturus. Diem vero vestre citationis et formam, et quicquid in hac parte duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis celeriter et fideliter intimare. Datum Avinione XVI. Kal. Maii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. Tom. IV. ep. 954. fol. 195.

CCIV.

Iudicibus, ut de excessibus quibusdam a fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in paganos Lethovinos et alios commissos inquirant, eosque ad restituenda quaedam castra iisdem paganis arrepta compellant.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Bremensi, et dilecto filio Magistro Alberto de Mediolano Canonico Ravennati, Capellano nostro, salutem etc. In vinea domini licet immeriti cultores positi et custodes, sic in ipsius culture salubrisque custodie nos debemus ministeriis exercere, ut in ipsa infatigabiliter operantes, extirpandis vitiorum spinis et peccatorum tribulis, que superficiem eius interdum obumbrare conantur, necnon plantandis virtutum germinibus, in quibus altissimus delectatur, fervore spiritus et diligenti sollicitudine intendendo, ipsam ab illis presertim offensionum discriminibus tueamur, que sub pietatis specie cautius subintrantes difficilius precaventur. Sane tam predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, quam nostris continuatis successive temporibus ex clamore valido et insinuatione famosa ad audientiam sedis apostolice est deductum, quod Preceptores et fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum, ad hec solum per sedem eandem in Rigensi, Livonie et Pruscie provinciis constituti, ut ecclesias aliosve catholice fidei professores vallo fortitudinis munientes, ipsos a paganorum et scismaticorum tueantur incursibus, et ad dilatandum ibi catholice fidei nomen et cultum iugiter elaborent, in gravem prothdolor nostri Redemptoris iniuriam, fidelium cunctorum obprobrium et eiusdem fidei detrimentum facti sunt hostes domestici, et familiares sunt redditi inimici, non insurgentes pro Christi nomine adversus hostes fidei, sed in eorumdem favorem, quod stupet auditus, variis calliditatum generibus dimicantes potius contra Christum, ad id precipue, prout evidentia facti ostendere dicitur, intendentes, ut ecclesiis omnibus earumque facultatibus aliisque bonis fidelium dictarum partium eorum usibus applicatis, in rerum amplitudine contabescant, propter quod, dimissa Christi militia, nunc contra Christi fideles armis nequitie bellum miserabile conferentes, nonnullos Archiepiscopos, qui fuerunt pro tempore, aliosque prelatos et personas ecclesiasticas in dignitatibus constitutas illarum partium, non absque iniectione manuum in ipsos, dei timore postposito, temere violenta detestabili et sacrilego ausu capere, diris mancipare carceribus, et alias eis graves corporales afflictiones inferre dampnabiliter presumpserunt, ac de quatuordecim ecclesiis Suffraganeis, quas Rigensis ecclesia Metropolis partium earumdem habere consueverat, septem totaliter deleverunt, septem aliis in tali statu dimissis, ut plus sint dedecori et pudori decentie pastoralis, quam si penitus non adessent. Nam de quatuor eorum eiectis Canonicis in eis canonice institutis, fratres sui ordinis pro Canonicis in dictis ecclesiis locaverunt, quos in eisdem de facto instituunt et destituunt sicut volunt, et tales eorum Confratres pro Canonicis se gerentes eligunt in Episcopos, quos iidem preceptores et fratres mandant de suis Confratribus eligendos: Electi vero taliter falsa, immo verius confirmatione non obtenta in Episcopos se faciunt consecrari, nullam obedientiam eidem Rigensi ecclesie locorum Metropoli facientes. In residuis autem tribus Cathedralibus ecclesiis vacantibus intrudunt personas, quas volunt, etiam minus dignas, de quibus per potentie sue abusum electionem faciunt celebrari, ac de modo et

forma electionum huiusmodi, nulla examinatione premissa, per antedictos fratres sui ordinis pro Episcopis se gerentes et electos huiusmodi in Episcopos faciunt consecrari, omnia bona earumdem ecclesiarum, que insignes consueverant habere pontifices cum solennibus Capitulis, latis et magnis facultatibus et redditibus habundantes, propriis usibus non absque pernitioso earumdem ecclesiarum dispendio enormiter applicando, seque, ut liberius in predictam Metropolim et ecclesias, ceterosve prelatos et fideles provinciarum et partium predictarum valeant desevire, eorumque munitiones, Castra, Terras, Iurisdictiones et iura propric subicere ditioni, eisdem paganis nequam amicitie federe coniungentes, ac publicum eis adversus dictos fideles impendentes auxilium, consilium et favorem, ferrum, arma, equos et alia mercimoniorum genera, per que dicti pagani fideles eosdem possint accerbius impugnare, vendunt, et per alios ipsis vendi permittunt: quodque gravius est, iidem preceptores et fratres non solum a confinibus eorumdem paganorum, in quibus contra illorum incursus debuissent se murum defensionis opponere, in detrimentum fidelium recesserunt, sed quoddam Castrum eiusdem Rigensis ecclesie eisdem paganis pro certa quantitate pecunie venundantes. Regnum Plothech, quod quondam Rex Plothensis ad fidem Christi conversus, prolem non habens legitimam, eidem ecclesie Rigensi contulerat pro anime sue salute, dictis paganis non absque iactura multitudinis innumerose fidelium dimiserunt, cuius occasione due solennes Cathedrales, Goloviensis videlicet et Pucheniensis, ecclesie consistentes in Regno predicto totaliter sunt delete: quibus Castro et Regno ad manus dictorum infidelium taliter devolutis, dicti pagani, a locis confinium repulsis fidelibus, magnam partem dictarum provinciarum tunc fidelium multitudine copiosam in solitudinem redegerunt, eisdem fidelibus partim peremptis gladio, partim eorumdem paganorum miserabili iugo suppositis perpetue servitutis: quodque detestabilius est, si quando iidem preceptores et fratres offendendi paganos sub cuiusdam umbre pallio velint ostendere se gerere voluntatem, illos fraudulenter impugnant, ut ex eorum facto fideles atrocius impugnentur, eosdem paganos ex tenuis prede dampno modico ad destruendum reliqua castra eiusdem Rigensis provincie pravis nocendi artibus invitantes. Fertur etiam de ipsis execrabile facinus, dirum nephas, quod cum Rex paganorum cum suis subditis fuisset ad fidem Christi conversus, et diversos Episcopos successive et presbiteros seculares ac fratres Predicatorum et Minorum ordinum in toto Regno suo ordinasset ad extirpationem errorum et illuminationem ac plantationem orthodoxe fidei permansuros, iidem preceptores et fratres, prohpudor! velut eiusdem fidei subversores quosdam eorumdem Episcoporum, presbiterorum et fratrum exinde deici, quosdam vero interfici latentibus et occultis studiis procurarunt, et taliter pagani etiam ad fidem conversi, lumine veritatis abiecto, errores, prothdolor! pristinos resumpserunt, et sic quondam Lethoviensis ecclesia Cathedralis, in dicto Regno consistens, cum sua civitate et diocesi non absque multorum fidelium animarum et corporum deplorando periculo miserabiliter fuit deleta. Populum etiam christianum Terre Semigallie habentem Episcopum et presbiteros orthodoxos, qui eis sacra ecclesiastica ministrabant, iidem Preceptores et fratres totaliter deleverunt, Nobiliores eiusdem Terre, quos ad convivium invitarant, proditionis infande sevitia mutilatione capitum perimentes, reliquam multitudinem populi dicte Terre, ultra quam centum milia fidelium utriusque sexus, ad Terras paganorum crudeliter profugarunt, dictique fideles eorumdem paganorum in depressionem fidei perpetue sunt redditi servituti, propter quod episcopatus Semigallie, qui per septem dietas amplam diocesim obtinebat, totaliter de medio fuit sublatus: et ut omnino impediatur ampliatio fidei in partibus prelibatis, et proponendi verbum dei facultas quelibet subducatur, ex eo quod fratres ordinis Minorum Castri Brunsberg eiusdem Rigensis provincie predicationi dictorum paganorum instantes verbum dei continue diffundebant, ac quidam frater dicti ordinis iugiter per paganos discurrens, virtute verborum et operum corruscando, die quolibet multos paganos cognitione nostre fidei illustratos sacre regenerationis lavacro innovabat, eisdem fratribus Minoribus de dicto loco ignominiose deiectis, eundem locum funditus destruxerunt, nullos omnino eiusdem verbi predicationi insistere permittentes: ecclesias quoque, Oratoria et Capellas edificari pro Neophitis non permittunt; ita quod dicti Neophiti in rudimentis fidei non instructi, ac in ecclesiis cum orthodoxis participium non habentes, nec in fide, nec in moribus fidelibus sunt conformes. Pessimum etiam ritum eorumdem paganorum sectantes, confratres suos, si quos contingit interdum in hostili congressu vel conflictu aliquo vulneribus sauciari, contra morem eiusdem fidei orthodoxe, priusquam expirent, impietate quadam sevissime feritatis extingunt, eorum corpora flammarum incendio concremando. Ac ut premissa et alia eorum detestabilia scelera eiusdem sedis effugiant notionem, Universos fideles, clericos et laicos, cuiuscumque dignitatis aut status existant, ad

exponendum querelas de ipsis, tantarum persecutionum necessitate cogente, ad sedem apostolicam accedentes crudeliter persecuntur, mortem eis per se et alios inferendo, sicut hec in personis quondam Magistri Alexii, doctoris decretorum, plebani plebis Thorunensis, et aliorum quamplurium, quos redeuntes de Romana Curia, ad quam venerant contra eos, crudeliter occiderunt, dicuntur liquido apparere. Necdum finem premissis enormitatibus imponentes, sed mali esse et boni credi sub pallio ignorate nequitie cupientes, passus et itinera debita, per que de Civitate Rigensi exitus et reditus ad eandem quadam necessitate inevitabili peraguntur, sub ea faciunt custodia detineri, ut non nisi personis, quas volunt, gressus ex ea pateat vel regressus, sicque dicta Civitas exitum et reditum liberum non habendo, cuiusdam obsidionis anguste dispendia cogitur deplorare: ad quam quidem obsidionem, preclusis itinerum quorumcumque vestigiis, fortius angustandam quoddam Castrum a superiori parte, ac portum Monasterii Dunamundensis Cisterciensis ordinis eiusdem Rigensis diocesis, in quo eadem Rigensis ecclesia ius obtinet patronatus, ab inferiori parte eiusdem Civitatis consistentia, absque quibus Civitatem eandem nec per Terre, nec per Maris vestigia nullus potest ingredi vel exire, quodam illicito emptionis titulo, cum Monasteriorum alienatio sacris prohibita sit canonibus, et etiam ipsius Monasterii Dunamundensis per pie mem. Gregorium pp. IX. predecessoris nostri privilegium speciale cuiuslibet alienationis contractus foret specialiter interdictus, temeritate propria occuparunt, et detinent occupata, propter que in eisdem provinciis, in quibus ecclesiam suam fetu nove prolis ad fidem converse dominus ampliabat, familiari peste intestinam exercente sevitiam, non solum fides radicata et fundata non proficit, sed ex persecutione domestica deficit, et nisi celeri occurratur remedio, nomen ibi deperit christianum. Novissime vero ad nostrum pervenit auditum, quod dicti preceptores et fratres hospitalis eiusdem dilecti filii Nobilis viri Wladislai Cracovie et Sandomirie Ducis Terram hostiliter subintrantes, in Civitate Gdansco ultra decemmilia hominum gladio peremerunt, infantibus vagientibus in cunis mortis exitium inferentes, quibus etiam hostis fidei pepercisset. Iidem quoque preceptores et fratres quamplura alia detestanda dicuntur committere, quorum series se nimis extenderet, si singulariter singula presentibus clauderentur. Nos igitur, qui disponente domino eiusdem dominice Vinee presidemus, desiderantes, ut in ea virtutum palmites convalescant, succisis tribulis vitiorum, Attendentes quoque, quod premissa, que de dictis preceptoribus et fratribus referuntur, utpote pernitiosa et fidei nostre contraria, immo cunctorum Christi fidelium cordibus inimica, sub dissimulatione transire salva conscientia nequeamus, considerantes etiam, quod in talibus debite correctionis differre remedium nichil esset aliud, quam licentiam sceleribus indulgere, discretionem vestram, de quorum circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinemus, hortandam attente duximus et monendam, vobis per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatinus ad partes illas, seu ad loca illarum partium, que vobis pro executione huiusmodi negotii videri poterunt magis apta, vos personaliter conferentes, et habentes pre oculis solum deum, contra predictos preceptores et fratres eiusdem hospitalis in dictis provinciis et partibus consistentes super premissis omnibus et singulis, necnon super articulis, quos sub bulla nostra vobis destinamus inclusos, ac super aliis criminibus et excessibus, super quibus eos inveneritis publice diffamatos, inquiratis diligentius veritatem, eaque diligenter et sollicite inquisita, quecunque inveneritis, in scriptis redacta ac sufficienter instructa nobis sub sigillis vestris procuretis fideliter intimare. Ceterum Castrum et Monasterium Dunamundense, quod dicti preceptores et fratres, ut premittitur, sub cuiusdam emptionis colore detinent occupatum, per eosdem preceptores et fratres facientes expeditum et liberum omnino dimitti, ipsum usque ad eiusdem sedis beneplacitum prefate sedis nomine teneri, ac per personas ydoneas, quas ad hoc eligendas industria vestra perspexerit, faciatis cum diligentia custodiri. Ut autem ad premissorum executionem eo intendere liberius valeatis, quo maiori per nos fueritis auctoritate muniti, vobis invocandi ad premissa omnia et singula exequenda, ubi et quando expedire cognoveritis, tam prelatorum, quam etiam Principum et aliorum secularium, cuiuscumque conditionis vel status existant, vel quacumque dignitate prefulgeant, auxilium et succursum, Contradictores quoque et rebelles, necnon testes, quos ad hoc duxeritis convocandos, per excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon privationis privilegiorum eisdem concessorum a sede predicta, sententias compescendi, tam de duabus dietis in Concilio generali, quam de aliquo extra suam Civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium non vocando, et aliis quibuscumque Constitutionibus, que vestre possent in hac parte iurisdictioni vel potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, aut si testes, quos ad

hec evocari contigerit, fuerint Predicatorum vel Minorum aut aliorum ordinum quorumcumque, vel si predictis ordinibus a predicta sede mandatum existat, quod predictorum ordinum fratres ad perhibendum testimonium in quibuscumque causis vel negotiis compelli non possint, seu si dictis preceptoribus et fratribus ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de mandato huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis quibuscumque in quacumque forma verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta premissorum executio possit quomodolibet impediri, nequaquam obstantibus, plenam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Avinione XIII. Kal. Iulii. Anno Quinto. **Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 412. fol. 114.**

CCV.

Archiepiscopo Bremensi, ut causam inter archiepiscopum Rigensem et electum Pomesanensem super eius electione dirimat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Bremensi, salutem etc. In nostra sollicita mente versatur precipue illis ecclesiis fructuose provisionis adhibere consilium, quas terris paganorum contiguas carere prospicimus regimine prelatorum. Ex hoc siquidem procedit et merito, quod ad Pomesanensem ecclesiam in Rigensi provincia constitutam, paganis eisdem fere contiguam, viduitatis incomoda deplorantem, apostolice considerationis oculos dirigentes, ei de salubri et utili providendo pastore, dispendiis, que propter vacationis longeve discrimina ecclesie viduate consueverunt incurrere, oportuno remedio celeriter occurramus. Sane dudum inter Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Rigensem et Ludechonem fratrem hospitalis sancte Marie Theotonicorum super eo, quod dictus Ludecho in Episcopum Pomesanensem canonice se dicit electum, prefatus vero Archiepiscopus, Metropolitanus loci, electionem huiusmodi de dicto Ludechone, quam fuisse asserit de facto presumptam, multipliciter impugnabat, ac ob hoc asserens, electionem huiusmodi non tenere, materia questionis exorta: Nos causam huiusmodi ad sedem apostolicam legitime devolutam dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Eusebii presbitero Cardinali duximus committendam, coram quo super libello pro parte eiusdem Ludechonis oblato, in quo petebat electionem huiusmodi confirmari debere, lite legitime contestata, ac de calumpnia et veritate dicenda prestito a partibus iuramento, fuit inter easdem partes usque ad articulorum exhibitionem et ulterius in dicta causa processum. Nos igitur attendentes, quod super istis cause meritis plenius et citius poterit in illis partibus veritas indagari, sicque huiusmodi negotium, quod apud sedem eandem non absque longe more dispendio finiri posset, in eisdem partibus celerius poterit terminari, ac ob hoc cupientes tam ipsius ecclesie Pomesanensis obviare periculis, et utilitatibus providere, quam ipsarum partium laboribus parcere et expensis, gerentes quoque de tue circumspectionis industria fiduciam in domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus habens pre oculis solum deum, legitimo coram dicto Cardinale habito servato processu, secundum articulos pro parte dicti Archiepiscopi contra dictum Ludechonem exhibitos coram Cardinale prefato, inquisita de modo electionis predicte, studiis eligentium, et Electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, eam auctoritate nostra confirmare precures, sibique, assistentibus tibi duobus vel tribus Episcopis, gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, munus consecrationis impendas, ac ab eo Rigensis ecclesie nomine, cuius idem Electus Suffraganeus fore dinoscitur, fidelitatis recipias solitum iuramentum. Alioquin eadem electione rite cassata, vel cassa et irrita nuntiata, eidem Pomesanensi ecclesie hac vice auctoritate predicta aliquam personam ydoneam, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, preficias in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Pomesanensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus committendo. Per hoc autem eidem Archiepiscopo et successoribus suis, aut predicte Rigensi ecclesie nullum imposterum preiudicium generetur. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum Avinione XIII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. Tom. V. ep. 413. fol. 114.

CCVI.

Archiepo Bremensi et suo collegae de gagiis (expensis) providetur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Bremensi, et dilecto filio Ma-

gistro Alberto de Mediolano, canonico Ravennati, capellano nostro, salutem etc. Cum super inquisitionis negotio, vobis commisso contra Magistrum, Preceptores et fratres Hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Rigensi, Livonie et Pruscie Provinciis faciende, vos ad easdem Provincias fiducialiter destinemus, volentes vobis circa expensarum onera, que vos subire propterea oportebit, prout expediens esse conspicimus, providere, exigendi a Venerabilibus fratribus nostris ... Archiepiscopo Rigensi eiusque Suffraganeis, ac Magistro, Preceptoribus et fratribus antedictis, ceterisque personis ecclesiasticis tam religiosis quorumcumque ordinum, quam secularibus exemptis et non exemptis Rigensis Civitatis, diocesis et Provincie pro expensis tuis, frater Archiepiscope, Quatuordecim, pro tuis vero, fili canonice, Sex florenos auri diebus singulis, quibus in illis partibus aut in eundo et redeundo fueritis pro prosecutione negotii memorati, necnon Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, Non obstante, si Archiepiscopo, Suffraganeis, Magistro, Preceptoribus, fratribus ac personis predictis aut quibuscumque aliis a sede apostolica sit indultum, quod ad exhibendas procurationes nuntiis et legatis dicte sedis minime teneantur, quodque ad id compelli, seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet litteris et indulgentiis dicte sedis generalibus et specialibus, per quas vestre iurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri, plenam vobis et utrique vestrum concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione VIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. VI. ep. 60. fol. 26.

CCVII.

Archiep̄o Rigensi, ut fratres ordinum Minorum et Praedicatorum in suam provinciam accire et conventus concedere possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Frederico Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Cum sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, conversatio fratrum minorum et predicatorum ordinum in tua Provincia sit admodum saluti fidelium utilis et etiam oportuna, ut eorum salutaribus monitis et iidem fideles magis proficiant ad salutem, et infideles celerius ad veritatem fidei convertantur: Nos tuam in hac parte sollicitudinem in domino commendantes, quod tu et successores tui Archiepiscopi Rigenses, qui pro tempore fuerint, possitis auctoritate nostra dare licentiam fratribus utriusque dictorum ordinum unum duntaxat locum recipiendi in singulis Civitatibus eiusdem provincie, fe. re. Bonifatii pp. VIII. predecessoris nostri et quacumque alia constitutione in contrarium edita non obstante, plenam tibi et successoribus ipsis concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione XIII. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Tom. VI. ep. 208. fol. 51.

CCVIII.

Nicolao episcopo Tarbatensi conceditur, ut MD flor. auri mutuum contrahere possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Cum sicut nuper in uostra proposuisti presentia constitutus, tam pro tuis necessariis, quam ecclesie tue Tarbatensis negotiis expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam Mille quingentorum florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus etc. usque tuis supplicationibus inclinati, tibi contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam Mille quingentorum florenorum nomine tuo et ipsius ecclesie, ac te ipsum et successores tuos et predictam ecclesiam, ac tua et eorumdem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam huiusmodi propterea creditoribus obligandi, usuris omnino cessantibus, et renuntiandi constitutionibus tam fel. rec. Bonifatii pp. VIII. predecessoris nostri de una, quam de duabus dietis in Concilio generali et quibuslibet aliis a predecessoribus nostris super hoc editis, et beneficio restitutionis in integrum et omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis, ac etiam impetrandis, et omni iuris canonici et civilis auxilio et conventionis Iudicum et locorum, si eorum creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contingeret impetrari, necnon et omnibus aliis exceptionibus, per quos contra creditores eosdem tu dictique tui successores possetis imposterum vos tueri, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Avinione Kalendis Martii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. VIII. ep. 158. fol. 55.

CCIX.

Henrico ep̃o Vratislaviensi administratio suae dioecesis restituitur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Henrico Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Dudum certis de causis, quas ex dilecti filii Guntheri de Biberstein presbiteri Wratislaviensis diocesis conquestione accepimus, te ab administratione spiritualium et temporalium Wratislaviensis ecclesie duximus suspendendum, facientes nichilominus semel et iterum per nostras sub certa forma litteras peremptorie te citari, ut coram nobis certo termino in litteris eisdem apposito personaliter compareres, super huiusmodi causis mandatis nostris et beneplacitis pariturus, ac alias in premissis facturus et recepturus, quod iustitia suaderet. Cum autem iuxta mandatum per easdem litteras tibi factum te personaliter conspectui nostro presentaveris, apud sedem apostolicam de mandato nostro moram diutinam contraxeris, et adhuc contrahas, nostrum beneplacitum humiliter expectando: Nos attendentes, quod in veniendo ad dictam sedem, et morando, sicut premittitur, apud ipsam multorum laborum et sumptuum fatigationes et incommoda verisimiliter pertulisti, quodque de pretactis causis, super quibus cum eodem Gunthero in Romana Curia litigabas, inter te et ipsum est concordia subsequuta, et propterea tibi pio compatientes affectu, et tecum agere misericorditer in hac parte volentes, huiusmodi suspensionem dicte administrationis auctoritate apostolica ex certa scientia relaxamus, teque restituimus ad administrationem prefatam, ita quod illam deinceps libere gerere valeas, sicut prius, ac a prefata sede libere recedere et ad dictam Wratislaviensem ecclesiam iuxta tuum beneplacitum remeare. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis iv. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. VIII. ep. 623. fol. 201.

CCX.

Gunthero presbytero dioecesis Vratislaviensis, quae inter ipsum et episcopum Vratislaviensem acta sunt, confirmantur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Guntero de Biberstain presbitero Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Ea, que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata consistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico ea convenit presidio communiri. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod dudum inter te ex parte una, ac Venerabilem fratrem nostrum Henricum episcopum Wratislaviensem, Walterum maioris et Paulum sancte crucis Scolasticos, ac Nicolaum de Bancz Canonicum eiusdem maioris Wratislaviensium ecclesiarum comuniter et divisim ex altera super eo, quod Episcopus, Scolastici et Canonicus predicti te omnibus bonis tuis tam ecclesiasticis quam mundanis, que tunc habebas, per se et alios spoliarunt, teque de Polonie, Boemie Moravie partibus fecerant exulare, ac etiam super nonnullis dampnis et iniuriis tibi ab eisdem illatis, et quibusdam aliis articulis suscitata materia questionis, ac super premissis et eorum pretextu inter te ac Episcopum, Scolasticos et Canonicum prelibatos coniunctim et separatim tam apud sedem apostolicam, quam extra coram diversis Iudicibus auctoritate apostolica diutius litigato: demum tu et prefatus Episcopus anfractus litium ulterius evitare volentes, et affectantes etiam bonum pacis pro vobismetipsis, ac idem Episcopus pro Scolasticis et Canonico memoratis tunc absentibus promictens solempniter, se facturum et curaturum, quod ipsi Scolastici et Canonicus ratum haberent et firmiter observarent, quicquid dictus Episcopus pro eis promicteret et gereret in hac parte, in Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Tusculanensem, tamquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem super omnibus et singulis supradictis, ipsaque contingentibus et dependentibus ab eisdem, sub certa pena et iuramento a te et prefato Episcopo interposito unanimiter compromictere curavistis, consentientes expresse, ut idem Episcopus Tusculanensis summarie ac sine strepitu iudicii et figura, auditis et intellectis, que utraque pars coram eo ducerent proponenda, discordias, lites et causas ob predicta et eorum quodlibet et ecclesie ipsorum inter te et alteram partem exortas, et diutius, ut premictitur, agitatas, infra certi temporis spatium arbitrando, laudando et amicabiliter componendo, declarando, ordinando et mandando decideret, prout sibi placeret ac expediens videretur, et promictentes diffinitioni, declarationi, laudo, ordinationi, arbitrio, arbitratui et mandato ipsius Episcopi Tusculanensis super hiis ferendis et faciendis firmiter obedire, quodque de huiusmodi diffinitione, declaratione, laudo, ordinatione, arbitrio, arbitratu et mandato minime proclamaretis, nec recurreretis ad arbitrium boni viri, neque illa revocari seu moderari aliquatenus peteretis. Idem namque Tusculanensis Episcopus, huius-

modi compromisso recepto, auditis et intellectis omnibus et singulis, que tu et prefatus Wratislaviensis Episcopus coram eo super hiis et circa ea proponere voluistis, volens ex potestate huiusmodi ei ab utralibet partium, ut premictitur, attributa discordias, lites et causas decidere supradictas, et ad concordiam reducere dictas partes infra dictum spatium in compromisso huiusmodi designatum, tibi pro te ipso, et Iacobo de Muleyn Canonico Cracoviensi, procuratore ipsius Episcopi Wratislaviensis, procuratorio nomine pro eodem, certa die in eius presentia constitutis ex potestate prefata dixit, pronuntiavit arbitratum eius et mandavit, quod idem Episcopus Wratislaviensis pro bono pacis et concordie det, assignet et tradat tibi vel procuratori tuo tuo nomine alodium sive grangiam, Biscopiz nuncupatam, ad mensam suam Episcopalem spectantem, liberam, vacuam et expeditam cum omnibus illis mansis, araturis, agris, pratis, prediis, pascuis, nemoribus, piscariis, iuribus et iurisdictione omnimoda temporali, alta et bassa, que ad alodium seu grangiam huiusmodi pertinebant et pertinere consueverant ab annis quindecim tunc transactis, per te, quoad vixeris, vel per alium seu alios tuo nomine libere atque pacifice possidendam, et ad percipiendum ex ea et per temetipsum fructus et proventus in quibuslibet consistentes, quos tuos penitus facias, et tam in vita, quam in morte, prout tibi videbitur, disponere valeas de eisdem, et quod dictus Episcopus Wratislaviensis assignet et tradat, ac assignare et tradere teneatur tibi, vel procuratori tuo pro te oppidum, Wansaw vulgariter nuncupatum, liberum et expeditum, et villam eidem adiacentem, que ab antiquo Wansaw appellari consuevit, Wratislaviensis diocesis, cum domibus et Curia Episcopali suis ibidem, et cum omnibus iuribus, honore, territorio, districtu, pratis, pascuis, molendinis, silvis, piscariis, prediis quibuscumque et pertinentiis suis, et omnimoda iurisdictione temporali ipsius eiusque emolumento ad tempus vite tue inhabitandum, tenendum et habendum, libere ac pacifice possidendum, eiusque fructus, redditus et proventus recipiendum, et de illis pro tue voluntatis libito possidendum. Rursus prefatus Episcopus Tusculanensis dixit, pronuntiavit et mandavit, quod dictus Wratislaviensis Episcopus in continenti tibi verbotenus assignaret granciam, seu alodium et opidum ac villam predicta cum suis iuribus, domibus et pertinentiis supraenarratis, et quod infra quindecim dies, postquam tu vel procurator tuus dictum Episcopum Wratislaviensem, vel eius Vicarium super hoc duxeritis in illis partibus requirendum, ea tibi vel ipsi procuratori tuo nomine per effectum assignet vel faciat assignari, et in illorum corporalem possessionem pacificam et plenam induci, et quod idem Episcopus Wratislaviensis ex tunc se constituet loca prenominata tuo nomine precario possidere, donec tu corporalem possessionem illorum esses adeptus, tibique apprehendendi, recipiendi et retinendi ea auctoritate propria dictus Wratislaviensis Episcopus concederet liberam potestatum. Si vero fructus, redditus et proventus ex ipso oppido Wansaw ac districtu et pertinentiis eius provenientes ducentas marchas puri argenti annis singulis non valerent, prefatus Episcopus Wratislaviensis daret, assignaret et traderet tibi vel dicto procuratori nomine tuo tot terras et loca ad dictam mensam spectantia, et eidem oppido eiusque districtui proximiora, quod tu ex redditibus tam ipsius oppidi et districtus eiusdem, quam huiusmodi locorum et terrarum proximiorum valorem ipsum ducentarum marcharum puri argenti habeas et precipias annuatim, quodque tu temporalem iurisdictionem spectantem ad Episcopum Wratislaviensem, qui est pro tempore, habeas plenam et liberam ad compellendum auctoritate propria omnes et singulos, qui solvere seu reddere debent de ipsis locis et terris proximioribus fructus, redditus et proventus, ut illos tibi exhibeant sive solvant, et quod redditus et proventus eosdem, et alios etiam dictorum locorum possis ad firmam vendere vel locare, seu alias pignori obligare, quamdiu vixeris et pro tempore, quo volueris, vite tue, talibus tamen personis, a quibus post obitum tuum prefatus Episcopus Wratislaviensis seu ecclesia sua possit dicta loca cum iuribus et pertinentiis eorumdem absque difficultate qualibet rehabere, nec tu loca huiusmodi tibi, ut predicitur, assignanda alienare valeas, sed illa manutenere et conservare fideliter tenearis, ita quod ad ecclesiam seu mensam prefatas libere post tuum obitum revertantur. Prefatus insuper Episcopus Tusculanensis dixit, pronuntiavit et mandavit, quod si contingat te decedere ante perceptionem redditum primi anni, de universis fructibus, redditibus et proventibus, omnique ipsorum emolumento usque ad annum integrum a die, quo predictorum locorum omnium corporalem pacificam et plenam possessionem adeptus fueris, computandum, ex locis ipsis provenientibus possis disponere ac ordinare testando, vel aliter pro tue libito voluntatis. Dixit etiam, pronuntiavit, arbitratus est et mandavit, quod idem Wratislaviensis Episcopus det et solvat tibi, vel dicto procuratori nomine tuo Quadringentas marchas puri argenti, ex quibus ducentas tibi solvat et solvere teneatur in Romana Curia, priusquam idem Episcopus Wratislaviensis

de Civitate ipsa recesserit, secundum pondus in eadem Curia consuetum; reliquas vero ducentas marchas tibi vel dicto procuratori nomine tuo solvat in Civitate vel diocesi Wratislaviensi in loco, quem ad hoc duxeris eligendum, infra annum a die, quo facta erit hec solutio prefatarum ducentarum marcharum solvendarum, ut prefertur, in dicta curia, computandum, sic tamen quod predicte alie ducente marche in eisdem Civitate vel diocesi Wratislaviensi solvende, ac etiam alie supradicte ducente tibi in redditibus annuis in eadem Wratislaviensi diocesi, ut predicitur, assignande sint, et esse debeant illius ponderis, quod marcha argenti in eadem Wratislaviensi diocesi consuevit habere, et quod idem Episcopus Wratislaviensis pro posse suo te iuvet auxilio, consilio et favore ad recuperandum bona et iura tua, que olim possedisti, vel tibi competierunt et competunt, et quibus in dicta sua diocesi eiectus et destitutus fuisti, ac etiam spoliatus, et quod reducaris in eum statum, quo eras ante tempus, et tempore publicationis quorumdam processuum felicis recordationis Benedicti pape XI. predecessoris nostri, tunc Episcopi Ostiensis et in illis partibus apostolice sedis Legati, facte per te in Civitate Wratislaviensi prefata, videlicet quod ipse Wratislaviensis Episcopus propter hoc guerram facere vel movere, aut de substantia sua sumptus aliquos facere vel subire minime teneatur, quodque dictus Episcopus Wratislaviensis te munitiones et Castra sua et ipsius ecclesie sue intrare permittat, teque inibi cum tuis et tibi adherentibus ac fautoribus receptare, si tibi videbitur expedire pro defensione tua tuorumque recuperatione bonorum et iurium predictorum, quotiens et quando volueris, omni difficultate, dolo et fraude exclusis, penitus in predictis Castris et munitionibus huiusmodi remanentibus sub custodia dicti Episcopi Wratislaviensis et Officialium suorum, cum tu occasione premissa te cum tuis et tibi adherentibus receptaveris in eisdem, dictusque Episcopus Wratislaviensis contra suos subditos, detentores bonorum et iurium tuorum huiusmodi ad requisitionem tuam vel procuratoris tui per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, prout comodius poterit, procedere teneatur, prohibeat etiam pro posse suo violentias et iniurias per quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, cuiuscumque sint conditionis vel status, tibi inferri, tibique adherentibus et hiis, qui tibi adheserunt hactenus, et consilium vel auxilium prestiterunt, quinimo te ac tuos et adherentes, faventes, consilium et auxilium prebentes protegat, teque et ipsos favorabiliter in omnibus prosequatur, nullam tamen guerram propter hoc faciendo vel sumptus aliquos subeundo, prout superius est expressum.

Idem quoque Tusculanensis Episcopus pronuntiavit, arbitratus est et mandavit, quod tu renunties omnibus questionibus, causis, litibus, controversiis, iuribus et actionibus contra Episcopum Wratislaviensem, Scolasticos et Canonicum supradictos, et quemlibet ipsorum usque ad hec tempora per te motis, tibique usque ad tempora ipsa qualitercumque competentibus contra eos, vel aliquem eorumdem, necnon omnibus processibus, actis, litteris et instrumentis in huiusmodi questionibus, causis, litibus et controversiis vel alias premissorum occasione habitis et productis, et quod promictas iura, bona et honorem dicte Wratislaviensis ecclesie promovere, ac eidem Wratislaviensi Episcopo sicut prelato tuo exhibere reverentiam et honorem: et quod etiam similiter idem Episcopus Wratislaviensis renuntiet omnibus questionibus, causis, litibus, controversiis et actionibus per eum motis contra te usque ad tempora supradicta, sibique qualitercumque usque ad tempora huiusmodi competentibus contra te, cunctisque processibus, actis, litteris et instrumentis in eis et ipsorum pretextu habitis et productis, quodque idem Wratislaviensis Episcopus cum ad dictam suam diocesim pervenerit, faciat et procuret, quod Scolastici et Canonicus supradicti renuntiationem similem faciant, ac promissis omnibus et singulis, quantum in eis fuerit, acquiescant. Preterea idem Tusculanensis Episcopus dixit et precepit sub virtute prestiti iuramenti, et sub penis in huiusmodi compromisso contentis, quod dictus Wratislaviensis Episcopus vel procurator eius ad hoc ab eo specialiter constitutus per se et nomine Scolasticorum et Canonici predictorum, pro quibus, ut supra dicitur, compromiserat, tuque pro te ipso premissa omnia et singula per ipsum Episcopum Tusculanensem dicta, pronuntiata, arbitrata et precepta, tu videlicet tunc statim, antequam a presentia dicti Episcopi Tusculanensis recederes, dictus vero Episcopus Wratislaviensis per totum diem ex tunc proximo sequentem coram ipso Episcopo Tusculanensi approbaretis, emologaretis et omnino acquiesceretis eisdem, ac idem etiam Episcopus Wratislaviensis ipso die sequenti iuraret et ydonee caveret, ac Scolastici et Canonicus antedicti in illis partibus infra Quindecim dierum spatium, postquam per te vel per procuratorem tuum super hoc fuerint requisiti, iurent similiter et ydonee caveant, quod te tuosque fautores et adherentes tibi, et qui tibi hactenus adheserunt, per se vel alium seu alios non offendant. Si autem Scolastici et Canonicus

prefati non acquiescerent omnibus et singulis supradictis, et ea non emologarent, aut non renuntiarent, vel non iurarent, seu non caverent, prout superius continetur, omnes cause, questiones, lites et iura et actiones contra dictos Scolasticos et Canonicum tibi competentes, omniaque instrumenta, acta, littere ac processus predicta salva tibi remaneant: tuque quoad Scolasticos et Canonicum prelibatos renuntiationem et emologationem huiusmodi facere ac premissis acquiescere minime tenearis, nisi dicti Scolastici et Canonicus emologationem, renuntiationem, iuramentum et cautionem huiusmodi fecerint, prout superius explicatur. Precepit etiam dictus Episcopus Tusculanensis, quod dictus Episcopus Wratislaviensis et tu infra huiusmodi sequentem diem consentiretis expresse supplicari nobis, quod arbitrium, arbitratum, pronuntiationem et alia supradicta demandata per eundem Episcopum Tusculanensem dignaremur ex certa scientia confirmare. Hiisque premissis tu adhuc in eiusdem Episcopi Tusculanensis presentia constitutus huiusmodi arbitrium et arbitratum, pronuntiationem, et alia suprascripta, prout superius exprimuntur, emologasti, approbasti, acceptasti, ipsisque acquievisti voluntarie et expresse, ac etiam renuntiasti, promisisti, supplicasti, voluisti et consensisti expresse, sicut per ipsum Episcopum Tusculanensem superius ordinatum extitit et preceptum, dictusque Wratislaviensis Episcopus per procuratorem suum, ab eo speciale ad hoc mandatum habentem, in presentia eiusdem Episcopi Tusculanensis iuxta supradictum mandatum ipsius sibi super hoc factum arbitrium, arbitratum, pronuntiationem, dictum mandatum et alia supradicta, prout superius exprimuntur, vigorem, modum et formam eorumdem emologavit, approbavit, et eis omnino acquievit, supplicavit, voluit et expresse consensit, renuntiavit, assignationem huiusmodi oretenus fecit et iuravit, sicut superius per ipsum Episcopum Tusculanensem decretum ac ordinatum fuerat et mandatum, prout in instrumento publico inde confecto eiusdem Episcopi Tusculanensis sigillo munito plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, que super hiis ab eisdem Tusculanensi et Wratislaviensi Episcopis et te acta sunt, rata habentes et firma, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in eis forsitan extitisset, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. confirmationis et supplctionis etc. Datum apud Castrum novum Avinionensis diocesis III. Nonas Novembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. Tom. VIII. ep. 801. fol. 257.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXII.

CCXI.

Borislaus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur, et capitulo et suffraganeis commendatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Borislao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Suscepta cura regiminis assidua pulsat instantia mentem nostram, ut solicitudinis debitum, ad quod ecclesiis universis iugo apostolice servitutis astringimur, circa earum singulas persolvamus: sed strictius a nobis exigitur, ut ecclesiis viduatis consulamus propensius, et promptius succurramus eis de substitutionibus pastorum utilium, celeriter providendo, ne propter illarum vacationem diutinam lupina rapacitas invadat subiectas ecclesiis ipsis oves, eedemque ecclesie in suis facultatibus collabantur. Dudum siquidem ecclesia Gneznensi per obitum bone memorie Iacobi Archiepiscopi Gneznensis vacante, dilecti filii . . . Prepositus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, ac deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, tribus ex se ipsis, videlicet Thome predicte Gneznensis, et Floriano Plochensis Prepositis, ac tibi, tunc Archidiacono Poznaniensis, ipsius Gneznensis ecclesiarum Canonicis, eligendi quinque ex aliis de dicto Capitulo, qui ea vice providerent de gremio dumtaxat ipsius ecclesie Gneznensis eidem ecclesie Gneznensi usque ad consumptionem cuiusdam candele, que ibidem accensa fuerat, per electionem canonicam de Pastore, concesserunt unanimiter liberam potestatem. Cumque tu, Thomas et Florianus predicti, potestate huiusmodi recepta, predictos quinque, scilicet Stanislaum Prepositum Vladislaviensis, Petrum Decanum Poznaniensis, Ianislaum Archidiaconum dicte Gneznensis, Franciscum Cancellarium Cracoviensis, et Andream iuris canonici professorem eiusdem Gneznensis ecclesiarum Canonicos propter hoc concorditer elegissetis, iidem Stanislaus, Petrus, Ianislaus, Franciscus et Andreas compromissarii sic electi scendentes in partem, post diligentem, quem super hoc inter se habuere, tractatum in te in diaconatus ordine ac etate legitima constitutum direxerunt unanimiter vota sua, et deinde prefatus Petrus ex potestate sibi et predictis aliis compromissariis collegis suis, ut premittitur, tradita, de ipsorum collegarum ibidem presentium mandato, vice sua et eorundem collegarum dictique Capituli te ante consumptionem predicte candele in Archiepiscopum Gneznensem elegit, et electionem huiusmodi a dictis Capitulo concorditer acceptatam solemniter publicavit. Tuque post consensum huiusmodi electioni de te facte, ac tibi ex parte dictorum Capituli presentate, ad instantiam eorundem Capituli a te legitime prestitum ad sedem apostolicam, dum per obitum felicis recordationis Clementis pape V. predecessoris nostri sedes ipsa vacabat, presentialiter accessisti, ac deinde tam tu per te ipsum, quam . . . procuratorem substitutum a certis procuratoribus ab ipsis Capitulo specialiter destinatis, ad id speciale mandatum habentibus, qui

tunc ad eandem sedem propter hoc venerant una tecum, quique de Curia Romana ex causis necessariis discesserant, antequam ecclesie Romane esset de Pastore provisum, a nobis ad apicem summi apostolatus assumptis confirmari electionem predictam, illius nobis presentato decreto, humiliter postulastis, in hiis omnibus per te et ipsum Capitulum statutis a iure temporibus observatis. Nos itaque tam electionem eandem, quam personam tuam per Venerabilem fratrem Berengarium Episcopum Tusculanensem, et dilectos filios nostros Guillelmum tituli sancte Cecilie presbiterum, ac Arnaldum sancte Marie in Porticu diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab Episcopo et Cardinalibus antedictis super hiis relatione fideli, quia invenimus electionem eandem de te, persona ydonea, quem nobilitas generis, litterarum scientia, morum ac vite honestas, aliarumque virtutum insignium dona tibi desuper attributa nobis et fratribus nostris acceptabilem representant, canonice celebratam, illam de prefatorum Episcopi et Cardinalium aliorumque predictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmavimus, te ipsi ecclesie Gneznensi prefecimus in Archiepiscopum et Pastorem, curam, et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, Teque per Venerabiles fratres Arnaldum Sabinensem statutis temporibus in presbiterum ordinari, et deinde per Nicholaum Ostiensem Episcopos munus tibi consecrationis impendi, ac subsequenter per Dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani et Iacobum sancti Georgii ad velum aureum dyaconos Cardinales palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet Pontificalis officii, a te cum ea, qua decuit, instantia postulatum, tibi fecimus exhiberi, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia Gneznensis sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter ac prospere dirigetur, et grata in utrisque suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino supportans humiliter, ac ipsam ecclesiam Gneznensem recognoscens et diligens velut sponsam divinitus tibi datam, curam et administrationem huiusmodi sic geras fideliter et solicite prosequaris, quod eadem ecclesia Gneznensis per tue diligentie studium votivis, auctore domino, amplietur comodis, et felicibus proficiat incrementis, Tuque proinde nostram eiusdemque sedis benedictionem et gratiam consequi uberius merearis, et demum apud retributorem bonorum omnium premium percipias cum electis. Datum Avinione XVIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, Universis Suffraganeis ecclesie Gneznensis, ut eidem Archiep̃o obedientiam et reverentiam debitam et devotam exhibeant etc.

Ex Reg. orig. An. I. Part. II. ep. 1783. fol. 269.

CCXII.

Ep̃o Plocensi et collegae suo, ut nobiles clericosque ecclesias provinciae Gnesnensis nequiter occupantes ad satisfaciendum compellant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Plocensi, et dilecto filio... Abbati Monasterii Populinensis Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Lamentabilem Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Gnesnensis querelam accepimus continentem, quod nonnulli Nobiles et alii clerici de provincia Gnesnensi, qui gloriantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis quampluries, ecclesias eiusdem provincie nequiter occupantes, illas, eiectis inde personis ecclesiasticis, et eis gravibus iniuriis irrogatis, detinent per violentiam occupatas, et ipsas, ut in eis se cum rapinis et latrociniis fortius teneantur, incastellant et muniunt in divine maiestatis offensam et grave dispendium ecclesiastice libertatis, sicque ut perditionis filii in prefatis ecclesiis, que domus orationis vocantur, latronum speluncas constituere moliuntur: propter quod datur clerus ipsarum partium in contemptum, et cultus divini nominis in eisdem ecclesiis traditus neglectui reperitur. Nos igitur tam detestante presumptionis audaciam nolentes, prout etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios dictos occupatores, quod prefatas ecclesias personis eisdem omnino restituant, et de bonis subtractis et illatis iniuriis debitam satisfactionem impendant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III. Nonas Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Part. III. ep. 2303. fol. 89.

CCXIII.

Ianislaus ecclesiae Gnesnensi praeficitur in archiepiscopum, et capitulo et suffraganeis commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Ianislao electo Gneznensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum exigit, ut inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, circa statum ecclesiarum omnium solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime, ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore domino, continuum suscipiant incrementum: ad hoc enim nostre tendit intentio, circa id instantia nostre cogitationis invigilat, ut tales in partem sollicitudinis evocemus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum verbo, sed opere informare, prudenter regere, ac in viam dirigere salubrium actionum, commissasque illis ecclesias velint et valeant utiliter et salubriter gubernare. Sane Gneznensi ecclesia per obitum bone mem. Borislai Archiepiscopi Gneznensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad ipsius ecclesie statum tranquillum et prosperum paternis studiis intendentes, et cupientes propterea virum secundum cor nostrum ydoneum eidem preficere in pastorem, volentes quoque obviare dispendiis, que solent ecclesiis ex vacatione diutina imminere, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni et ordinationi apostolice sedis hac vice auctoritate apostolica duximus reservandam, decernentes irritum et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter per quoscunque quavis auctoritate contingeret attemptari, et tandem elevantes in circuitu oculos mentis nostre et sollicita meditatione pensantes, quod sicut habet fidedignorum assertio, tu dono superni numinis preditus, litterarum elegantia, morum conspicuus, nitidus vite munditia, conversationis honestate decorus, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectus, dictam ecclesiam scies et poteris salubriter gubernare, in te Archidiaconum eiusdem ecclesie direximus oculos nostre mentis, propter quod de persona tua eidem ecclesie providemus, teque de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis preficimus eidem ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma spe fiduciaque tenentes, quod dicta ecclesia, deo auctore, per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et tua eius oneri humiliter colla submicte, manumque viriliter mictens ad fortia, curam et administrationem eiusdem ecclesie prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipsa reddita in die districti examinis ratione, regnum patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias letabundus, in eterna domini tabernacula intraturus. Datum Avinione vii. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, Universis suffraganeis ecclesie Gneznensis etc.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 273. fol. 75.

CCXIV.

Pontifex confoederationes et ordinationes a canonicis Rigensis ecclesiae eiusque vassallis, et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia contra archiepiscopum Rigensem et ecclesiam factas, inserto earum instrumento, impias et nullas declarat.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriem. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, hiis scripture sacre preceptis inducimur colligationes impietatis impie vel inique contractas intuitu nostro dissolvere, harum congeriem adiectione cuiusvis obligationis adauctam propensiori studio velut deprimentes fasciculos dissipare. Sane relatio fidedigna quamplurium, et exhibitarum etiam autenticarum series litterarum in nostram et fratrum nostrorum noticiam aperte deduxit, qualiter nonnulle persone ecclesiastice tam religiose quam seculares, in eisdem infrascriptis litteris annotate, una cum quibusdam laicis suis in hac parte complicibus, fautoribus atque sequacibus certas confederationes, conventiones et colligationes ac ordinationes impias et iniquas, nedum contra Rigensem et nonnullas ecclesias ac ecclesiasticas personas illarum partium, quin etiam contra reverentiam Romane matri ecclesie debitam, ac in eiusde mcontemptum et preiudicium evidens ecclesiastice libertatis, non absque conspirationis nota seu coniurationis offensa, et animarum suarum periculum dampnabiliter inierunt, quarum observatio malorum semina spargere, et dissidiorum incentivis de facili suscitatis, statui pacifico fidelium incolarum hostibus vicinantium fidei multipliciter derogare, ipsorum fidelium fidem

teneram de levi posset inficere, et alia multa discrimina animarum et corporum probabiliter germinare. Nos itaque prospicientes attentius, quanta impietate confederationes, conventiones, colligationes seu ordinationes huiusmodi inferius describende redundent, quanta impietate resultent, quantumque pondus importent, et proinde adversus precavenda pericula, que minantur, salubriter iuxta iniuncti nobis officii debitum occurrere cupientes, eas omnes et singulas, quocumque nomine censeantur, prout videlicet earum tenor subter annectitur, quas varie ipsarum circumstancie vel rationes aperte iuribus invalidis detegunt, omnique vacuandas effectu et firmitate declarant, de fratrum ipsorum consilio prorsus illicitas ac reprobatas a iure auctoritate apostolica declaramus, easque tanquam iniquas et beneplacito divino contrarias ac iuribus irritas et inanes fore decernimus, eas nichilominus revocantes, quatinus processere de facto, et insuper quascunque penas adiectas ac iuramenta prestita super illis sub quibuscumque forma, modo vel expressione verborum, presertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, exnunc de apostolice plenitudine potestatis nulla fore decernimus, et quatinus de facto processerunt, irritamus, absolventes omnes et singulos, qui confederationes, colligationes, conventiones seu ordinationes huiusmodi inierunt, ab huiusmodi penarum promissionibus ac iuramentorum prestationibus, ut tota illorum substantia et effectu tam principaliter quam accessorie annullatis, et nullis penitus declaratis, ex ipsorum vigore quacumque ratione, occasione vel causa, directe vel per obliquum, nulli ad earum observantiam unquam in aliquo remaneant obligati. Similes preterea fieri de cetero districtius inhibemus, decernentes irritum et inane, si quid contra permissionem nostram huiusmodi fuerit attemptatum. Eos insuper, qui confederationes, colligationes, conventiones et ordinationes predictas preter habitam de huiusmodi nostra declaratione et annullatione noticiam observare presumpserint, eo ipso decernimus excommunicationis sententie subiacere. Tenorem vero predictarum confederationum, colligationum, conventionum seu ordinationum presentibus inseri fecimus: Qui talis est. In nomine domini amen. Omnibus in perpetuum Luefridus Electus in Prepositum, Iohannes Prior, Electus Hermannus Cantor, dominus Henricus Cellararius Canonici totumque Capitulum sancte Rigensis ecclesie, frater Gerardus Preceptor, Henricus Marscalcus, Iohannes de Velyn, Reymarus in Wictensten, Ebliebertus in Wenda, Cono in Dunediminde et Iohannes Ungenade in Seghewoldis Commendatores, Georgius Arnaldus de Brakkle et Hermannus de Dorslo Sacerdotes, Nicolaus de Parsoree et Hermannus Buch, ceterique fratres ordinis domus Theutonicorum per Livoniam, Iohannes de Pala, Woldemarus de Bosen, Iohannes et Redulphus de Ungaria Milites, Iohannes de Ikescule et Iohannes de Stinchusen(?), ceterique Vassalli eiusdem sancte Rigensis ecclesie, salutem in domino sempiternam. In medio nationum perversarum positi, videlicet Lethowinorum infidelium et scismaticorum Ruthenorum, ne novella plantatio fidei Catholice multorum fidelium sanguine irrigata depereat, et in nichilum redigatur, sed potius cooperante virtute altissimi uberius suscipiat incrementum, ad honorem domini nostri Ihesu Christi confederationem et unionem sub matura deliberatione inire decrevimus sub hac forma. Primo, quod una pars alteri debet adherere fideliter et assistere in suis iusticia et libertatibus conservandis consiliis et auxiliis, corpore et rebus, ope et opera, promotionibus et directionibus, toto posse publice et occulte contra quemlibet, seu quoslibet homines, universitatem vel collegium, qui nos universaliter vel particulariter gravant, vel gravare poterunt in futuro, cuiuscumque status, conditionis, preminentie seu dignitatis extiterint, nec aliqua trium partium propter metum, amorem, favorem vel preceptum, seu aliqua occasione cum quocumque homine aliquam nostrarum partium agravante compositionem faciet specialem, nisi de omnium nostrum unanimi voluntate. Item, si inter partes dissensio, controversia vel discordia, quod absit, orta fuerit, unaqueque partium duos viros ydoneos ad locum congruum destinabit, qui non separabuntur, donec discordes concordaverunt in iusticia vel amore. Preterea, si quis vel quecumque humilis vel sublimis occasione huiusmodi confederationis vel unionis aliquam partium presumpserit perturbare, talem presumptorem, quousque a sua pertinacia resipuerit, mutuis consiliis, auxiliis et viribus persequamur. Insuper, si qua confederatio vel unio ab aliquo trium partium facta sit sub quacumque forma litterarum vel expressione verborum, que possit presenti confederationi preiudicare, talem unionem et confederationem revocamus, cassamus et nullis decernimus roboris vel momenti. Sane, ut premissa omnia et singula sortiantur robur perpetue firmitatis, obligamus nos et successores nostros et heredes ad ea firmiter observanda sub sacramento iuramenti, a nobis tactis sacrosanctis evangeliis corporaliter, et sub obtentu fidei et honoris: et quicumque contravenerit, erit imperpetuum peiurus, exlex et infamis, nec admittetur amplius ad aliquas legitimas actiones: insuper Mille Marchas Auri vel de-

cem Millia Argenti dabit, quarum tercia pars Camere domini pape, et duc partes partibus lesis cedent, que recipientur de magis congruis partis ree, pro qua receptione pars recipiens nullam incurret excommunicationis sententiam vel gravamen. In quorum omnium evidentiam et validius firmamentum sigilla nostri Capituli, Preceptoris, Marscalci, Commendatorum de Velyn, Victensten, Wenda, Dunemunde et Seghewold, Iohannis de Pala, Woldemari de Rosen, Iohannis et Rodulphi de Ungaria militum, et Iohannis de Ostenhusen, ceterorumque sigilla propria habentium presentibus sunt appensa. Datum et actum apud Seghewolden Anno domini M. CCCXVI. VIII. Kal. Maii. Nulli ergo etc. nostre declarationis, constitutionis, revocationis, irritationis, absolutionis et inhibitionis etc. Si quis autem etc. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 508. fol. 152.

CCXV.

Praedictis tales confoederationes contrahentibus earum annullatio notificatur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Rigensis et . . . Magistro ordinis sancte Marie Theotonicorum ac . . . Preceptori Livonie, ceterisque Commendatoribus dicti ordinis in Livonie et Pruscie partibus constitutis, ac Universis Vassallis eiusdem ecclesie Rigensis, salutem etc. Etsi ex apostolice servitutis officio, quod nobis licet immeritis dispositione divina incumbere noscitur, teneamur vepres discordie, dissensionum seminaria et impietatum vincula de cunctorum fidelium finibus profligare, ibi tamen solicitudo vestra versatur attentius, ibi propensius noster dirigitur et preordinatur affectus, ibi totius mentis diligentia excitatur, ubi malorum semina et dissidiorum prohdolor incentiva tanto pernitiosiora animarum et corporum sunt allatura pericula, quanto propter vicinitatem hostium fidei et radicem teneram de novo conversorum ad fidem rudium et simplicium animi deceptionum laqueis capiuntur facilius, et dum in soliditate fidei propter ruditatem eorum esse noscuntur instabiles, patent ad casum proclivius et inremediabilius ad ruinam. Quia igitur tam plurium fidedignorum relatione, quam etiam per exhibitionem quarumdam litterarum auctenticarum, que in nostra et fratrum nostrorum presentia lecte fuerunt, ad noticiam nostram pervenit, quod nonnulli ex vobis una cum quibusdam aliis vestris in hac parte complicibus, fautoribus et sequacibus quasdam (contraherunt) confederationes, conventiones, colligationes, impietatum ordinationes contra honorem Rom. ecclesie, Rigensem quoque et nonnullas alias ecclesias illarum partium et personas eccles. in animarum vestrarum perniciem, non absque conspirationis seu coniurationis offensa, ex quarum profecto observatione status pacificus fidelium illarum partium, hostibus fidei vicinorum, redditur pacis expers, infidelium robur augetur, noxia malorum societas roboratur, et quamplurima alia detestanda non facile commemoranda presentibus oriri verisimiliter presumuntur, gravia statui fidei detrimenta proculdubio paritura: Nos tantis et sic detestandis periculis, prout ad nostrum spectat officium, occurrere cupientes, de ipsorum fratrum consilio omnes confederationes, conventiones et colligationes quaslibet, quocumque nomine censeantur, que directe vel indirecte adversus dicte Romane ecclesie honorem, seu eandem Rigensem et quaslibet alias ecclesias, seu personas ecclesiasticas, vel statum pacificum Civitatis Rigensis, et aliorum fidelium illarum partium redundare noscantur, societates quoque tales, ac etiam uniones, que, sicut in bonis sunt utiles, sic sunt detestabiles in malignis, etiam si fuerint penarum adiectione, iuramentorum prestatione, vel alia quacumque firmitate vallate, tamquam iniquas et beneplacito divino contrarias per alias nostras certi tenoris litteras cassas et irritas nunciavimus, cassavimus et irritavimus, et iuribus decrevimus omnino carere, iuramenta predicta nichilominus relaxantes de apostolice plenitudine potestatis, ac decernentes omnes illos ex vobis et quoscumque alios, qui confederationes, conventiones et colligationes ac ordinationes huiusmodi inierunt, ad earum observantiam non teneri, sed similes de cetero fieri districtius duximus inhibendum, si quod contra prohibitionem huiusmodi factum fuerit, omnino iuribus vacuantes. Hec igitur ad noticiam vestram tenore presentium deducentes, universitati vestre districtius inhibemus, ne quis vestrum de cetero confederationes predictas observare, vel alias de novo facere presumat, alioquin vos et vestrum quemlibet, qui conventiones et obligationes predictas post noticiam presentium observare, vel facere de novo presumpserit, eo ipso excommunicationis sententie decernimus subiacere. Tenorem vero dictarum litterarum presentibus inseri fecimus: qui talis est. In nomine domini amen. Omnibus etc. ut supra usque VIII. Kalendas Maii. Datum Avinione X. Kal. Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 509. fol. 152.

CCXVI.

Ianislao archiepiscopo Gnesnensi conceditur pallium.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Ianislao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Dudum circa statum ecclesie Gneznensis, tunc pastoris regimine destitute, paterna sollicitudine vigilantes ac cogitantes attentius, quod per tue circumspectionis industriam eadem Gneznensis ecclesia poterat relevari a noxiis, et salutaribus proficere incrementis, te, quem de litterarum scientia, honestate morum, conversatione laudabili, vite munditia aliisque virtutum meritis fidedignorum testimonia commendant, ipsi Gneznensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Archiepiscopum et pastorem: postmodum vero per Venerabilem fratrem nostrum Borengarium Episcopum Portuensem tibi munus consecrationis impendi, et subsequenter palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea, qua decuit, instantia postulatum, per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, Iacobum sancti Georgii ad velum aureum, Galhardum sancte Lucie in Silice et Bertrandum sancte Marie in Acquiro diaconos Cardinales, recepto a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solito iuramento, fecimus assignari, ut eo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur, per apostolicas tibi litteras mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Gneznensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus augmentare. Datum Avinione XIIII. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Par. I. ep. 335. fol. 92.

CCXVII.

Praelatis Livoniae, ut procuratores ad curiam Romanam mittant, ac de statu ecclesiarum suarum referant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Osiliensi, et dilectis filiis Capitulis Rigensis et Osiliensis ecclesiarum, salutem etc. Ad reformationem terrarum Livonie et Pruxie in Rigensi provincia consistentium, ecclesiarum quoque et personarum ecclesiasticarum eiusdem provincie, adversus quas, sicut frequentibus clamoribus validis et incultatis relationibus fidedignis accepimus, plus, quod dolorose referimus, desevisse dicitur christianorum impietas, quam hostilitas paganorum, ferventibus desideriis intendentes, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, providimus per dilectos filios ... Magistrum hospitalis sancte Marie Theotonicorum, necnon ... Preceptorem Livonie ac certos Commendatores ordinis hospitalis eiusdem in aliis litteris nostris, quas eisdem dirigimus, nominatim expressos, ac etiam per vos, qui terre ecclesiarum et personarum predictarum conditionem et deformationem plenius cognovistis, super diversis articulis eidem sedi relatis plenarie informari, ut vestra informatione recepta, auxiliante deo, per solicitudinis apostolice studium remedii salutaris provisio super omnibus, que provisionis sedis apostolice et reformationis auxilio indigebunt, tam ecclesiis et personis ecclesiasticis, quam fidelibus illarum partium, aliisque de novo conversis et convertendis ad fidem salubriter impendatur. Quocirca vobis et vestrum cuilibet sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, quatinus infra Sex Menses a data presentium computandos, quos vobis et vestrum cuilibet pro peremptorio termino assignamus, per procuratores ydoneos, plenum mandatum habentes, apostolico vos conspectui presentetis, transmissuri procuratores eosdem super statu, conditionibus et universis circumstanciis ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum ac aliorum fidelium terre et provincie predictarum informatos taliter et instructos, quod nos et sedem prefatam super illis, prout oportunum fuerit, possitis plenius informare. Super presentatione vero presentium, quas in registro nostro fecimus registrari, dilectis filiis ... et ... latoribus presentium, cursoribus nostris, et eorum cuilibet dabimus (sic) plenam fidem. Datum Avinione VII. Kalendas Marcii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 510. fol. 152.

CCXVIII.

Fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum et alii citantur, ut pontificem de statu Livoniae coram edoceant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro ordinis domus sancte Marie Theutonicorum

Ierosolimitani, necnon... Preceptori in Livonie, Commendatoribus de Dunamunde et de Vellin et de Venda dicti ordinis in Rigensi eiusque Livonie et Pruscie provinciis constitutis, necnon Florentio decano Tarbatensi atque Iohanni de Palo, Walderamo de Rasis, Iohanni de Tisenhusen, Iohanni et Redulpho de Ungaria Militibus, Iohanni Ostinghusen et Iohanni Ikkescule laicis Civitatis, diocesis et provincie Rigensis, salutem etc. Romana mater ecclesia, que pietatis opera diligens et salutem expetens singulorum, pervigil et solicita redditur ad fidei christiane limites propagandos, ab olim fidedignis relatibus intellecto, quod terra Livonie a tramite veritatis exorbitans paganitatis sequebatur errores, labores plurimos subiit et favorabilem opem impendit, ut dicta terra salubribus ducta consiliis, gentilitatis abdicatis erroribus, ad cultum reduceretur fidei orthodoxe, nonnullis sancte Romane ecclesie Cardinalibus et aliis sollempnibus propter hoc ad partes illas sedis apostolice legatis et nunciis destinatis: et tandem felicis recordationis Gregorius pp. VIIII. predecessor noster huiusmodi negotium pietatis studio prosequens, ut in dicta terra conversorum fidelium numerus ad dei laudem et gloriam, ac eius exaltationem fidei copiosis proficeret incrementis, et paganorum perfidiam, que adversus illos conatus exercebat nepharios, favente domino dextera contereret triumphanti, fideique vigor robur solide susciperet firmitatis, inter cetera statuit et decrevit, ut ea que in illis partibus pro ecclesiarum et neophitorum libertate, aut pro terre statu existerent per sedem apostolicam ordinata, vel per ipsam ordinari contingeret in futurum, a fratribus hospitalis ordinis sancte Marie Theotonicorum in Livonia constitutis inviolabiliter servarentur, et prefata terra, que iuris et proprietatis beati Petri fore dinoscitur, per eos aut alios nullius unquam potestatis dominio subderetur, prout in apostolicis litteris super hoc confectis, quas archivus eiusdem servat ecclesie, plenius et seriosius continetur: sed non sine multe turbationis materia iamdudum ex clamore valido et insinuatione famosa ad predecessorum nostrorum Romanorum pontificum, et continuatis successive temporibus subsequenter ad nostrum pervenit auditum, quod licet a principio novelle plantationis fidei in terra predicta status ecclesiarum in dicta terra consistentium in personarum ecclesiasticarum numero, cultu divino, affluentia facultatum, libertatis quoque et immunitatis prerogativa floruerit, et cooperante domino in dicta terra succreverit christiane fidei latitudo, quia tamen posteriora non fuerunt conformata prioribus, sed priora potius posterioribus deformata, dum in personas ecclesiasticas, et alias de novo ad fidem conversas, que precipuis fuerant prosequende favoribus, ut ad susceptionem fidei mentes allicerent aliorum, sic fuisse dicitur inhumaniter desevitum, quod plerique volentes ad fidem converti, se a conversione huiusmodi retraxerunt, ecclesia quoque Rigensis, illius terre Metropolis, et quamplures alie ecclesie in Livonia et Prussia constitute Rigensis provincie, preter contumelias plurimas earum illatas Pastoribus, quod dolenter referimus, in castris, possessionibus et ceteris bonis ipsarum fere dicuntur totaliter denudate, ac pro magna parte incole et habitatores dictarum provinciarum, dum velut parvuli panes peterent verbi dei, et non esset, qui frangeret eis, celestis vite ipsis pabula ministrando, sic ab observantia fidei et moribus Romane ecclesie sunt redditi alieni, quod plus ostendunt in eorum ritibus, quam de observantia fidei orthodoxe. Et licet predecessores predicti, et precipue felicis recordationis Bonifatius pp. VIII. et Clemens pp. V. proinde attendentes, quod ex premissis impedimenta suscipiebat fidei propagatio memorata, incepissent studia sua convertere, ut super hiis possent ad laudem divini nominis, incrementum fidei et quietem fidelium in partibus illis degentium de salubri remedio providere, eorum tamen de hoc mundo vocatio, vel aliarum occupationum prepeditio predecessores eosdem super premissis oportunum adhibere remedium non permisit. Nos igitur frequentibus clamoribus validis et incultatis relationibus fidedignis sepius excitati, ut super reformatione dictarum terrarum Livonie et Pruscie in dicta Rigensi provincia consistentium, ecclesiarum quoque et personarum ecclesiasticarum ipsius, adversus quas plus dicitur desevisse christianorum impietas, quam hostilitas paganorum, debeamus impendere necessariam opem et perutilem operam diligentie salutaris, providimus de fratrum nostrorum consilio, per vos, qui terre et personarum predictarum conditionem et deformationem plenius cognovistis, de predictis omnibus eidem sedi relatis plenarie informari, ut vestra informatione recepta, auxiliante deo, per solicitudinis nostre studium remedii salutaris provisio super premissis illis partibus impendatur. Quocirca vobis et vestrum cuilibet sub magisterii tui, fili Magister, necnon sub preceptorie et commendatoriarum seu quarumlibet administrationum vel officiorum, que vos, filii Preceptor et Commendatores in dicto ordine, tibique, Decane, sub privationis beneficiorum, vobisque, milites et laici, sub feudorum et iuris patronatus, que a quibuscumque seu in quibuscumque ecclesiis obtinetis, ac excommunicationis penis districte preci-

piendo mandamus, quatinus infra Sex menses a data presentium, quos vobis et vestrum cuilibet pro peremptorio termino assignamus, apostolico vos conspectui personaliter presentetis, venturi super omnibus, que predicta contingunt et possunt contingere, totaliter informati, muniti plenius et instructi, quod nos et sedem prefatam possetis plenius informare, et specialiter per quas vias et modos predicte regiones et terre ad fidem converti Catholicam, et in ea servari melius valeant et efficatius retineri, partesque posite in vicino, que adhuc per errorum devia gradiuntur, ad ipsius conversionem fidei propensius animentur, et circumspecta providencia dicte sedis ad alia eciam procedere valeat, que circa hoc utilia fore cognoverit et viderit oportuna, ac etiam audituri super premissis et ea tangentibus, que vobis duxerimus iniungenda. Et nichilominus tu, fili Magister, privilegia sedis apostolice, si qua tibi vel ordini tuo concessa, per que tu, Commendatores et fratres dicti ordinis dictusque ordo ab ordinariorum iurisdictione et potestate sitis exempti, forsan obtinetis, cum nonnulli vos asserant non exemptos, illa tecum deferre procures, facturus per ea nobis et sedi predicte de exemptione huiusmodi plenam fidem. Ceterum, quia ad nostram et eorumdem fratrum nostrorum audientiam multorum relatione pervenit, quod vos vestris iuribus non contenti, sed ad bona et iura Rigensis ecclesie, que potius in conservandis et ampliandis eisdem vestrum tanquam pugilum fidei sentire deberet sibi profuturum auxilium, quam in spoliatione ipsorum denudationis sue deplorare miserabile detrimentum, manus avidas extendentes, portum Rigensem, in quo Venerabilis frater noster... Archiepiscopus Rigensis ius obtinet patronatus, cum Castro et Monasterio Dunamunde ad mensam Archiepiscopalem Rigensem spectantibus, necnon Torreida, Nabel, Levisel, Dolen, Kercholme, Lenewerde, Conkenhusen, Cruceborch, Sceswene, Sundesel, Sotekele, Pebolche, Micomam, necnon Cremun, Romalam, Donagungis (sic) Castra, ac etiam villas, nemora, prata, pascua, piscationes, stagna, silvas, agros, iura et iurisdictiones et territoria quelibet dictorum Castrorum Regensis diocesis una cum rebus immobilibus (?) existentibus in eisdem, ad dictam mensam et dilectos filios Capitulum Rigensis ecclesie pertinentia, occupastis, seu occupari fecistis, vel occupationem factam ab aliis nomine vestro ratam, ut dicitur, habuistis: Volumus vobisque sub penis predictis districte precipiendo mandamus, quatinus si premissa omnia, que proponuntur de oecupatione huiusmodi per vos seu de mandato vestro, vel alias nomine vestro facta, vobis tamen eam ratam habentibus, veritate nitantur, predicta omnia, videlicet portum, monasterium, castra, villas, nemora, prata, pascua, piscationes, stagna, silvas, agros, iura, iurisdictiones, territoria ceteraque bona mobilia et immobilia prelibata, alioquin illa ex eis, que modo premisso per vos seu de mandato vestro vel alias vestro nomine, vobis tamen id ratum habentibus, extiterint occupata, faciatis eisdem Archiepiscopo et Capitulo restitui et dimitti, eisque de dampnis et interesse plenam satisfactionem impendi, nullum in hac parte velamen excusationis frivole pretendentes, quia cum huiusmodi facta, que ipsorum nature conditio fieri nisi notorie non permittit, cum in occupatione Castrorum et detentione ipsorum facti qualitas nequeat occultari, per multorum fidedignorum relationem veram, per quos utpote tanquam per vicarios oculos mundi facta conspicimus, ad nostram noticiam deferantur, si premissis veritas suffragetur, circa restitutionem ipsorum preveniatis nostre correctionis officium et sedis apostolice disciplinam, que profecto non valens tantam eiusdem Rigensis ecclesie sustinere iacturam, validioribus, si expediret, utendo remediis sibi, prout oportunum fuerit, salubriter providebit. Precipimus etiam vobis sub predictis penis, ut a quibuslibet iniuriis et molestiis Archiepiscopi et Capituli, et ecclesie et Civitatis Rigensis, et ecclesiarum omnium et personarum ecclesiasticarum in Livonia et Pruscia consistentium eiusdem Rigensis provincie per vos et fratres ordinis vestri penitus abstinere curetis. Super presentatione vero presentium, quas in Regestro nostro fecimus regestrari, dilecto filio Conrado procuratori vestro in Romana Curia, filii Magister,.... Preceptor et Commendatores, latori presentium, quem ad hoc specialiter destinamus, dabimus (sic) plenam fidem. Datum Avinione VII. Kalendas Marcii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 505. fol. 150.

CCXIX.

Universis archiepiscopis et episcopis, ut citationem praedictorum promulgent.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Universis Archiepiscopis et Episcopis, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Romana mater ecclesia que etc. ut supra Nro. CCXVIII. usque remedium non permisit. Nos igitur frequentibus clamoribus validis et incultatis relationibus fidedignis

sepius excitati, ut super reformatione dictarum terrarum Livonie et Pruscie in dicta Rigensi provincia consistentium, ecclesiarum quoque et personarum ecclesiasticarum ipsius, adversus quas plus dicitur desevisse christianorum impietas, quam hostilitas paganorum, debeamus impendere necessariam opem et perutilem operam diligentie salutaris, providimus de fratrum nostrorum consilio per dilectos filios . . . Magistrum ordinis domus sancte Marie Theothonicorum Ierosolimitane, necnon . . . Preceptorem in Livonia, Commendatoresque de Dunamunde et de Vellin et de Venda dicti ordinis, in regione eiusque Livonie et Pruscie provinciis constitutos, necnon Florentium Decanum ecclesie Tarbatensis, atque Iohannem de Palo, Woldemarum de Rasis, Iohannem de Tisenhusen, Iohannem et Redulphum de Ungaria Milites, Iohannem Ostinghusen et Iohannem de Ikkescule laicos Civitatis et diocesis et provincie Rigensis, qui terre, ecclesiarum et personarum predictarum conditionem et deformationem plenius agnoverunt, de predictis omnibus eidem sedi relatis plenarie informari, ut ipsorum informatione recepta, auxiliante deo, per apostolice sollicitudinis studium remedii salutaris provisio super premissis illis partibus impendatur. Quia igitur multorum fidedignorum, qui partium illarum plenam habent noticiam, relatione percepimus, quod ad partes illas tam per mare quam per terram plenus periculis (sit) accessus, cum yemali precipue tempore regionis illius pelagus tempestatibus informat, gelu rigescat, nec possit quomodolinavigari, ac terrarum spacia, per que necessario ad dictam Rigensem provinciam pervenitur, per VIII. fere dietas remanserint suis habitatoribus destituta, quibusdam Castris exceptis, que a dictis Magistro, Preceptore et Commendatoribus in dictarum terrarum solitudine detinentur, ac propter promissa aliasque causas, quas presentibus subticemus, citationis seu revocationis nostre littere eis non possint absque evidenti personarum periculo destinari: Fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vobisque et vestrum cuilibet in virtute obedientie ac sub penis nostro et sedis apostolice arbitrio inferendis districte precipiendo mandamus, quatinus si dilecti filii . . . et . . . cursores nostri, latores presentium, vel alter eorum, volentes vitare pericula personarum, vobis vel vestrum cuilibet presentes litteras duxerint presentandas, vos et quilibet vestrum, cui huiusmodi littere fuerint presentate, si poteritis commode absque personarum seu nunciorum vestrorum periculo, predictos Magistrum, (Preceptorem,) Commendatores, Decanum, Milites et laicos ex parte nostra per vos, vel per alium seu alios peremptorie citare curetis, ut infra trium Mensium spacium post citationem nostram apostolico se conspectui personaliter representent, audituri et facturi super predictis et ea contingentibus, que ipsis duxerimus iniungenda; diem vero citationis et formam, et quicquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Si vero in executione citationis huiusmodi, sicut fama, immo verius refert infamia, periculum quoad personas citantes videritis iminere in citandis eisdem, Vos modum tenere volumus infrascriptum, ut in loco magis insigni Civitatis et diocesis illius ex vobis, cui litterarum nostrarum huiusmodi presentatio facta fuerit, congregata et presente fidelium multitudine copiosa, citetis Magistrum, (Preceptorem,) Commendatores, Decanum, Milites et laicos prelibatos, edicto publice citationis emisso, ut infra predictorum trium mensium spacium a citationis nostre tempore computandorum, quos eis pro peremptorio termino assignetis, dictus Magister sub magisterii sui (privationis), prefati quoque Preceptor, Commendatores, Decanus sub preceptorie et commendatoriarum (decanatus) suarum et quarumlibet dignitatum, administrationum seu officiorum, que in dicto ordine obtinent, et tam ipsi, quam predicti Milites et laici sub excommunicationis penis, quas eos et eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, si citationis huiusmodi fuerint contemptores, apostolico se conspectui personaliter representent, venturi super omnibus, que predicta contingunt et possunt contingere, taliter informati, muniti plenius et instructi, quod nos et sedem prefatam possint plenius informare, et specialiter per quas vias et modos predicte regiones et terre ad fidem converti Catholicam, et in ea servari melius valeant et efficatius retineri, partesque posite in vicino, que adhuc per errorum devia gradiuntur, ad ipsius conversionem fidei propensius animentur, et circumspecta providentia dicte sedis ad alia etiam procedere valeat, que circa hoc utilia fore cognoverit et viderit oportuna, ac audituri et facturi super predictis et ea contingentibus, que ipsis duxerimus iniungenda. Et ut omnis calumpnie contra processum citationis huiusmodi tollatur occasio et ad communem omnium noticiam deducatur, cartas sive membranas processum citationis huiusmodi continentes in maioris ecclesie ipsius loci, ubi processus huiusmodi modo premisso per aliquem vestrum fiet, appendi vel affigi hostiis seu super liminaribus facietis, que processum ipsum suo quasi sonorio preconio et patulo iudicio publicabunt, ita quod predicti Magister, (Preceptor,) Commendatores, Decanus, Milites et laici nullam possint excusationem

pretendere, quod ad eos talis citatio non pervenerit, vel quod ignorarint eandem, cum non sit verisimile remanere apud eos incognitum vel occultum, quod tam patenter, sic solenniter fuerit publicatum, rescripturi nobis similiter huiusmodi citationis processum cum forma presentium, et quicquid inde duxeritis faciendum. Datum Avinione VII. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 507. fol. 151.

CCXX.

Episcopo Cracoviensi, ut exsurgat et inquisitores hereticae pravitatis habeat commendatos.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Cum illius pastoris pariter et custodis, qui animam suam pro suis ovibus posuit, et qui ex iis, quos pater sibi dederat, aliquem non amisit, vices licet immeriti geramus in terris, ut pro viribus commisse vicis exequamur offitium, tenemur super gregem humilitatis nostre cure commissum noctis custodire vigilias, ut lupis molientibus diripere gregem ipsum obviare toto conamine satagamus, et velut custos seu eciam speculator instruimur ore prophetico super speculam iugiter stare per diem, et super custodiam totis lustrare noctibus, prospectare undique, et pro posse singula speculari, ut annuntiemus quecunque viderimus, et opponamus nos murum ascendentibus ex adverso, de vinea domini Sabaoth demolientes exterminaturi vulpeculas, et de veri vestiario Salomonis corrodentes tineas exclusuri: propter quod Abrae patris fidei typum gerentes in dei ecclesia ad catholice fidei tuicionem afficimur, ipsiusque desideramus ubilibet incrementa producere, ac eam a malignorum et pravorum quorumlibet, hereticorum presertim, atque credencium, fautorum, defensorum et receptatorum illorum dolosis insidiis et fallaciis fraudulentis opportunis remediis preservare. Sane non sine amaritudine cordis accepimus, quod in aliquibus partibus regnorum Boemie ac Polonie, et in eorum confinibus et limitibus, precipue in Civitate et diocesi Cracoviensi, adeo patenter heretice infidelitatis error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorsus aversi, euntes post devium falsitatis, ac se ipsos diversis et variis heresibus maculantes, pestiferas ad concutiendum orthodoxe soliditatem fidei machinas construunt, ipsamque subvertere falsis et vulpinis impulsibus fallacium argumentacionum intendunt. Quid ergo, frater, tu ad hec? Nunquid stabis tota die ociosus, et tamquam nulla sit tibi cura de omnibus iis, qui exprobrant nomini agminum Israel, te zelo fidei non oppones? An non attendis, quod clamat ad te dominus per prophetam, ut loquaris ad omnes Civitates Iuda, sermones, quos loquutus est tibi, et sermones illos exprimendo subiungit: Unde et clama: Revertere adversatrix Israel, dicit dominus, et non avertam faciem meam a te. Nunquid eciam clamat idem dominus per Ezechielem, dicens: Si speculator viderit gladium venientem, et non intonuerit buccina, veneritque gladius, et tulerit animam unam de populo, sanguinem eius de manu speculatoris requiram. Redde ergo tu testimonium fidei, et in Christi negocio ulterius non lentescas, nec sit apud te verbum domini alligatum, sed diligenter pastoralis partes offitii exequaris. Noli ociari in talento domini, sed ut illud dominus cum fenoris accessione recipiat, evangelicam negociacionem exerce, insta importune et oportune, opus fac Evangeliste, ministerium tuum imple, et animam, si necesse fuerit, pro defensione fidei ponere non formides. Nos autem licet ad talia iniqua ubique consternenda molimina eo animosius aspiremus, quo perniciosius ea in dispendium animarum non ambigimus redundare, et quo latius serpunt ac dilatantur periculosius, si non in suis initiis extinguantur; cupientes tamen anxie in Civitate et diocesi memoratis, ac terris et locis aliis dictorum regnorum, veluti gentilibus et paganis quasi conterminis, negocium ipsius fidei, elisis omnino quibuslibet erroribus, heresumque quarumlibet eradicatis vepribus, iugi profectu convalescere forcius, ac felicius prosperari, ad id inibi promovendum per nos et alios attencius, nec immerito, vigilare studemus: unde providemus dilectos filios fratres Coldam et Peregrinum Oppolienses Predicatorum, et Hartmanum Pilnensem et Nicolaum Haspodinec de Cracovia Minorum ordinum, quorum honesta conversacio, ut speramus, exemplum puritatis et doctrinam fundent erudita labia salutarem, ad Inquisicionis officium in predictis Civitatibus, diocesibus, locis et terris contra hereticos, credentes, fautores, defensores et receptores eorum iuxta formam canonum exequendum per apostolicas litteras deputandos. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus premissis omnibus pia meditacione pensatis, indutus loricam fidei, ad illius vitanda pericula et hostium eius audaciam compescendam in predictis tuis Civitate atque diocesi et ferventer accingas, ne dissimulare videaris, quod terreni principes emulantur, quantum in te fuerit, contra ipsos hereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum sic insurgere studeas, sic

eisdem Inquisitoribus circa tam pium commissum eis offitium salubriter exequendum consiliis, auxiliis et favoribus oportunis assistas, quod tuo mediante suffragio per eorum sacrum ministerium ac studium vigil et solicitudinem indefessam predicte tue Civitas et diocesis ab huiusmodi praviis contagiis, assistente divina gracia, expurgentur, ac fidei Catholice nitor multiplicetur ac solidetur ibidem, et clarius et lucidius elucescat in dei honorem et eius fidei incrementum, soliditatem et statum, per quod ab eo, cuius ages in hac parte negocium, inestimabile tibi premium compares, et nobis ac apostolice sedi dignis in domino laudibus commendandus occurras. Datum Avinione Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 54. fol. 315.

CCXXI.

Duci Cracoviae, duci Vratislaviensi etc., ut inquisitores haereticae pravitatis foveant et assistant.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro ... Duci Cracoviensi, salutem etc. Cum Habrae patris fidei typum geramus in dei ecclesia licet insufficientibus meritis, catholicam fidem specialiter tueri tenemur, ipsiusque pro viribus ubilibet incrementa producere, ac eam a malignorum et pravorum quorumlibet, hereticorum presertim atque credencium, fautorum, defensorum ac receptatorum illorum dolosis insidiis et fallaciis fraudulentis oportunis remediis preservare: propter quod nimio dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad ipsius fidei depressionem qualicunque malignitate consurgere, et ad demolitionem vinee domini Sabaoth nequiter anhelare, nunc cum temerariis depravando reprehensionibus, nunc fictis et mendacibus pervertendo commentis, aut ei detraccionibus arrogabilibus derogando. Sane non sine amaritudine cordis accepimus, quod in aliquibus partibus regnorum Boemie atque Polonie, et in eorum confinibus atque limitibus, precipue in Pragensi, Olomucensi, Wratislaviensi ac Missinensi civitatibus et diocesibus adeo patenter heretice infidelitatis error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorsus aversi, euntes post devium falsitatis, ac seipsos diversis et variis heresibus maculantes, pestiferas ad concutiendum orthodoxe murum fidei machinas construunt, ipsamque subvertere falsis et vulpinis impulsibus fallacium argumentacionum intendunt: verum licet ad talium iniqua ubique consternenda molimina eo animosius aspiremus, quo etc. ut supra: unde providimus dilectos filios fratres Coldam et Peregrinum predicatorum et Hartmannum et Nicolaum Minorum ordinum, quorum honesta conversacio, ut speramus, exemplum tribuet puritatis, et doctrinam fundent erudita labia salutarem, ad Inquisicionis officium in predictis civitatibus, diocesibus, locis et terris contra hereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum iuxta formam canonum exequendum per apostolicas litteras deputandos. Quare igitur, etsi potestatis terrene sit debitum prevaricancium crimina persequi, illud tamen ei principalius iminet, et onus cure arcioris importat, ut adversus hostes catholice fidei durioris aculeo animadversionis insurgat, Nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, obsecrantes per viscera misericordie dei nostri, et nichilominus tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus pia meditacione pensato, quantum tua et ceterorum catholicorum Nobilium et Magnatum interest, ut induti loricam fidei ad illius vitanda pericula, et hostium eius audatiam compescendam vos viriliter accingatis, ne dissimulare videamini illius, per quem regimini et regnatis, iniuriam, quantum in te fuerit et ad te pertinuerit, contra ipsos hereticos, credentes, fautores, defensores, et receptatores eorum sic insurgere studeas, sic eisdem Inquisitoribus circa tam pium commissum eis offitium salubriter exequendum consiliis, auxiliis et favoribus oportunis assistas, quod tuo mediante suffragio per eorum sacrum ministerium ac studium vigil, et sollicitudinem indefessam civitates, dioceses, terre et loca predicta ab huiusmodi pravis contagiis, assistente divina gracia, expurgentur, etc. ut supra usque tibi premium compares, et extolli possit dignis in domino laudibus nomen tuum. Datum Avinione Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Duci Wratislaviensi, Regi Boemie Illustri ac Marchioni Misnensi.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. de Curia ep. 55. fol. 316.

CCXXII.

Fratres Praedicatorum et Minorum ordinum inquisitores in Cracoviensi et Vratislaviensi diocesibus constituuntur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Peregrino Oppoliensi Predicatorum et Nicolao Hyspodinee de Cracovia Minorum ordinum fratribus, salutem etc. Pre cunctis mentis nostre desiderabilibus tota mente optantes fidei catholice incrementa, et a malignorum et pravorum, hereticorum potissime

et credentium, fautorum, defensorum et receptatorum ipsorum dolosis insidiis et fraudulentis fallaciis, quibus vineam domini Sabaoth nequiter demoliri satagunt, pro viribus conservare, nimio dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem qualicunque malignitate consurgere, vel dampnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut ei detractionibus abrogabilibus derogando, seu eam fictis et mendacibus pervertendo commentis: ad quorum iniqua consternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem huiusmodi pestilentes viros perniciosius agnoscimus conspirare, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas. Sane dolentes accepimus, quod in aliquibus partibus regni Boemie et Polonie, et in confinibus et limitibus terrarum ipsarum, preeipue in Cracoviensi et Wratislaviensi civitatibus et diocesibus adeo infidelitatis diversimode error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorsus aversi, euntes post devium falsitatis, ac seipsos diversis et variis heresibus maculantes, pestiferas ad concutiendum orthodoxe murum fidei machinas construunt, molientes ipsam fallacium argumentacionum dolosis, falsis ac vulpinis impulsibus demoliri: verum licet ubilibet sedis apostolice diligencia contra talium periculosam et dolosam astuciam, ne diffusius huiusmodi serpat morbus, remedium libenter adhibeat oportunum, in predictis tamen civitatibus, diocesibus, locis et terris, veluti gentilibus et paganis quasi conterminis, cupientes anxie, ut negotium fidei iugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, heresumque quarumlibet eradicatis vepribus, forcius convalescat, studemus ad hec, nec immerito, per nos et alios attencius vigilare. Providimus itaque in predictis civitatibus, locis et terris aliquas circumspectas personas ad presens pro tanto negoeio deputare, quarum honesta conversacio exemplum tribuat puritatis, et doctrinam fundant erudita labia salutarem, ut sacro ipsorum ministerio ac vigili studio et solicitudine indefessa prefate civitates et dioceses, terre et loca huiusmodi pravis contagiis, assistente divina gracia, expurgentur, ae fidei catholice nitor multiplicetur et solidetur ibidem, et clarius et lucidius elucescat in dei honorem et eiusdem fidei incrementum, soliditatem et statum. Cumque de prudentie vestre industria, de qua nobis a fide dignis et maioribus vestrorum ordinum laudabile testimonium perhibetur, plenam in domino fidueiam habeamus, propter quod ministerium vestrum ad id specialiter exequendum, et debite, ac prout tanti negocii requirit arduitas, vigilanter et solicite prosequendum, elegimus, diserecioni vestre per apostolica seripta sub virtute sancte obedientie firmiter precipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus Inquisitionis offitium in prefatis civitatibus et diocesibus, terris et locis contra hereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum iuxta formam canonum, et auctoritatem fratribus vestrorum ordinum Inquisitoribus huiusmodi pravitatis deputatis auctoritate apostolica et imposterum deputandis concessam, solerter et solicite exequi studeatis: nos enim vos ad prefatum offieium exequendum in locis et partibus illis expresse duximus deputandos, ac illam potestatem et auetoritatem habere vos volumus in partibus et locis eisdem, que fratribus vestrorum ordinum Inquisitoribus pravitatis heretice in aliis locis et provinciis, in quibus eam exercent, noscitur esse concessa, ac in execucione predictorum plenam vobis concedimus iuxta formam canonum tenore presencium faeultatem. Et quia extirpacionem predictarum heresum, que in illis partibus periculose pullulare dicuntur, et incrementum catholice fidei zelamus ex corde, volumus et mandamus, ut frequenter de statu fidei in illis partibus, et execucione vestri officii nos informare velitis, ut si per nos ad extirpacionem prefatarum heresum et hereticorum, credencium, fautorum, defensorum et receptatorum ipsorum conculcaeionem aliud remedium adhiberi oporteat, certificati per vos, possimus offitii nostri debitum in predictis et ea contingentibus salubriter impertiri. Datum Avinione Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. de Curia ep. 56. fol. 316.

CCXXIII.

Liber computi conscripti a domino Gabriele, archipresbytero ecclesiae S. Archangeli Ariminensis dioecesis, collectore fructuum beneficiorum vacantium in Vratislaviensi (Gnesnensi, Plocensi, Cuiaviensi), Cracoviensi (Lebucensi, Olomucensi) et Pragensi dioecesibus anno Domini MCCCXVIII.

Archidiaconatus maior in ecclesia Wratislaviensi.

In Dei nomine Amen. Infrascripte sunt ecclesie, que vaeaverunt in civitate et diocesi Wratislaviensi infra tempus reservationis facte per sanctissimum patrem et dominum nostrum, dominum Iohannem sacrosancte Romane et Universalis ecclesie Summum Pontificem, de quibus Venerabilis vir dominus Gabriel Archipresbiter ecclesie de sancto Archangelo, eiusdem domini Summi Pontificis Cappellanus, redditus recepit infrascriptos et in forma subscripta.

Noverint Universi presentes litteras inspecturi, quod nos Gabriel Archipresbiter ecclesie de sancto Archangelo Ariminensis diocesis, domini pape capellanus, fructuum, redditiuum et proventuum omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum camere domini pape et Romane ecclesie deputatorum subsidio ad partes Bocmie, Moravie et Polonie Generalis Collector per sedem apostolicam destinatus publice confitemur et presentibus protestamur, nos habuisse et recepisse, et habuimus et recepimus a Venerabili viro domino Paschali Archidiacono Legnicensi et canonico Wratislaviensi decem marchas denariorum grossorum Boemicalium, quadraginta octo gross. dictorum denariorum pro marcha qualibet computatis, quas solvit pro fructibus unius anni domino nostro pape debitis ratione vacationis prebende sue Wratislaviensis predicte, de quibus cum nomine domini pape et Romane ecclesie absolvimus et quitamus per presentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Wratislavie Anno domini a nativitate M.CCC.XVIII. IIII. Nonas Octobris. Pontificatus sanctisimi patris et domini nostri domini Iohannis pape XXII. Anno Tertio.

Item recipit a D. Stephano de Polonia Canonico Wratislaviensi pro fructibus unius anni prebende sue, quam in Wratislaviensi ecclesia obtinet, secundum compositionem habitam cum dicto D. Gabriele pro fructibus memoratis XVI. marchas.

Item recepit a D. Henrico Preposito et Canonico Wratislaviensi pro fructibus unius anni prebende sue, quam in dicta Wratislaviensi ecclesia obtinet, secundum compositionem habitam pro fructibus ipsis cum predicto D. Gabriele XXX. marchas.

Item recepit a D. Arnoldo Archidiacono Glogoviensi et Canonico Wratislaviensi pro fructibus unius anni prebende sue Wratislaviensis, secundum compositionem habitam pro ipsis fructibus cum dicto D. Gabriele, XXV. marchas.

Item recepit a D. Cunchicone Canonico Wratislaviensi pro fructibus unius anni dicte sue prebende Wratislaviensis secundum compositionem habitam cum eodem XX. marchas.

Item recepit a D. Ulmanno Decano Glogoviensi et Canonico Wratislaviensi pro fructibus unius anni prebende sue Wratislaviensis secundum compositionem habitam cum eodem IV. marchas.

Item recepit a D. Fridmanno Cancellario et Canonico Wratislaviensi pro fructibus unius anni prebende sue Wratislaviensis, secundum compositionem habitam cum eodem, IV. marcharum.

Item recepit a D. Octone dicto Scindin Canonico ecclesie S. Crucis Wratislaviensis pro fructibus unius anni prebende sue, quam obtinet in dicta ecclesia, secundum compositionem habitam cum eodem XVI. marchas.

Item recepit a D. Nicolao de Banche Canonico ecclesie S. Crucis Wratislaviensis pro fructibus unius anni prebende sue predicte secundum compositionem habitam cum eodem XII. marchas.

Item recepit a D. Iacobo de Petreswalde Cantori Lubucensi et Canonico dicte ecclesie Wratislaviensis pro fructibus unius anni prebende sue S. Crucis, secundum compositionem habitam cum eodem, VIII. march. cum dimidia.

Item recepit a Magistro Arnaldo Canonico Wratislaviensi et Rectore ecclesie in Proziano pro fructibus unius anni ecclesie predicte secundum compositionem habitam cum eodem XV. march.

Item recepit a D. Henrico Rectore ecclesie in Milicz pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam cum predicto D. Gabriele IV. marchas.

Item recepit a D. . . . Crucifero de sancto Mathia pro fructibus ecclesiarum in Crucemburg et Crucendorf secundum compositionem habitam pro fructibus memoratis cum D. Gabriele VIII. march.

Item recepit a Magistro Theoderico Rectore ecclesie in Bogendorf pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam pro fructibus prefatis VI. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Aurifabri Rectore ecclesie in Widna pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam pro fructibus ipsis VII. marchas.

Item recepit a D. Conrado Rectore ecclesie in Landeswoth pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam pro fructibus eisdem X. marchas.

Item recepit a D. . . . Rectore ecclesie in Cheplowode pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam pro fructibus ipsis cum eodem VII. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Notario D. Ducis Wratislaviensis et a D. Frizicone, Vicario eiusdem D. Iohannis, Rectore ecclesie in Swydnicz pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam cum prefato D. Gabriele pro fructibus ipsis LXV. marcharum.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Nechowicz pro fructibus unius anni dicte ecclesie secundum compositionem habitam pro fructibus predictis VIII. marchas.

Item recepit a D. Theoderico Rectore ecclesie in Berwald pro fructibus unius anni dicte ecclesie IV. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Rect. eccl. in Swynar pro fructibus dicte ecclesie dimidiam march.

Item recepit a D. Nicolao Rectore ecclesie in Recen prope Brigam pro fructibus unius anni ecclesie predicte secundum compositionem habitam pro eisdem X. marchas.

Item recepit a D. Petro Rectore ecclesie in Calcow pro fructibus unius anni ecclesie predicte II. marchas.

Item recepit a D. Dittvyno filio Civis Nizensis Rectore ecclesie in Camenitz pro fructibus unius anni ecclesie predicte secundum compositionem habitam cum eodem III. marchas.

Item recepit a D. Hanconc filio Ulmanni Rectore ecclesie in Brus pro fructibus unius anni ecclesie predicte XI. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Ryzen pro fructibus unius anni dicte ecclesie VIII. marchas.

Item recepit a D. Petro Rectore ecclesie in Sothkow pro fructibus unius anni ecclesie predicte II. marchas.

Item recepit a Iohanne Rectore ecclesie de Pilavia pro fructibus unius anni dicte ecclesie II. marchas cum dimidia.

Item recepit a D. Nicolao Rectore ecclesie in Bungarth pro fructibus unius anni ecclesie predicte VI. marchas.

Item recepit a D. Petro Rect. eccl. in Culendorf pro fructibus unius anni dicte ecclesie I. march.

Item recepit a fratre Alberto Rectore ecclesie in Lossina pro fructibus unius anni eiusdem ecclesie I. marcham.

Item recepit a D. Henrico cum Caudis Rectore ecclesie in Salzeborne pro fructibus dicte ecclesie III. marchas.

Item recepit a D.... Rectore ecclesie in Zedlacowicz pro fructibus dicte ecclesie III. marchas.

Item recepit a Frederico dicto Frizico solvente nomine Rectoris ecclesie in Petirwicz pro fructibus dicte ecclesie II. marchas.

Item recepit a D. ... Rectore ecclesie in Lucimannivilla pro fructibus eiusdem ecclesie II. marchas.

Item recepit a D. Nicolao Rect. eccl. in Crohemenich pro fructibus predicte ecclesie III. march.

Item recepit a D. Wenzelao Rectore ecclesie in Nemil pro fructibus ecclesie eiusdem III. march.

Item recepit a D. Frizicone Rectore ecclesie in Prezew pro fructibus ecclesie predicte II. march.

Item recepit a D. Conrado Rectore ecclesie in Bogwisciz prope Olesniz civitatem pro fructibus unius anni eiusdem ecclesie secundum compositionem sepedictam I. marcham.

Item recepit a D. Martino Rectore ecclesie in Cindal prope Bregam pro fructibus eiusdem ecclesie II. marchas.

Item recepit a D. Gunthero Rectore ecclesie in Rogow prope Sobotam civitatem pro fructibus eiusdem ecclesie secundum compositionem habitam predictam VI. marchas.

Item recepit a D. Iacobo patrono ecclesie in Petriswalde pro redditibus dicte ecclesie III. march.

Item recepit a D. Nicolao Rect. eccl. in Ponathowicz pro redditibus dicte ecclesie III. fertones.

Item recepit a D. Nicolao Rectore eccl. in Arnoldivilla pro fructibus ecclesie predicte I. march.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Lucina circa Olesnicz civitatem pro fructibus dicte ecclesie dimidiam marcham.

Item recepit a D. Nicolao Rectore ecclesie in Smelewicz pro fructibus unius anni dicte ecclesie VI. marchas.

Item recepit a D. Tantino Rectore ecclesie in Martinivilla pro fructibus dicte ecclesie III. march.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Ronzethal circa Lossow pro fructibus dicte ecclesie II. marchas.

Item recepit a D. Petro Rect. eccl. in Tepilwoyde pro fructibus eiusdem ecclesie IV. march.

Item recepit a D. Leone Rectore ecclesie in Frustenow pro fructibus unius anni dicte ecclesie,

et ecclesie in Cant filialis eiusdem ecclesie in Frustenow secundum compositionem habitam cum D. Gabriele sepedicto xv. marchas.

Item recepit a Rectore ecclesie in Novavilla pro fructibus eiusdem ecclesie vii. marchas.

Item recepit a D. Petro Rectore ecclesie in in Polanowicz prope Wicinam pro fructibus eiusdem ecclesie secundum compositionem habitam cum D. Gabriele scpefato iii. fertones.

Archidiaconatus Legnicensis in dicta ecclesia Wratislaviensi.

In primis recepit a D. Wolkero Rectore ecclesie in Cunicz pro fructibus unius anni ecclesie predicte secundum compositionem habitam cum D. Gabriele memorato iii. marchas.

Item recepit a D. Frederico Rectore ecclesie in Schionieyche pro fructibus unius anni ecclesie predicte i. marcham cum dimidia.

Item recepit a D. Alberto Rectore ecclesie in Damianivilla pro fructibus dicte ecclesie x. march.

Item recepit a D. Henrico Rectore ecclesie in Gerardivilla pro fructibus ecclesie predicte dimidiam marcham.

Item recepit a D. Iohanne Rect. eccl. in Sudorf pro fructibus eiusdem ecclesie dimidiam march.

Item recepit a D. Henrico Rect. eccl. in Tinecz pro fructibus unius anni dicte ecclesie v. march.

Item recepit a D. Iohanne Vicario ecclesie in Rostoch solvente nomine . . . Rectoris ecclesie predicte pro fructibus unius anni eiusdem ecclesie xii. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Adlungivilla pro fructibus unius anni predicte ecclesie iv. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Swyn pro fructibus ecclesie predicte anni unius xii. marchas.

Item recepit a D. Henrico dicto Rungen Rectore ecclesie in Schildow prope Herzbergh pro fructibus unius anni ecclesie eiusdem v. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Sifridivilla pro fructibus dicte ecclesie i. march.

Item recepit a D. Theoderico Rectore ecclesie in Woldramivilla pro fructibus ecclesie predicte i. marcham.

Item recepit a D. Theoderico Rect. eccl. in Kemerswalde pro fructibus dicte ecclesie i. march.

Item recepit a D. Henrico Rectore ecclesie in Studinicz circa Leginicz pro fructibus dicte ecclesie iii. marchas.

Item recepit a D. Tharao Rectore Capelle in Castro in Rechelicz pro fructibus unius anni eiusdem Capelle secundum compositionem habitam pro fructibus predictis v. marchas.

Item recepit a D. Kislero Rectore ecclesie S. Laurentii in Castro Lapideo in Legenicz pro fructibus unius anni dicte ecclesie xx. marchas.

Item recepit a D. Henrico Rectore ecclesie in Teczelino pro fructibus unius anni ecclesie predicte secundum compositionem habitam de predictis iv. marchas.

Item recepit a D. Martino Rectore ecclesie in Lobdow pro fructibus ecclesie predicte unius anni i. marcham.

Item recepit a D. Syffrido Rectore ecclesie in Halwicivilla pro fructibus unius anni i. march.

Item recepit a D. Petro Rectore ecclesie in Smottisief pro fructibus unius anni iv. march.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Laschowicz pro fructibus unius anni dicte ecclesie i. marcham cum dimidia.

Item recepit a Nobilibus viris Henrico et Riperto dictis Bolzt, Patronis ecclesie in Ripresdorf prope Iawor, pro fructibus unius anni ecclesie predicte iv. marchas.

Archidiaconatus Oppoliensis in prefata ecclesia Wratislaviensi.

In primis recepit a D. Pezoldo de Waldo Canonico Oppoliensi pro fructibus unius anni prebende predicte i. marcham cum dimidia.

Item recepit a D. Petro Rect. eccl. in Cirla pro fructibus unius anni dicte ecclesie vi. march.

Item recepit a D. Petro Rect. eccl. in Zare pro fructibus unius anni eiusdem ecclesie iv. march.

Item recepit a D. Henrico Rectore ecclesie in Ratheborg pro fructibus unius anni dicte ecclesie x. marchas.

Item recepit a D. Petro Rectore ecclesie in Gliwicz pro fructibus unius anni III. marchas.

Item recepit a D. Iohanne Rect. eccl. in Stanicz pro fructibus dicte ecclesie unius anni I. march.

Item recepit a D. Imerano Rectore ecclesie in Lanzctuk pro fructibus eiusdem ecclesie I. march.

Item recepit a D. Henrico Rectore ecclesie in Istbisco pro fructibus anni unius ecclesie predicte VI. marchas.

Item recepit a D. Quierino Rectore eccl. in Cristorf pro fructibus unius anni dimidiam march.

Archidiaconatus Glogoviensis in ecclesia Wratislaviensi.

In primis recepit a D. Conrado Canonico Glogoviensi pro fructibus unius anni prebende sue, quam obtinet in dicta ecclesia, X. marchas.

Item recepit a D. Nicolao dicto Sciubrawa Custode Glogoviensi pro fructibus unius anni Custodie predicte VI. marchas.

Item recepit a D. . . . Plebano ecclesie in Cupra maiori pro fructibus unius anni dimidiam march.

Item recepit a D. Gallo Rectore ecclesie in Gwischanow pro fructibus unius anni ecclesie predicte secundum compositionem habitam de eisdem III. marchas.

Item recepit a D. Conrado Rect. eccl. in Lubes pro fructibus unius anni dicte ecclesie III. march.

Item recepit a D. Hermanno Rect. eccl. in Codla pro fructibus unius anni dicte eccl. I. fert.

Item recepit a D. Iohanne Rect. eccl. in Cosser pro fructibus unius anni dicte ecclesie III. fert.

Item recepit a D. Conrado Rectore ecclesie in Henricivilla pro fructibus unius anni dicte ecclesie dimidiam marcham.

Item recepit a D. Iohanne Rectore ecclesie in Ottondorf circa Lamberch pro fructibus unius anni eiusdem ecclesie I. marcham.

Item recepit a D. Iohanne Wyneri Preposito Lubucensi, que Prepositura sita est in Archidiaconatu predicto, pro fructibus unius anni eiusdem Prepositure secundum compositionem habitam de eisdem cum domino Gabriele sepedicto X. marchas.

Item recepit per manus Venerabilis viri D. Michaelis, Custodis Gnegznensis, a Reverendo patre domino Ianislao, sancte Gnegznensis ecclesie Archiepiscopo, de pecunia recollecta per dictum dominum Archiepiscopum de beneficiis vacantibus in Civitate et diocesi Gnegznensi predicta VIII. marchas cum dimidia ponderis supradicti.

Item recepit per manus eiusdem D. Michaelis a Reverendo patre D. Floriano Episcopo Plozensi et Prewodio, Collectoribus dictorum fructuum in Civitate et diocesi Plozensi, V. sexagenas et XX. grossos valentes VI. marchas cum dimidia et VIII. grossos.

Item recepit per manus predicti D. Michaelis a . . . Collectoribus fructuum eorundem civitatis et diocesis Cuyaviensis XXXVI. marchas ponderis predicti. Summa summarum LII. marche et VIII. grossi.

In episcopatu Cracoviensi.

Item recepit idem D. Gabriel a Reverendo patre D. Iohanne Cracoviensi Episcopo, et a discreto et prudenti viro D. Martino Vicearchidiacono eiusdem ecclesie, Collectoribus redituum supradictorum in civitate et diocesi Cracoviensi predicta, per manus Venerabilis viri domini Wolticonis Scolastici Wratislavienisis, de pecunia recollecta per eos in predicta civitate et diocesi XXX. marchas denariorum Boemicalium, quatuor (?) sol. dictorum denariorum pro marcha qualibet computatis.

Item recepit ab eisdem per manus Arnoldi Cusciwelt Civis Wratislaviensis X. marchas eiusdem monete.

Item recepit ab eisdem per manus Conradi Pollicerii Civis Brunnensis XXX. marchas monete predicte.

Item recepit idem D. Gabriel in dicta Civitate Cracoviensi de quibusdam redditibus Scolasterie Gneznensis VIIII. marchas cum dimidia monete predicte.

Item recepit sepefatus D. Gabriel a . . . procuratoribus domini . . . Episcopi Lubucensis de pecunia recollecta per eos de beneficiis vacantibus iu civitate et diocesi Lubucensi XX. marchas supradicte monete.

Summa summarum predictarum marcharum omnium DCC. XVII. marche et VIII. denarii.

IN MORAVIA (IN DIOCESI OLOMUCENSI).

Item recepit idem D. Gabriel a Venerabilibus viris DD.... Preposito Cunicensi, et Magistro Stephano Archidiacono Zenoymensi in ecclesia Cracoviensi, decretorum doctore, Collectoribus in dicta civitate et diocesi redditiuum predictorum, CC. et LX. sexagenas Boemicalium grossorum.

Item recepit a prefato D. Preposito pro redditibus sue Prepositure CC. sexagenas dict. gross.

Item recepit idem D. Gabriel a religiosis viris... Comendatore,... Plebano et fratribus de domo Theotonica, in Oppavia Olomucensis diocesis morantibus, pro redditibus ecclesie ipsorum ibidem vacantis XX. sexagenas Boemicalium predictorum.

Summa marcharum CCCC. LXXX., qualibet sexagena computata pro marcha.

IN CIVITATE ET DIOCESI PRAGENSI.

Item recepit sepefatus D. Gabriel a Venerabilibus viris DD. Magistro Ulrico Pragensi Scolastico, decretorum doctore, et fratre Warnero Comendatore S. Marie in Pede Pontis Pragensis ordinis domus S. Iohannis Ierosolimitani, Collectoribus in civitate et diocesi Pragensi redditiuum eorundem, CC. et LX. sexagenas dictorum denariorum Boemicalium.

Item recepit idem D. Gabriel a Venerabili viro D. Iohanne Preposito Wisscegradensi, Cancellario Regni Boemie, pro redditibus Prepositure predicte et Prepositure Melnicensis Pragensis diocesis C. et XVII. sexagenas Boemicalium denariorum predictorum.

Item recepit memoratus D. Gabriel a Plebano ecclesie beate Marie in Leta Curia Pragensi pro fructibus unius anni dicte ecclesie XII. sexagenas eiusdem monete.

Item recepit a.... Plebano ecclesie S. Nicolai in Civitate minori sub Castro Pragensi pro redditibus unius anni ecclesie predicte XI. sexagenas monete predicte.

Item recepit antedictus D. Gabriel a... Plebano ecclesie in Plaskoles dicte diocesis Pragensis pro unius anni fructibus ecclesie predicte IV. sexagenas pecunie sepefate.

Summa summarum predictarum sexagenarum Boemicalium in dictis duobus episcopatibus DCCC. LXXXIV. marche.

Summa omnium summarum marcharum supra receptarum DCC. et XVII. marche et VIII. denari Boemicales, computatis XLVIII. Boemicalibus pro marcha qualibet.

Et DCCC. LXXXIV. marche, computatis LX. denariis Boemicalibus pro marcha qualibet.

Infrascripte sunt expense facte in Nuntiis et Cursoribus pro redditibus beneficiorum vacantium in Regnis Boemie et Polonie Camere domini pape deputatorum subsidio.

In primis habuit Aviricionus Cursor, qui de civitate Pragensi fuit ad Curiam destinatus ad notificandum, quid esset actum in negotiis predictis, IV. sexagenas grossorum Boemicalium.

Item expendit D. Bartholomeus Prepositus S. Michaelis Plocensis, quando ivit pro dictis negotiis ut subcollector in Surdam Poloniam cum duobus equis et duobus famulis, XII. sexagenas.

Item expendit quidam Nuntius, qui ivit de Cracovia in Wratislaviam cum licteris commissionis et quibusdam aliis, dimidiam sexagenam.

Item habuit Phylippus clericus de Wratislavia, quando ivit de dicta civitate ad Curiam Romanam ad notificandum, quid esset actum de dictis negotiis et de decima recollecta ibidem, IV. sexagenas.

Item habuit Stanislaus in duabus vicibus, in quibus Collectores Polonie requisivit, UN. sexag.

Item habuit idem in duabus vicibus, quando de dicta civitate ivit in Lubus, dimidiam sexag.

Item habuit Soldrianus Cursor, eundo de Wratislavia in Cracoviam pluries, unam sexagenam.

Item habuit idem Soldrianus, quando ivit de dicta civitate ad Curiam, IV. sexagenas.

Item habuerunt duo alii Nuncii, qui iverunt de dicta civitate Wratislaviensi in Moraviam et Boemiam, unam sexagenam.

Item habuerunt diversi Cursores, qui iverunt per diocesim Wratislaviensem, unam sexagenam.

Item amisit D. Gabriel Collector predictus illa die, quando recessit de Cracovia, duos equos, qui ambo simul ceciderunt in unum puteum siccum et suffocati fuerunt ibidem, valentes X. sexagenas.

Item eadem die informatus fuit quidam alter equus, ut mortuus die tertia post suum adventum in Wratislavia, qui emptus fuerat pro XXXIV. florenis auri.

Infrascripte sunt expense facte per ipsum dictum Gabrielem quo ad conductores post recessum suum de Polonia.

In primis dedit violenter maledicto Henrico Militi Sculpteto in Novoforo Eystetensis diocesis, recipienti nomine suo et nomine Henrici Senioris et Henrici Iunioris dominorum de Heremwelz, C. et XXXIII. marchas puri argenti.

Item dedit... Burgravio de Noremberch, qui eum conduxit de Noremberg usque in Wynzayme, LXX. libras Hallenses, valentes XXIII. marchas et duas uncias argenti cum dimidia.

Item dedit... Comiti de Olloch, qui eum conduxit de dicto loco de Wynzayme usque Herbipolim, LX. libr. Hallen. valentes XX. marchas argenti.

Item dedit... Comitibus de Pecchebach et D. de Troling, qui eum conduxerunt de Miltimberg Maguntine diocesis usque in Maguntiam, C. XIII. libr. Hallenses, valentes XXXVIII. marchas et V. uncias cum dimidia argenti.

Item dedit pro expensis factis in Milteberch et in Maguntia, eo quod Capitulum Maguntinum cum clero sibi nec conductum nec expensas dare voluerint, et aliunde conductum habere non poterat ex eo, quod nullus audet conductum prestare per terram alterius, in quatuordecim septimanis, in quibus eum oportebat moram contrahere occasione predicta, CC. et XL. libr. Hallenses, valentes LXXX. marchas argenti. Pro quibus expensis Capitulum et Clerus predictus concordati fuerunt cum Camera domini nostri pape, et solverunt eidem Camere CCC. floren. auri.

Summa summarum expensarum supra computatarum, tam pro securo conductu, quam aliis, preter equos casualiter amissos, et preter summam quamdam violenter ablatam CLXXXXI. marchas, sexaginta denariis Boemicalibus pro marcha qualibet computatis.

Infrascripti sunt redditus beneficiorum vacantium, qui adhuc debentur in Polonia, qui penes Collectores remanserunt.

Imprimis penes Collectores Cracovienses remanserunt circa quadraginta marche.

Item penes Collectores Plocenses remanserunt redditus Archidiaconatus et prepositure ecclesie Plocensis, qui ad quam summam ascendant ignoro, (pro quibus D. Florianus Plocensis Ep̄us transmisit die XX. Augusti de Anno domini M. CCC. XXI. quadraginta tres florenos auri).

Item penes Collectores Cuiavienses redditus quorundam beneficior. qui nondum erant recollecti.

Item in Civitate Wratislaviensi remanserunt penes Collectores redditus quorundam beneficiorum post meum recessum collecti, quorum summam ignoro, (de quo residuo assignavit postmodum magister Arnaldus de Prossano Canonicus Wratislaviensis II. marchas et III. partes unius uncie auri de Palholia, prout est scriptum in libro receptarum Camere).

Item aliquid debet esse penes Collectores Pragenses, ad quam summam ascendat ignoro.

(Assignavit Gabriel collector in Regno Boemie et Polonie de pecunia recollecta per eum in dictis partibus XXVIII. marchas cum dimidia auri de Polhiola ad pondus Cuiaviense. Item XXVIII. marchas auri combusti et IV. uncias, valentes in universo IIIM. C. et VIII. florenorum auri et VIII. soldos Viennenses).

Collectoria Hungarie et Polonie fol. 30—36.

CCXXIV.

Episcopo Herbipolensi, ut cum Henrico comite de Hennemberg et Iucta ducissa Vratislaviensi de matrimonio ineundo dispenset.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Herbipolensi, salutem etc. Sedis apostolice circumspecta benignitas non nunquam rigorem mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, de gratia benignitatis indulget, prout id negociorum, personarum et temporum qualitate pensata noscit utiliter expedire. Sane petitio dilecti filii Nobilis viri Caroli Ducis Calabrie et dilecte in Christo filie Catherine consortis ipsius nobis exhibita continebat, quod dilectus filius Nobilis vir Henricus natus dilecti filii Nobilis viri Bertoldi Comitis Hennomberg, et dilecta in Christo filia Iucta nata dilecte in Christo filie ... Ducisse Wratislaviensis, sororis prefate Ducisse Calabrie, quod ipsi olim ad

sedandas guerras et discordias inter progenitores eorum exortas, ex quibus multiplicia prelia fuerunt subsecuta, matrimonium in facie ecclesie secundum patrie consuetudinem per verba legitime de presenti adinvicem contraxerunt, et carnali inter eos copula subsecuta, factum est, illo cooperante, qui concordiam diligit, quod huiusmodi discordie sunt sedate ac converse in appetibile bonum pacis. Verum quia Henricus et Iucta prefati quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, propter quod non possunt absque dispensatione sedis ipsius in sic contracto matrimonio licite remanere, Dux et consors predicti nobis humiliter supplicaverunt, ut, cum ex separatione dictorum Henrici et Iucte, si fieret, inter progenitores eosdem pericula graviora prioribus exoriri verisimiliter formidentur, providere super hoc eis de oportune dispensationis remedio dignaremur. Nos igitur eorundem Henrici et Iucte super hoc providere saluti ac futuris obviare periculis salubriter cupientes, plenamque gerentes de tua circumspectione fiduciam, qui super hiis habere poteris noticiam pleniorem, ipsorum Ducis et consortis supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum Henrico et Iucta predictis, ut impedimento, quod ex prefata consanguinitate provenit, non obstante, in eodem matrimonio remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum, animarum ipsorum saluti videris expedire, prolem susceptam et suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nunciando. Dat. Avinione XVIII. Kal. Maii. Anno III. Ex Reg. orig. An. III. Com. ep. 1291. fol. 406.

CCXXV.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum emptio castri seu monasterii Dunamundensis confirmatur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus Hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Ea, que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contemptionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Sane exhibite nobis vestre petitionis series continebat, quod Preceptor et fratres ordinis vestri, qui per Livoniam erant pro tempore deputati, Castrum seu Monasterium Dunemunde Rigensis diocesis, tunc sicut antea ad ordinem Cisterciensem pertinens, ab ... Abbate et Conventu dicti ordinis Cisterciensis, tunc commorantibus et residentibus in eodem Castro seu Monasterio, suadentibus quampluribus rationibus et causis, quas utraque pars tunc legitimas reputavit, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis emerunt pro certa pecunie quantitate, ac ... Pater Abbas et generale Capitulum Cisterciensis ordinis memorati huiusmodi emptionis et venditionis contractum ratum et gratum habentes, illum postmodum approbarunt. Verum Preceptor et fratres predicti Castrum seu Monasterium memoratum, ut eo potentius hostibus fidei possent resistere, ipsosque fortius impugnare, quo fidem ipsam eiusque cultores a tirampnicis hostium eorumdem incursibus virilius defensarent, fortificatione et custodia aliis emendarunt, in quibus ac questionibus et litibus ex Castro seu Monasterio predicto secutis processu temporis grandem pecunie quantitatem expendisse noscuntur, et licet Venerabilis frater noster Fredericus Archiepiscopus Rigensis, ecclesiam et Archiepiscopalem mensam Rigensem in predicto Castro seu Monasterio ius habere pretendens, vobis super eo controversiam moverit, quia tamen tam dictus Archiepiscopus, controversia ipsa ad examen sedis apostolice libere deducta, nil probavit, per quod ecclesiam et mensam predictas in eodem castro seu monasterio unquam habuisse vel habere ius aliquod appareret, quamquam super hoc probationes ipsius Archiepiscopi, si quas haberet, recipere obtulerimus nos paratos, quam procurator dicti ordinis Cisterciensis quicquam contra memoratum contractum dicere vel proponere recusavit, propterea ad nostram et fratrum nostrorum presentiam evocatis: nos vestris supplicationibus inclinati, Venditionem predictam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, cuiuslibet alterius preter dicti Cisterciensis ordinis iure salvo, supplentes defectum, siquis intervenisset in ea, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis etc. Si quis autem etc. Datum Avinione VIII. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Tercio. Ex Reg. orig. An. III. Com. ep. 964. fol. 303.

CCXXVI.

Archiepo Gnesnensi eiusque suffraganeis et aliis, qui a pontifice petebant, ut Wladislaum ducem Poloniae regem nuntiari et coronari mandet, quam ob causam hoc differatur, scribit.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Dudum Venerabilis frater noster Gerwardus Episcopus Wladislaviensis, vester et di-

lectorum filiorum Abbatum, Monasteriorum, Priorum Predicatorum et Guardianorum Minorum ordinum et Conventuum eorundem, nec non et Capitulorum, ecclesiarum, ac Nobilium virorum Ducum, Comitum, Baronum, ac Universitatum, Civitatum et Castrorum per Regnum Polonie consistencium Nuncius ad hoc specialiter destinatus, ad presenciam nostram accedens, nobis vestras et eorum litteras presentavit, per quas apostolatui nostro inter cetera significare curastis, quod ab olim post obitum bone memorie ... Regis Polonie, qui tunc erat, sedicionibus et dissidiis ac guerrarum discriminibus intestinis inter ipsius habitatores Regni, peccatis exigentibus, suscitatis, regni status eiusdem, quod solebat florere diviciis, tam propter hoc, quam eciam propter crebros Tartarorum, Lithuanorum, Ruthenorum et aliorum Paganorum incursus, qui Polonorum gentem, quasi novellam in fide, captivam diversis vicibus abducentes, in miserabilem redegerant servitutem, et lumine fidei derelicto, in nostri contumeliam Redemptoris idolatrie servire cogebant, nec non et propter occupaciones diversarum eiusdem regni parcium et locorum defensore carentis, que nonnulli alienigene violenter invaserant, erat gravissima depressione collapsus; in ecclesiis vero, monasteriis et aliis deo dicatis locis, fidelium devocione constructis, in quibus devotis laudibus colebatur omnipotens, cultus divini nominis neglectui tradebatur, quorum aliqua spelunce latronum effecta, aliqua solitudini derelicta, et multa ipsorum ruine vastitatibus subiacebant, adicientes nichilominus in litteris supradictis, quod nisi per sedis apostolice providenciam circumspectam super hiis occurreretur celeriter de remedio oportuno, verisimiliter poterat formidari, ne terra ipsa ad exinanicionem irreparabilem deveniret: propter quod tam vos per Episcopum et litteras supradictas, quam idem Episcopus per se ipsum cum multa nobis instancia supplicastis, ut cum regnum predictum esset nobis et ecclesie Romane nullo mediante subiectum, et in signum subieccionis huiusmodi census, qui denarius beati Petri vocatur, nobis et eidem ecclesie annis singulis deberetur, eiusdem regni fidelibus aperientes viscera pietatis, et eorum calamitatibus ac pressuris paterno compacientes affectu, et illud clementis propiciacionis oculis intuentes, de tali rege provideremus eisdem, qui se patenter exemplum ostenderet, qualiter subditos oporteret per iusticie semitas ambulare, quique in potencia virtutis altissimi dirigeret indirecta, insolentes reprimeret, restauraret deperdita, dictumque regnum tante calamitatis angustiis, quibus subicitur incessanter, deo auxiliante, subductum, statum resumeret quietis et dulcedinis primitive, dilectum filium Nobilem virum Wladislaum Cracovie, Sandemirie, Siradie, Lancitie, Cuiavie regnique Polonie ac terre Pomeranie ducem et heredem, et eciam possessorem, strenuitate sublimem, industria providum, milicia stipatum, multitudine vassallorum onustum, diviciis, municionibus et forteliciis prepotentem, promovendum per nos in Regem Polonie concorditer nominando, supplicantes instanter, ut prefatum ducem in Regem dignaremur ipsius Regni Polonie de benignitate apostolica promovere, et coronari diademate regio mandaremus. Quia vero nobis ex premissis firme spei fidutia suggerebat, quod prefatum regnum per promocionem huiusmodi ad virium suarum potenciam restauratum, forcius dictorum paganorum prevaleret incursibus, et facilius pestiferos conatus reprimeret eorumdem, ubertate pacis, cultu servato iusticie, frueretur, libertas ecclesiastica ex premissis dissidiis conculcata suum resumeret, deo propiciante, vigorem, ecclesiastice dicti regni persone eciam, ecclesiis eorundem ab oppressionibus relevatis, possent vacare commodius circa cultum divini nominis ampliandum, ipsiusque regni fideles in divinis beneplacitis prosequendis et eiusdem ecclesie Romane, quam ipsi matrem eorum et dominam recognoscunt, fidelitatis et devocionis firmius stabiliri constancia: predictos Episcopum et litteras benigne recepimus, et ea, que idem Episcopus super eiusdem promocione ducis proponere voluit coram nobis, libenter audivimus, dictarumque litterarum tenorem cum multa iocunditate perspeximus diligenter. Demum autem carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Boemie Illustris supervenientibus nunciis, per eos apostolatui nostro fuit humiliter supplicatum, ut cum eidem Regi ius in dicto Polonie regno competeret, quod se offerebant suo loco et tempore probaturos, abstinere ab ipsius promocione ducis Polonie dignaremur: sed idem Episcopus post nunciorum ipsorum instanciam, sicut prius, crebris vicibus contrarium certitudinaliter affirmando, proposuit, quod Rex prefatus nullum in dicto regno Polonie ius proprietatis seu possessionis sibi poterat vindicare, cum plenum ius predicto duci tanquam ipsius regni domino naturali et heredi legitimo, cui successio iure nature a suis progenitoribus debebatur, in regno competeret supradicto, pro huiusmodi sepedicti promocione ducis tam pro parte vestra, quam per seipsum suppliciter insistendo. Nos igitur volentes unicuique iura sua servari, ab huiusmodi promocione petita ad presens providimus abstinendum, non intendentes per hoc iuri vestro et aliorum supplicancium predictorum preiudicium aliquod generari, quin illo sic uti, si et

quando vobis expedire videbitur, valeatis, quod tamen cuiusvis alterius non ledatur. Datum Avinione XIII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia ep. 165. fol. 535.

CCXXVII.

Ep̄o Wladislaviensi, ut recepta resignatione duarum praebendarum in ecclesia Cracoviensi propter permutationem facienda, unam conferat Ioanni de Verulis, alteram Nauchero (Nankero) canonicis Cracoviensibus.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Ep̄o Wladislaviensi, sal. etc. Cum, sicut accepimus, dilecti filii magister Iohannes de Verulis Notarius noster, et Naucherus Iumiranni Canonici ecclesie Cracoviensis prebendas, quas in eadem ecclesia obtinent, cupiant ex certis causis ad invicem permutare, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in domino specialem, tenore presencium committimus, quatinus ab eisdem Canonicis, vel procuratoribus eorundem ad hoc sufficiens mandatum habentibus, hac vice prebendarum ipsarum, etiam apud sedem apostolicam ex causa permutationis huiusmodi auctoritate nostra libera resignatione recepta, prebendam, quam idem Naucherus, prefato magistro Iohanni, illam vero, quam ipse magister Iohannes obtinet, ut predicitur, in ecclesia memorata, dicto Nauchero cum omnibus iuribus et pertinentiis earundem eadem auctoritate conferas et assignes, ipsosque per te vel alium seu alios in corporalem possessionem prebendarum ac iurium et pertinentium predictorum inducas, et defendas inductos, faciens utrique ipsorum de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis prebende taliter permutate integre responderi, Contradictores ac rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, vel aliis benefitiis ecclesiasticis in eadem ecclesia speciales, aut in illis partibus generales apostolice sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eosdem magistrum Iohannem et Naucherum in assecutione prebendarum taliter permutandarum volumus anteferri, sed nullum per hoc cis quo ad aliorum prebendarum et beneficiorum assecutionem preiudicium generari, seu si Venerabili fratri nostro... Ep̄o, et dilectis filiis Capitulo Cracoviensibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de prebendis eiusdem ecclesie vel aliis benefitiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem vel presentationem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus ipsarum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, que Naucherius obtinet, queve, cum de ipsis certitudo haberi non possit, haberi volumus presentibus pro expressis, ac si exprimerentur singulariter in eisdem. Et quod magister Iohannes predictus decanus ecclesie Furnensis Morinensis dyocesis existit, et in eadem ac Principis apostolorum de Urbe, Laudunensi et Compostellana ecclesiis Canonicatus et prebendas, et in Civitate ac dyocesi et provintia Capuana quedam beneficia simplicia noscitur obtinere. Datum Avinione XIII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. ep. 1367. fol. 431.

CCXXVIII.

Eidem episcopo, ut decanatum ecclesiae Cracoviensis vacantem Nauchero (predicto Nankero) conferat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Nuper exposito nobis per dilectum filium magistrum Iohannem de Verulis notarium nostrum, Canonicum ecclesie Cracoviensis, quod ipse ac dilectus filius Naucherus Iumiranni eiusdem ecclesie Canonici intendebant ex certis causis prebendas, quas in eadem ecclesia obtinent, ad invicem permutare, nos tibi per alias nostras certi tenoris litteras duximus committendum, quod ab eisdem Canonicis vel procuratoribus eorundem dictarum prebendarum, etiam apud sedem apostolicam ex causa permutationis huiusmodi aucto-

ritate nostra libera resignatione recepta, prebendam, quam idem Naucherus, prefato magistro Iohanni, prebendam vero, quam ipse magister Iohannes obtinebat in ecclesia memorata, cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem dicto Nauchero auctoritate predicta conferres, ac etiam assignares, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Verum intendentes personam prefati Naucheri propter suorum exigentiam meritorum in eadem ecclesia amplius honorare, fraternitati tue tenore presentium committimus, quatinus decanatum ipsius ecclesie, qui per acceptationem a dicto magistro Iohanne, dudum eiusdem ecclesie decano, de decanatu ecclesie Furnensis Morinensis diocesis apostolica sibi auctoritate collato factam, et pacificam assecutionem ipsius vacavisse, et adhuc vacare dinoscitur, de quo nullus preter nos disponere potest, pro eo, quod nos dudum ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia, et alia benefitia ecclesiastica per acceptationem a quibuscumque illa obtinentibus de aliis dignitatibus vel personatibus aut offitiis, seu benefitiis ecclesiasticis, auctoritate predicta collatis vel conferendis eisdem, ac pacificam assecutionem illorum tunc vacantia, et in antea vacatura donationi apostolice reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, dicta permutatione prefacta, prefato Nauchero cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis auctoritate nostra conferas et assignes, inducens ipsum, vel procuratorem suum pro eo, per te vel alium seu alios in decanatus, ac iurium et pertinentiarum predictorum corporalem possessionem, et defendens inductum, Amoto exinde quolibet detentore, faciens eum, vel dictum procuratorem pro eo, ad dictum decanatum, ut est moris, admitti, et ei de ipsius decanatus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie Cracoviensis contrariis etc. ut supra usque mentio specialis, aut si dictus Naucherus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem Cracoviensis ecclesie ratione dicti decanatus solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet, seu quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, que idem Naucherus obtinet, queve, cum de ipsis propter loci distanciam certitudo non possit haberi, presentibus haberi volumus pro expressis, ac si exprimerentur singulariter in eisdem. Datum Avinione XIII. Kalendas Septembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Com. ep. 1366. fol. 431.

CCXXIX.

Mathiae de Paluta providetur de canonicatu in ecclesia Vladislaviensi.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Mathie de Paluta canonico Wladislaviensi, salutem etc. Apostolice sedis copiosa benignitas ad illos munificentie sue dexteram libenter extendit, qui litterarum scientia, honestate morum et vite ac aliis virtutum meritis redimiti se fore dignos gratia representant. Hec igitur, super quibus apud nos fideli testimonio laudabiliter commendaris, in te benigne pensantes, ac volentes personam tuam propter hoc, et consideracione Venerabilis fratris nostri Gerwardi Wladislaviensis Episcopi pro te, nepote suo, super hoc nobis cum instantia supplicantis, favore prosequi gratie specialis, Canonicatum ecclesie Wladislaviensis cum plenitudine iuris Canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo eciam providemus. Prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum illam vacare contigerit, quam per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacatione constiterit, volueris acceptare, conferendam tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donacioni apostolice reservamus, inhibentes etc. usque illud prestes, seu quod Decanus ecclesie Wladislaviensis existis, ac in ea et in Gneznensi, Poznaviensi, Plocensi et Crucisficiensi Wladislaviensis diocesis ecclesiis Canonicatus obtines et prebendas. Nulli etc. nostre collationis etc. Datum Avinione IV. Idus Septembris. Anno Quarto.

In e. m. Dilectis filiis ... Decano et ... Archidiacono Cracoviensis et ... Scolastico Wladislaviensis ecclesiarum, ut exequantur etc. Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 50. fol. 92.

CCXXX.

Iudicibus, ut Begardos ad restituenda quaedam in dioecesi Culmensi bona episcopo Vladislaviensi compellant.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, ac dilectis filiis ... Decano

ac ... Scolastico Gneznensibus, salutem etc. Exposuit nobis Venerabilis frater Guerwardus Episcopus Wladislaviensis, quod dudum bo. me. Wyslaus episcopus Wladislaviensis predecessor suus, dum adhuc viveret, nonnulla bona immobilia ad mensam suam episcopalem spectantia, que in dioecesi Culmensi consistere dinoscuntur, quibusdam Begardis illarum partium, qui tunc erant et pro tempore forent, sub ea videlicet conditione donavit, ut si ullo unquam tempore sectam Begardorum ipsorum cassari seu destrui forte contingeret, bona ipsa redirent ad eandem mensam integraliter sicut prius. Cum igitur fe. re. Clemens pp. V. predecessor noster huiusmodi Sectam cassandam duxerit ac etiam annullandam, ipsique Begardi, de quibus duo propter heresim, qua erant respersi, iudicio ecclesie similiter ut heretici condempnati, et demum curie traditi seculari igne fuerunt per eandem curiam concremati, de huiusmodi heresi habeantur in partibus illis manifeste suspecti: Idem episcopus nobis humiliter supplicavit, ut eosdem Begardos, qui dicta bona pretextu prefate donationis detinent occupata, ad restituendum illa predicte mense compelli per discretos aliquos mandaremus. Nos igitur volentes unicuique sua iura servari, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios super premissis summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii diligentius inquirentes, si vobis constiterit ita esse, predictos Begardos et quosvis alios bonorum huiusmodi detentores, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel condicionis extiterint, et cuiuscumque seu quantecumque exemptionis privilegiis gaudeant, ad restituendum predicta bona prefato Episcopo auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus (?), si Begardis et aliis supradictis a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 42. fol. 89.

CCXXXI.

Iudicibus, ut Wladislao duci Poloniae iustitiam contra fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum faciant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Episcopo Poznaniensi, ac dilecto filio ... Abbati Monasterii Sancti Benedicti de Mogilna Gneznensis diocesis, salutem etc. Gravem dilecti filii Nobilis viri Wladislai Ducis Polonie querelam accepimus continentem, quod ... Magister et fratres domus Sancte Marie Theotonicorum non attendentes, quod quondam Conradus dux Polonie, avus eiusdem ducis, eosdem Magistrum et fratres, quos veros credebat catholice fidei defensores, ad partes illas pro defensione ipsius fidei primitus adducavit, et nonnulla immobilia et mobilia bona liberaliter concessit eisdem, alias eos dictus Conradus et successores sui benigne ac favorabiliter prosequendo, sed ipsi dicto duci se reddentes ingratos, et ad bona ipsius rapacitatis manus extendentes illicite, Ducem ipsum terra sua Pomeranie Wladislaviensis diocesis, que de regno Polonie fore dinoscitur, temeritate propria spoliantes, illam cum hominibus, Vassallis, Castris, Villis, possessionibus et bonis existentibus in eadem contra iusticiam occuparunt, et detinuerunt iam per octo annos et amplius, sicut et adhuc detinent violenter, fructus et redditus ac proventus provenientes ex illa percipientes indebite et iniuste, illam sibi reddere contradicunt, in ipsius ducis grave dispendium et regni predicti diminucionem enormem et scandalum manifestum. Quare nobis dux prefatus humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur nolentes eidem duci in suo iure deesse, in quo sumus omnibus debitores, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus et committimus, quatenus vos vel duo vestrum per vos, vel per alios super premissis auctoritate nostra summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii procedentes, si rem inveneritis ita esse, Magistrum et fratres predictos ad restituendum dicto duci terram, homines, vassallos, castra, villas, possessiones et bona predicta cum fructibus et proventibus medio tempore perceptis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus de duabus dietis edita in concilio generali, et fe. re. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, per quam iudices a sede apostolica deputati extra civitates et dioceses, in quibus deputati fuerint, procedere vel aliquos ultra unam dietam a finibus sue diocesis trahere prohibentur, et aliis contrariis constitutionibus quibuscumque, dummodo ultra terciam vel quartam quis extra suam diocesim ad iudicium non trahatur, seu si dictis Magistro et fratribus, vel quibusvis aliis communiter seu

divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra terram trahi, vel in iudicium vocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuscunque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus et specialibus, eisdem Magistro et fratribus ac ordini concessis communiter vel divisim, quorumcumque tenorum existant, per que vestre iurisdictionis explicatio possit in hac parte quomodolibet impediri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 40. fol. 89.

CCXXXII.

Archiepo Gnesnensi eiusque collegis, ut quae olim de bonis ecclesiae Vladislaviensis alienata fuerint, revocent.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Episcopo Poznaniensi, ac dilecto filio ... Decano ecclesie Gneznensis, salutem etc. Habet Venerabilis fratris nostri Gerwardi Episcopi Wladislaviensis assercio, quod nonnulli predecessores sui Episcopi Wladislavienses, qui fuerunt, et Capitulum ecclesie sue Wladislaviensis, cum ecclesia ipsa pastore vacabat, pro tempore, villas, possessiones et decimas, et alia mobilia et immobilia bona ad mensam suam episcopalem Wladislaviensem spectantia diversis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, exemptis et non exemptis, nec non et mundanis personis aliquibus, videlicet earum quedam ex ipsis donaverunt, quedam aliis vendiderunt, et nonnulla cum quibusdam ex personis ipsis permutarunt, et alias alienarunt illicite ac etiam distraxerunt, que dicte persone huiusmodi donationis, venditionis ac permutationis et alienationis pretextu in magnum preiudicium et grave dampnum eiusdem mense detinent occupata. Quare nobis idem Episcopus humiliter supplicavit, ut ei et dicte mense super hoc providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur nolentes eidem episcopo in suo iure deesse, in quo sumus omnibus debitores, Discretioni vestre tenore presentium committimus et mandamus, quatenus ea, que de villis, possessionibus, decimis et bonis predictis ad mensam predictam spectantibus taliter donata seu vendita, vel alienata inveneritis illicite vel distracta, ad ius et proprietatem dicte mense, super quibus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii valeatis procedere, revocare curetis, si de iure fuerint revocanda, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus de duabus dietis edita etc. usque mentio specialis. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 41. fol. 89.

CCXXXIII.

Episcopo Vladislaviensi, ut decem excommunicatos propter iniectionem manuum in clericos absolvere possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Personam tuam, tuis claris exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illa tibi benivolo favore concedimus, per que statui et saluti consulere valeas aliorum. Tuis itaque supplicationibus inclinati, absolvendi hac vice auctoritate nostra decem personas a sententia excommunicationis, quam iniciendo manus violentas in clericos, dummodo mors vel membri mutilatio non fuerit subsecuta, temere incurrerunt, passis iniuriam primitus competenti satisfactione impensa, pro modo culpe iniuncta eis penitentia salutari, ac dispensandi cum eis, si persone ecclesiastice, super irregularitate, si quam huiusmodi ligate sententia celebrando divina, vel immiscendo se illis forsitan contraxissent, prout secundum deum animarum ipsorum saluti videris expedire, tibi concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 51. fol. 88.

CCXXXIV.

Eidem conceditur, ut assistentibus, quando celebrat in pontificalibus, indulgentiam largiri possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Gerwardo Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Ut spiritualium largitione donorum fideles Christi reddas ei et sedi apostolice plus devotos, ut quotiens-

eunque te in pontificalibus celebrare, aut clero seu populo contigerit proponere verbum dei, omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi celebrationi seu predicacioni presentes extiterint, preter id quod tibi de iure communi licere dinoscitur, xx. dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxare valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 34. fol. 88.

CCXXXV.

Eidem indulgetur, ut confessor ipsi in mortis articulo plenam peccatorum remissionem largiatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Benigno tibi sunt illa concedenda favore, per que, sicut pie desideras, salutem anime deo propicio consequaris. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, qui pro tempore fuerit, in mortis articulo omnium peccatorum, de quibus corde contritus extiteris et ore confessus, ac penarum etiam, quibus tunc temporis eris pro peccatis ipsis obnoxius, illam plenam remissionem, quam Romani Pontifices per speciale privilegium consueverunt interdum aliquibus fidelibus impertiri, quatinus Claves ecclesie se extendunt, et gratum in oculis divine magestatis extiterit, semel concedere valeat, auctoritate tibi presencium indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor de hiis, de quibus alteri fuerit satisfactio facienda, eam per te, si supervixeris, vel heredes tuos, si tunc forte de presenti vita transieris, faciendam iniungat, quam tu vel ipsi teneamini facere, ut prefertur. Nulli etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione III. Idus Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 35. fol. 88.

CCXXXVI.

Eidem conceditur, ut testamentum condere possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Cum nichil sit etc. Nos devotis fraternitatis tue precibus benignius annuentes, ut de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que non fuerunt altaris vel altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, aut alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, necnon et quibuscunque bonis mobilibus per ecclesiam vel ecclesias licite acquisitis pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneracione illorum, qui tibi viventi serviverunt, sive sint consanguinei vel alii, iuxta servicii meritum, moderate tamen, disponere et erogare, prius de ipsis earundem ecclesiarum ere alieno deducto, ut ecclesie ipse non remaneant debitis obligate, in pios usus convertere possis, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presencium facultatem. Volumus autem, quod in earundem ecclesiarum dispositione bonorum iuxta qualitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et saluti anime tue videris expedire. Datum Avinione III. Idus Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 36. fol. 88.

CCXXXVII.

Decano et scholastico ecclesiae Gnesnensis, ut licentiam episcopo Vladislaviensi recipiendi decimam de novalibus concedant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis... Decano et... Scolastico ecclesie Gneznensis, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quam Venerabilis frater noster Gewardus Episcopus Wladislaviensis ad nos et ad apostolicam sedem habere dinoscitur, benivolencia paterna pensantes, et diligentius attendentes, quod propter adventum suum ad eandem sedem ipse et ecclesia sua Wladislaviensis non modica subierunt onera expensarum, ea sibi libenter concedimus, que ad suum et eiusdem ecclesie honorem et commodum cedere dinoscuntur. Ipsius itaque episcopi precibus inclinati, discretioni vestre, ut eidem Episcopo, quod ipse et successores sui episcopi Wladislavienses, qui pro tempore fuerint, de novalibus, si qua in possessionibus, quas memoria hominum cultas non recolit, in territorio de Cethecin Plocensis diocesis, ad mensam suam episcopalem Wladislaviensem in temporalibus pleno iure spectante, consistentibus in futurum fieri contigerit, decimam absque contradictione cuiusquam libere recipere valeant, quodque cultores huiusmodi novalium Episcopo et successoribus ipsis, et non alii de novalibus ipsis exibere decimam integre teneantur, Non obstante, quod territorium ipsum de predicta

Ploccnsi diocesi fore dinoscitur, scu quacunque constitucione in contrarium edita, si absque gravi lesione seu prciudicio ecclesiarum, in quarum diocesi possessiones ipse consistunt, fieri valeat, auctoritate nostra concedatis, plenam et liberam concedimus tenore prescncium facultatem. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 37. fol. 88.

CCXXXVIII.

Episcopo Wladislaviensi, ut parochialem ecclesiam B. Mariae Cracoviensem viro idoneo conferat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Gerwardo episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Habet in nobis tue fraternitatis sincera devocio, ut illa tibi favore benivolo concedamus, per que te reddere valeas aliis gratiosum. Cum itaque nuper, volentes personam dilecti filii Naucheri Iumiranni Rectoris parochialis ecclesie S. Marie Cracoviensis prerogativa prosequi gracie specialis, ei de decanatu ecclesie Cracoviensis tunc apud sedem apostolicam vacante auctoritate litterarum nostrarum per te mandaverimus provideri, sicque predicta ecclesia S. Marie per acceptacionem ab eodem Naucherio de decanatu prefato post tuam provisionem huiusmodi faciendam in brevi vacare credatur: Nos cupientes, ut eadem ecclesia S. Marie, cum ipsam predicto modo vacare contigerit, per providenciam dicte sedis persone ydonee conferatur, cum nullus preter nos hac vice de ipsa disponere valeat, pro eo, quod nos olim omnes ecclesiasticas dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica per acceptacionem a quibuscumque illa obtinentibus de aliis ecclesiasticis dignitatibus, personatibus vel officiis aut beneficiis ecclesiasticis auctoritate apostolica collatis seu conferendis eisdem, ac pacificam executionem illorum tunc vacantia, et imposterum vacatura, nostre et dicte sedis dispositioni reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac volentes in hac parte tuam honorare personam et per honorem exhibitum alii gratiam impertiri, tuis supplicationibus inclinati, conferendi ea vice auctoritate nostra persone idonee predictam ecclesiam S. Marie cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, cum illam, ut prefertur, predicto modo vacare contigerit, ac per te vel per alium seu alios personam eandem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie ac iurium et pertinentiarum predictorum inducendi, et inductam etiam defendendi, amoto exinde quolibet detentore etc. non obstantibus etc. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 573. fol. 283.

CCXXXIX.

Litterae salvi conductus pro Gerwardo episcopo Vladislaviensi redeunte in patriam.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Universis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus etc. ac aliis universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Gerwardus episcopus Wladislaviensis exibitor presentium, qui pro certis negociis ad apostolicam sedem accesserat, ad ecclesiam suam Wladislaviensem cum gratia nostre benedictionis revertatur ad presens: Universitatem vestram rogamus et hortamur attentius, quatenus eundem Episcopum, cum per partes et loca vestra transitum fecerit, nullam ei in sua vel familiarium suorum personis aut rebus molestiam inferatis, quinimmo sibi ob reverentiam dicte sedis et nostram de securo conductu in eundo et morando, si illum a vobis postulandum duxerit, liberaliter providere curetis; ita quod idem episcopus iter suum libere prosequi valeat, nosque devotionis vestre sinceritatem proinde commendare merito valeamus. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 21. fol. 34.

CCXL.

Duci Poloniae indulgetur, ut orantibus deum pro ipso et consorte sua venia XX. dierum concedatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Wladislao Duci Polonie, salutem etc. Consuevit interdum apostolica sedes personis generositate sublimibus, virtute ac fama pollentibus gratiam facere specialem, ut ex hoc deo et eidem sedi se reddere studeant plus devotas. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui pro tua et

dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Hedwigis Consortis tue salute, ac pace regni Polonie, et quod de paganis et scismaticis et aliis infidelibus inimicis catholice fidei tibi deus victoriam largiatur, ad ipsum devotas preces effuderint, xx. dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 29. fol. 88.

CCXLI.

Eidem indulgetur, ut cum inter missarum solemnia coram ipso praedicetur, praesentibus venia concedatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Wladislao Duci Polonie, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et apostolicam sedem habere te novimus, promeretur, ut petitionibus tuis, quantum cum domino possumus, favorabiliter annuamus. Tuis igitur supplicationibus inclinati, omnibus vere penitentibus et confessis, qui missarum solempnia, que coram te solempniter facies celebrari, cum ibi proponi contigerit verbum dei, intererunt, XL. dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione III. Idus Septembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 30. fol. 88.

CCXLII.

Eidem et omnibus fidelibus secum pugnantibus contra schismaticos et infideles indulgentia conceditur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Wladislao Duci Polonie, salutem etc. Devotionis tue merita benignius attendentes, libenter ea tibi benigno favore concedimus, per que tue ac fidelium aliorum salutis comoda procurentur. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi, quociensumque ad paganorum aut scismaticorum vel aliorum infidelium, aut hostium Catholice fidei expugnacionem progredi te continget, necnon et omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ad expugnacionem huiusmodi tecum accesserint, ut tu et ipsi eo libentius eoque ferventius ad expugnationem procedatis eandem, quo maiora temporalis dona gracie vos noveritis percepturos, unum annum de iniunctis tibi et eisdem fidelibus penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 33. fol. 88.

CCXLIII.

Ducissae et duci Poloniae, ut confessor eis in articulo mortis plenam peccatorum remissionem largiatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Hedvigi Ducisse Polonie, salutem etc. Pie devotionis affectus, quo deum et apostolicam sedem revereris, digne nos excitat et inducit, ut illa tibi favore benivolo concedamus, per que, sicut pie desideras, salutem anime deo propicio consequaris. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut aliquem sacerdotem in confessorem tuum eligere valeas, qui audita confessione tua, quociens oportunum extiterit, pro commissis tibi auctoritate apostolica penitentiam salutarem iniungens, te a peccatis tuis absolvat, nisi tales casus extiterint, pro quibus foret sedes apostolica merito consulenda, et semel in mortis articulo de omnibus peccatis, de quibus corde contrita fueris et ore confessa, ac penarum etiam, quibus tunc temporis extiteris pro peccatis ipsis obnoxia, illam plenam remissionem, quam Romani Pontifices per speciale privilegium consueverunt interdum aliquibus fidelibus impertiri, quatinus claves ecclesie se extendunt, et gratum in oculis divine magestatis extiterit, concedere valeat, auctoritate tibi presencium indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor de hiis, pro quibus alteri fuerit satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel heredes tuos, si tunc forte de presenti vita transieris, faciendam iniungat, quam tu vel ipsi teneamini facere, ut prefertur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Avinione III. Id. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Wladislao Duci Polonie.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 38. fol. 88.

CCXLIV.

Andreae de Verulis de canonicatu in ecclesia Vratislaviensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Ad provisionem illorum consuevit apostolica sedes sue munificencie dexteram liberaliter aperire, pro

quibus propria virtutum merita et precamina personarum sublimium intercedunt. Hec igitur in te, cui morum honestas et conversatio vite laudabilis, aliaque dona virtutum, prout testimonio fidedignorum accepimus, suffragantur, benignius attendentes, ac volentes personam tuam propter hoc et consideratione dilecti filii nobilis viri Wladislai ducis Polonie, pro te super hoc nobis cum instancia supplicantis, favore prosequi gratie specialis, Canonicatum ecclesie Wratislaviensis cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus. Prebendam vero, si in eadem ecclesia vacat ad presens, vel quamprimum illam vacare contigerit, quam per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacacione constiterit, volueris acceptare, conferendam tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, inhibentes districtius venerabili fratri nostro ... Episcopo et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus, ac illi vel illis, ad quem vel quos in dicta ecclesia prebendarum collatio, provisio seu presentatio, vel quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de huiusmodi prebenda interim, etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus de certo Canonicorum numero et quibuslibet aliis eiusdem ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alias roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in eadem ecclesia speciales, aut in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis et prebendas expectantibus in eadem in huiusmodi [in] assecucione prebende te volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad aliorum prebendarum et beneficiorum assecucionem preiudicium generari; seu si predictis Episcopo et Capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis eiusdem ecclesie, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem seu presentacionem, vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes; seu quod Tranensis canonicus et sancti Petri de Monteflorum Firmane diocesis ecclesiarum rector existis, et in eadem ecclesia Tranensi quoddam simplex beneficium nosceris obtinere, quodque dudum tibi de rurali ecclesia sancte Marie de Finano prope Verulas, cuius possessionem pacificam nedum obtinuisti, fuit apostolica auctoritate provisum. Nulli etc. nostre collationis, provisionis, reservationis, inhibicionis et constitucionis etc. Datum Avinione III. Idus Septembris. Anno Quarto.

In e. m.... Episcopo Wladislaviensi et Leonardo de Guarcino thesaurario Lingonensis, notario, ac Gabrieli de Fabriano archipresbitero de S. Archangelo Ariminensis dioc. ecclesiarum, ut exequantur etc.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 39. fol. 92.

CCXLV.

Nicolao episcopo Culmensi conceditur, ut mille florenorum mutuum contrahere possit.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Culmensi Episcopo, salutem etc. Cum, sicut pro parte tua fuit propositum coram nobis, tam pro tuis necessariis quam pro ecclesie tue negociis apud sedem apostolicam utiliter promovendis te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam mille florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, quibus creditores te putas invenire posse, tibi largiri licenciam dignaremur. Nos igitur de tua etc. Dat. Avinione III. Idus Octob. Anno IV. Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 99. fol. 110.

CCXLVI.

Nicolaus ord. Praedicatorum ecclesiae Culmensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Culmensi, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes pulsamur cura solicita, ut circa statum ecclesiarem omnium, et illarum presertim, que vacationis incomodis subiacere noscuntur, attente consideratio-nis dirigentes intuitum, operose sollicitudinis studium impendamus, ut ecclesie ipse, vitatis dispendiis, que solent illis ex vacatione diuturna provenire, prosperis divina favente clementia proficiant incrementis. Dudum siquidem ecclesia Culmensi per obitum bo. me. Hermanni Episcopi Culmensis pastoris solatio destituta, Dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode intetesse, die ad eligendum, ut moris est, prefixa convenientes in unum, quondam Eberardum fratrem domus sancte Marie Theotonicorum, eiusdem ecclesie Canonicum, per viam compromissi elegerunt concoriter in eorum et ipsius ecclesie Episcopum et pastorem, qui demum huiusmodi electioni de se facte infra tempus a iure statutum consentiens, et ad Venerabilem fratrem nostrum.... Archiepiscopum Rigensem loci Metropolitanum personaliter accedens, tam idem Eberardus per se ipsum, quam dicti Capitulum per eorum ydoneos procuratores et nuncios ad eundem Archiepiscopum specialiter destinatos, presentato sibi eiusdem electionis decreto, ut electionem confirmaret huiusmodi, cum instantia petierunt: et quia dictus Archiepiscopus electionem ipsam absque causa rationabili renuit contra iusticiam confirmare, prefatus Eberardus ad sedem apostolicam vocem appellationis emisit, et demum pro huiusmodi electionis sue negocio prosequendo, dum adhuc fe. re. Clemens pp. V. predecessor noster viveret, personaliter ad sedem ipsam iuxta tenorem constitutionis fe. re. Nicolay pp. III. predecessoris nostri super hoc edite accessit: ac huius electionis negocio proposito in consistorio publico coram dicto predecessore nostro Clemente, idem Clemens negocium ipsum bo. me. Iacobo de Columpna sancte Romane ecclesie Diacono Cardinali audiendum commisit et sibi postmodum referendum. Et deinde cum idem Cardinalis ad actus aliquos in eodem negocio processisset, dictus predecessor Clemens interim fuit ad celestem patriam, sicut domino placuit, evocatus: Nosque postmodum ad apicem summi apostolatus assumpti, negocium ipsum eidem Cardinali iuxta premissam formam duximus committendum, et huiusmodi negocio coram eodem Cardinale sic pendente, prefatus Eberardus apud dictam sedem diem clausit extremum. Nos vero de provisione ipsius ecclesie sic vacantis, ne prolixioris vacationis subiaceret incomodis, solicite cogitantes, quod nullus preter nos de ipsius ecclesie provisione ea vice se intromittere poterat, pro eo quod dudum circa nostre promotionis auspicia ad apicem apostolice dignitatis provisiones omnium cathedralium ecclesiarum tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantium, et quas vacare contingeret, dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, consideratis meritis gratiarum, quibus personam tuam illarum dominus insignivit, ad te ordinem fratrum predicatorum expresse professum, in sacerdocio constitutum, tunc penitenciarium nostrum, virum utique litterarum scientia preditum, morum honestate decorum, aliisque virtutum donis multipliciter insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem ecclesie Culmensi duximus auctoritate apostolica providendum, teque illi prefecimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tibique subsequenter fecimus per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Tusculanensem munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta, quod dirigente domino actus tuos, prefata Culmensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et prudentiam circumspectam non solum preservabitur ab adversis, verum eciam prosperitatis et felicitatis augmenta in eisdem spiritualibus et temporalibus consequetur. Iugum itaque domini prompta devotione supportans, eiusdem Culmensis ecclesie sponse tue solicitam curam geras, gregem dominicum in ea tibi commissum doctrina verbi et operis iuxta datam tibi a domino prudenciam informando, ita quod eadem ecclesia gubernatori provido et fructuoso pastori gaudeat se commissam, tuque laudabili de grege predicto reddita in die stricti iudicii ratione, regnum patris eterni cum electis eius introeas, et gregem ipsum ad uberioris meriti fructum ac maioris retributionis cumulum introducas. Datum Avinione xv. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Culmensis, Clero et Populo civitatis et diocesis Culmensis, Universis Vassallis eiusdem ecclesie, Archiepiscopo Rigensi, ac Magistro domus sancte Marie Theutonicorum Culmensis, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 74. fol. 100.

CCXLVII.

Iudicibus, ut de causa inter episcopos Metheliensem et Caminensem super quadam iurisdictione inquirant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Wladislaviensi et . . . Culmensi Episcopis, ac dilecto filio . . . decano ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Querelam gravem Venerabilis fratris nostri Dominici Episcopi Metheliensis recepimus continentem, quod licet bone memorie Iacobus Gneznensis Archiepiscopus olim diligenter attendens suarum diocesis et provintie diffusionem non modicam, ad quas visitandas, et alia, que ad suum spectabant officium, exercenda in ipsis diocesi et provincia per se sufficere comode non valebat, et propterea prefatum episcopum, qui ab ecclesia sua tunc temporis exulabat, sicut adhuc exulare dinoscitur, sibi reputans plurimum oportunum ad incumbentia sibi onera partienda cum eo, eidem episcopo, quem ad premissa sibi coadiutorem elegerat, affectu compaciendo benigno, ne temporalium indigentiam sustineret, sed pro sua sustentatione iuxta sui status exigentiam habundaret, de consensu dilectorum filiorum ecclesie Gneznensis Capituli, inter nonnulla bona eidem episcopo per Archiepiscopum predictum generose concessa omnimodam iurisdictionem Archidiaconatus Pomaranie et Castellaniam Slupensem Gneznensis diocesis, ad ecclesiam Gneznensem spectantes, cum omnibus censibus, redditibus et aliis omnibus, que in Archidiaconatu et Castellania predictis spectare et pertinere poterant ad Archiepiscopum supradictum, tenendas per eundem episcopum, quoad viveret, prout eas ante tenuerat bone memorie Paulus Scopoliensis episcopus, similis ipsius Archiepiscopi coadiutor, pia et provida liberalitate duxerit concedendum, et in illarum corporalem possessionem idem Dominicus Episcopus fuerit introductus, easque aliquandiu possederit pacifice et quiete: nichilominus tamen bone memorie Henricus episcopus Caminensis ad gravamen aspirans indebite Dominici episcopi memorati, immo et Gneznensis ecclesie, ad quam iurisdictio et Castellania predicte spectare noscuntur, cuius iura, cum esset ipsius suffraganeus, prout etiam ex iuramento tenebatur, debebat ab aliis pro viribus defensare, non solum Dominicum episcopum memoratum spoliari mandavit et fecit iurisdictione et Castellania supradictis, verum eciam prefatum Dominicum episcopum, et quondam fratrem Petrum dictum Prutenum ordinis predicatorum, ipsius Dominici Ep̄i socium, ac Iohannem Archidiaconum ipsius loci de Pomorania capi et carcerali custodie mancipari, ac bonis suis omnibus, et eciam vestibus propriis spoliari, atque quod nephandius est, prefatum fratrem Petrum in eisdem carceribus sic diris fecit verberibus affici, quod post dies aliquot ex dictis verberibus debitum nature persolvit, et nichilominus premissis non contentus Henricus Episcopus memoratus iurisdictionem et Castellaniam easdem, quamdiu vixit, detinuit occupatas, ex quibus tam ipse, quam eciam Venerabilis frater noster Conradus episcopus ipsius Henrici successor, tunc ecclesie Caminensis Decanus, premissorum omnium non ignarus, sibique succedens in spoliacione predicta, ultra mille ducentas marchas argenti percepisse noscuntur. Quare prefatus Dominicus Episcopus humiliter postulavit a nobis, ut super tantis iniuriis pio compacientes affectu providere sibi super hoc de celeris provisionis remedio dignaremur. Nos itaque volentes, sicut etiam nec debemus, premissa, si veritate nitantur, sub dissimulatione transire, quin Dominico Ep̄o memorato, cui super premissis paterne compatimur, per nostrum auxilium de celeri iustitia succurratur, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios simpliciter, de plano, sine strepitu et figura iudicii inquirentes super premissis omnibus et singulis diligentius veritatem, si vobis constiterit ita esse, memoratum Dominicum episcopum in corporalem possessionem iurisdictionis et Castellanie predictarum, ac iurium et pertinentiarum ipsarum reducatis auctoritate nostra, et inductum etiam defendatis, prefatum Caminensem episcopum ad dimittendum sibi pacificam possessionem ipsarum, et ad satisfaciendum sibi plenarie de marchis predictis auctoritate nostra, appellatione postposita, compellentes, ac super aliis facientes eidem, quod canonicum fuerit et iustitia suadebit, Non obstantibus constitutionibus tam de duabus dietis edita in concilio generali, quam felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem et diocesim, nisi in certis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, dummodo ultra tertiam vel quar-

tam dietam aliquis auctoritate presencium ad iudicium non trahatur, seu si eidem Episcopo Caminensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione Kal. Novembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 108. fol. 114.

CCXLVIII.

Ludicho ecclesiae Pomesaniensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Ludiconi Episcopo Pomesaniensi, salutem etc. Dum attente considerationis indagine perscrutamur, quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque pericula secum portet ecclesiarum vacacio diuturna, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impartimur, ut viduatis ecclesiis, illis presertim, que longe vacacionis noscuntur incomoda deplorare, pastores preficiantur ydonei et ministri providi deputentur, quorum fulte presidiis et favoribus communite malignorum insultus non metuant, pravorum non vereantur incursus, sed quasi forti armati brachio custodite, frenatis insolentium ausibus, qui semper circuunt, ut offendant, felicibus divina favente clementia successibus gratulentur. Dudum siquidem Pomesaniensi ecclesia ordinis hospitalis S. Marie Theotonicorum Ierosolimitani per obitum bon. mem. Christiani Episcopi Pomesanensis pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt et debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum te dicte ecclesie Canonicum, in sacerdotio constitutum, per viam compromissi in Pomesaniensem Episcopum concorditer elegerunt, ac tu electioni huiusmodi, tibi presentato decreto, infra tempus a iure statutum ad instanciam dictorum Capituli consensisti, et a Venerabili fratre nostro Frederico Archiepiscopo Rigensi Metropolitano tuo petiisti infra tempus debitum electionem ipsam auctoritate Metropolitica confirmari. Idem namque Archiepiscopus non vicio persone tue, sed certis aliis de causis electionem eandem confirmare recusans, huiusmodi electionis negocium ad apostolice sedis remisit examen, tuque pro huiusmodi tue electionis negocio ad sedem ipsam personaliter accessisti. Et exposito eodem negocio fe. re. Clementi pp. V. predecessori nostro, idem predecessor negocium ipsum primo dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Eusebii presbitero Cardinali examinandum commisit, sibique postmodum referendum, et deinde eodem negocio coram eodem Cardinali sic pendente, idem predecessor Venerabili fratri nostro Iohanni Archiepiscopo Bremensi, quem ad partes illas pro quibusdam ecclesie Romane negociis destinabat, dedit per suas inter alia litteras in mandatis, ut inquisita de modo electionis predicte, studiis eligentium tuisque meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveniret de te persona ydonea canonice celebratam, eam auctoritate apostolica confirmaret. Cumque prefatus Archiepiscopus Bremensis ad executionem huiusmodi mandati minime processisset, tu propter hoc ad sedem ipsam denuo rediisti, dictusque predecessor bo. me. Iacobo de Columpna sancte Romane ecclesie diacono Cardinali dicte electionis negocium audiendum in eo statu, in quo remanserat coram predicto Nicolao, commisit et sibi postmodum referendum, et cum idem Iacobus ad actus aliquos in negocio huiusmodi processisset, dictus predecessor rebus extitit humanis exemptus: Nosque postmodum ad apicem summi apostolatus assumpti eidem Iacobo sepefatum negocium in eodem statu, quo pendebat coram eo tempore obitus predecessoris eiusdem, commisimus resumendum et eciam audiendum, tandem idem Iacobus debitum nature persolvit; deinde vero tu cupiens ecclesiam ipsam a dispendiis, que per eius ulteriorem vacacionem posset incurrere, preservari, omne ius, si quod tibi fuerat ex huiusmodi electione quesitum, in manibus dilecti filii nostri Bertrandi sancte Marie in Aquiro diaconi Cardinalis, de speciali mandato nostro sibi facto oraculo vive vocis resignationem huiusmodi recipientis, libere resignasti. Nos igitur de preficiendo eidem ecclesie personam utilem atque fructuosam, ne prolixioris vacationis exposita remaneret incomodis, solicite cogitantes, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris attentam habuimus, demum consideratis grandium virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor altissimus insignivit, ad te, qui honestate morum, litterarum scientia, prudencia spiritualium et temporalium providencia apud nos fidedignorum testimoniis commendaris, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigenciam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio, et apostolice plenitudine potestatis prefate Pomesaniensi ecclesie auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem

ipsius ecclesie tibi in spiritualibes et temporalibus plenarie committendo, tibique subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum episcopum Ostiensem munus fecimus consecracionis impendi, firma spe fiduciaque tenentes, quod dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia Pomesaniensis per tue circumspectionis industriam et prudenciam circumspectam salubriter et prospere dirigetur, et votiva prosperitatis ac gaudii suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione supportans, tuum eius oneri humiliter collum flectens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter retributionis eterne premium benivolencie nostre graciam proinde consequi uberius merearis. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Anno Quarto.

In e. m. Capitulo, clero et populo civitatis et diocesis Pomesaniensis, et universis vasallis eiusdem ecclesie ac Archiepiscopo Rigensi, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Ex reg. orig. An. IV. ep. 202. fol. 154.

CCXLIX.

Ioannes ecclesiae Sambiensi in episcopum praeficitur, et ut moris est, commendatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Sambiensi, salutem etc. Pastoralis officii summi dispositione pastoris, qui pro suis ovibus animam posuit, nobis licet immeritis cura commissa solicita nos pulsat instantia, ut circa curam ecclesiarum vacantium solercia reddamur indefessa soliciti, ita quod eedem ecclesie pastoribus committantur ydoneis, et Rectoribus providis gubernentur: tunc enim populus salubri processu dirigitur, cum provido et industrioso gubernatore non caret, tunc eciam fructibus ager exuberat, cum sibi cultoris non deest presentia diligentis. Dudum siquidem ecclesia Sambiensi ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani per obitum bone memorie Siffridi Episcopi Sambiensis solacio destituta pastoris, Dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt et debuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te tunc Prepositum eiusdem ecclesie per viam scrutinii concorditer in suum Episcopum elegerunt, tuque huiusmodi electioni de te, ut predicitur, facte, illius tibi presentato decreto, ad ipsorum Capituli instantiam infra tempus debitum consensisti, et electionem ipsam a Venerabili fratre nostro Frederico Archiepiscopo Rigensi Metropolitano tuo petiisti auctoritate Metropolitica confirmari. Et quia idem Archiepiscopus electionem ipsam confirmare sine aliqua causa rationabili, ut dicitur, denegavit, tu propter hoc ad sedem apostolicam appellasti, et infra tempus a iure statutum pro prosecutione huiusmodi appellationis ad eandem sedem personaliter accessisti: et cum huiusmodi tue electionis negocium in consistorio coram fe. rec. Clemente pp. V. predecessore nostro pro parte tua fuisset expositum diligenter, idem predecessor huiusmodi negocium bo. me. Iacobo de Columpna sancte Romane ecclesie diacono Cardinali audiendum commisit et sibi postmodum referendum. Et demum dicto predecessore rebus humanis exempto, Nos ad apicem summi apostolatus gratia divina vocati, dicto Cardinali commisimus, ut huiusmodi electionis negocium in eo statu, in quo remanserat tempore obitus predecessoris eiusdem, resumeret audiendum, et nobis postmodum referendum: coram quo, cum inter te et Archiepiscopum supradictum ad actus aliquos processum in causa huiusmodi extitisset, isdem Cardinalis debitum naturc persolvit, tuque considerans, quod eadem ecclesia occasione protractionis cause huiusmodi diu passa fuerat incomoda et iacturas, et volens eam ab ulterioris vacationis dispendiis et aliis incomodis, que propterea posset incurrere, preservari, omni iuri, quod tibi ex electione tua predicta quomodolibet competebat, in manibus dilecti filii nostri Bertrandi sancte Marie in Aquiro Diaconi Cardinalis, de mandato nostro facto sibi oraculo vive vocis resignationem huiusmodi recipientis, pure et libere resignasti. Nos itaque de ipsius ecclesie provisione celeri, ne ulterioris vacacionis remaneret exposita detrimentis, solicite cogitantes, et considerantes, quod eadem ecclesia per te virum utique, prout fidedignorum habet assertio, vite laudabilis ac morum honestate decorum, litterarum scientia insignitum, in spiritualibus providum, in temporalibus circumspectum, poterit divina favente gratia salubriter gubernari, ad personam tuam, in quam dictorum Capituli vota tam concorditer, ut premittitur, concurrerunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de te ipsi Sambiensi ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis providimus, teque eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorum, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus commictentes, et subsequenter per Venerabilem fra-

trem nostrum Nicolaum Episcopum Ostiensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma ducti fiducia, quod in utrisque tua circumspectione laudabili et providencia circumspecta ecclesia ipsa gratis, tribuente domino, proficiet incrementis. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione supportans, super credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vicia et plantando virtutes, quod in extremo districti examinis die coram tremendo iudice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Aviniono III. Nonas Decembris. Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Sambiensis ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani, Clero et Populo Civitatis et diocesis Sambiensis, Universis eiusdem ecclesie Vassallis et Archiepiscopo Rigensi, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 211. fol. 154.

CCL.

Hedvigi ducissae Poloniae indulgetur, ut monasterium monialium S. Clarae Cracoviense ingredi libere possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Hedwigi Ducisse Polonie, salutem etc. Devocionis tue sinceritas promeretur, ut personam tuam paterna benivolentia prosequentes votis tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut monasterium monialium Cracoviense ordinis sancte Clare cum honesta et decenti comitiva matronarum causa devocionis, quociens volueris, ingredi libere valeas, quibuscumque statutis et consuetudinibus ordinis et monasterii predictorum contrariis, iuramento, confirmatione sedis apostolice vel alia quacunque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, dummodo tu et matrone predicte in monasterio ipso non edatis, nec etiam pernoctetis, tibi auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis. Datum Avinione Nonis Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 574. fol. 283.

CCLI.

Executoribus, ut Stephanum electum Lubucensem et illos, qui eum confirmaverunt, coram pontifice comparendos citent.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... sancte Marie extra muros Wratislaviensis et ... in Camentz Wratislaviensis diocesis Monasteriorum Abbatibus, ac ... Cantori ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis, salutem etc. Dudum in ipsius promocionis nostre primordiis ad summi apostolatus apicem, dum adhuc Lugduni cum Romana Curia moraremur, fuit pro parte quondam Nicolay Electi Lubucensis in consistorio publice propositum coram nobis, quod olim ecclesia Lubucensi per obitum bone memorie Frederici Episcopi Lubucensis pastoris solacio destituta, Dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie pro futuri substitucione pastoris convenientes in unum, post diversos tractatus per eos super hoc habitos, qui non habuerunt effectum, tandem ad eleccionem huiusmodi deliberantes per viam procedere compromissi, quinque ex dicto Capitulo eligendi unum concorditer ex seipsis, aut quod omnes quinque unum de presentibus Canonicis in suum et eiusdem ecclesie pastorem eligerent, potestatem usque ad consumpcionem unius candele ibi accense duraturam unanimiter contulerunt; ita tamen, ut si dicti quinque prefata durante candela concordare non possent, duo alii ex dicto Capitulo adiungerentur eisdem, qui una cum eis ad eleccionem huiusmodi procederent faciendam, et ille pro Lubucensi Episcopo haberetur, in quem maior pars ipsorum septem et sanior conveniret: dictisque quinque compromissariis huiusmodi potestate recepta, predicta durante candela de eligenda persona non valentibus concordare, duo alii de dicto Capitulo adiuncti eis iuxta ordinacionem huiusmodi extiterunt, quibus septem in unum convenientibus ad eleccionem huiusmodi celebrandam. Cumque ex ipsis eundem Nicolaum in Lubucensem Episcopum elegerunt, et eleccionem huiusmodi Clero et populo solenniter publicarunt, et subsequenter dictus Nicolaus eleccioni huiusmodi de se celebrate infra tempus a iure statutum consentiens, illam coram ... Vicario ... Electi Gneznensis Metropolitani sui tunc absentis peciit auctoritate metropolitica confirmari. Verum Stephano, qui pro Episcopo Lubucensi se gerit, minus veraciter asserente, eleccionem de se fuisse ad predictam ecclesiam canonice celebratam, licet a minori parte dictorum septem Canonicorum post dictam eleccionem eiusdem Nicolay intervallo aliquo celebrata fuisset, ipsamque per dictum Vicarium petente similiter confirmari, ortaque propter hoc inter eosdem Nicolaum et Stephanum super huiusmodi eleccionibus materia questionis, tandem dictus Vicarius, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, eleccionem factam de dicto Stephano minus canonicam, eleccionem vero prefati Nicolai pro-

nunciavit sentencialiter canouicam extitisse, illamque confirmavit, iusticia exigente. Postmodum vero prefatus Stephanus coram Andrea Preposito tunc Decano Gneznensis, et Petro Decano Postuaniensis (Poznaniensis) ecclesiarum, ac Philippo Archidiacono Postuaniensi, qui se Capituli Gneznensis Vicarios asserebant, dictum Nicolaum citare fecit, et licet idem Nicolaus ex certis racionabilibus causis ab eisdem Vicariis, Stephano ipso presente, ad sedem apostolicam appellasset, dicti tamen Vicarii, huiusmodi appellatione contempta, eleccionem memorati Stephani confirmarunt, sibique fecerunt munus consecracionis impendi, cuius confirmacionis et consecracionis pretextu idem Stephanus administracioni eiusdem ecclesie se ingessit, et adhuc ingerere se presumit, dictusque Nicolaus cum infirmitate gravatus ad sedem ipsam personaliter venire non posset, prosecuturus appellacionem huiusmodi personaliter per se ipsum, procuratorem suum cum omnibus actis et munimentis et iuribus suis huiusmodi negocium contingentibus ad allegandum causam infirmitatis sue, propter quam ad sedem ipsam non potuerat accessisse, et prosequendum causam eleccionis huiusmodi, tunc dicta sede vacante, specialiter destinavit, dictusque procurator ad dictam sedem se conferens, iuxta morem extitit protestatus, quod impedimentum infirmitatis huiusmodi erat probare paratus. Deinde dictus Nicolaus convalescencie restitutus viribusque resumptis, ad dictam sedem, adhuc illa vacante, se personaliter transferens, post assumptionem nostram ad statum apostolice dignitatis, eodem negocio, ut premittitur, pro parte ipsius in pleno consistorio coram nobis et fratribus nostris proposito, pleuam peciit sibi iusticiam exhiberi. Nosque causam huiusmodi bone memorie Arnaldo tituli sancte Prisce presbitero Cardinali tunc viventi commisimus oraculo vive vocis, per eum nobis postmodum referendam, ac subsequenter cum ab audiencia Cardinalis eiusdem pro parte dicti Stephani ad nostram audienciam appellatum (esset), nos in ipsius appellacionis causa bone me. Arnaldum Episcopum Sabinensem eidem Arnaldo Cardinali duximus adiungendum: ac demum eodem presbitero Cardinali primo et subsequenter Episcopo supradicto, sicut domino placuit, rebus humanis exemptis, ac pro parte dicti Nicolay iterato dicto negocio proposito coram nobis, nos Venerabili fratri nostro Guillermo Episcopo Sabinensi commisimus oraculo vive vocis, ut iuribus utriusque partis diligenter inpectis et auditis, que partes ipse in eadem causa proponere vellent, et super eis plene informacione receptа nobis referre curaret: coram quo comparentibus antedictis, necnon Zacharia et Georgio Canonicis eiusdem ecclesie Lubucensis, et pro parte dicti Nicolay quadam peticione exhibita et productis quibusdam publicis instrumentis pro parte ipsius Stephani, fuit propositum coram eo, quod huiusmodi causam audire non poterat, cum illa non esset de sui natura tractanda apud sedem predictam, altera parte instante, quod super hoc nos consulere procuraret. Cumque super hoc idem Guillermus Episcopus nos consuleret et nostram in hac parte declarari peteret voluntatem, nos sibi duximus respondendum, quod nostre intencionis erat, quod causam ipsam audiret, eciam si apud dictam sedem non esset tractanda de iure, et demum cum Zacharias et Georgius Canonici supradicti in ipsius Guillermi Episcopi presencia constituti assererent, se velle eidem Nicolao Electo pro suo interesse in causa opponere supradicta, eisdem Nicolaus ex adverso respondit, quod non intererat eorundem, et si forsau aliquis interfuisset ipsorum, erant ab opposicione ipsa exclusi de iure, et idcirco non erant ad opposicionem huiusmodi admittendi: quibus per dictum Guillermum Episcopum ad exhibendum et proponendum, quicquid super hiis in causa ipsa exhibere et proponere vellent, certo termino assignato, dictus Stephanus in predicto termino nonnulla acta coram dictis Cardinalibus habita produxit, dicto Nicolao decretum eleccionis sue et alia diversa iura et munimenta huiusmodi eleccionis sue negocium contingencia producente, dictusque Guillermus Episcopus, eisdem productis pleue discussis, pronunciavit dictos Canonicos non fore ad opponendum contra prefatum Nicolaum Electum aliquatenus admittendos, a qua pronunciacione pro parte dictorum Canonicorum fuit ad uostram audienciam appellatum. Nosque causam appellacionis huiusmodi Dilecto filio nostro Vitali tituli sancti Martini in montibus presbitero Cardinali audiendam commisimus et fine debito terminandam: qui cognitis ipsius appellacionis a dicto Guillermo Episcopo emisse cause meritis, et iuris ordine observato, pronunciavit bene per eundem Guillermum Episcopum fuisse processum, et male pro parte ipsorum opponencium appellatum, predictas partes ad examen dicti Guillermi Episcopi exigente iusticia remittendo. Interim vero, sicut domino placuit, dictus Nicolaus viam extitit universe carnis ingressus, post cuius decessum dilectis filiis Conrado Scolastico et Taurinone de Waczinrodde Canonico eiusdem ecclesie, qui eidem Nicolao eleccionis sue negocium prosequenti, dum viveret, assistebant, huiusmodi negocium contra dictum Stephanum prosequentibus, dictus Guillermus Episcopus ad eorundem Scolastici et Taurinonis instanciam predictis omnibus

actis et processibus tam coram eo, quam prenominatis aliis auditoribus super premissis habitis, iuribus et munimentis predictis cum diligencia recensitis, nobis de premissis omnibus et singulis relacionem fecit plenariam et fidelem. Attendentes igitur, quod res perniciosa esset exemplo, et eidem Lubucensi ecclesie magnum dispendium allatura, si propter eiusdem Nicolay decessum negocium eleccionis huiusmodi dicti Stephani, que dicitur esse minus canonica, finem legitimum non haberet, idemque Stephanus per surrepcionis astuciam presideret regimini ecclesie memorate, ac propterea tam ad eiusdem Taurinonis instanciam, quam ex officio volentes super premisso negocio procedere, prout iusticia suadebit, discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obediencie ac sub excommunicacionis pena districte precipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios prefatum Stephanum, uecnon Prepositum, Decanum et Archidiaconum supradictos, qui post appellacionem dicti Nicolay ad eandem sedem emissam presumpserunt de facto eleccionem dicti Stephani confirmare, ex parte nostra perhemptorie citare curetis, eisdem nichilominus sub excommunicacionis et suspencionis penis ex parte nostra districtius iniungentes, ut infra trium mensium spacium post citacionem huiusmodi cum omnibus actis, iuribus et munimentis uegocium huiusmodi contingentibus apostolico se conspectui personaliter representent, facturi et recepturi super premissis, quod ordo dictaverit racionis, alioquin eosdem Stephanum et confirmatores predictos excommunicacionem et suspencionem predictas incurrere volumus ipso facto, contra eos alias prout iustum fuerit processuri, eorum absencia seu contumacia non obstante. Diem vero citacionis huiusmodi et formam, et quicquid inde duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Avinione II. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Com. ep. 991. fol. 424.

CCLII.

Henricus ord. Praedicatorum ecclesiae Kioviensi in confinibus Ruthenorum praeficitur in episcopum.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Henrico Electo Kiowiensi, salutem etc. Ad regimen uniuersalis ecclesie superna dispositione vocati, de universis orbis ecclesiis pro statu earum regendo salubriter et feliciter dirigendo, quantum nobis ex alto conceditur, solicite cogitamus attentius providendo, ut eis, cum vacant, per nostre diligentie studium pastores preficiantur ydonei, qui sciant et possint illis preesse utiliter et prodesse. Sane pro parte tua nostro fuit apostolatui reseratum, quod ecclesia Kyowiensis in confinibus Ruthenorum et Tartarorum, qui antiquitus Galathe vocabantur, elapsis centum annis et amplius propter scisma, quod, instigante maligno spiritu, in illis partibus inolevit, infeliciter caruit pastore proprio, clero et populo christianis. Cum autem Civitas et diocesis Kyowiensis novissimis temporibus, divina inspirante gratia, redire ceperint ad cultum fidei orthodoxe, venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Lubucensis asserens sibi fore per speciale privilegium apostolice sedis indultum, ut possit ecclesiis dictarum partium, que de scismate redeunt ad sancte matris ecclesie unitatem, de pontificibus providere, consideransque, quod tu tunc lector fratrum ordinis predicatorum in Porvalle Caminensis diocesis in dictis Civitate et diocesi, ubi et habitantibus in eis salubriter proficere poteras verbo pariter et exemplo, clero etiam et populo earundem Civitatis et diocesis sibi patrem et pastorem animarum suarum implorantibus ab Episcopo antedicto concedi, de te pretextu dicti privilegii eidem ecclesie Kyowiensi providit: Tu vero de privilegio ipso merito hesitans, cum fides tibi facta non fuerit de eodem, tueque saluti consulere cupiens, ad sedem predictam personaliter accessisti, et iuri, si quod tibi ex provisione huiusmodi competebat, cessisti libere in manibus dilecti filii nostri Iacobi sancti Georgii ad velum aureum diaconi Cardinalis, de mandato nostro vive vocis oraculo sibi facto cessionem huiusmodi admittentis. Nos igitur de preficiendo ipsi ecclesie personam ydoneam cogitare postmodum cepimus diligenter, et post deliberationem (quam) cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te, cui litterarum scientiam, vite mundiciam, morum honestatem aliaque virtutum merita per fidedigna testimonia suffragari percepimus, intuitum convertimus nostre mentis, ac de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris huiusmodi tuorum exigentia meritorum accepta, ecclesie prefate de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis illico duximus providendum, teque ipsi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in eo, qui retributor est bonorum omnium, confidentes, quod dicta ecclesia sub tui cura regiminis, deo propitio, sa-

lutis et prosperitatis votiva suscipiet incrementa. Iugum itaque domini humeris tuis impositum reverenter suscipiens et supportans humiliter, curam et administrationem huiusmodi gerere studeas fideliter et solerter, gregem dominicum inibi tue commissum fidei doctrina verbi et operis informando, ita quod preter divine retributionis premium nostram ac dicte sedis benedictionem uberem tibi vendices, et ampliorem gratiam merearis. Datum Avinione XVIII. Kalendas Ianuarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Part. I. ep. 405. fol. 196.

CCLIII.

Episcopo Vladislaviensi recuperatio et possessio quorumdam bonorum mensae suae episcopalis (vide supra Nro. CCXXX.), quae praedecessor suus nonnullis Begardis in dioecesi Culmensi sub conditione donaverat, confirmatur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Gerwardo Ep̄o Wladislaviensi, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et apostolicam sedem habere dinosceris, promeretur, ut peticionibus tuis favorabiliter annuamus. Dudum siquidem in nostra presencia constitutus, nobis exponere curavisti, quod olim bo. mc. Wislaus Episcopus Wladislaviensis predecessor tuus, dum adhuc viveret, nonnulla bona immobilia ad episcopalem mensam tuam Wladislaviensem spectantia, que in diocesi Culmensi consistere dinoscuntur, quibusdam Begardis illarum partium, qui tunc erant, et qui pro tempore forent, sub eadem videlicet conditione donavit, quod si ullo unquam tempore sectam Begardorum ipsorum cassari seu destitui fore contingeret, bona ipsa redirent ad eandem mensam integraliter, sicut prius. Cumque demum fe. re. Clemens pp. V. predecessor noster sectam huiusmodi cassandam duxerit ac eciam annullandam, ipsique Begardi, de quibus duo propter crimen heresis, quo erant respersi, iudicio ecclesie similiter condempnati ut heretici, et demum traditi curie seculari igne fuerunt per eandem curiam concremati, haberentur in partibus illis de huiusmodi heresi manifeste suspecti, nobis humiliter supplicasti, ut Begardos ipsos, qui dicta bona prefate donationis pretextu occupata tenebant, ad restituendum illa tibi et mense predicte compelli per discretos aliquos mandaremus. Nos igitur, qui volumus unicuique sua iura servari, Venerabili fratri nostro ... Ep̄o Poznaniensi et dilectis filiis... decano et... Scolastico ecclesie Gneznensis per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios super hiis summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii diligencius inquirentes, si de premissis per inquisitionem huiusmodi constaret eisdem, predictos Begardos et quosvis alios bonorum huiusmodi detentores, cuiuscumque status, ordinis vel condicionis existerent, et cuiuscumque exemptionis privilegiis gauderent, ad restituendum tibi predicta bona per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra compellere non differrent, Invocato ad hoc, si opus esset, auxilio brachii secularis, sicut in eisdem nostris litteris plenius continetur. Verum Episcopo Poznaniensi et predictis, sicut eis per dictas litteras competebat, ad executionem mandati huiusmodi legitime procedentibus, et Henrico, Rudolpho et Iohanne ac aliis parcium illarum Begardis, qui bona huiusmodi detinebant, ad suam, te instante, presentiam evocatis, et demum eisdem Henrico, Rudolpho et Iohanne suo et aliorum Begardorum predictorum nomine in eorumdem Episcopi Poznaniensis et decani presencia constitutis, cum pro parte tua fuisset ab ipsis Episcopo et decano petitum, ut eosdem Henricum, Rudolphum et Iohannem et alios Begardos predictos, qui huiusmodi bona, videlicet locum, ecclesiam, Cellam seu Cenobium sancte Crucis, in hereditate seu fundo de Sclotoyra predicte Culmensis diocesis constituta, cum prato, vinea et pomeriis, ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis eorumdem ad dictam mensam tuam spectantia, olim per memoratum predecessorem tuum eisdem Begardis sub condicionibus concessa predictis, pretextu concessionis huiusmodi, ut predicitur, detinebant, quod ad restituendum illa tibi et dicte mense iuxta predictarum litterarum tenorem compellerent, et alias ad execucionem ipsarum procederent, ut debebant, iidem Henricus, Rudolphus et Iohannes in Episcopi et decani predictorum constituti presencia, ut prefertur, nomine supradicto ilico, predictis loco, ecclesie, Celle seu Cenobio, prato, vinee et pomeriis, et aliis eorum iuribus et pertinentiis supradictis liberaliter sponte ac pure cedentes, et renunciantes expresse, illa in eorumdem Episcopi et decani tuo et dicte mense tue nomine recipientium manibus in instanti per capucium resignarunt, et ipsos in possessionem illarum eciam induxerunt, ipsi vero Episcopus et decanus cessionem, renunciationem ac inductionem in possessionem recipientes huiusmodi, ipsasque quantum fuit in eis eciam approbantes, locum, ecclesiam, Cellam seu Cenobium predicta cum prato, vinea et pomeriis, ac omnibus aliis iuribus et pertinenciis eorundem tibi ibidem presenti tuo et dicte mense tue nomine restituerunt in instanti, te

investientes presencialiter de eisdem, ac in possessionem illorum per idem capucium inducentes, quam tu per procuratorem tuum postmodum corporaliter recepisti, prout in instrumento publico predictorum Episcopi et decani sigillis munito, quod per dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Stephani in Celiomonte presbiterum Cardinalem, sancte Romane ecclesie Vicecancellarium, diligenter inspici fecimus, plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, cessionem, renunciacionem, approbacionem, investituram et inductionem huiusmodi ratas et gratas habentes, eas auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in ipsis habitus quomodolibet extitisset, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc. Datum Avinione x. Kal. Februarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Part. I. ep. 646. fol. 286.

CCLIV.

Sententia a iudicibus ab apostolica sede delegatis, insertis pontificis, regis Poloniae et magistri Prussiae litteris, contra fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum in caussa terrae Pomeraniae pro rege Poloniae lata.

In nomine Domini Amen. Nos Iohannes divina et apostolice sedis providentia Cracoviensis ecclesie Episcopus notum facimus, quibus expedit, universis, quod in nostra Venerabilis dñs dñs Galhardus de Carceribus ecclesie Titulensis Prepositus, sedis apostolice Nuncius, constitutus presentia quoddam Instrumentum publicum manu Nicolai Luduici de Strigonio, auctoritate Imperiali Notarii publici, scriptum, signatum et subscriptum exhibuit, ipsum petens auctoritate nostra per Notarium publicum transcribi et exemplari, ac in formam publicam redigi, nostroque sigillo nichilominus communiri. Cuius Instrumenti tenor de verbo ad verbum dinoscitur esse talis. In nomine Domini Amen. Exorta coram nobis Ianislao divina et apostolice sedis providentia sancte Gneznensis Ecclesie Archiepiscopo, Domarato Dei gratia Poznaniensi Episcopo, et fratre Nicolao Abbate de Mogylna Gneznensis diocesis, ordinis beati Benedicti, Iudicibus a sede apostolica delegatis, inter Inclitum Principem dominum Wladislaum Regem Polonie Illustrem ex parte una, et Religiosos viros Magistrum et fratres domus sancte Marie Theutonicorum ex altera super terra Pomeranie materia questionis, Sanctissimus Pater dominus Iohannes sacrosancte Romane ecclesie summus Pontifex suas nobis direxit litteras in hec verba. Iohannes Episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus .... Archiepiscopo Gneznensi et ... Episcopo Poznaniensi, ac dilecto filio ... Abbati Monasterii sancti Benedicti de Mogylna Gneznensis diocesis, salutem etc. Gravem dilecti filii Nobilis viri Wladislai Ducis Polonie querelam accepimus etc. ut supra Nro. CCXXXI. pag. 150. Datum Avinione III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto. Nos igitur iuxta formam mandati apostolici nobis directi prefatum Magistrum et fratres ad nostram fecimus presentiam evocari. In termino itaque peremptorio ipsis partibus per nos assignato discreti viri domini Philippus Cancellarius regni Polonie, et Sbischo Cancellarius Syradiendis sive Subcancellarius, ac Magister Iohannes Canonicus Rudensis procuratores eiusdem domini Regis nomine procuratorio ipsius comparuerunt coram nobis, suum procuratorium exhibentes, cuius tenor talis est. Universis presentes litteras inspecturis Wladislaus Dei gratia Rex Polonie salutem in omnium salvatore. Noverit discretio vestra, quod nos in causa seu causis, quam vel quas habemus, seu nos habere speramus cum Religiosis viris Magistro et fratribus ordinis beate Marie domus Theutonicorum per Prusiam super terra Pomeranie, ac fructibus inde perceptis, ac quibuscumque aliis rebus coram Venerabilibus patribus et dominis Ianislao Archiepiscopo Gneznensi et Domarato Episcopo Poznaniensi, ac Religioso viro fratre Nicolao Abbate de Mogylna ordinis beati Benedicti, Iudicibus a sede apostolica delegatis, et coram quocumque alio iudice seu iudicibus ab ipsis subdelegato seu subdelegatis, discretos viros Philippum Cancellarium nostrum in Regno Polonie et Sbischonem Subcancellarium, ac Iohannem Canonicum Rudensem Capellanos nostros facimus, constituimus et ordinamus nostros veros et legitimos procuratores et nuncios speciales, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus inceperit, alii vel alius valeant resumere, prosequi et finire, dantes eisdem et cuilibet eorum plenam et omnimodam potestatem ad agendum et defendendum petitiones, seu libellum dandum et recipiendum, exceptiones dilatorias et peremptorias proponendum, et lites contestandum, Iuramentum de calumpnia seu malitia, ac veritate dicenda, et cuiuslibet alterius generis in animam nostram prestandum, articulos et positiones faciendum, ac ad eos respondendum, testes, instrumenta, et quaslibet alias probationes producendum, allegandum sententiam, seu sententias interlo-

cutorias, seu diffinitivam audiendum, et ab eis, vel ab ea, si opus fuerit, appellandum, . . . (apostolos) petendum, et appellationem prosequendum, beneficium restitutionis in integrum postulandum, alium procuratorem seu procuratores loco sui substituendum ad omnia et quodlibet predictorum, substitutum seu substitutos revocandum, et in se procuratorium resumendum, quando et quociens eis et cuilibet ipsorum videbitur expedire, nec non et ad omnia et singula faciendum alia, que circa premissa et quodlibet ipsorum oportuna fuerint, etiamsi mandatum exigant speciale, Promittentes ratum et firmum habere, et tenere quidquid per eosdem procuratores nostros, et quemlibet ipsorum substitutum seu substitutos ab eis, in premissis et quolibet ipsorum fuerit procuratum, Volentes insuper eosdem procuratores nostros, substitutum seu substitutos ab eis, et quemlibet ipsorum relevare ab omni onere satisfacionis, promittimus pro eis iudicio sisti, et iudicatum solvi in omnibus suis clausulis sub rerum nostrarum omnium hypotheca. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presentes literas scribi seu fieri mandavimus, et sigilli nostri, quo hactenus usi fuimus, et in presenti utimur, appensione communiri. Actum et datum in Sandomiria x. Kal. Aprilis Anno Domini M.CCC.XX. Presentibus dominis Nankero Electo in Episcopum Cracoviensem, Iwano Cantore Gneznensi, Bozatha Archidiacono Crusviciensi, Gunthero Decano Sandomiriensi, Navoyo Castellano Cracoviensi, et Thomislao Palatino Sandomirie, ac aliis pluribus fidedignis. Ex parte vero dictorum Magistri et fratrum frater Syfridus de Papow eiusdem ordinis procurator eorum similiter comparuit, et procuratorium exhibuit in hec verba. In Nomine Domini Amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod nos frater Fredericus Preceptor et Magister fratrum Theutonicorum domus sancte Marie per Prusiam et Pomeraniam in causa vel causis, que nobis et fratribus nostri ordinis moventur, et specialiter in causis, que moventur vel moveri sperantur fratribus nostris Commendatoribus domorum in Gdanczk, in Gmeva et in Suece coram venerabilibus Patribus dominis Ianislao Archiepiscopo sancte Gneznensis ecclesie, Domarato Poznaniensis ecclesie Episcopo, et fratre Nicolao Abbate de Mogilna ordinis sancti Benedicti specialiter evocatis, qui se asserunt Iudices a sede apostolica delegatos, aut quibuscumque subdelegatis ab eis de consensu fratrum nostrorum facimus, constituimus dominum Sifridum fratrem ordinis nostri sacerdotem presentem, et mandatum in se sponte suscipientem nostrum et predictorum de Gdanczk, de Gmeva et Suece Commendatorum procuratorem, concedentes ei liberam potestatem agendi, defendendi, lites contestandi, interlocutoriam et diffinitivam sententias audiendi, litterarum apostolicarum copiam cum debita ad deliberandum dilatione petendi, excipiendi et contradicendi, in animam nostram et ipsorum iurandi, testes, instrumenta et alias probationes producendi, appellandi, quando et quotiens sibi videbitur expedire, appellationes petendi, ab appellatione recedendi, quando sibi videbitur expedire, appellationem prosequendi, alium vel alios procuratores substituendi in solidum vel divisim ad omnia supradicta et quelibet premissorum, substitutum vel substitutos revocandi, quando et quotiens sibi videbitur expedire, et generaliter ad omnia et singula faciendum, que debet et potest verus atque legitimus procurator facere, etiamsi mandatum exigant speciale, Ratum habituri quidquid per ipsum procuratorem nostrum, vel quemlibet substitutum ab eo factum fuerit in premissis et quolibet premissorum, Renunciantes omnem solempnitatem iuris vel facti, qua obmissa, presens procuratorium posset impugnari vel quomodolibet suggillari, Promittentes sub ypotheca bonorum nostrorum pro ipso procuratore nostro, vel quolibet substituto ab eo iudicio sisti et iudicatum solvere, si lites subierint coram dominis supradictis, agere vel etiam defendere, hoc tam eisdem dominis, qui se dicunt iudices delegatos, quam parti, cui intererit, ostensione presentium volumus esse notum. In cuius facti evidentiam pleniorem presentem litteram inde conscriptam nostro sigillo duximus consignandam. Datum Anno Domini MCCCXX. quarto Idus Aprilis, presentibus viris discretis et honestis, dominis Iordano Preposito Warmiensis ecclesie, Magistro Frederico Doctore decretorum, Canonico Glogoviensi, et Iohanne Rectore ecclesie Culmensis, et aliis pluribus fidedignis ad hoc vocatis et rogatis testibus. Quibus procuratoriis exhibitis, memoratus procurator Magistri et fratrum ex causa minus rationabili et frivola a nobis ad sedem apostolicam appellans a presentia nostra recessit. Nos itaque attendentes, quod in causa eadem, non obstante eiusdem procuratoris absentia, procedere poteramus, prefatis procuratoribus domini Regis instanter petentibus, petitionem ipsorum recepimus in hec verba. Coram vobis venerabilibus patribus dominis Ianislao Archiepiscopo Gneznensi, Domaratho Episcopo Poznaniensi, et fratre Nicolao Abbate Monasterii de Mogilna ordinis sancti Benedicti, Iudicibus a sede apostolica deputatis, nos Philippus Cancellarius Regni Polonie, et Sbyscho Subcancellarius, ac Iohannes Canonicus Rudensis Illustris Principis domini Wladislai Regis

Polonie procuratorio nomine ipsius proponimus conquerendo, quod cum idem dominus Rex, tunc tamen dux existens, adhuc esset in possessione terre Pomeranie, que est pars Regni Polonie, et Illustres Principes Premislius et Kazimirus eam ipsius Regis nomine possiderent, Religiosi viri Magister et fratres ordinis sancte Marie Domus Theutonicorum ipsos Principes de possessione eiusdem terre, Castrorum, Civitatum, oppidorum, et villarum ipsius per potentiam et violentiam . . . (eiecerunt) . . . , memoratum dominum Regem ipsa terra sic indebite et iniuriose spoliantes, quam adhuc occupatam detinent in ipsius domini Regis grave dampnum et magnum preiudicium dicti Regni: quare petimus nomine, quo supra, conditione . . . . . nda eumdem Magistrum, et Commendatores de Gdanczk, de Gmeva et de Suece, qui terram possident, quod eam et fructus inde perceptos, et qui percipi potuerunt a tempore deiectionis, quos estimamus ad triginta millia marcharum argenti ponderis regni Polonie, dicto domino nostro Regi restituant, ... procedendo summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii sententialiter dampnari. Petimus etiam expensas in lite factas, et protestationem de faciendis. Qua recepta et . . . . . tes iuxta tenorem litterarum apostolicarum, quod in causa eadem possint, lite non contestata, procedere . . . . . testibus pluribus ydoneis pro parte dicti Regis, et eis secreto et sigillatim examinatis, attestatione sententiisque ipsorum apertis et publicatis . . . . . plene discussis, procuratore Magistri et fratrum citato ad diffinitivam sententiam audiendam, et procuratore eorum predicto coram nobis in termino ad hoc prefixo constituto, prehabita nobiscum deliberatione sufficienti et convocato consilio, supradictis procuratoribus prefati domini Regis presentibus et sententiam proferri cum instantia postulantibus, Dei nomine invocato, qui quidem procuratores domini Regis intentionem suam clarissime probaverunt, predictos Magistrum et fratres domus sancte Marie Theutonicorum, ac dictum fratrem Syfridum procuratorem ipsorum presentem eorum nomine, et Commendatorum de Gdanczk, de Gmeva et de Suece, qui dictam terram Pomeranie possident, ad restitutionem eiusdem terre cum suis pertinentiis, et ad solutionem triginta milium marcharum argenti ponderis Regni Polonie ratione fructuum perceptorum, et qui percipi potuerunt ex illa, prout procuratores iidem, violentia illata probata per testes, quantitatem predictam fructuum per suum iuramentum legitime probaverunt, et ad satisfacionem expensarum in causa factarum prefato domino Regi Polonie, seu procuratoribus ipsius predictis faciendam in hiis scripturis sententialiter condempnamus. Quas quidem expensas ad centum quinquaginta marchas grossorum Pragensium taxamus, eo quod procuratores domini Regis prefati dicunt, se eas in hac causa expendisse, prout suis declaraverunt iuramentis. Lata est hec sententia in ecclesia sancti Nicolai in Iuniori Wladislavia Wladislaviensis diocesis post missam quarto Idus Februarii Anno Domini M.CCC.XX.primo. Presentibus . . . . . Decano G. . . . . Scolastico Gneznensis, Iohanne Loza Archidiacono Poznaniensis, Petro Cantore Wladislaviensis, Michaele Preposito Crusvicensis, Venceslao Caliscensis, Potentiano Uneviensis Archidiaconis ecclesiarum, Vincencio . . . . . , Wen. . . . Poznaniensis, Iohanne Plocensis ecclesiarum Canonicis, ac Religiosis viris fratribus Honesto Priore Poznaniensi ordinis fratrum Predicatorum, Wirchoslao Custode provinciali ordinis fratrum Minorum, et aliis quampluribus secularibus et religiosis. In quorum omnium testimonium et evidentiam certiorem prelibatam sententiam per subscriptum Notarium predictum scribi, et in publicam formam redigi fecimus, et ad maiorem cautelam nostrorum sigillorum apprensione muniri. Subscriptio . . (prima) . . est talis. Et ego Nicolaus filius quondam Luduici dicti de Strigonio publicus imperiali auctoritate Notarius, Clericus Poznaniensis, una cum predictis testibus tempore, quo prefata ferebatur sententia et legebatur, presens fui, scripsi eam in formam publicam redegi, et de mandato dictorum iudicum, ac ad petitionem prefatorum domini Regis Polonie procuratorum meis consueto signo et nomine consignavi in testimonium premissorum. Secunda subscriptio fuit ista. Et ego Boguslaus de Sandomyria Cracoviensis diocesis, Canonicus Gneznensis, publicus auctoritate imperiali Notarius una cum testibus predictis tempore, quo prescripta ferebatur et legebatur sententia, presens fui, et ad mandatum prefatorum dominorum iudicum, et ad petitionem supradictorum domini Regis procuratorum me subscripsi huic sententie, ipsamque meo signo consueto et nomine roboravi in testimonium veritatis. Huic autem Instrumento publico seu sententie tria sigilla oblonga de cera communi, videlicet dominorum Archiepiscopi et Episcopi et Abbatis predictorum, appensa in pergameni precisis videbantur. Nos igitur attendentes, seu iustis petitionibus supradicti domini Galhardi apostolice sedis Nuncii annuentes, et quia predictum Instrumentum sanum et integrum invenimus, et cum presenti transumpto per omnia concordare, igitur ipsi transumpto publico per Iohannem de Brest auctoritate

apostolica Notarium publicum de mandato nostro conscripto, auctoritatem nostram interponimus et decretum, decernentes, ut ipsum transumptum ubique locorum eandem fidem faciat ac si ibidem originalis littera appareret. In cuius rei testimonium huic Instrumento publico nostrum sigillum duximus appendendum. Actum Cracovie in domo habitationis nostre XVI. die mensis Aprilis Anno Domini M.CCC.XXX. nono, Presentibus fratribus nostris Magistro Petro Bertoldo, Iohanne Thezaurario, Alexandro Canonico Cracoviensibus, Petro Rimboldi Canonico sancti Egidii, Theoderico de Slaucovia auctoritate apostolica Notario, Magistro Alberto Plebano de Bochna Cracoviensis diocesis testibus ad premissa vocatis.

L.S. Et ego Iohannes quondam Rudgeri de Brest, clericus Wladislaviensis diocesis, publicus auctoritate apostolica Notarius supradictum instrumentum sanum et integrum, dum per prefatum dominum Notarium prelibato domino Episcopo offerebatur, una cum predictis dominis testibus vidi, ipsumque de mandato et auctoritate eiusdem domini Episcopi hic exemplavi de verbo ad verbum fideliter et in sup.... factaque collatione diligenti de presenti transumpto ad ipsas litteras originales inveni utrumque per omnia concordare: Ideo me cum signo meo consueto subscripsi in testimonium omnium premissorum.

L.S. Et ego Theodatus olim Henrici de Slaucovia publicus apostolica auctoritate Notarius, clericus Cracoviensis dyocesis, predicte littere exhibitioni et petitioni per predictum Venerabilem virum dominum Gwalhardum de Carceribus, nuncium sedis apostolice, Prepositum ecclesie Titulensis, una cum Notario et testibus prelibatis, ac omnibus aliis supradictis presens interfui, et ea omnia manu mea scribens, et me hic subscribens nomine et signo, quibus utor, signavi rogatus in testimonium omnium premissorum. *)

Ex Instrumentis miscell. Caps. 182.

CCLV.

Episcopo Kioviensi (vide supra Nro. CCLII.) accedendi ad suam ecclesiam datur licentia.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Ep̃o Kioviensi, salutem etc. Nuper cum pro parte tua nostro fuisset apostolatui intimatum, quod civitas et diocesis Kyovienses consistentes in confinibus Ruthenorum et Tartarorum, qui antiquitus Galathe vocabantur, novissimis temporibus, divina inspirante gratia, de scismate redire ceperant ad cultum fidei orthodoxe, quodque venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Lubucensis, asserens sibi fore per speciale privilegium apostolice sedis indultum, ut posset ecclesiis dictarum partium de scismate reddeuntibus ad sancte matris ecclesie unitatem de Pontificibus providere, ac considerans, quod tu tunc lector fratrum ordinis predicatorum in Porwalle Caminensis diocesis et in predictis civitate et diocesi Kyoviensibus et habitantibus in eisdem poteras proficere salubriter verbo pariter et exemplo, Clero etiam et Populo earundem Civitatis et diocesis suppliciter implorantibus sibi patrem et pastorem animarum suarum concedi ab Episcopo supradicto, de persona tua Kioviensi ecclesie, que centum elapsis annis et amplius propter scisma, quod, instigante maligno spiritu, in illis partibus viguerat, caruerat infeliciter pastore proprio ac clero et populo christianis, pretextu privilegii providerat antedicti, tuque de privilegio ipso merito hesitans, cum tibi fides de illo facta minime extitisset, tueque saluti consulere cupiens, ad sedem apostolicam propterea postmodum accessisses, ac iuri, si quod tibi ex provisione huiusmodi competebat, libere ac sponte cessisses in manibus dilecti filii nostri Iacobi sancti Georgii ad velum aureum Diaconi Cardinalis, de mandato nostro vive vocis oraculo sibi facto cessionem huiusmodi admittentis: Nos attendentes, quod propter litterarum scientiam, vite mundiciam, morum honestatem et alia virtutum merita, que tibi per fidedigna testimonia suffragari percepimus, in dicta Kioviensi ecclesia tibi per vite meritum dictisque Clero et populo, suffragante tibi divina gratia, proficere poteris per exemplum, te post deliberationem, quam cum fratribus nostris habuimus diligentem, de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestetis eidem Kyoviensi ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo. Cum autem postmodum per Ven. fratrem nostrum Berengarium Ep̃um Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad prefatam ecclesiam tue gubernationi commissam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic eam prudenter et fideliter et sollicite regere studeas, quod ipsa ec-

*) Ex hoc instrumento sigillum cereum ecclssiae Cracoviensis mutilatum pendet; autographum vero membraneum valde corrosum et vix legibile est.

clesia sub tuo vigili ministerio spiritualiter et temporaliter, annuente domino, continuis proficiat incrementis, tuque proinde divinam et apostolice sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione XII. Kalendas Martii. Anno Quinto. Ex Reg. orig. An. V. Part. I. ep. 406. fol. 192.

CCLVI.

Fratribus ord. Praedicatorum in Svidniz Vratislav. dioecesis indulgetur, ut in eodem oppido remanere possint.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis... Priori et fratribus ordinis predicatorum in Svidnicz Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Inter ceteros ordines in agro plantatos ecclesie sacrum vestrum ordinem claris suis exigentibus meritis gerentes in visceribus caritatis, ad ea vigilanter intendimus ac opem operamque solicitam impartimur, per que status eiusdem ordinis ad divini nominis gloriam, exaltationem Catholice fidei et honorem ordinis supradicti prosperis semper successibus affluat, tranquillis foveatur eventibus et votivis proficiat incrementis. Porrecte siquidem nobis vestre petitionis series continebat, quod vos olim post constitutionem felicis recordationis Bonifatii pape VIII. predecessoris nostri prohibentem expresse, ne quibuscunque religiosis medicantibus in aliqua civitate, castro vel villa seu loco liceret imposterum loca de novo recipere, vel tunc recepta mutare alibi, seu alias quomodolibet se transferre, sine sedis apostolice licencia speciali faciente plenam et expressam de licentia huiusmodi mentionem, Locum vestrum extra muros opidi in Svidnicz Vratislaviensis dioecesis habentes, ac constitutionem propter simplicitatem, prout asseritis, penitus ignorantes eandem, considerantes etiam attentius, quod propter guerrarum turbines in illis partibus sepius ingruentium, nonnulla conventus et loca vestri ordinis extra muros terrarum et locorum earundem partium, in quibus ordo vester Conventus habebat, tunc existentia, fuerant destructa quasi penitus et consumpta, et quod propter hereticorum perfidiam, quorum precipue timebatis insultus, multas habebatis interdum persecutiones et contumelias sustinere, propter que sine huiusmodi periculorum, insultuum et persecutionum formidine in loco predicto remanere diutius nequibatis, Cupientesque vestris et in hac parte futuris periculis precavere, vos ac locum vestrum predictum infra muros ipsius opidi, nulla super hoc a sede apostolica petita vel optenta licentia, non tamen in ipsius sedis contemptum, auctoritate propria transtulistis, post cuius loci translationem per sacre predicationis ministerium, favente domino, multi ex predictis hereticis sunt detecti, et multi eorum redire nolentes ad Catholice fidei veritatem, puniti secundum canonicas sanciones: quodque Curatus parrochialis ecclesie, infra cuius parrochiam dictus locus vester infra ipsius opidi muros receptus situatus existit, post alicuius decursum temporis contra vos obiciens, vos iuxta formam constitutionis predicte ad dictum locum minime potuisse transferre, ac eandem constitutionem inter alia, que predecessorem eundem super edicione illius induxerant, ad precavendum ecclesiarum parrochialium indempnitatibus emanasse pretendens, demum inter vos et eundem curatum super hoc intercedente consensu pro ipsius indempnitate ecclesie certam a vobis recepit et habuit pecunie quantitatem: quo postmodum rebus humanis exempto, successor suus in eadem ecclesia super indempnitate huiusmodi vos pretextu dicte constitutionis impetit, cui etiam simili super hoc hinc et inde prodeunte consensu certam aliam, ut asseritis, acquievistis solvere pecunie quantitatem in ipsius perpetuam utilitatem ecclesie convertendam. Quare nobis humiliter supplicastis, ut quieti et tranquillitati vestre de apostolice pietatis clementia benigne prospicientes, super hiis de oportuno remedio providere misericorditer dignaremur. Nos igitur premissis paterna mansuetudine circumspectis, debite volentes utrinque in hac parte prospicere, vestris supplicationibus inclinati, vobis, quod in loco predicto, ad quem, ut premittitur, proponitis vos translatos, predicta et qualibet alia contraria constitutionibus nequaquam obstantibus, remanere licite valeatis, ita tamen, quod ecclesie parrochiali et curato predictis, suisque successoribus imposterum nullum per hoc alias in suis iuribus preiudicium generetur, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere. Datum Avinione II. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quinto. Ex Reg. orig. An. V. Part. I. ep. 608. fol. 272.

CCLVII.

Archiepiscopus Gnesneusis et episcopus Vladislaviensis, collectores a sede apostolica in regno Poloniae constituti, monent episcopum Culmensem, ut clerum suum ad solvendum denarium S. Petri censuris ecclesiasticis compellat.

Ianislaus divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopus, et Gerwardus eadem gracia Wladislaviensis Episcopus, collectores census Romane ecclesie, qui dicitur

denarius sancti Petri, venerabili in Christo fratri N. dei gracia Culmensis ecclesie episcopo salutem cum fraterna in domino karitate et mandatis apostolicis firmiter obedire. Vestram fraternitatem credimus non latere, quod nos dudum recepimus litteras sedis apostolice super colleccione census Romane Ecclesie, qui dicitur denarius sancti Petri, quarum tenorem vobis et vestro Capitulo aliis nostris insertum litteris transmissimus, et quibus receptis, ut decuit reverenter, omnes fratres nostros Episcopos, et eorum subditos, ad quos se eedem littere apostolice extendebant, monuimus et processus nostros contra eorum dyocesanos fecimus, qui facto congruebant eidem, et de iure fieri potuerunt, et quoniam tunc vos nondum de Romana Curia ad vestram dyocesim veneratis, discretis viris ... Preposito et ... Officiali Ecclesie vestre Culmensis nostra mandata in predicto negocio litteratorie direximus, monentes ipsos, et moneri per eos mandantes Capitulum Ecclesie vestre Culmensis, Clerum secularem et regularem, exemptum et non exemptum, ac populum universum vestre dyocesis, ut censum predictum, qui dicitur denarius beati Petri, infra certi temporis spacium nobis nomine Romane Ecclesie solvere debuissent, alioquin extunc, videlicet temporibus monicionis elapsis, interdictum ecclesiasticum in vestram dyocesim auctoritate apostolica ferebamus. Quibus sic actis, prefatus Prepositus una cum Capitulo Culmensi suo et eiusdem Capituli ac Cleri tocius, exempti et non exempti, secularis et regularis vestre dyocesis nomine, vel pocius ipsi omnes generaliter a nobis ad sedem apostolicam appellarunt, per quam appellacionem, licet eam prosecuti non fuerint multo tempore iam elapso, populum vestre dyocesis universaliter concitarunt, et in tantam rebellionis contra sedem apostolicam pertinaciam deduxerunt, quod eandem interdicti Ecclesiastici sentenciam iam longo tempore animo sustinent obstinato, censum Romane Ecclesie debitum solvere denegantes, in quo racione multorum temporum, sicut cessatum fuit, solucionem praestare in vestra dyocesi dicti census, et quem censum, si ... Prepositus et Capitulum Culmensis Ecclesie suo et Cleri vestre dyocesis nomine se non opposuissent per interposicionem appellacionis memorate, exigere facile poteramus, Romanam Ecclesiam ad sexcentas marcas argenti puri dampnificaverunt, ymo amplius verisimiliter, ac leserunt, et manifestissimis coniecturis evidenter colligitur, quod prefati .... Prepositus et Capitulum, et Clerus secularis et regularis, exemptus et non exemptus, simul cum pertinaci populo sunt in culpa, et causam utrique praestiterunt interdicto, Clerus non solum de personis propriis, prout in litteris apostolicis exprimitur, solvendo minime dictum censum, verum eciam per appellaciones suas a solucione populum retrahendo. Quare vestre fraternitati auctoritate sedis apostolice, qua fungimur in hac parte, sub pena et sentencia suspensionis ab ingressu Ecclesie, quam vos incurrere volumus ipso facto, si nostrum mandatum subscriptum infra decem dierum spacium a presentacione presencium litterarum, super qua presentacione .... latori presencium, nostro iurato nuncio, adhibere volumus plenam fidem, non fueritis executi, iniungimus cum ea, qua decet, reverencia, nichilominus et mandamus, quatinus prefatos .... Prepositum, Capitulum, Clerum secularem et regularem universum, exemptum et non exemptum, vestre Culmensis Ecclesie et dyocesis interdictos et suspensos a divinis et ecclesiasticis sacramentis denunciare curetis, ita quod eadem nec soli possint recipere vel exercere, nec aliis ministrare, quos ex nunc vobis per presentes litteras interdictos et suspensos a divinis et sacramentis Ecclesie denunciamus, et eciam declaramus. Et insuper moneatis .... Prepositum et Capitulum Culmensis ecclesie, et singulos de Capitulo, administraciones, personatus, beneficia, Officia et Canonicatus optinentes ibidem, ut nobis nomine Camere domini Pape de predicto dampno, quod per eorum appellaciones Romane ecclesie intulerunt, satisfaciant infra mensem: alioquin ipsos singulos singulariter de predicto Capitulo auctoritate apostolica exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc excommunicamus in nomine domini in hiis scriptis, vestre fraternitati eadem auctoritate sub predicta pena mandantes, ut ipsos extunc semel in vestra Ecclesia Culmensi, et postea ubi et quociens vobis videbitur, excommunicatos publice nuncietis, Copiam huius littere, qui eam pecierit, eius tamen sumptibus, exibentes eidem. Has autem litteras in registro camere nostre registrari fecimus ad cautelam. Datum in Racenzs Nono Kalendas Iunii anno domini M. CCC. vicesimo primo. (Duo sigilla ex hisce litteris pendentia deperierunt.) Ex Instrumentis miscell. Caps. 182.

CCLVIII.

Hedvigi reginae Poloniae indulgetur, ut monasteria monialium S. Clarae devotionis causa ingredi valeat.

Iohannes episcopus etc. Carissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie Illustri, salutem etc. Tue celsitudinis preclara devotio, per quam tibi apostolice sedis benivolentiam vindicasti, digne men-

tem nostram excitat et inducit, ut petitiones tuas, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam admictamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, celsitudini tue, quod sancte Clare Gneznense et de Sandek monasteria monialium ordinis eiusdem sancte Cracoviensis diocesis cum decenti mulierum comitiva causa devotionis ingredi libere valeas, constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et quibuscumque monasteriorum et ordinum ipsorum contrariis consuetudinibus vel statutis nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus, ita tamen, quod tu et mulieres predicte in eisdem monasteria et locis non comedatis, nec etiam pernoctetis. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione x. Kalendas Octobris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 220. fol. 94.

CCLIX.

Duci et ducissae Oswecinensi, ut aliquem idoneum sacerdotem in confessorem suum eligere possint.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Wladislao duci, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Effrosine ducisse Oswecinensi uxori eius, salutem etc. Ut humani generis inimici valeatis vitare contagia et solum deum per lavacrum confessionis pura mente sectari, Nos vestre devotionis precibus inclinati, vobis, ut uterque vestrum aliquem ydoneum sacerdotem in Confessorem suum eligere valeat, qui audita confessione sua, quociens fuerit oportunum, pro commissis ei penitentiam salutarem iniungat, et super hiis auctoritate nostra beneficium debite absolutionis impendat, nisi talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione x. Kalendas Octobris. Anno Sexto.

In e. m. Constantie Ducisse Ratiboriensi.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 219. fol. 94.

CCLX.

Cum duce Glogoviensi eiusque uxore super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Duci Glogoviensi ac dilecte in Christo filie Methildi eius uxori, salutem etc. Sedis apostolice providentia circumspecta rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, de gratia pietatis indulget, prout personarum, negotiorum et temporum qualitate pensata, id in deo conspicit salubriter expedire. Oblata siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod dum olim post obitum quondam Henrici Ducis Glogoviensis tui, fili Henrice, et quondam Hermanni Marchionis Brandeburgensis tui, filia Methildis, genitorum, te Henrice, pubere, ac te, Methilde, infra pubertatis tempora tunc temporis constitutis, in Marchionatu et Ducatu predictis, qui contigui fore noscuntur, per homines terrarum ipsarum incendia, spolia et rapine, ac alia comicterentur mala innumera, pacis emulo procurante, ac propterea nec non et pro quibusdam territoriis, pro quibus Marchio et Dux prefati, dum adhuc viverent, sepe contenderent, Tutores vestri se ad gravem guerram disponerent et contentionem durissimam prepararent, tandem nonnulli Marchiones et Duces ac utriusque vestrum consanguinei, volentes huiusmodi contentionibus et guerris, ex quibus animarum pericula, strages corporum, destructiones terrarum huiusmodi ac alia infinita mala proventura verisimiliter formidabant, occurrere unanimiter, ordinarunt, quod vos, qui ex utroque parente tuo, prefate Henrice, quarto estis consanguinitatis gradu coniuncti, matrimonium invicem contraxistis, ac deinde cohabitantes in unum, et carnali inter vos copula subsecuta, utriusque sexus sobolem procreastis. Verum quia consanguinitate existente predicta non potestis absque dispensatione apostolica in huiusmodi matrimonio licite remanere, nobis pro parte vestra extitit supplicatum, ut providere vobis super hoc de dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque, qui salutem et pacem querimus singulorum, volentes animarum vestrarum providere saluti et premissis, quantum cum deo possumus, periculis obviare, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut consanguinitatis impedimento huiusmodi non obstante, valeatis in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate apostolica dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam ex vobis legitimam decernentes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione xv. Kalendas Novembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 294. fol. 111.

CCLXI.

Ioanni nato ducis de Oswericin scholastria ecclesiae Cracoviensis, quam archiepus Strigoniensis obtinuerat, confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni nato dilecti filii Nobilis viri Ladislai ducis de Oswericin, Scolastico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Dum tui generis nobilitatem, que tuis dedit ortum natalibus, tue quoque laudabilia iuventutis indicia, per que, prout fidedignorum habet assertio, manifeste colligitur, quod auxiliante domino te virum imposterum producere debeas virtuosum, diligenter attendimus, apostolico te favore dignum conspicimus et prerogativa gratie specialiter attollendum. Cum itaque Scolastria ecclesie Cracoviensis, quam Venerabilis frater noster Boleslaus Archiepiscopus Strigoniensis tempore promotionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Strigoniensem in eadem Cracoviensi ecclesia obtinuit, per huiusmodi promotionem suam et consecrationis munus apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem, apud sedem predictam vacare noscatur ad presens, de qua nullus preter nos hac vice disponere potest, pro eo, quod nos dudum ante vacationem predictam omnes huiusmodi scolastrias, necnon dignitates, personatus et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantia et in antea vacatura nostre ac sedis ipsius collationi et dispositioni specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: Nos volentes tibi premissorum intuitu gratiam facere specialem, scolastriam prefatam sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illa etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit imposterum attemptari, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie Cracoviensis etc. proviso, quod scolastria predicta debitis obsequiis non fraudetur, sed eidem facias in divinis per substitutum ydoneum congue deserviri, quodque tu postquam ad etatem perveneris ad hoc aptam, te facias ad ordines, prout onus Scolastrie ipsius requirit, statutis a iure temporibus promoveri. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis, constitutionis et dispensationis etc. Datum Avinione xviii. Kalendas Ianuarii. Anno Sexto.

In e. m. . . . Strigoniensis et . . . Opoliensis Prepositis, ac . . . Archidiacono Wratislaviensis ecclesiarum, ut predictam scolasteriam eidem Iohanni conferri curent etc.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 319. fol. 119.

CCLXII.

Iacobus ecclesiae Osiliensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Electo Osiliensi, salutem etc. Celestis dispositione consilii, per quod in mundi machina ordinationem suscipiunt universa, supreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes, super gregem dominicum nostre vigilantie creditum vigilis speculatoris officium exercemus, circa illa potissime intentum animum dirigendo curamque impendendo solicitam, per que divini cultus augmentum, exaltatio catholice fidei et commoda salutis proveniant animarum, que, prout firma spes suggerit, ex eo facilius et efficacius subsequi poterit, si ecclesiis pastorum gubernatione carentibus personas preficiamus ydoneas, easque viris providis committamus, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, et bona ipsarum ecclesiarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem Osiliensi ecclesia per hobitum bone memorie Hartungi Episcopi Osiliensis solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, et spiritus sancti gratia invocata, deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, dilectis filiis Iohanni Preposito, Henrico dicto Longniano et Bernardo de Consvelt Canonicis eiusdem ecclesie providendi ea vice dicte ecclesie de pastore, de persona ydonea ex se ipsis, vel de gremio eiusdem ecclesie vel etiam aliunde, consenserunt unanimiter liberam potestatem usque ad certi temporis spatium duraturam, promittentes illum in eorum Episcopum et pastorem recipere, in quem ipsi vel duo ipsorum consentirent, et quem unus corum de mandato aliorum suorum collegarum vice sua et ipsorum collegarum ac totius Capituli eligeret, seu etiam postularet: dicti namque compromissarii huiusmodi potestate recepta secedentes in partem, post diligentem deliberationem, quam invicem

habuerunt, in te Scolasticum ecclesie Tarbatensis, in sacerdotio constitutum, unanimiter consenserunt, dictusque Bernardus vice sua et ipsorum collegarum et Capituli de ipsorum mandato infra dictum tempus in Osiliensem Episcopum te elegit, electionem huiusmodi solenniter promulgando, dictique Capitulum electionem eandem concorditer approbarunt, tuque presentato huiusmodi electionis decreto ex parte Capituli predictorum, eidem electioni tuum prestitisti consensum, et ad ecclesiam Rigensem metropoliticam tuam pro confirmatione electionis huiusmodi obtinenda tu et dicti Capitulum certos procuratores et Nuncios destinastis, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Et demum cum tunc Venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Rigensis apud sedem apostolicam moraretur, prout adhuc dinoscitur immorari, ad quem ipsius electionis confirmatio pertinebat, nec etiam aliquis alius ibidem loco sui deputatus, qui confirmandi eandem electionem potestatem haberet, ad sedem ipsam cum procuratoribus ydoneis et Nunciis dictorum Capituli personaliter accessisti pro confirmatione electionis eiusdem auctoritate dicti Archiepiscopi obtinenda, et tam tu quam iidem procuratores, presentato eidem Archiepiscopo dicte electionis decreto, confirmari electionem ipsam auctoritate dicti Archiepiscopi postulastis: sed postmodum eodem negotio seriatim exposito coram nobis, nos electionem ipsam per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Portuensem, et dilectos filios nostros Guillelmum tituli sancti Ciriaci in Termis presbiterum, et Nicolaum sancti Georgii ad velum Aureum diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, qui nobis super hiis fideliter retulerunt, tuque postmodum affectans dicte Osiliensi ecclesie celeriter provideri, omni iuri, si quid tibi ex electione huiusmodi quomodolibet competebat, in manibus Venerabilium fratrum nostrorum Vitalis Albanensis et eiusdem Berengarii Portuensis Episcoporum renunciasti sponte et libere, qui renunciationem huiusmodi receperunt speciali mandato nostro facto eis per nos oraculo vive vocis. Nos itaque volentes prout tenemur dispendiis eiusdem ecclesie Osiliensis, que forsan posset incurrere ex vacatione diutina, precavere, te ab omnibus excommunicationis seu suspensionis sententiis, quibus forsan ligatus eras, auctoritate apostolica absolventes, et dispensantes tecum super irregularitate inde contracta, de persona tua, predita scientia litterarum, vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate decora, discretionis et consilii maturitate conspicua, spiritualiter et temporaliter circumspecta, dicte Osiliensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Osiliensis ecclesie in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo, firma de te concepta fiducia, quod dextera domini tibi assistente propicia, dicta Osiliensis ecclesia prospera dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum a domino tibi onus suscipiens reverenter, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et solicite prosequeris, quod ipsa gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, et preter benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Avinione v. Nonas Marcii. Anno Sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Osiliensis, Clero et populo civitatis et diocesis Osiliensis, universis Vassallis eccclesie Osiliensis et Archiepiscopo Rigensi, mutatis mutandis etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VI. ep. 579. fol. 215.

CCLXIII.

Paulus Curonensi ecclesiae in episcopum praeficitur et commendatur, eique munere consecrationis impertito recedendi datur licentia.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Paulo Electo Curoniensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, adiuvante domino, cupientes, solliciti reddimur, ut cum de ipsarum ecclesiarum regiminibus agitur committendis, quantum ab eo permittitur, cuius vices in terris gerimus, eis in pastores tales preficere studeamus, de quibus, consideratis virtutibus desuper sibi traditis, presumimus verisimiliter et tenemus, quod creditas sibi animas verbo instruere valeant ac exemplo, et eorum studio loca, que sue fuerint deputata custodie, spiritualium et temporalium deo propicio grata suscipiant incrementa. Dudum siquidem Curoniensi ecclesia per obitum bone memorie Borchardi Episcopi Curoniensis Pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et poterunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, et spiritus sancti gratia invocata, te Canonicum eiusdem ecclesie in sacerdocio constitutum per viam compromissi

in Curoniensem Episcopum concorditer elegerunt, Tuque, presentato tibi huiusmodi electionis decreto ex parte Capituli predictorum, eidem electioni ad instantiam ipsorum Capituli tuum prebuisti assensum, et ad ecclesiam Rigensem Metropoliticam tuam pro confirmatione electionis eiusdem obtinenda personaliter accessisti, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis: et deinde cum tunc Ven. frater noster ... Archiepiscopus Rigensis apud sedem apostolicam moraretur, prout adhuc dinoscitur immorari, ad quem ipsius electionis confirmatio pertinet, nec esset aliquis alius ibidem loco sui deputatus, qui confirmandi eandem electionem potestatem haberet, tu et iidem Capitulum procuratorem ydoneum ad hoc a te et ab ipsis Capitulo speciale mandatam habentem ad dictam sedem destinastis pro confirmatione electionis huiusmodi auctoritate dicti Archiepiscopi obtinenda, qui quidem procurator, presentato eidem Archiepiscopo electionis predicte decreto, confirmationem electionis ipsius faciendam in partibus committi instanter et pluries petiit ab Archiepiscopo supradicto. Et quia prefatus Archiepiscopus id effieere non curavit, dictus procurator prefatum electionis negotium exponi fecit in Consistorio coram nobis, nosque dilecto filio nostro Petro tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero Cardinali, sancte Romane ecclesie vicecancellario, commisimus, ut negotium ipsum audiret summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii, et de eo se plenius informaret, et quicquid super hiis inviniret, nobis postmodum referre curaret: qui ad instantiam dicti procuratoris coram eo in iudicio constituti eundem Archiepiseopum ad dicendum, si vellet, causam rationabilem, quare dictum procuratorem audire super negotio confirmationis huiusmodi non deberet, et alias in negotio eodem processurum, citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo dicto procuratore et Magistro Nicolao de Secea procuratore dicti Archiepiscopi procuratorio nomine ipsius Archiepiscopi coram Cardinale comparentibus antedicto, dictus tuus procurator decretum electionis predicte, et quedam instrumenta publica et alias autenticas litteras coram eodem Cardinale exhibere curavit. Idemque Cardinalis, visis et diligenter inspectis decreto, instrumentis et litteris supradictis, nobis super hiis relationem fecit plenariam et fidelem, nosque deinde negotium ipsum Venerabili fratri nostro Raynaldo Episcopo Ostiensi audiendam commisimus et nobis postmodum referendum. Interim autem eodem negotio coram dicto Episcopo pendente, tu ad dictam sedem personaliter accessisti, et cum fuisset inter te et eundem Archiepiscopum coram eodem Episcopo in huiusmodi negotio ad aliquos actus processum, tu, ne dicta ecclesia, que in fronteria Paganorum situata existit, ex prorogatione litis huiusmodi incurreret detrimenta, omni iuri, quod tibi ex electione predicta quomodolibet competebat, in manibus dicti Ostiensis et Venerabilis fratris nostri Vitalis Albanensis Episcoporum renunciasti tua sponte, renuntiationem huiusmodi recipientium de speciali mandato nostro eis facto oraculo vive vocis. Nos itaque precavere volentes, ne prefata ecclesia viduitatis diutine deploraret incommoda, ac solicite cogitantes, quod eadem ecclesia per te virum utique vite laudabilis, morum honestate decorum, litterarum scientia preditum et aliis virtutibus insignitum, ac in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum poterit, deo propitio, (salubriter) gubernari, ad personam tuam, in quam eorundem Capituli vota tam concorditer, ut premittitur, concurrerunt, nostre considerationis intuitum duximus dirigendum: quibus omnibus paterna meditatione pensatis, te ab omnibus excommunicationum, suspensionum et interdicti sententiis, quibus forsan legatus existeres, apostolica auctoritate absolventes, ac tecum super irregularitate, quam propterea celebrando divina vel te illis immiseendo forsitan contraxisses, misericorditer dispensantes, de persona tua ipsi Curoniensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine auctoritate apostolica providemus, teque ipsi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam, et grex dominicus tuo commissus regimini per te verbo et opere salubriter informatus semper salutaria (salubriter), divina opitulante clementia, dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, in ipsius ecclesie tue ampliandis honoribus et profectibus procurandis sic te reddas sine intermissione solicitum, gregem dominicum in illa vigilantie tue commissum doctrina verbi et operis informando, quod exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat te oportuno tempore generose prosequi, ac tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione III. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Curoniensis, ut eidem Electo tanquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendant, et exhibeant ei obedienciam etc. et Archiepo Rigensi, mutatis mutandis etc.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Paulo Episcopo Curoniensi, salutem etc. Nuper etc. Cum autem postmodum per Ven. fratrem nostrum Berengarium Episcopum Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic eam iuxta datam tibi a deo prudenciam regere studeas fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia sub tue cure regimine spiritualiter et temporaliter, annuente divina clemencia, salutaribus proficiat incrementis, tuque proinde divinam et apostolice sedis graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Idus Marcii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. com. ep. 586. fol. 216.

CCLXIV.

Rodulphus ecclesiae Pomesaniensi praeficitur in episcopum, eique munere consecrationis impertito recedendi datur licentia.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Rodulfo Electo Pomesaniensi, salutem etc. Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum omnium cure nostre divina providentia commissarum spiritualiter et temporaliter augeantur, quodque illis, que suis destitute pastoribus vacationis incommoda deplorare noscuntur, tales ministerio nostro preficere studeamus, per quorum regimen utiliter et salubriter valeant gubernari. Dudum siquidem ecclesia Pomesaniensi ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani per obitum bone memorie Ludiconis episcopi Pomesaniensis solatio destituta pastoris, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te Prepositum eiusdem ecclesie in sacerdotio constitutum per formam compromissi concorditer in suum episcopum elegerunt, tuque huiusmodi electioni de te, ut predicitur, facte, illius tibi presentato decreto, ad ipsorum Capituli instantiam consensisti, et tam tu quam dicti Capitulum ad ecclesiam Rigensem Metropolitanam tuam ad petendum confirmationem electionis predicte certos procuratores et Nuntios ydoneos destinastis, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis: et deinde cum venerabilis frater noster . . . Archiepiscopus Rigensis apud sedem apostolicam moraretur ibidem, ad quem confirmacio electionis Electi ipsius ecclesie dinoscitur pertinere, nec esset aliquis alius in Civitate et diocesi Rigensi loco ipsius Archiepiscopi, qui confirmandi electionem huiusmodi potestatem haberet, tu personaliter et dicti procuratores ad sedem apostolicam accessistis, sed priusquam huiusmodi tua electio ad nostrum pervenisset auditum, et ante tuum et ipsorum procuratorum ad sedem apostolicam adventum vacatione ipsius Pomesaniensis ecclesie fidedignis relatibus intellecta, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre ac sedi predicte duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem pro parte tua et ipsorum procuratorum huiusmodi electionis negotio nobis exposito diligenter, nos illud dilecto filio nostro Bertrando sancte Marie in Aquiro diacono Cardinali examinandum commisimus et nobis postmodum referendum: qui cum aliquandiu ad examinationem processuum electionis huiusmodi processisset, huiusmodi negotio coram Cardinali predicto pendente, tu cupiens ecclesie prefate, ne detrimenta ex prorogatione vacationis ipsius incurreret, celeriter provideri, omne ius, quod tibi ex electione predicta quomodolibet competebat, resignasti libere in manibus dicti Cardinalis, de mandato nostro facto sibi oracolo vive vocis resignationem huiusmodi admittentis. Nos itaque de ipsius ecclesie provisione celeri, ne ulterius vacationis remaneret exposita detrimentis, solicite cogitantes, te ab omnibus excommunicationum et suspensionum ac interdicti sententiis, quibus forsan ligatus existeres, auctoritate apostolica duximus absolvendum, tecum super irregularitate, quam exinde forsitan contraxisti, misericorditer dispensantes, et sperantes, quod eadem ecclesia per te virum utique, prout fidedignorum habet assertio, vite laudabilis et conversationis placide, ac morum honestate decorum, litterarum scientia preditum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, poterit divina favente gratia salubriter gubernari, ad personam tuam direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi ecclesie Pomesaniensi de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, firma ducti fiducia, quod eadem ecclesia in utrisque tua circumspectione provida gratis, tribuente domino, proficiet incrementis. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, et reverenter suavi eius oneri collum flectens, curam et administrationem pre-

dictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter retributionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Avinione III. Nonas Marcii. Anno Sexto.

In e. m. Capitulo ecclesie Pomesaniensis, et Clero civitatis et diocesis Pomesaniensis et Archiepiscopo Rigensi, mutatis mutandis etc. Datum ut supra.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Radulpho Episcopo Pomesaniensi, salutem etc. Nuper Pomesaniensi ecclesie etc. Cum autem postmodum per Ven. fratrem nostrum Berengarium Episcopum Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam sponsam tuam accedens, sic eam iuxta datam tibi a deo prudenciam regere studeas fideliter et prudenter, quod etc. ut supra. Datum Avinione II. Id. Marcii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 592. fol. 218.

CCLXV.

Iacobo episcopo Osiliensi munere consecrationis impertito recedendi datur licentia.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Osiliensi, salutem etc. Nuper Osiliensi ecclesie tunc vacanti de persona tua de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem. Cum autem postmodum per venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic eam iuxta datam tibi a deo prudentiam regere studeas fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia sub tui cura regiminis spiritualiter et temporaliter, annuente divina clementia, salutaribus proficiat incrementis, tuque proinde divinam, apostolice sedis et nostram gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Idus Marcii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 583. fol. 217.

CCLXVI.

Praeposito Vratislaviensi, ut cum Conrado duce Olesnicensi et Elisabetha uxore sua super matrimonio inito dispenset.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Preposito Ecclesie Wratislaviensis, vicario in spiritualibus eiusdem Ecclesie, salutem etc. Etsi inter illos, qui consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem sunt annexi, sacrorum instituta canonum matrimonialem copulam interdicant: Summus tamen Pontifex de potestatis plenitudine, quam non ab homine obtinet, sed a deo, personarum et temporum qualitate pensata, meliora prospiciens, nonnunquam vigorem mansuetudine, maxime circa sublimes personas, pro ipsarum pace eisque subditorum temperat, et quod negat iuris severitas, de gratia pietatis indulget. Sane petitio dilecti filii Nobilis viri Conradi ducis Olesnicensis et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Elisabeth uxoris eius nobis exhibita continebat, quod ab olim, instigante humani generis inimico, inter dilectum filium nobilem virum Henricum ducem Vratislaviensem patrem ipsius Elisabeth, ac eundem Conradum, et utriusque ipsorum Consanguineos, amicos et vassallos ducatuum aliarumque terrarum ipsorum dudum extiterat grandium guerrarum commotio suscitata, ex quibus conflictus cedesque multorum, et depopulationes hinc inde multimode provenerunt. Ad obviandum itaque tantis periculis viamque malis huiusmodi precludendum, intervenientibus salubribus communium amicorum consiliis, sub spe ac fiducia benignitatis et gratie apostolice sedis ordinatum extititit, quod dicti Conradus et Elisabeth matrimonium invicem contraxerunt, inter eos postmodum carnali copula subsecuta, licet quarta consanguinitatis linea sint coniuncti, quodque ex ipsius matrimonii separatione, si quod absit, contigeret, guerrarum huiusmodi proculdubio recidiva succederet et peiora prioribus ducatibus et terris eisdem possent infallibiliter provenire. Quare prefati Conradus et Elisabeth ad apostolice misericordie munus habentes filiali devotione recursum, nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hoc eis de oportune dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur, qui precipuo desideramus affectu non solum Catholicos principes mutuo in Christo caritatis federe communiri, verum etiam salutem et pacem querimus singulorum, discriminibus et periculis obviare predictis, dictorumque Conradi et Elisabethe providere saluti misericorditer cupientes, eorumque devotis precibus inclinati, discretioni tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, tenore presentium committimus et mandamus, quatinus cum

eisdem Conrado et Elisabeth, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante, in eodem matrimonio sic contracto libere ac licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex eis legitimam decernendo. Datum Avinione v. Kal. Iunii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 886. fol. 313.

CCLXVII.

Cum Henrico duci Slesiae et domino Vratislaviae et Anna uxore eius super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Nobili viro Henrico Duci Slesie et domino Wratislavie, ac dilecte in Christo filie Nobili mulieri Anne uxori eius, salutem etc. Regis eterni mira benignitas sanctam Romanam Ecclesiam sponsam suam dotavit amplis largitionibus gratiarum, sibi tradens in clavium collatione celestium plenitudinem potestatis, qua Romanus pontifex utitur, prout personarum et temporum qualitate pensata, secundum deum conspicit salubriter expedire, nonnulla quoque de benignitatis gratia concedendo personis generis nobilitate pollentibus, que forent aliis merito deneganda. Exhibita siquidem nobis, filia Anna, tua peticio continebat, quod licet quondam Hermannus Marchio Brandenburgensis, prior vir tuus, tibi, fili Henrice, quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, attineret, tuque, predicta Anna, esses impedimenti huiusmodi non ignara, quamvis tu, prefate Henrice, illud penitus ignorares, tamen matrimonium invicem contraxistis et carnali inter vos copula subsecuta filias procreastis. Quare tu, prefata Anna, gerens super hoc conscientiam remordentem, quod in huiusmodi matrimonio licite remanere possitis, provideri vobis de apostolice dispensationis gratia nobis humiliter supplicasti, presertim cum, si quod absit, propter hoc separari contigeret, posset inter Carissimum in Christo filium nostrum Fredericum Ducem Austrie, in Romanum Regem electum, fratrem tui Anne, ac te Henricum gravis adeo scandali materia suscitari, quod animarum et corporum innumera pericula sequerentur. Nos igitur, qui paterno zelo salutem et pacem singulorum Christi fidelium indesinenter appetimus, discriminibus ac periculis huiusmodi obviare, vestreque providere saluti et statui salubriter cupientes, tuisque, Anne, supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento affinitatis ex predicta consanguinitate contracto nequaquam obstante in huiusmodi matrimonio libere ac licite remanere possitis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam ex vobis decernendo legitimam de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione v. Kalendas Iunii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Com. ep. 887. fol. 313.

CCLXVIII.

Henrico de Swin et Conrado de Crenen militibus Vratislaviensis dioc. pugnaturis contra Sarracenos conceditur indulgentia.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Swin militi Vratislaviensis diocesis, salutem etc. Devotionis tue sinceritas promeretur, ut petitionibus tuis, illis presertim, que anime tue salutem respiciunt, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis tua petitio continebat, tu zelo fidei ac devotionis accensus, pugnaturus contra Blasphemos nominis Christi ad Insulam Rodi iter arripueris transfretandi, nos tuis supplicationibus inclinati, tuamque salutem ingenti desiderio affectantes, ut de felici retributione securus contra Blasphemos eosdem eo amplius animeris ad pugnam, quo temporalem in hoc vitam sperabis procul dubio inperpetuum commutare, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, ex quo de civitate Avinionensi iter arripueris contra Blasphemos ipsos ad dictam insulam transfretandi, in mortis periculo tibi omnium peccatorum, de quibus corde contritus et ore confessus extiteris, illam plenam remissionem, quam Romani pontifices per speciale privilegium consueverunt interdum aliquibus fidelibus impertiri, quatinus claves ecclesie se extendunt, et gratum in oculis divine maiestatis extiterit, semel concedere valeat, auctoritate tibi presentium indulgemus. Volumus autem, quod si dictos Blasphemos et hostes fidei impugnando contritus et confessus, ut premittitur, forsitan mori contigerit, illam eciam indulgenciam assequaris, que concedi per sedem apostolicam transfretantibus in terre sancte subsidium consuevit, quodque prefatus confessor de hiis, de quibus alteri fuerit satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel heredes tuos, si tunc de presenti vita transieris, faciendam iniungat, quam tu vel ipsi facere teneamini, ut prefertur. Nulli etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione Nonis Augusti. Anno Septimo.

In e. m. Conrado de Crenen militi etc. Ex Reg. orig. An. VII. Part. II. ep. 1254. fol. 96.

CCLXIX.

Quibusdam viris ecclesiasticis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Decano Poznaniensi et ... Archidiacono ac ... Custodi Wratislaviensis ecclesiarum, salutem etc. Ut Nicolao Wenceslai Canonico Gneznensi Preposituram ecclesiae Opoliensis Wratislaviensis diocesis, vacantem per obitum Bogucii de Volow conferri curent. Datum Avinione vi. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Scoconii Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut preposituram in Ruden Gneznensis diocesis et in ipsa Gneznensi ecclesia Canonicatum retinere possit. Datum ut supra.

In e. m. Venerabili fratri ... Episcopo Plocensi, et dilectis filiis ... Decano Gneznensis ac ... Archidiacono Wratislaviensis ecclesiarum, ut predictam litteram exequantur etc.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Briccio de Zagay Custodi ecclesie Gneznensis, sal. etc. Confert ipsi Custodiam eiusdem ecclesie vacantem per obitum Michaelis Creslay, iudulgetque, ut in ecclesia Lanciciensi canonicatum et ecclesiam parochialem in Goia Gneznensis diocesis retinere possit. Datum Avinione vi. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis ... Wratislaviensi et ... Opoliensi Wratislav. dioc. Archidiaconis, ut eidem Briccio predictam custodiam conferri curent.

Ex Reg. orig. An. VII. Part. II. ep. 1386, 1698 et 1699. fol. 146 et 261.

CCLXX.

Engelbertus ecclesiae Tarbatensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Engelberto Electo Tarbatensi, salutem etc. Suscepti cura regiminis assidua pulsat instancia mentem nostram, ut solicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis iugo apostolice servitutis astringimur, circa earum singulas exolvamus: sed de illis ecclesiis propensius cogitare nos convenit, quas vacationum conspicimus expositas detrimentis, ut eis, cum vacant per nostre providentie studium in pastores viri preficiantur ydonei, qui sciant et possint eisdem ecclesiis ipsorum gubernationi commissis preesse utiliter et prodesse. Dudum siquidem ecclesia Tarbatensi per obitum bone memorie Nicolai Episcopi Tarbatensis pastoris solatio destituta, tu, Preposite, et dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, insimul convenistis, et deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, dilectis filiis Florencio Decano, Iohanni Custodi et Lodowico de Medebeke canonicis ecclesie prefate providendi ea vice ipsi ecclesie de se ipsis, vel aliis de gremio eiusdem ecclesie, dumtaxat per electionem canonicam, de pastore concessistis unanimiter liberam potestatem usque ad certi temporis spatium duraturam, ita quod postquam de persona ydonea eligenda ipsi compromissarii concordes existerent, unus eorundem compromissariorum vice sua et aliorum collegarum suorum, necnon Capituli prefatorum nomine personam ipsam eligeret in communi, et electionem huiusmodi publicaret. Predicti namque compromissarii huiusmodi potestate recepta secedentes in partem, post deliberationem, quam inter se habuerant diligentem, demum in te in sacerdotio et etate legitima constitutum direxerunt concorditer vota sua, sicque dictus Decanus vice sua et aliorum collegarum atque Capituli predictorum ex potestate sibi ab eis in hac parte, ut premittitur, tradita, te infra idem spatium et tempus legitimum in Episcopum Tarbatensem elegit, et electionem huiusmodi solempniter publicavit, tuque infra tempus a iure statutum ipsi electioni ad instanciam dictorum Capituli consensisti: ac deinde quamquam notorium in partibus illis existeret, quod venerabilis frater noster Fredericus Archiepiscopus Rigensis loci metropolitanus tunc esset, prout et adhuc est, apud sedem apostolicam constitutus, credens tamen, quod in eisdem partibus esset aliquis, qui confirmandi electionem predictam ab eodem Archiepiscopo potestatem haberet, ad Rigensem ecclesiam loci Metropoliticam infra tempus debitum personaliter accessisti, ubi neminem invenisti, qui confirmandi electionem ab eodem Archiepiscopo potestatem haberet. Nosque interim confirmationem electionis eiusdem et consecrationem tuam nobis et sedi apostolice duximus specialiter reservandas. Et deinde cum propter hoc iter arripuisses ad sedem veniendi predictam, huiusmodi nostra reservatio ad tuam noticiam fidedigna relatione pervenit, tuque continuatis dietis ad sedem accessisti predictam, et tam tu per te ipsum,

quam dicti Capitulum per certos eorum procuratores et nuntios ad nos propterea destinatos, confirmari a nobis electionem huiusmodi, illius nobis presentato decreto, humiliter postulastis. Verum dicto Archiepiscopo asserente, quod tu olim ipsius et dicte Rigensis ecclesie fueras indevotus, et quod ipsum et eandem Rigensem ecclesiam digna, prout tenebaris, non fueras reverentia prosecutus, et alias sibi et sue sedi iniuriator fueras, ut dicebat, sequc proinde electioni predicte, quam propter ea dicebat invalidam, opponente, tuque coram nobis super premissis excusationes et defensiones multimodas allegares: Nos causam huiusmodi venerabili fratri nostro Raynaldo Episcopo Ostiensi audiendam commisimus, et nobis postmodum referendam. Et tandem cum fuisset ad nonnullos actus coram eodem Ep̃o Ostiensi processum, nos nolentes occasione huiusmodi diu protrahi provisionem dicte ecclesie Tarbatensis, dicto Episcopo Ostiensi commisimus, ut super premissis te et dictum Archiepiscopum ad unitatem pacis et concordie reducere procuraret, ac eodem Ostiensi Episcopo mediante, amicabilis inter te et ipsum Archiepiscopum concordia intervenit: Nosque concordiam huiusmodi acceptantes, electionem eandem, tueque persone merita per venerabilem fratrem Vitalem Episcopum Albanensem, et dilectos filios nostros Guillelmum tituli sancti Ciriaci in Termis presbiterum, ac Neapoleonem sancti Adriani diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis a dictis Episcopo Albanensi et Cardinalibus super hiis relatione plenaria et fideli, invenimus electionem predictam de te persona ydonea, cui vita mundicia, morum elegantia, litterarum scientia, circumspectionis industria et aliarum virtutum merita, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, laudabiliter suffragantur, canonice celebratam, illam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, teque ipsi ecclesie Tarbatensi preficimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, in eo, a quo universorum procedunt dona carismatum, confidentes, quod, gratia tibi favente et cooperante divina, dicta ecclesia per tuum ministerium studiosum regetur salubriter et prospere dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica [tibi] scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a domino reverenter suscipiens et devote supportans, in ampliandis honoribus et profectibus procurandis eiusdem ecclesie sic te gerere satagas sine intermissione solicitum et fidelem, quod, deo propicio, dicta ecclesia pastori utili et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tueque fame odor ex tuorum maturis fructibus studiorum latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram ipsiusque sedis benedictionem et gratiam consequi uberius merearis. Datum Avinione VI. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Tarbatensis, clero et populo civitatis et diocesis Tarbatensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie et Archiepiscopo Rigensi, mutatis mutandis etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 258. fol. 93.

CCLXXI.

Mathias electus Vladislaviensis praeficitur in episcopum, et de more commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Mathie Electo Wladislaviensi alias dicto Cuiaviensi, salutem etc. In excelso sedis apostolice solio superna disponente clementia constituti, etsi multis et arduis de cunctis orbis partibus ad dicte sedis alveum confluentibus distrahamur agendis, tamen circa statum ecclesiarum vacantium, ne diutine vacationis premantur incomodis, aciem solicite considerationis extendimus, et de illis vigilantius cogitamus. Scimus quidem, et facti evidentia nos informat, quod ecclesiis pastorum regimine destitutis diuturna ipsarum vacatio iacturas ingenerat, dampna multiplicat, incomoda coacervat: ideoque digna sollicitudine ducimur, ut ad provisionem ecclesiarum ipsarum celerem ex quadam prerogativa favoris propensioribus studiis intendamus. Nuper siquidem ecclesia Wladislaviensi alias dicta Cuiaviensi per obitum bone memorie Gerwardi episcopi Wladislaviensis alias dicti Cuiaviensis, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, solatio destituta pastoris, Nos volentes eidem ecclesie de pastore utili et secundum cor nostrum ydoneo providere, cum nullus preter nos de ipsius ecclesie ordinatione se ea vice intromittere potuerit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum in posterum apud eam dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Wladislaviensi personam utilem nobisque notam habuimus cum nostris fratribus diligentem, tandem de dilecto filio magistro Bernardo de Montevalrano,

Archidiacono Sicalovie in ecclesia Bituricensi, eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum; sed eodem Bernardo ex certis causis per eum nobis expositis huiusmodi provisionem nostram minime acceptante, Nos nolentes ecclesiam ipsam longe vacationis incomodis subiacere, demum in te Decanum eiusdem ecclesie, quem litterarum scientia preditum, generis nobilitate decorum, virum quoque vite laudabilis, conversationis placide, honestate morum, discretionis et consilii maturitate conspicuum ac aliarum virtutum meritis, prout testimonio fidedignorum accepimus, insignitum noster animus requievit: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Wladislaviensi ecclesie de dictorum fratrum consilio providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, prelibata ecclesia per tue circumspectionis industriam a noxiis preservabitur et adversis, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter itaque iugum domini suscipe et humiliter eius oneri colla submitte, curam eiusdem Wladislaviensis ecclesie gerendo sollicite, ac gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem ecclesia per tue solertie studium votivis consurgat comodis, et optatis, auxiliante domino, proficiat incrementis. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Anno Octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Wladislaviensis alias dicte Cuiaviensis, Clero et populo eiusdem civitatis et diocesis, universis Vassallis et Archiepiscopo Gneznensi, mutatis mutandis etc.

Ex reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 274. fol. 98.

CCLXXII.

Wladislao regi Poloniae idem episcopus commendatur.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Divine gratia maiestatis acquiritur, si ministris eius, et hiis precipue, qui dignitatis sunt titulo prediti, pro ipsius reverentia condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Nuper siquidem etc. usque incrementa. Quocirca Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Electum et ecclesiam sibi commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, sic te illi benevolum exhibeas, sic favorabilem largiaris, prenominatum Electum et dictam ecclesiam benevolentie gratia prosequendo, quod idem Electus tuis presidiis circumfultus commissum sibi eiusdem ecclesie regimen facilius et efficacius, auxiliante domino, prosequatur, nosque proinde Celsitudinem tuam dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 274. fol. 98.

CCLXXIII.

Ducibus Cuiaviensibus idem episcopus Vladislaviensis commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Lesconi, Premislio et Kazimiro Ducibus Cuiaviensibus, salutem etc. In amore virtutum et illarum opibus, presertim circa ecclesias earumque ministros, favorabiliter exercendis nobilitatem vestram decet haberi continue studiosam, cum ex hoc vobis proculdubio et benedictionis divine premium et laudis humane preconium acquiratur. Nuper siquidem etc. usque incrementa. Cum igitur, ut idem Electus in exercendo dicte ecclesie administrationem facilius proficere valeat, favor vester esse sibi noscatur plurimum oportunus, nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Electum et eandem sibi commissam ecclesiam habentes pro divina et nostra reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis vos ipsis reddatis favorabiles et in cunctis opportunitatibus gratiosos, ita quod idem Electus, vestris fultus auxiliis, in executione huiusmodi sibi commissi regiminis possit, deo propitio, prosperare, ac vobis exinde a deo perennis vite retributio, et a nobis digna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 274. fol. 94.

CCLXXIV.

Engelberto ep̄o Tarbatensi munere consecrationis impertito recedendi conceditur licentia.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Engelberto Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Nuper Tarbatensi ecclesie etc. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episco-

pum Tusculanum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam ecclesiam sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, sic eam iuxta datam tibi a deo prudentiam regere studeas fideliter etc. Datum Avinione v. Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 259. fol. 94.

CCLXXV.

Ioanni Las de canonicatu, praebenda et scholasteria in ecclesia Tarbatensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni nato dilecti filii Bodonis dicti Las, Canonico et Scolastico ecclesie Tarbatensis, salutem etc. Tue merita probitatis, super quibus apud nos laudabili testimonio commendaris, exposcunt, ut ad personam tuam provisionis dexteram extendamus. Cum itaque Canonicatus et prebenda ac Scolastria ecclesie Tarbatensis, quos venerabilis frater noster Iacobus Episcopus Osiliensis, olim eiusdem ecclesie Canonicus et Scolasticus, in ipsa ecclesia promotionis tempore per nos facte de ipso ad Osiliensem tunc vacantem ecclesiam obtinebat, per promotionem eandem et consecrationis munus sibi de mandato nostro apud apostolicam sedem impensum apud sedem eandem vacare noscantur ad presens, de quibus nullus preter nos disponere potest, pro eo, quod nos dudum ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas, ac dignitates, personatus et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura tunc apud dictam sedem quomodocunque vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes premissorum intuitu gratiam tibi facere specialem, Canonicatum et prebendam ac Scolastriam predictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, Non obstantibus quibuscunque statutis etc. Datum Avinione XIIII. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. . . . Abbati monasterii de Valkana Tarbatensis diocesis et . . . Preposito ac magistro Iohanni de Montelongo canonico Osiliensibus, ut predictas litteras exequantur etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 305. fol. 108.

CCLXXVI.

Olaus electus Revaliensis in episcopum eiusdem ecclesiae confirmatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Olavo Electo Revaliensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum exigit, ut inter sollicitudines nostras, quibus assidue premimur, circa statum ecclesiarum solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime, ut viduatis, ne longe vacationis incommoda paciantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter eedem ecclesie, auctore domino, suspiciant incrementum. Dudum siquidem Revaliensi ecclesia per obitum bone memorie Henrici Episcopi Revaliensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debucrunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, ac in huiusmodi electionis negocio per viam scrutinii procedentes, dilectum filium Octonem nunc electum Culmensem eiusdem ecclesie Canonicum in eorum Episcopum concorditer elegerunt: deinde Carissimus in Christo filius noster Christophorus Rex Dacie Illustris asserens se dicte Revaliensis ecclesie fore patronum, ac credens sibi licere posse personam preficiendam in Episcopum eidem ecclesie ad dictam Revaliensem ecclesiam presentare, te Canonicum Roshildensem de facto elegit in Revaliensem Episcopum et pastorem, teque Venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Lundensi loci metropolitano presentavit in Revaliensem Episcopum confirmandum, et postmodum consecrandum, a qua quidem electione et presentatione dictus Otto ad sedem apostolicam appellavit, et tam idem Otto pro sue, quam tu pro tue electionum et presentationis huiusmodi prosecutione ad dictam sedem personaliter accessistis. Proposito itaque huiusmodi electionum et presentationis negocio in consistorio coram nobis, nos electionem et presentationem dicti Regis decrevimus, prout erant, irritas et inanes, ac considerantes attente, quod per eundem Ottonem ecclesia Culmensis tunc regimine destituta pastoris poterat regi utiliter et salubriter gubernari, ipsum-

que ad regimen ipsius ecclesie Culmensis magis fructuosum et utilem deputantes, prefatum Ottonem de fratrum nostrorum consilio eidem Culmensi ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem. Nosque postmodum ad provisionem ipsius ecclesie Revaliensis celerem, ne ulterioris vacationis subiaceret incomodis, solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Revaliensi personam utilem et etiam fructuosam, per quam dicta Revaliensis ecclesia posset preservari a noxiis et adversis, et in suis iuribus adaugeri, cum eisdem fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te, quem de litterarum scientia, honestate morum et vite, prudentia spiritualium et temporalium providentia fide dignorum testimonia multipliciter commendarunt, quique scies et poteris dictam Revaliensem ecclesiam utiliter regere et fideliter gubernare, eamque in suis manutenere iuribus et eciam adaugere, direximus oculos mentis nostre: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus exigentia huiusmodi meritorum tuorum accepta, de ipsorum fratrum consilio eidem Revaliensi ecclesie auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Revaliensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firmamque fiduciam tenentes, quod dirigente domino actus tuos, dicta Revaliensis ecclesia per tue industrie ac circumspectionis fructuosum studium preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et suavi oneri eius humiliter colla submitte, manumque viriliter mittens ad forcia, curam et administrationem ipsius Revaliensis ecclesie humiliter et prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurum te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipsa reddita in die stricti examinis ratione regnum patris eterni, ab origine mundi paratum electis, accipias letabundus, in eterna tabernacula intraturus. Datum Avinione x. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Capitulo eccl. Revaliensis, Clero et populo civitatis et diocesis Revaliensis, Universis Vassallis eiusdem ecclesie, Archiepiscopo Lundensi et Christophoro Regi Dacie, mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 570. fol. 192.

CCLXXVII.

Otto ecclesiae Culmensi praeficitur in episcopum et commendatur, eique munere consecrationis impertito recedendi datur licentia.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Octoni Electo Culmensi, salutem etc. Suscepti cura regiminis assidua pulsat instantia mentem nostram, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis iugo apostolice servitutis astringimur, circa earum singulas exsolvamus: sed strictius a nobis exigitur, ut ecclesiis, quas vacationum conspicimus expositas detrimentis, per nostre providencie studium in pastores viri preficiantur ydonei, ipsisque Rectores providi deputentur, sub quorum felici regimine huiusmodi ecclesie ipsorum gubernationi commisse in spiritualibus floreant, et in temporalibus augeantur. Ecclesia siquidem Culmensi per obitum bone memorie Nicolai Episcopi Culmensis, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se hac vice intromittere poterat pro eo, quod nos diu ante vacationem ecclesie prefate provisiones omnium ecclesiarum, tam cathedralium, quam etiam aliarum, tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturarum imposterum apud eam dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, per quam posset salubriter regi ac dirigi et feliciter gubernari, cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te Canonicum Revaliensem, in sacerdotio constitutum, ex nobilibus genitum, cui vite ac morum honestas, litterarum scientia, circumspectionis industria et aliarum virtutum merita, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, suffragantur, aciem direximus nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua predicte Culmensi ecclesie de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, in eo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia, predicta ecclesia per tuum ministerium studiosum augmenta suscipiet commodi et honoris. Iugum itaque domini, a deo tuis impositum humeris, prompta devotione suscipiens et supportans humiliter, in ampliandis honoribus et profectibus procurandis ecclesie prefate te gerere satagas

sine intermissione solicitum et fidelem, proficiendo inibi tibi per vite meritum et aliis per exemplum, ita quod fame tue odor ex maturis tuorum fructibus studiorum latius diffundatur, et in delectationem nobis veniat te oportuno tempore gratiose prosequi, tuisque desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione x. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Culmensis, Clero et populo civitatis et diocesis Culmensis, universis Vassallis ecclesie Culmensis et Archiepiscopo Rigensi, mutatis mutandis etc.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Ottoni Episcopo Culmensi, salutem etc. Pridem Culmensi ecclesia solatio destituta pastoris etc. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem Petrum episcopum Penestrinum tibi fecimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus apostolice sedis beneplacitis te conformans ad predictam ecclesiam Culmensem tue cure commissam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferre procures etc. Datum Avinione vi. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 427 et 428. fol. 146.

CCLXXVIII.

Mathiae episcopo Vladislaviensi munere consecrationis impertito recedendi datur licentia.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Episcopo Wladislaviensi alias dicto Cuiaviensi, salutem etc. Pridem ecclesia Wladislaviensi, alias dicta Cuiaviensi, solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem illius in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committentes, prout in aliis nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia personaliter te conferre procures, sic te in administratione ipsius diligenter et sollicite habiturus, quod utilis administratoris industrie merito gaudeat se commissam, tueque fame laudabilis odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter eterne retributionis premium nostre benivolentie gratiam et favorem exinde plenius consequaris. Datum Avinione Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 448. fol. 152.

CCLXXIX.

Pontifex quasdam ordinationes circa certos excessus et iniurias, quos magister et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia facere dicebantur, edidit, et quaedam eorum foedera et colligationes (vide supra Nro. ccxiv.) revocavit et annullavit.

Iohannes episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Iuxta sollicitudinis apostolice debitum de statu filiorum sancte matris ecclesie sub religione militantium fidei christiane assidue cogitantes, eo solicitius aciem mentis extendimus ad remotos, prohibendo noxia et salubria suadendo, quo illos utpote a presentis presidentia longe distantes ad perpetrandos excessus procliviores esse conicimus, et lima correctionis apostolice plus egere. Sane dudum contra dilectos filios . . . Magistrum Generalem et preceptorem Livonie ac commandatores et fratres ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum multa gravia et enormia fuerunt nostro apostolatui reserata, que licet ipsi negent omnino, illaque asserant esse falsa, quia tamen, si talia veritate nitantur, apostolice correctionis limam non indigne deposcunt, singulariter singulis singula providimus remedia adhibenda. In primis siquidem ad audientiam nostram pervenit, quod ipsi dilectos filios Predicatorum et Minorum ordinum fratres, quorum predicationis officium quam sit utile ecclesie generali, probant fructus uberes, quos in illa diligens ipsorum cultura produxit hactenus et producit, necnon religiosos alios et clericos seculares impediebant, quominus in partibus suis salutis verba proponere, vel per terras et loca eorum ire et redire libere et sicure valerent ad predicandum paganis et infidelibus verbum dei: propter quod attendentes gravia et plurimum detestanda pericula ex hiis negocio fidei ministrari, eidem magistro, preceptori et nonnullis commandatoribus ac fratri Corrando procuratori dicti hospitalis in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutis, et per eos ceteris fratribus hospitalis eiusdem presentibus et futuris expresse mandavimus, et presentium auctoritate mandamus, quod impedimenta huiusmodi de cetero non prestarent, nec

prestent, eisdem in virtute obedientie et sub religione prestiti iuramenti districtius iniungentes, quod predictis fratribus, necnon aliis religiosis et clericis secularibus, quos ad premissa facienda et exequenda per superiores eorum transmitti contigerit, providerent et provideant per terras eorum in eundo et redeundo de securo conductu, ipsisque prestarent et prestent consilium, auxilium et favorem: si vero, quod absit, eisdem impedimenta huiusmodi ministrarent, cum ex hiis non esset dubium prosecutionem negocii fidei et salutares fructus, qui ex propositione verbi dei proveniunt, impediri, eosdem impeditores et quoslibet alios impedimenta huiusmodi ministrantes decrevimus et decernimus [ut] excommunicationis sentenciam incurrere ipso facto. Premissis etiam addebatur, quod ipsi Neophitos, quos utpote de novo conversos ad fidem tenebantur piis uberibus confovere, donec essent in fide firmiter radicati, multiplicium oppressionum premebant incomodis, gravia et importabilia onera imponentes eisdem, et eos in servitutem quodam modo redigentes, non permittentes per locorum ordinarios, seu per alios auctoritate et licentia ordinariorum pro dictis Neophitis edificari et construi ecclesias, oratoria vel capellas, in quibus possent et possint misse ac alia divina officia celebrari, dictique Neophiti erudiri in fide ac moribus christianis, eisque ibidem ministrari ecclesiastica sacramenta: propter quod mandavimus et presentium tenore mandamus prefatis magistro, preceptori, commendatoribus et fratribus dicti hospitalis presentibus et futuris, ut a predictis consimilibus oppressionibus et impedimentis omnino desisterent et desistant, ac ecclesias, oratoria et capellas, in quibus misse et alia divina officia eisdem de novo conversis ad fidem et aliis valcant celebrari, in locis, in quibus non sunt, libere, ut premittitur, construi et edificari permittant, eos, qui temere ea impedire presumpserint, decernentes pene consimili subiacere. Adhiciebatur etiam, quod idem magister, preceptor, commandatores et fratres ecclesiis et personis ecclesiasticis multas oppressiones, iniurias, molestias et violentias inferebant, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos et Episcopos, et dilectos filios prepositos, decanos et alios ecclesiarum prelatos et personas ecclesiasticas capiendo, incarcerando, invadendo, occidendo, et alias in eos manus iniciendo temere violentas, ipsosque tandiu detinendo captivos, donec iuxta voluntatem dictorum magistri et fratrum hospitalis eiusdem cum eis componere, et illatas eis iniurias remittere cogebantur, quodque eorum ecclesias destruebant, frangebant ac incendio concremabant, ac iuribus et libertatibus et bonis aliis spoliabant: propter que ipsis expresse inhibuimus et etiam inhibemus tam sub premissa excommunicationis pena, quam sub penis et sententiis in tales a sacris canonibus promulgatis, quas si contra facerent seu fecerint, eos incurrere voluimus et volumus ipso facto: ne talia de cetero temptare presumerent vel presumant, eos nichilominus gravioribus penis subdendos, prout nobis videbitur expediens, reservantes, omnes insuper compositiones et remissiones huiusmodi factas et faciendas, quatenus sunt preiudiciales dictis ecclesiis et personis, cassamus, revocamus et irritamus omnino, ipsasque decernimus fore cassas, irritas et inanes; eas vero, que in favorem ecclesiarum et personarum predictarum facte fuerint vel fient imposterum per eosdem, ratas et validas esse volumus, et robur habere perpetue firmitatis. Preterea omnes coniurationes et conspirationes, quas prenominati magister, preceptor, commandatores et fratres fecerant in preiudicium Romane ecclesie, quatenus preiudiciales dicte ecclesie existebant, quarum tenorem de verbo ad verbum inferius presentibus duximus inserendum, revocavimus, cassavimus et annullamus, et tam eas, quam coniurationem et conspirationem quamcunque, si qua esset facta per eos in preiudicium Romane ecclesie memorate, revocamus, cassamus et annullamus et nullius fore decernimus firmitatis, iuramenta nichilominus super ipsarum observatione prestita auctoritate apostolica relaxantes. Voluimus insuper et mandavimus, et volumus et mandamus eisdem, quod renuntiarent et renuntient omnibus coniurationibus et conspirationibus supradictis factis per eos, et quod de cetero a talibus abstinerent et abstineant, precipientes eisdem sub penis predictis, ut eiusdem Romane ecclesie parerent et pareant humiliter beneplacitis et mandatis, et quod excommunicationis et quascunque alias sententias per eam vel eius auctoritate latas et ferendas, sive a canone, sive ab homine late forent, debeant debite observare. Que quidem omnia dicti magister, preceptor, commandatores et fratres in nostra et dictorum fratrum nostrorum presentia per iuramentum per eos prestitum predictis coniurationibus et conspirationibus renunciantes, omnino promiserunt firmiter et inviolabiliter observare, et se talia vel similia non facturos. Premissis etiam fuit adiectum, quod quandocunque aliquos de confratribus suis in conflictu vulnerari contingit, ipsos, priusquam expirent, interimunt, eorumque corpora flammarum incendio cremant, que tanquam orribilia et crudelia ac a cunctis fidelibus detestanda, ne de cetero attemptare presumant, sub penis in talia exercentes a Canone promulgatis, quas non

solum talia agentes, sed etiam consentientes incurrere volumus ipso facto, auctoritate predicta districtius duximus inhibendum, eisdem nichilominus in virtute obedientie arctius iniungentes, quod hec et similia prohibeant inter se fieri per statuta per ipsos super hiis specialiter facienda. Eis insuper districte precepimus et precipimus, quod auguria et sortilegia seu divinationes non exerceant, sed illa fieri prohibeant, sub predictis penis iniungentes eisdem, quod super hiis statuta faciant, ne per fratres dicti ordinis presentes et posteros talia presumantur. Hiis etiam addebatur, quod ipsi nuncios sedis apostolice ac procuratores, et gentes Prelatorum provincie Rigensis et alios pro causis et negociis ecclesiasticis per terras eorum euntes et transeuntes, et ad Romanam curiam venientes impediebant, quominus per terras eorum possent liberum habere transitum vel accessum: propter quod sub excommunicationis et aliis penis predictis eis districtius inhibuimus, et auctoritate presentium inhibemus, ne talia vel similia attemptare presumerent vel presumant, eos, si secus facerent, penas predictas ipso facto incurrere decernentes. Eisdem etiam sub penis predictis districtius duximus iniungendum, quod non impediant vassallos Rigensis ecclesie, et alium populum christianum, quominus se defendendo vel alias contra paganos infideles progredi valeant et pugnare: quinimo hortamur eosdem, ut assistant eisdem auxiliis, consiliis et favoribus, si et prout viderint expedire. Preterea quia fuit eidem apostolatui reseratum, quod ipsi occupaverant possessiones et iura et libertates venerabilis fratris nostri . . . Archiepiscopi, et dilectorum filiorum Capituli et ecclesie Rigensis, et aliarum ecclesiarum suffraganearum eiusdem Rigensis ecclesie, et detinebant eadem occupata, eisdem magistro, preceptori et commandatoribus et fratribus sub penis predictis districte mandavimus et mandamus, quod premissa omnia occupata per ipsos, si qua sint, eisdem Archiepiscopo et Capitulo et ecclesiis restituant, et restitui faciant et procurent, quantum in eis est, dando securitatem predictis et in ipsius (?) recuperandis suum consilium, auxilium et favorem, et quod de cetero nichil occupent vel usurpent de bonis et iuribus predictorum: idem quoque fieri voluimus et mandavimus Archiepiscopo et Capitulo et aliis supradictis, si forte teneant aliqua occupata de bonis ordinis supradicti. Et quia intelleximus etiam, quod prenominati magister, preceptor, commendatores et fratres impediebant indebite cives Rigenses in iuribus et possessionibus suis, et precipue in ripis fluminis Dune et aliorum fluminum, occupando iura, possessiones et libertates eorum: eisdem mandavimus sub penis predictis, quod talia facere non presumant, et quod occupata restituant civibus memoratis, illud idem volentes fieri et mandantes per cives predictos, si qua de possessionibus et iuribus predicti ordinis detinuerunt occupata. Quia vero premissis etiam fuit adiectum, quod dicti magister, preceptor, commandatores et fratres indebite impediebant nedum dictos cives Rigenses, sed etiam peregrinos et christianos alios, quominus possent libere applicare seu pervenire ad portum seu litus Dunamunde, et exinde per eundem portum intrare, ire et redire ad civitatem Rigensem, obstruendo et impediendo portum predictum, et liberum introitum et ingressum et regressum ad civitatem eandem cum rebus et bonis eorum: eisdem sub pena excommunicationis, quam si secus facerent, eos incurrere voluimus ipso facto, districtius duximus inhibendum, et etiam inhibemus, ne presumant talia attemptare, absolutionem a penis predictis, si forte prenominatos vel eorum aliquos eas contingat incurrere, nobis et sedi apostolice specialiter reservantes. Ne igitur premissa per temporis cursum oblivioni dari contingat, inhibitiones, mandata et penas huiusmodi, aliaque premissa omnia et singula de predictorum fratrum nostrorum consilio ad perpetuam rei memoriam presentibus sub bulla nostra duximus redigenda. Tenor autem dictarum coniurationum et conspirationum talis est: In nomine domini amen. Omnibus in perpetuum Lutfridus electus etc. ut supra Nro. CCXIV. pag. 131. Datum et actum apud Segeweldem Anno Domini M.CCC.XVII. VIIII. Kal. Martii. Nulli ergo etc. mandatorum seu preceptorum, constitutionum, inhibitionum, voluntatum, reservationum, cassationum, revocationum, irritationis, annullationum et relaxationis infringere etc. Datum Avinione III. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 722. fol. 241.

CCLXXX.

Ottoni episcopo Culmensi, ut viro idoneo canonicatum, quem in ecclesia Revaliensi obtinebat, conferre possit.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Octoni Episcopo Culmensi, salutem etc. Tuam volentes honorare personam, et per honorem tibi exhibitum alii gratiam impertiri, fraternitati tue conferendi auctoritate nostra Canonicatum, quem in Revaliensi ecclesia promotionis tue tempore per nos facte

ad Culmensem ecclesiam tunc pastore carentem in eadem Revaliensi ecclesia obtinebas, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis de mandato nostro apud sedem apostolicam tibi impensum apud sedem ipsam vacantem, de quo nullus preter nos hac vice disponere potest, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantia, et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, nec non prebendam de Villa Iacomeki eiusdem Revaliensis ecclesie vacantem, ut dicitur, per mortem quondam Iohannis de Keghele, ipsius ecclesie Revaliensis ecclesie Canonici, in illis partibus decedentis, que quidem prebenda tibi fuerat ante promotionem huiusmodi, sicut asseritur, assignata, si prebenda ipsa, ut premittitur, vacat et de iure nulli alii debeatur, persone ydonee, de qua tibi videbitur, conferendi cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, et inducendi per te vel alium seu alios personam ipsam vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iurium et pertinentiarum predictorum, et defendendi inductum, amoto ab eis quolibet illicito detentore, faciendi quoque personam eandem vel dictum procuratorem pro ea ad huiusmodi prebendam in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris canonici assignato, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. plenam et liberam tibi tenore presentium concedimus facultatem. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione III. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. II. ep. 1303. fol. 91.

CCLXXXI.

Executoribus, ut Bernardo dicto de Holsesatia, canonico ecclesiae Revaliensis, praebendam ipsius ecclesiae vacantem conferant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Culmensi, ac dilectis filiis ... Culmensis et ... Warmiensis Prepositis ecclesiarum, salutem etc. Meritis probitatis dilecti filii Bernardi dicti de Holsesacia Canonici ecclesie Revaliensis, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendatur, inducimur, ut personam suam speciali benivolentia prosequentes sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque prebenda, quam quondam Iohannes dictus de Revalia Canonicus ecclesie Revaliensis in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacare dicatur ad presens, et de iure alii non deberi: Nos volentes dicto Bernardo huiusmodi suorum meritorum obtentu in eadem ecclesia, cuius existit Canonicus, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si dicta prebenda, ut premittitur, vacat et de iure nulli alii debeatur, prebendam predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Bernardo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, Inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine per vos vel alium seu alios in corporalem possessionem huiusmodi prebende, iurium et pertinentiarum eius, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore etc. Non obstantibus quibuscumque statutis etc. seu quod ecclesiam sancti Nicholay Revaliensis, cui cura imminet animarum, idem Bernardus obtinet, et in eadem Revaliensi ecclesia prebendam noscitur expectare. Volumus autem, quod si idem Bernardus huiusmodi prebendam vacantem pacifice assequatur, omni iure ei in prebenda vacatura huiusmodi competenti, quod extunc extinctum fore decernimus, remaneat destitutus. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Datum Avinione III. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. II. ep. 1302. fol. 91.

CCLXXXII.

Bogufalo de Covale, canonico Wladislaviensi, de scholasteria eiusdem ecclesiae providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Bogufalo de Covale Canonico Wladislaviensi, salutem etc. Laudabilia dona virtutum, quibus, prout a fidedignis accepimus, iuvari dinosceris, promerentur, ut personam tuam favore specialis gratie prosequamur. Nuper siquidem personam dilecti filii Alberti dicti Paluca decani ecclesie Wladislaviensis volentes prerogativa favoris et gratie prevenire, decanatum eius-

dem ecclesie apud sedem apostolicam tunc vacantem per nostras sub certa forma contulimus litteras, et de illo duximus providendum, volentes, quod idem Albertus postquam dicti decanatus foret pacificam possessionem adeptus, Scolastriam, quam in eadem ecclesia obtinere dinoscitur, quamque extunc vacare decrevimus, omnino dimittere teneretur. Cum itaque dicta Scolastria per huiusmodi assecutionem decanatus eiusdem vacare speretur in brevi, nos volentes te premissorum tuorum meritorum intuitu in eadem ecclesia Wladislaviensi, cuius existis Canonicus, amplius honorare, dictam Scolastriam, cum predicto vel alio quocumque modo vacaverit, conferendam tibi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice hac vice specialiter reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. seu quod in eadem Wladislaviensi et Wratislaviensi, Cracoviensi et Poznaniensi ac Crusviciensi ecclesiis Canonicatus et prebendas, et parochialem ecclesiam de Chlewik Wladislaviensis diocesis nosceris obtinere. Volumus autem, quod postquam eiusdem Scolastrie fueris possessionem pacificam assecutus, predictam ecclesiam de Chlewik, quam ex tunc vacare decrevimus, omnino dimittas. Nulli ergo etc. nostre reservationis, constitutionis et voluntatis etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m.... Preposito et Decano Crusviciensibus Wladislaviensis diocesis, ac Iaroslao de Slusew Canonico Wladislaviensi, ut predictam Scolasteriam eidem Bogufalo conferri curent etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 696. fol. 232.

CCLXXXIII.

Alberto de Paluca de decanatu in ecclesia Vladislaviensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Alberto dicto Paluca decano Ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Sedis apostolice copiosa benignitas ad provisionem illorum dexteram sue liberalitatis libenter extendit, qui generis nobilitate pollentes per vite mundiciam, morum honestatem aliaque laudabilium virtutum merita se dignos gratia representant. Cum itaque decanatus ecclesie Wladislaviensis, quem Venerabilis frater noster Mathias Episcopus Wladislaviensis, tunc eiusdem ecclesie decanus, sue promotionis tempore per nos facte de ipso ad eandem ecclesiam obtinebat, per promotionem huiusmodi, et munus consecrationis apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem, apud eandem sedem vacare noscatur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipso decanatu possit disponere, pro eo, quod nos dudum ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem vacantia quoquomodo, et imposterum vacatura dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: Nos volentes personam tuam super premissis meritis nobis fidedignorum testimonio multipliciter commendatam in eadem ecclesia Wladislaviensi, cuius existis Canonicus, amplius honorare, predictum decanatum sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. seu quod in eadem ecclesia Scolastriam, ac in ipsa et Gneznensi, Poznaniensi, Cracoviensi, Plocensi et Crusviciensi Wladislaviensis diocesis ecclesiis Canonicatus et prebendas, quorum fructus sexaginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere. Volumus autem, quod postquam dicti decanatus pacificam fueris possessionem adeptus, eandem Scolastriam, quam ex tunc vacare decernimus, omnino dimittas. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii. Anno Octavo.

In e. m. ... Decano Gneznensis et Cantori Wladislaviensis ac Custodi Crusviciensis Wladislaviensis diocesis ecclesiarum, ut eidem Alberto predictum decanatum conferri curent etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 697. fol. 232.

CCLXXXIV.

Nicolao de Masovia de ecclesia parochiali de Clevik diocesis Vladislaviensis providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Mazovia clerico Gneznensis diocesis, salutem etc. Laudabile testimonium, quod tibi de probitatis et aliis virtutum meritis, prout testimonio fide

dignorum accepimus, perhibetur, merito nos inducit, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Nuper siquidem personam dilecti filii Alberti dicti Paluca decani Ecclesie Wladislaviensis volentes favore prosequi gratioso, decanatum eiusdem ecclesie, tunc apud apostolicam sedem vacantem, apostolica sibi auctoritate contulimus, et de illo eciam duximus providendum, volentes, quod postquam eiusdem decanatus pacificam foret possessionem adeptus, Scolastriam, quam in eadem ecclesia obtinebat, omnino dimittere teneretur. Deinde cupientes, ut de ipsa Scolastria persone provideretur ydonee, illam, cum predicto vel quovis alio modo vacaret, conferendam cum omnibus iuribus ac pertinentiis suis dilecto filio Bogufalo de Covale Rectori parrochialis ecclesie de Clewik Wladislaviensis diocesis ea vice duximus specialiter reservandam, volentes, quod postquam idem Bogufalus dicte Scolastrie pacificam foret possessionem adeptus, eandem parrochialem ecclesiam de Clewik, quam ex tunc vacare decrevimus, omnino dimittere teneretur. Cum itaque parrochialis ecclesia de Clewik per huiusmodi assecutionem prefate Scolastrie vacare speretur in brevi: Nos volentes tibi premissorum tuorum meritorum intuitu gratiam facere specialem, eandem parrochialem ecclesiam de Clewik, cum predicto vel alio quocumque modo vacaverit, conferendam tibi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis hac vice donationi apostolice specialiter reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstante, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis ecclesiis in dicta diocesi speciales etc. usque habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo ete. nostre reservationis et constitutionis etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. ... Cantori Crusviciensis Wladislaviensis dioc. et Bogufalo de Covale Wladislaviensis ac Stephano de Biana Poznaniensis Canonicis ecclesiarum, ut predictas litteras exequantur etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 593. fol. 231.

CCLXXXV.

Sandoyvogio dicto Paluca de Waussose de canonicatu in ecclesia Cracoviensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Sandoyvogio dicto Paluca de Waussose Canonico Cracoviensi, salutem etc. Probitatis merita, quibus, sicut testimonio fide dignorum percepimus, iuvari dinosceris, nos inducunt, ut ad personam tuam apostolice provisionis dexteram extendamus. Cum itaque Canonicatus et prebenda, quos Venerabilis frater noster Mathias Episcopus Wladislaviensis, olim Canonicus Cracoviensis, promotionis sue tempore ad Wladislaviensem ecclesiam per nos facte de ipso in Cracoviensi ecclesia obtinebat, per huiusmodi suam promotionem et munus consecrationis apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem, apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsis Canonicatu et prebenda disponere possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantia, et imposterum vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes tibi huiusmodi meritorum tuorum obtentu gratiam facere specialem, predictos Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine Iuris Canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit attemptari, Non obstantibus etc. seu quod in ecclesia Crusviciensi Wladislaviensis diocesis Canonicatum et prebendam, de quibus circa valorem sex florenorum auri annuatim percipis, nosceris obtinere. Nulli etc. nostre collationis, provisionis, constitutionis et voluntatis etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 692. fol. 230.

CCLXXXVI.

Eidem Sandoyvogio de canonicatu in ecclesia Plocensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Sandoyvogio dicto Paluca Canonico Plocensi, salutem etc. Laudabile testimonium, quod tibi de honestate morum et vite aliisque virtutum meritis perhibetur, merito nos inducit, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Canonicatus et prebenda, quos Venerabilis frater noster Mathias Episcopus Wladislaviensis, olim Canonicus Plocensis, tempore promo-

tionis sue ad Wladislaviensem ecclesiam per nos facte de ipso in Plocensi ecclesia obtinebat, per huiusmodi suam promotionem, et munus consecrationis apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem, apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsius Canonicatu et prebenda disponere possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem quoquomodo vacantia, et in posterum vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex nunc (?) irritum et inane, si secus supra hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: Nos volentes tibi huiusmodi tuorum meritorum obtentu gratiam facere specialem, predictos Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus supra hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. Nulli ergo etc. Datum Avinione v. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Episcopo Poznaniensi et Preposito Coloniensis, Notario nostro, et Archidiacono Poznaniensis ecclesiarum, ut predictos canonicatum et prebendam eidem Sandoyvogio conferri curent etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 985. fol. 228.

CCLXXXVII.

Gotkino de Brost de canonicatu in ecclesia Posnaniensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Gotkino de Brost Canonico Poznaniensi, salutem etc. Ad provisionem illorum dexteram apostolice liberalitatis libenter extendimus, qui laudabilium virtutum meritis redimiti se fore dignos gratia representant. Cum itaque Canonicatus et prebenda, quos Ven. frater noster Mathias episcopus Wladislaviensis, olim Canonicus Poznaniensis, promotionis sue tempore ad Wladislaviensem ecclesiam per nos facte de ipso in Poznaniensi ecclesia obtinebat, per huiusmodi suam promotionem et munus consecrationis apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem, apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsis Canonicatu et prebenda disponere possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantia, et imposterum vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes tibi tuorum meritorum obtentu, super quibus apud nos multipliciter commendaris, gratiam facere specialem, predictos Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit attemptari imposterum, Non obstantibus etc. seu quod in eadem Wladislaviensi et sancti Michaelis Cracoviensi et Crusviciensi ecclesiis Canonicatus et prebendas, ac ecclesiam de Winc Wladislaviensis diocesis nosceris obtinere. Nulli etc. nostre collationis, provisionis et constitutionis etc. Datum Avinione v. Nonas Martii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 680. fol. 227.

CCLXXXVIII.

Alberto dicto Paluca de canonicatu in ecclesia Vratislaviensi providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Alberto dicto Paluca Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Dum conditiones et merita personarum attendimus, illis libenter apostolice munificentie ianuam aperimus, quibus ad id propria virtutum dona fidedignorum approbata testimoniis suffragantur. Cum itaque Canonicatus et prebenda, quos Venerabilis frater noster Mathias Episcopus Wladislaviensis, dudum Canonicus Wratislaviensis, promotionis sue tempore ad Wladislaviensem ecclesiam per nos facte de ipso, in Wratislaviensi Eccclesia obtinebat, per huiusmodi suam promotionem, et munus consecrationis apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem, apud eamdem sedem vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsis Canonicatu et prebenda disponere possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia eccle-

siastica tunc apud dictam sedem quoquomodo vacantia, et imposterum vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex nunc(?) irritum et inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes tibi huiusmodi tuorum meritorum obtentu gratiam facere specialem, predictos Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis eciam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, Non obstantibus statutis etc. seu quod in Wladislaviensi Scolastriam, et in eadem ac Gneznensi, Poznaniensi, Cracoviensi, et Plocensi ac Crusviciensi ecclesiis Canonicatus et Prebendas, quorum fructus sexaginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere, quodque tibi hodie de decanatu dicte Wladislaviensis ecclesie tum vacante providimus, et de quodam beneficio ecclesiastico, allodio Vilcono vulgariter nuncupato, Wladislaviensis et Wratislaviensis diocesium per diversas nostras sub certa forma litteras mandavimus providcri. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione v. Nonas Martii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 679. fol. 227.

CCLXXXIX.

Vicario capituli Vratislaviensis, ut canonicos monasterii S. Mariae prope Vratislaviam a sententia excommunicationis absolvat.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio . . . Vicario in spiritualibus Capituli ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii Michaelis Abbatis Monasterii sancte Marie prope Wratislaviam ordinis sancti Augustini petitio continebat, quod Henricus Calvus, predecessor suus in regimine ipsius monasterii, tempore huiusmodi sui regiminis per devia morum et honestatis regularis incedens, luxui carnis miserabiliter deditus ipsum monasterium sic deiecit, quod ex eius detestanda lascivia pravoque regimine ipsius monasterii Canonici infames effecti quodammodo, et nichilominus paupertate depressi plus [tam] de infamia huiusmodi, quam paupertate dolebant. Verum post fraternas et caritativas eorundem Canonicorum ammonitiones pluries eidem Henrico factas, ipse in sua obstinacia perseverans, veluti aspis surda huiusmodi ammoniciones obaudiens, sed eo amplius in superbiam elevatus eisdem suis ammonitoribus dolositatis offendicula nequiter intentabat. Porro dilectus filius nobilis vir . . . Princeps et dominus terre Wratislaviensis ob ipsius Henrici scelera, insolencias, dilapidaciones et excessus huiusmodi detestanda contra eum dictique monasterii memoratos Canonicos et personas non immerito indignatus, vulgi etiam delacionibus et clamoribus sedulis concitatus, tam ipsum Henricum, quam dictos Canonicos de ipso monasterio eicere disponebat, ac ipsis extraneos alios subrogare. Sane memorati Canonici cupientes salubriter huiusmodi obviare periculis, ad Capitulum Wratislaviensis ecclesie, tunc et nunc pastore carentis, primo, et demum, quia super hoc celerem adhibere medulam et festinum remedium negligebant, ad Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Gneznensem loci Metropolitanum habuere recursum, qui volens super hiis, prout ad suum spectabat officium, providere, certis executoribus suas commissionis litteras semel et pluries destinare curavit, quas quidem litteras dictus Henricus, ut digne punicionis penam pro commissis effugeret, priusquam ad executores ipsos pervenire possent, pluries procuravit et fecit per inique calliditatis astuciam ocultari. Quamobrem septem presbiteri monasterii prefati Canonici, et nonnulli alii ipsius monasterii Canonici et seculares persone, zelo dei ducti, immo verius inflammati, quidam ex eis occulte, quidam vero manifeste consensientes, et consilium et auxilium in hoc dantes, quorum eciam Canonicorum duo in Romana Curia sunt presentes, non volentes iniquitatem ipsius Henrici amplius sustinere, ipsum in sui nequicia taliter, ut predicitur, obstinatum aliquandiu vinculis manciparunt, quem postmodum se corrigere promittentem restituerunt pristine libertati, et Canonicis pepercit eisdem. Postmodum autem inquisitores contra eundem Henricum per dictos Capitulum deputati, ipsum propter huiusmodi scelera, insolencias, dilapidaciones et excessus, et insuper perpetratum per eum homicidium manifestum, abbacia et regimine ipsius monasterii, exigente iusticia, personaliter privaverunt. Quare prefatus Michael abbas nobis humiliter supplicavit, ut eis providere super hiis misericorditer dignaremur. Cum itaque, sicut abbatis ipsius habet assercio, residui dicti monasterii Canonici, senectute debiles ac paupertate gravati, ad presentiam nostram pro absolutione super predictis obtinenda personaliter nequeant se conferre: Nos pii patris more benigno eis dictoque monasterio compacientes affectu, discretioni tue, de quo plenam in domino fiduciam gerimus, cum predicta Wra-

tislaviensis ecclesia, ut premittitur, pastore vacet ad presens, per apostolica scripta committimus et iniungimus, quod si premissis veritas suffragatur, predictis Canonicis aliisque secularibus eiusdem monasterii personis, qui fuerint in predicti Henrici capcione ac detencione quoquomodo culpabiles, auctoritate nostra iuxta formam ecclesie beneficium absolucionis impendas, iniuncto eis nichilominus, quod de iure fuerit iniungendum. Datum Avinione v. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. ep. 743. fol. 248.

CCXC.

Bartholomeus eps Electensis et Bernardus abbas S. Theofredi Anicien. dioec. nuntii apostolici mittuntur ad Gedemin regem Lithuanorum, qui, ut asserit, cum gente sua ad fidem Catholicam venire paratus sit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Electensi, et dilecto filio Bernardo Abbati Monasterii S. Theofredi Aniciensis diocesis, apostolice sedis nuntiis, salutem etc. Exultamus in domino et gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod nuper in aquilonaribus partibus, in Regno videlicet Letwinorum et nonnullis provinciis Ruthenorum, divino lumine magnifici viri Gedeminne Regis eiusdem Regni, et multorum Ruthenorum mentem misericorditer illustrante, idem Rex per sacri susceptionem baptismatis Sacrosancte Catholice ecclesie corpori, dimissis errorum tenebris, in quibus hactenus ambulavit, desiderans aggregari, litteras suas multa devocione refertas nuper nostro apostolatui destinavit, que nostris et fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium affectibus ob devocionem, quam ad nos et Romanam ecclesiam se gerere asserit, iocunditatis et leticie materiam ministrarunt, per easdem litteras devote professionis eulogio recognoscens, quod omnes Catholice fidei professores auctoritati nostre deberent esse subiecti, et quod tota fides Catholica iuxta provisionem Romane ecclesie gubernatur, in eisdem litteris devote subnectens, quod ipse invitus in errore consistit, nec christianos impugnat, tamquam fidem velit destruere christianam, sed defendit se ab inimicis suis, ut faciunt Reges et Principes alii christiani, et quod predicatorum et minorum ordinum fratres secum habet, quibus licenciam dedit liberam, ut baptizent, predicent et informent Christianum populum, et eciam infideles, ut ad omnipotentem deum et dominum convertantur, supplicans nobis, ut ad statum suum flebilem attendere dignaremur, quod paratus est nobis in omnibus sicut ceteri Reges Catholici obedire, ac fidem recipere orthodoxam, eligens nos et fratres nostros predictos cum suis presentibus et futuris in patres, et supplici prece deposcens, ut Venerabilem fratrem nostrum Fredericum Archiepiscopum Rigensem una cum legato nostro et apostolice sedis ad eum ad partes illas pro facienda pace ac terminis disponendis mittere dignaremur. Ac subsequenter post aliqualem decursum temporis secunde littere, quas idem Rex nobis transmisit, nobis et eisdem fratribus exultationem et gaudium cumularunt, ex eo, quod inter cetera continebant, quod ipse et alii omnes principes et Barones Regni sui, perseverantes laudabiliter in premissis circa nos et eandem ecclesiam, se et ipsos plene sinceritatis conspicuos indicarunt, ex illustracione divina scire se asserens, unum esse deum patrem et filium et spiritum sanctum, et hoc firmiter credit et tenet, noscens ab eodem vivo et vero nos pastorem et gubernatorem salvandorum omnium constitutum, ut quicquid ligaverimus et solverimus, ratum in celo et in terra ab altissimo iudice habeatur. Multa insuper grata nostrisque accepta propositis earumdem tenor continet litterarum, que causa brevitatis presentibus non duximus apponenda. Quibus litteris tam primis quam secundis debita cum eisdem fratribus nostris attencione discussis, omnipotenti deo multimodis gratiarum agimus acciones, pro eo, quod spiritus sancti gracia eiusdem Regis mentales oculos videtur sui fulgoris radiis illustrasse, et ostendisse sibi viam Catholice veritatis, presertim cum nostrum ex hoc et ipsius ecclesie expectemus magnum et salutare desiderium adimplendum, si viderimus eandem ecclesiam multiplicate prolis fetu concrescere, variasque gentium nationes sub eiusdem observancia fidei in unum acceptabilem Christo populum congregatas in domo domini habitare. Desiderantes igitur, ut idem Rex, salutis sue vitato dispendio, electorum aggregari consorcio mereatur, et que credit, tenet et servat eadem Romana mater ecclesia, per vere conversionis et conversacionis graciam amplectatur, ad vos viros utique litterarum sciencia preditos, Catholice fidei fervidos zelatores, ignitum, ut speramus, habentes eloquium, ex quo audiencium corda in ardore vere fidei concalescant, nostre mentis oculos dirigentes, vos ad prefatum Regem et partes illas de ipsorum fratrum consilio ut nostros et sancte sedis nuncios providimus destinandos: ideoque discretionem vestram hortandam instanter duximus et eciam excitandam, vobis in remissionem peccaminum iniungen-

tes, ut tamquam fideles ministri satoris eterni seratis in agrum hactenus sterilem cordium eorundem, iam divino vomere, ut speramus, excultum semen gratie ubere fidelium segete augmentandum, et nutancium animos confirmetis in fide, mentesque fidelium confortetis, et tam in luce sermonis quam rectitudine operis propositum vobis iter sine quorumlibet offensione curratis. Ut autem ministerium vestrum eo plenius prosperetur, quo maioris fueritis auctoritate suffulti, vobis auctoritate presencium concedimus, ut in terris illarum parcium convertendarum ad fidei Catholice veritatem proponere verbum dei, et constitutis ibidem, non obstante, si aliqui fuerint maiori excommunicacione ligati, in verbo, officio, cibo, ac in aliis honestis et licitis communicare secure, ipsosque seu alios, quos converti ad unitatem fidei christiane affectamus, recipere, baptizare, aggregare ovili fidelium valeatis, in hiis omnibus per vos vel alium seu alios exequendis pari in omnibus potestate functuri, nisi in hiis, que ordinis Episcopalis existunt, et auctoritatem pontificalis exigunt dignitatis, que per te, frater Episcope, volumus exerceri: liceat quoque personis dudum sacro baptismate delibatis, redeuntibus ad fidei vere lumen et obedientiam dicte sedis maiori excommunucacione ligatis absolucionis beneficium iuxta formam ecclesie impertiri, ac eciam dispensare, ut redeuntes de scismaticis ad ecclesie Catholice unitatem inter suos, si voluerint, valeant habitare, eisque communicare sine contumelia creatoris, et quod clerici nacionum ipsarum publice ad dicte sedis obedienciam redeuntes gaudeant privilegio clericali. Possitis quoque clericorum occisores et Religiosarum personarum, et quoscumque alios clericos et laicos presentes et futuros in illis partibus constitutos, qui pro violenta iniecione manuum in clericos seculares vel viros religiosos, vel incendio sive sacrilegio, vel aliter inciderunt in canones sentencie promulgate, iuxta ecclesie formam absolvere, dummodo iniuriam et dampna passis satisfaciant competenter, nec se ad partes illas pro absolucione huiusmodi obtinenda fraudolenter duxerint conferendos, illis exceptis, qui in Alexandriam Sarracenis merces portaverint, et arma seu alia prohibita, et portabunt, vel eisdem impenderunt vel impendent auxilium, consilium et favorem in Christianorum dispendium, et specialiter terre sancte, vel in episcopos eorumque superiores, dummodo Catholici fuerint et communionem apostolice sedis habuerint, ausu sacrilego manus iniecerint violentas, quorum absolucionem specialiter sedi apostolice reservamus. Dispensandi eciam cum clericis illarum parcium convertendarum ad fidem catholicam defectum natalium pacientibus, dummodo non sint de adulterio vel incestu, aut Regularibus vel presbiteris procreati, liberam tenore presencium vobis concedimus facultatem, quam eciam habeatis circa illos, qui ab unitate ecclesie Catholice, vel Religione seu clericali ordine recesserunt, si humiliter redire voluerint, et digne iuxta vestrum arbitrium satisfacere de commissis, ita quod ipsi religiosi ad sua loca salva disciplina sui ordinis resumantur: illosque ex iam dictis ad ecclesie redeuntibus unitatem possitis iuxta formam ecclesie a vinculo excommunicacionis absolvere, et cum eis, si qui forsitan in apostasia vel scismate constituti divina officia celebrarunt, vel se iniecerunt eisdem, super irregularitate, quam propter apostasiam, scisma, celebrationem et ingestionem huiusmodi contraxerunt, sicut est expressum superius, dispensare. Sit eciam vobis facultas eis, qui de scismaticis ad unitatem eiusdem fidei noviter sunt reversi, aut in posterum revertentur, dandi dispensacionem licenciamque, quod uxores suas, cum quibus in tercio vel quarto gradu consanguinitatis, aut affinitatis contraxisse noscuntur, dum in scismate permanerent, in uxores licite valeant retinere. In eisdem eciam partibus commutandi vota, exceptis religionis, continencie ac peregrinacionis ultramarine votis, liberam vos habere volumus facultatem. Liceat eciam vobis cum clericis parcium earumdem, et aliis ex scismaticis ad catholicam redeuntibus veritatem, presentibus et futuris, super labe Simoniace pravitatis, quam ante ipsorum reditum ad unitatem predictam contraxerunt hactenus, vel contrahent, priusquam ad eiusdem ecclesie redierint unitatem, misericorditer dispensare, eisque remictere, si qua pro labe huiusmodi recepissent, si videritis expedire, iniuncta eis loco remissionis huiusmodi satisfaccione aliqua competenti. Concedimus insuper vobis, quod, illis dumtaxat exceptis, qui mere officii pontificalis existunt, possitis per specialem commissionem in partibus illis, quotiens expedire videritis, per presbiteros regulares et seculares, dum tamen sint providi et catholici, explicare, et illis eciam committere, ut vestes sacerdotales, pallas altaris et corporalia benedicere, ac ecclesias et cimiteria reconciliare valeant, si ea forte contingat effusione sanguinis vel seminis violari: possitis eciam in eisdem partibus in ecclesiarum dedicacionibus et sanctorum festivitatibus, vel aliis congregacionibus, seu cum proponitur verbum dei, omnibus vere penitentibus et confessis unum annum de iniunctis sibi penitenciis misericorditer relaxare. Vobis eciam resumendi sedes in eisdem partibus, de quibus haberi potest memoria et eciam cer-

titudo, quod hactenus Metropoles fuerint vel ecclesie Cathedrales, et eas in statum pristinum reponendi, eis antiquis provinciis et diocesibus restitutis, servata tamen limitacione seu terminacione, quam vetustis temporibus habuerunt, libera sit facultas, vel si forte nulle hactenus fuerunt ibidem Metropoles, vel loca illa fuerint in aliarum Metropolum provinciis vel ecclesiarum Cathedralium diocesibus constituta, erigendi de novo alias metropoles, si illarum parcium exigat magnitudo, et eis provincias assignandi, et suffraganeos presules et ecclesias suffraganeas in eisdem provinciis ordinandi, dummodo dictis ecclesiis per dictum Regem et fideles alios dictarum parcium sufficientes dotes iuxta ipsarum exigenciam assignentur, ac predictis ecclesiis tum metropolitanis, quam suffraganeis certas dandi dioceses, et eciam limitandi sine antiquarum ecclesiarum preiudicio, quibus Iura sua integra volumus remanere, preficiendi quoque cisdem ecclesiis personas idoneas in pastores liberam hac vice cum consilio Metropolitanorum, si qui fuerint, quibus loca huiusmodi sunt subiecta, necnon constituendi alias collegiatas seculares et regulares, et etiam parrochiales ecclesias in provinciis et diocesibus supredictis, ac in eisdem metropolitanis, cathedralibus et collegiatis ecclesiis, secularibus et regularibus, ordinandi et ponendi collegia seu Capitula Canonicorum et clericorum, ac dignitates, personatus, officia, prebendas et alia beneficia constituendi in eis iuxta decenciam, exigenciam et facultatem earumdem, ac de huiusmodi dignitatibus, personatibus, officiis, prebendis et aliis beneficiis personis idoneis, quas in eisdem Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis per vos institui volumus, in canonicos et clericos seu beneficiatos, necnon eisdem parrochialibus ecclesiis de Rectoribus idoneis providendi, vobis concedimus auctoritate presencium facultatem. Vobis insuper apostolica auctoritate concedimus, ut fratribus predicatorum et minorum, et aliorum mendicancium ordinum per sedem approbatorum eandem in civitatibus, castris vel villis, seu locis quibuscumque illarum parcium recipiendi domos seu loca, et inibi commorandi, seu hactenus recepta mutandi, eaque permutacionis, donacionis ac cuiusvis alienacionis titulo in alios transferendi, et de hiis, que ex causa contractus huiusmodi recipient, libere disponendi, nisi eorum, que sic percipientur, per alios antiquos Canones permutacio vel quevis alia disposicio fuerit interdicta, liberam possitis concedere facultatem, Constitucionibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. et aliorum Romanorum pontificum quorumcumque predecessorum nostrorum in contrarium editis, eciam si de illis plenam et expressam ac de verbo ad verbum in presentibus oporteat fieri mencionem, nequaquam obstantibus, dummodo in locis de huiusmodi domibus ab ordinibus eisdem pro eorum diversitate sumendis certa servetur distancia, quam pro ipsorum voluntate concordi, vel secundum terrarum exigenciam, ubi loca et domus recipientur huiusmodi, pro utilitate fidelium videritis expedire. Insuper vobis presentium auctoritate concedimus, quod in Natalis domini, Resurrectionis, Ascensionis diminice, Pentecostes et quatuor béate Virginis gloriose, ac beati Iohannis Baptiste, necnon omnium Sanctorum, et singulis sanctorum Apostolorum festivitatibus, ac in ecclesiarum dedicationibus omnibus vere penitentibus et confessis unum annum et quadraginta dies, ac per ipsarum festivitatum octavas Quadraginta dies, in aliis vero festivitatibus, necnon diebus singulis, quibus coram vobis facietis populum congregari, et per vos ipsos proponetis vel coram vobis proponi facietis solempniter verbum dei, vel solempniter vos contigerit missarum officia celebrare, Quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxare, presentibus usque ad eiusdem sedis beneplacitum duraturis. Ceterum vobis et cuilibet vestrum super premissis omnibus et singulis exequendis plenam iuxta modum premissum tenore presencium concedimus potestatem. Datum Avinione Kal. Iunii. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia ep. 11. fol. 5.

CCXCI.

Iisdem conceditur, ut omnes, qui ipsos in prosecutione huius negotii perturbaverint, ipso sint facto excommunicati.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Electensi, ac dilecto filio Bernardo Abbati monasterii sancti Theofredi Aniciensis diocesis, apostolice sedis nuntiis, salutem etc. Cum vos ad Regnum Letwinorum et Rutthenorum pro magis arduisque negociis, respicientibus exaltacionem et augmentum Catholice fidei, destinemus, quia in desideriis nostris geritur, ut submotis impedimentis quibuslibet, eorum negociorum prosecucioni libere ac efficaciter, auctore domino, intendere valeatis, omnes et singulos, cuiuscunque dignitatis, ordinis, condicionis vel status extiterint, ecclesiastici vel mundani, qui vobis seu familiaribus et nunciis vestris, quamdiu fueritis in prosecucione predicta, impedimenta vel obstacula per se vel alios presumpserint ministrare, quominus predicta negocia libere et efficaciter pro-

sequi, deo faventc, possitis, apostolica auctoritate decernimus eo ipso excommunicacionis sentencie subiacere, eorumque terras suppositas ecclesiastico interdicto, cuius excommunicacionis absolucionem et interdicti relaxacionem absque auctoritate sedis apostolice spcciali, preterquam in mortis articulo, ab alio, quam a vobis vel vestrum altero, extunc eciam nisi congrua satisfaccione prcmissa, nequeant obtinere, non obstantibus quibuscunque privilegiis vel indulgenciis sub quacunque forma vel expressione verborum eisdem, vel eorum aliquibus ab apostolica sede concessis, vel imposterum concedendis, que quo ad hoc eis in nullo volumus suffragari. Datum Avinione Kal. Iunii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 12. fol. 5.

CCXCII.

Iisdsm omnes sibi opponentes facultas ad sedem apostolicam citandi datur.

Iohannes episcopus etc. Eisdem, salutem etc. Cum vos ad Regnum Letwinorum etc. ut in proxime superiori, usque intendere valeatis, citandi peremptorie ex parte nostra per vos vel alium seu alios omnes et singulos, cuiuscunque dignitatis et ordinis vel status extiterint, ecclesiastici vel mundani etc. usque deo favente possitis, quod infra certum terminum competcntem, quem eis ad hoc duxeritis prefigendum, apostolico se conspectui personaliter representent, facturi super hiis et recepturi, quod iuxta ipsorum demerita viderimus expedire, liberam vobis et cuilibet vestrum auctoritate presencium concedimus facultatem: diem vero citacionis et prefixionis huiusmodi, et quicquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 13. fol. 5.

CCXCIII.

Gedemin regi Lithuanorum (conf. supra pag. 49. et 50.) super sua conversione et de SS. Trinitate et fide Catholica scribitur.

Iohannes episcopus etc. Excellenti et Magnifico viro Gedemimne Letwinorum et multorum Ruthenorum Regi Illustri, deum colere et timere. Missa nobis tue magnitudinis littera, devocione referta verbisque succincta, grata nimirum nostris ac fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium venit affectibus, in qua dum tuam devocionem attendimus, dum advertimus salvacionis tue salubre propositum, dum illum, quem ad deum ac nos et Romanam ecclesiam te gerere asseris, devocionis affectum intente meditacionis intuitu contemplamur, auditui nostro gaudii et leticie materiam prebuisti. Post primum quidem tue grate salutacionis alloquium in ipsius primordio litere subiunxisti, quod omnes fidei christiane cultores auctoritati nostre debent esse subiecti, quodque tota fides catholica iuxta provisionem Romane ecclesie gubernatur, declarans nobis, quod quondam predecessor tuus Mindowe cum toto suo Regno fuit ad fidem Christi conversus, sed propter atroces et inimicabiles iniurias dilectorum filiorum Magistri et fratrum ordinis (hospit.) S. Marie Theotonicorum Ierosolimitani a fide huiusmodi recesserunt, et in errorem pristinum sunt relapsi, sicut et te oportet propterea usque in hodiernum diem, licet invitum, in errore huiusmodi permanere, ac subsequenter quamplures articulos contra eosdem Magistrum et fratres in eisdem litteris annotasti, multorum gravaminum, iniuriarum, excessuum expressivos, subnectens, quod tu nequaquam christianos impugnas, tamquam fidem velis destruere christianam, sed defendis te ab inimicis tuis, ut faciunt Reges et principes alii christiani, et quod Predicatorum (et) Minorum ordinum fratres tecum habes, quibus commisisti et licentiam dedisti liberam, ut baptizent, predicent et informent christianum populum, et eciam infideles, ut ad omnipotentem deum et dominum convertantur. Supplicasti denique nobis, ut ad statum tuum flebilem attendere dignaremur, quia paratus es nobis in omnibus sicut ceteri Reges catholici obedire, ac fidem recipere orthodoxam, dummodo predictis Magistro et fratribus in nullo penitus tenearis, eligens nos dictosque fratres nostros predictos Romane ecclesie Cardinales cum filiis tuis presentibus et futuris in patres, ac iterato supplicans, ut venerabilem fratrem nostrum Fredericum Archiepiscopum Rigensem, una cum legato nostro et apostolicc sedis ad te ad partes illas pro facienda pace ac terminis disponendis mittere dignaremur. Consequentcr post aliqualis decursum temporis perfuse devocionis odore secunde littere, quas nobis tua excellencia destinavit, exultacionem et gaudium super eo nobis et eisdem fratribus nostris uberrima cumularunt, quod tu et alii omnes principes et Barones Regni tui perseverantes laudabiliter in premissis circa nos et eandem ecclesiam, te et ipsos plena sinceritate con-

spicuos indicarunt, illum in persona tua innuentes obediencie reverentis haberi spiritum, tibi, ut credimus, non sine divine clemencie dono concessum, prout in earundem litterarum principio annotatur, quod ex illustracione divina te asseris unum esse deum patrem et filium et spiritum sanctum, et hoc firmiter credis et tenes, noscens ab eodem deo vero et vivo nos pastorem et gubernatorem salvandorum omnium constitutum, ut quicquid ligaverimus et solverimus in celo et in terra, ab altissimo iudice ratum maneat. Multa insuper grata nostrisque accepta propositis earundem tenor continet litterarum, que inserere presentibus causa omittimus brevitatis. Nos igitur tam primis quam secundis huiusmodi litteris debita cum eisdem fratribus nostris attencione discussis, deo patri omnipotenti, a quo bona cuncta procedunt, in cuius manu Regum corda consistunt, cui eciam quecunque vult illa, sine obice difficultatis inclinat, multimodas graciarum retulimus actiones, pro eo, quod spiritus sancti gratia videtur mentales tuos oculos suis fulgoris radiis illustrasse, ac ostendisse tibi viam catholice veritatis, ut Regalis providencia reformet salubriter fidem ipsam catholicam, quam predecessor tuus predictus cum suo Regno susceperat, licet ab ea deficientes postmodum dampnabiliter in errorem pristinum laberentur, ut tue littere continebant, presertim cum et nostrum ex hoc et ipsius ecclesie exspectemus magnum et salutare desiderium adimplendum, si viderimus eandem ecclesiam multiplicate prolis fetu concrescere, variasque gencium naciones sub eiusdem fidei observancia in unum acceptabilem Christo populum congregatas in domo domini habitare: hanc utique domum, unam videlicet ecclesiam sibi et gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam dominus noster elegit, iuxta quod legitur in Cantico Canticorum, una est sponsa mea, electa mea, immaculata mea. Ipse quoque dominus unum esse ovile ovium, et unum pastorem in ewangelio protestatur, et in apostolorum Symbolo, unam esse catholicam et apostolicam ecclesiam fides catholica profitetur: hanc autem idem dominus Ihesus Christus in semetipso lapide angulari fundavit, hanc et sui preciosi sanguinis effusione redemit, cuius magisterium apostolorum principi, beato Petro vicario suo, et per ipsum suis successoribus singularis privilegii prerogativa commisit: Tu es, inquiens, Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam; et cum illi post suam resurreccionem verbo tercio repetito dixisset: Pasce oves meas; pro cuius etiam fide se orasse fatetur, loquens ad eum in ewangelio: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; ac ut eiusdem apostolorum principis suorumque successorum universalis esset auctoritas, et introducendi in Regnum celorum indubitata potestas, ad eundem dixit: Tibi dabo claves regni celorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in celis. Qui ergo se ad huius ovile et sub eiusdem pastoris cura reduxerint, ac sub eius doctrina et magisterio cursum vite peregerint, salvacionis graciam merebuntur: qui vero ab eis deviarint, dampnacionis sentencia ferientur. Et ideo paterno desideramus affectu, ut salutis tue vitato dispendio, electorum aggregari consorcio merearis, et que credit, tenet et servat eadem Romana mater ecclesia, derelictis omnino scismaticorum erroribus, in quorum observacione deviatur a via lucis, et panditur iter ad tenebras, vere conversionis et conversacionis graciam amplectaris. Hinc est, quod nos ad venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum Electensem Episcopum, et dilectum filium Bernardum Abbatem Monasterii sancti Theofredi Aniciensis diocesis, viros utique litterarum sciencia preditos, vita et conversacione laudabiles, et graciam ewangelice predicacionis habentes, nobisque propterea ac dictis fratribus acceptos, dirigentes oculos mentis nostre, ipsos ad te ac partes tue dicioni subiectas de ipsorum fratrum consilio ut nostros et dicte sedis nuncios duximus specialiter destinandos, ut tibi ac Regno tuo ewangelizent et predicent deum et dominum nostrum Ihesum Christum, vosque in orthodoxe ac sancte Catholice et apostolice Romane ecclesie fidei veritate salubriter instruant et informent, quatinus ipsum dei filium Ihesum Christum tu et gens tua salutaribus eorum erudicionibus agnoscentes, baptismi, qui nondum illo forsan renati estis, purificari mereamini sacramento, ac suum gloriosum nomen Christiane fidei observancia colatis. Ceterum, quod super memoratis articulis, in predictis primis ac secundis eciam litteris contra dictos Magistrum et fratres expositis, ad nos dictosque Cardinales fratres nostros habuisti recursum, nos attendentes, quod ex recta confidencia et pura devocione procedit, quod nostrum et ipsius ecclesie subire in illis iudicium non recusas, et imploras auxilium confidenter, eius obediencie te submittens, eisdem Magistro et fratribus, te post suscepcionem eiusdem fidei ad gremium eiusdem ecclesie redeunte, nostris dabimus litteris in mandatis, et faciemus, auctore domino, per circumspectam apostolice sedis providenciam, quod ab huiusmodi molestiis, dampnis et iniuriis tibi decetero inferendis penitus resipiscant, tecumque fra-

terne teneantur convivere et in pace, sine qua non congrue colitur pacis actor: et nichilominus, cum simus omnibus secundum apostolum debitores in iusticia, super huiusmodi articulis, causis et questionibus, quos et quas cum dictis Magistro et fratribus, vel adversus eos te habere proponis, post tue felicis conversionis auspicium adeo favorabilis iusticie plenitudinem, ac defensionis presidium tibi tuisque uatis et Reguo exhibere proponimus, quod tu, qui nos dictosque Cardinales fratres nostros in patres cum eisdem filiis tuis, ut premittitur, elegisti, merito gaudere poteris tales elegisse patres, teque in nobis et predicta Romana ecclesia id, quod in patris et matris auxilio reperire speraveras, iuvenisse: sed et memoratis Episcopo et Abbati dedimus in mandatis, ut omnia inter te dictosque Magistrum et fratres ac in dictis partibus agere studeant et tractare, que ad cultum et laudem dei, exaltacionem catholice fidei, honorem apostolice sedis, relevacionem ecclesiarum et pauperum animarum salutem et corporum pertinebunt. Ideoque magnificenciam tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus eosdem Episcopum et Abbatem pro divina dicteque apostolice sedis ac nostra reverencia, ymo pocius nos in ipsis benigne recipiens et honeste pertractans, eorum salubribus monitis acquiescas, sisque Christianis catholicis, qui apud te degunt, pius et misericors, benivolus et benignus, et permittas, quod iidem Episcopus et Abbas, alieque persone ydonee, graciam evangelice predicacionis habentes, quas ad huiusmodi predicacionis officium duxerint assumendas, Christianis eisdem aliisque infidelibus tibi subditis evangelizare libere valeant Ihesum Christum. Datum Avinione.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 14. fol. 7.

CCXCIV.

Episcopo Electensi et abbati sancti Theofredi nuntiis apostolicis provisio pro necessariis expensis conceditur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Electensi, et dilecto filio Bernardo abbati Monasterii sancti Theofredi ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Cum vos tamquam viros litterarum sciencia predictos ac in multorum arduorum execucione probatos, scientes utique tractare sollicite grandia, prudenter illa dirigere et laudabiliter, cooperante vobiscum domino, consummare, ad Regnum Letwinorum et Ruthenorum pro magnis et arduis ecclesie Romane et fidei orthodoxe negociis specialiter destinemus, tibi, frater Episcope, octo, tibi vero, fili abbas, quinque florenos auri singulis diebus, quibus in dictorum negociorum prosecucione fueritis, pro necessariis vestris expensis de fratrum nostrorum consilio deliberavimus providendum. Ut igitur in commissis vobis negociis eo possitis prosperari facilius, quo maiori per nos fueritis auctoritate muniti, vobis et cuilibet vestrum compellendi quoslibet prelatos, cuiuscunque preeminencie vel dignitatis extiterint, eciam si archiepiscopali vel episcopali prefulgeant dignitate, nec non regulares Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, Magistros quoque, Priores, Preceptores ac fratres sancti Iohannis Ierosolimitani, beate Marie Theotonicorum, Calatravensis, aliorum quorumcunque hospitalium sive domorum, et alias quascunque personas ecclesiasticas Cathedralium et aliarum ecclesiarum, sive monasteriorum exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in dictis procuracionibus vobis debitis, Non obstantibus quibuscunque privilegiis et indulgenciis apostolicis, per que possent in hac parte quomodolibet se tueri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debet fieri in nostris litteris mencio specialis, plenam auctoritate presencium concedimus potestatem. Datum Avinione.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 15. fol. 6.

CCXCV.

Iisdem conceditur, ut fratres cuiuscunque ordinis in suum adiutorium recipere possint.

Iohannes episcopus etc. Eisdem, salutem etc. Cum vos ad magnificum virum Gedeminne Regem Letwinorum et multorum Ruthenorum et terras sue dicioni subiectas pro magnis et arduis negociis, respicientibus ad exaltacionem et augmentum catholice fidei, destinemus, ad quorum prosecucionem non est dubium vos fidelibus in utraque lingua peritis interpretibus indigere, requirendi dilectos filios, priores predicatorum et custodes seu gardianos minorum fratrum, et aliorum quorumcunque mendicancium ordinum approbatorum, prelatos illarum partium, quod de fratribus suorum ordinum quotcunque et quoscunque volueritis, si eos pecieritis nominatim ad obsequia vestra, alioquin quos ipsi ad hec exequenda magis ydoneos esse cognoverint, super quibus eorum consciencias oneretis, ad requisicio-

nem vestram debeant destinare, quandocunque et quocienscunque eos super hoc duxeritis requirendos, ac nichilominus si forte in parendo vobis circa premissa se negligentes reddiderint, vel forsitan contumaces, assumendi per vos ipsos de fratribus dictorum ordinum, quos ydoneos esse noveritis, quotcunque vobis super prosecucione premissorum putaveritis oportunos, et committendi eis quecunque super hiis videritis committenda, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendi, non obstante, si eisdem prioribus, custodibus, gardianis, prelatis, fratribus ac ordinibus supradictis a sede apostolica sit indultum, quod professores dictorum ordinum ad aliquod officium vel ministerium sumendum vel eciam exequendum cogi, seu quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia prefate sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presencium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, discrecioni vestre plenam et liberam auctoritate presencium concedimus facultatem, ita quod si aliquem vestrum in prosecucione premissorum contigerit impediri, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Avinione ... Iunii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 17. fol. 7.

CCXCVI.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum mandatur, ne Gedemin regem Lithuanorum ac gentem suam, qui ad fidem catholicam se convertere proponunt, molestent.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Pater luminum, a quo omne datur optimum et omne donum perfectum descendere noscitur, mentem magnifici viri Gedemine Regis Letwinorum et multorum Ruthenorum preparasse videtur, sicut per devotissimas litteras eius nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus nuper directas percepimus, ad cognoscendam et perspiciendam lucem catholice veritatis, propter quod ad eiusdem Regis devote requisicionis instanciam Venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum Episcopum Electensem, et dilectum filium Bernardum Abbatem monasterii sancti Theofredi Aniciensis diocesis, viros utique litterarum sciencia preditos, in magnis et arduis gerendis negociis hactenus laudabiliter comprobatos, ac fervidos catholice fidei zelatores, tamquam speciales apostolice sedis nuncios ad partes illas providimus destinandos, sperantes, quod per manus eorum idem Rex et alii principes et nobiles cum populis dictarum parcium, regenerati sacri unda baptismatis, veram sanctamque doctrinam catholice fidei et ewangelicam percipient veritatem. Cum autem idem Rex super certis articulis, causis et questionibus, quos et quas contra vos se habere proponit, nostrum et eiusdem ecclesie subire iudicium non recuset, quin ymo super hiis implorat auxilium confidenter: Nos cupientes eundem et quoslibet infideles ad catholicam fidem converti, volentesque, quantum cum deo possumus, fovere favoribus et beneficiis provocare, Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vobis in virtute sancte obediencie districtius iniungentes, quatinus postquam idem Rex fidem catholicam, deo auctore, suscepit, a molestiis, dampnis et iniuriis inferendis eidem et hominibus Regni sui resipiscatis omnino, quin ymo teneri vos volumus cum eodem Rege et aliis personis illarum parcium, que ad fidem catholicam convertentur, fraterne et in pace vivere, sine qua non congrue colitur pacis auctor. Nos enim, cum simus omnibus secundum apostolum in iusticia debitores, super predictis articulis, causis et questionibus post conversionem ipsius Regis ad fidem catholicam intendimus per optime ac celeris exhibicionem iusticie partes apostolice solicitudinis adhibere. Datum Avinione.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 18. fol. 7.

CCXCVII.

Litterae passus pro iisdem nuntiis, ut de expensis et aliis necessariis provideantur.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus etc. ad quos littere iste pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum Episcopum Electensem, et dilectum filium Bernardum Abbatem Monasterii sancti Theofredi ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, apostolice sedis nuncios, pro magnis et arduis ecclesie Romane et fidei orthodoxe negociis ad Regnum Letwinorum et Ruthenorum specialiter

destinemus, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eosdem nuncios, cum per partes vestras transitum fecerint, ob reverenciam dicte sedis et nostram benigne recipientes ac honeste tractantes, eisdem diebus singulis, Episcopo videlicet in octo, et abbati predictis in quinque florenis auri pro eorum necessariis, et de securo conductu, nec non in evectionibus oportunis, si sue in via forsan decesserint vel defecerint, vel alias fuerint impedite, cum super hiis ex parte nostra per ipsos vel eorum alterum seu nuncium vel nuncios ipsorum fueritis requisiti, in eundo, morando et redeundo liberaliter providere curetis, ita quod devocionem vestram exinde commendare merito valeamus, alioquin sentenciam, quam ipsi vel eorum alter per se vel alium seu alios propter hoc rite tulerint in rebelles, super quo eis et eorum cuilibet plenam concedimus tenore presencium potestatem, ratam habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod nunciis sedis eiusdem aliquam procuracionem exhibere, vel in ipsa contribuere, nisi ad eos declinaverint, minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mencionem, sive aliquibus privilegiis vel indulgenciis quibuscunque personis, locis vel ordinibus sub quavis forma verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris similis mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum valeat quomodolibet impediri. Datum Avinione.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 19. fol. 7.

CCXCVIII.

Iisdem nuntiis articuli fidei Catholicae dantur, ut dicto regi suaeque genti explanent et insinuent.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Electensi, et dilecto filio Bernardo Abbati Monasterii sancti Theofredi Aniciensis diocesis, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Inter precipuos et precordiales affectus, qui totum nos possident, illa est nobis cura suprema, ut fides catholica iugiter augeatur, et tunc nobis iuxta cor nostrum consolacionis materia prestatur et gaudii, cum audimus orbis principes et magistros, dudum ambulantes in tenebris et mortis umbra degentes, novi luminis fulgoribus radiatos renasci cupere fonte baptismatis, et perennem amplexari salutem, que Christus est, et semitam agnoscere veritatis. Sane a magnifico viro principe Gedeminne Rege Letwinorum et multorum Ruthenorum iam repetitas recepimus litteras, inter cetera continentes, se maioresque suos, nisi obstitissent aliqua, que longum esset per cuncta repetere, ad Christianam fidem fuisse conversos; ipso denique cum instancia postulante, ut venerabilem fratrem nostrum Archiep̄um Rigensem ad dandum sibi tam generose benedictionis munus ad partes illas mittere dignaremur: Nos ex hiis precordialiter delectati, et devotas laudes et supplices referentes domino Ihesu Christo, qui cordi dicti Regis tanti luminis iubar infundit, de vestra quoque fidei diligencia et circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, et sperantes in eo, qui spiritus suos angelos facit, et ministros eius ignem urentem, vos, qui tante mercedis participio expertes non eritis, ad partes illas ad ewangelizandum dicto Regi et genti sue verbum vite ac viam salutis eterne duximus destinandos, et ut articulos Christiane fidei dictis Regi et genti lucidius explanare et insinuare possitis, ipsos vobis presentibus annotatos transmittimus, qui tales sunt. Credimus sanctam trinitatem, patrem et filium et spiritum sanctum, unum deum omnipotentem, totamque in trinitate deitatem coessencialem et consubstancialem, coeternam, coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, que sunt in celo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in sancta trinitate personam unum verum deum plenum et perfectum. Credimus ipsum filium dei verbum dei eternaliter natum de patre, consubstancialem, coomnipotentem et equalem per omnia patri in divinitate, conceptum de spiritu sancto, natum ex Maria semper virgine cum anima racionali, duas habentem nativitates, unam ex patre eternam, alteram ex matre temporalem, deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, neque fantasmaticum, sed unum et unicum filium dei in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana naturis, sed in unius persone singularitate, inpassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum, vera carnis passione mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tercia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in celum, et sedere ad dexteram pa-

tris, et inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala. Credimus eciam spiritum sanctum plenum et perfectum, verumque deum ex patre et filio procedentem, coequalem, et coessencialem, et coomnipotentem et coeternum per omnia patri et filio. Credimus hanc sanctam trinitatem non tres deos, sed unum deum omnipotentem, eternum, invisibilem et incommutabilem. Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua unum datur baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credimus eciam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam eternam. Credimus novi et veteris testamenti legis, ac prophetarum et apostolorum unum esse auctorem deum et dominum omnipotentem. Hec est vera fides catholica, et hanc super dictis articulis tenet et predicat sacrosancta Romana ecclesia: sed et propter diversos errores a quibusdam ex ignorancia, et ab aliis ex malicia introductos dicit et predicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram penitenciam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vere penitentes in caritate decesserint, antequam dignis penitencie fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas penis purgatoriis post mortem purgari, et ad penas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, oraciones et helemosinas, et alia pietatis officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesie instituta. Illorum igitur animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam, illas eciam, que post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exute, prout superius dictum est, sunt purgate, in celum mox recipi, illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana ecclesia credit et firmiter asseverat, et quod nichilominus in die Iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum corporibus suis comparebunt, reddituri de factis propriis racionem. Tenet eciam et docet eadem Romana ecclesia, Septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra, aliud est sacramentum confirmacionis, quod per manus imposicionem Ep̄i conferunt crismando renatos, aliud est penitencia, aliud est Eucharistia, aliud est sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud est extrema unctio, que secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum eucharistie ex azimo conficit ipsa Romana ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis transsubstanciatur vere in corpus, et vinum in sanguinem domini nostri Ihesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros, soluta vero lege matrimonii per mortem alterius coniugum, secundas et tercias deinceps nupcias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam catholicam ecclesiam obtinet, quem se ab ipso domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, qui sicut pre ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si que de fide suborte fuerint questiones, suo debet iudicio diffinire, ad quem potest gravatus quilibet in negociis pertinentibus ad forum ecclesiasticum appellare, sed in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potestatis potest recurri iudicium, et eidem omnes ecclesie sunt subiecte, ipsarumque prelati et obedienciam et reverenciam sibi debent, apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, et patriarchales precipue diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit, sua tamen prerogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibusdam aliis semper salva. Datum Avinione.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 19. fol. 7.

CCXCIX.

Iisdem, ut in prosequendo hoc negotio in locis interdictis celebrare possint, indulgetur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Electensi, et dilecto filio Bernardo Abbati Monasterii de sancto Theofredo ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Cum vos ad magnificum virum Gedeminne Regem Letwinorum et multorum Ruthenorum, et terras sue dicioni subiectas pro magnis et arduis negociis exaltacionem et augmentum catholice fidei tangentibus destinemus, nos volentes super hiis, que vestrarum et aliorum salutem animarum contingunt, favore vos prosequi gracioso, vestris supplicacionibus inclinati, ut cum vos vel alterum vestrum, quamdiu eundo, morando et redeundo in huiusmodi negociorum prosecucione fue-

ritis, ad loca ecclesiastico supposita interdicto declinare, sive in illis moram trahere continget, libere possitis in locis eisdem, ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis exclusis, ac voce submissa missarum et aliorum divinorum officiorum solempnia celebrare, et eciam facere celebrari, dummodo vos vel alter vestrum, seu illi, qui vobiscum in huiusmodi celebracione presentes extiterint, causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel eis contingat specialiter interdici, vobis et cuilibet vestrum auctoritate presencium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione v. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 20. fol. 8.

CCC.

Iisdem, ut durante dicto negotio, antequam illucescat dies, missam celebrare et facere celebrari possint.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Electensi, et dilecto filio Bernardo Abbati Monasterii de sancto Theofredo ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Cum vos ad magnificum virum Gedeminne Regem Letwinorum et multorum Ruthenorum, et terras sue dicioni subiectas pro magnis et arduis negociis exaltacionem et augmentum Catholice fidei tangentibus destinemus, Nos volentes super hiis, que salutis animarum incrementa respiciunt, favore vos prosequi gracioso, vestris supplicacionibus inclinati, ut, cum vobis vel alteri vestrum ex iusta causa fuerit oportunum, possitis, quamdiu eundo, morando et redeundo in huiusmodi negociorum prosecucione fueritis, antequam illucescat dies, missam licite celebrare, seu eciam in vestra presencia facere celebrari, ita quod id nec vobis nec aliis presbiteris taliter celebrantibus ad culpam valeat imputari, vobis et vestrum cuilibet auctoritate presencium indulgemus, proviso ut parce utamini concessione predicta, quia cum in altaris officio immoletur noster dominus, dei filius Ihesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione v. Kal. Iunii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. I. de Curia ep. 21. fol. 8.

CCCI.

Litterae salvi conductus pro Frederico archiep̄o Rigensi in patriam redeunte.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis etc. presentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Fredericus Archiepiscopus Rigensis zelo fidei et devocionis accensus, de licencia et beneplacito nostris ad provintiam suam Rigensem se conferat, ut ad ovile gregis dominici per sui opem salubris ministerii tanquam pastor fidelis oves errantes, autore domino, ab invio revocare valeat, et fructum facere animarum: Nos cupientes, ut idem Archiep̄us, submotis impedimentis quibuslibet, prosecucioni intendere valeat premissorum, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obediencie districte precipiendo mandantes, quatenus eidem Archiepiscopo suisque familiaribus, cum per partes vestras transitum fecerint, nullam in personis, comitaturis et rebus suis molestiam seu iniuriam quomodolibet inferatis; quin imo pro divina et apostolice sedis nostraque reverencia de securo conductu, sicut et prout oportunum fuerit, et ad vos super hoc duxerit recurrendum, sic liberaliter provideatis eisdem, quod idem Archiepiscopus grata de vobis eidem sedi apostolice referre seu nunciare valeat, nosque proinde sinceritatem vestram dignis in domino laudibus attollamus. Datum Avinione Nonis Iunii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. II. ep. 1182. fol. 59.

CCCII.

Cum Mathia ep̄o Vladislaviensi de liminibus apostolorum visitandis dispensatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Episcopo Wladislaviensi alias dicto Cuiaviensi, salutem etc. Ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod tu, de quo nuper ecclesie Wladislaviensi alias dicte Cuiaviensi tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, post consecrationis munus, quod tibi de mandato nostro impensum extitit, apud apostolicam sedem de visitando per te vel nuntium tuum apostolorum limina singulis bienniis prestitisti, prout moris est fieri, corporaliter iuramentum, quamvis ecclesia ipsa privi-

legium exemptionis non habeat, sed Venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi iure metropolitico sit subiecta: quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque volentes tuis et eiusdem ecclesie in hac parte commoditatibus providere, ac illa tibi concedere, que tue persone quietem respicere dinoscantur, tuis supplicationibus inclinati, te ab huiusmodi iuramento, quo ad visitationem huiusmodi dumtaxat, dummodo ad eam realiter faciendam minime tenearis, apostolica auctoritate absolvimus, volentes iuramentum ipsum, quo ad omnia alia et singula inviolabiliter observari. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione xv. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. II. ep. 1436. fol. 143.

CCCIII.

Cum Casimiro duce Thossinensi et Eufamia eius uxore super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Casimiro duci Thossinensi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Eufamie eius uxori, salutem etc. Cum summus Pontifex, collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis, Pontificium ligandi obtineat et solvendi, nonnunquam supra ius de iure dispensans, necessitatis vinculum, quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de suc potestatis plenitudine circa quosdam, et precipue circa personas generis nobilitate sublimes, erga deum et sedem apostolicam devotione precipua refulgentes, prout personarum et negotiorum qualitate pensata id in deo conspicit salubriter expedire. Oblata siquidem nobis pro parte vestra petitionis series continebat, quod inter te, fili Casimire, ac dilectum filium nobilem virum Troydmum ducem Mazovie, genitorem tuum, filia Eufamia, ut tu, prefate Casimire, ac idem dux potentie Litwanorum, qui tuas, Casimire predicte, et dicti ducis terras sepius invadentes, populum christianum exinde abduxerunt, melius et utilius resistere valeretis, et ne sopite inter te dictumque ducem lites suscitari valerent, fuit unio et amicitia ordinata, vosque demum, ut unio et amicitia huiusmodi firmius permaneret, matrimonium invicem, licet tertio et quarto consanguinitatis sitis coniuncti gradibus, contraxistis, quod demum in facie ecclesie publice sollennizare curastis. Verum quia matrimonium ipsum absque dispensatione sedis apostolice non potest de iure subsistere, impedimento consanguinitatis huiusmodi obsistente, fuit pro parte vestra nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis remedio dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum Christifidelium pacem querimus et quietem, vestre cupientes providere saluti, vobiscum, ut impedimento consanguinitatis huiusmodi nequaquam obstante, in eodem matrimonio valeatis licite remanere, auctoritate presentium dispensamus, prolem suscipiendam ex eo legitimam de apostolice potestatis plenitudine nuntiantes. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre dispensationis et nuntiationis infringere etc. Datum Avinione xiv. Kalendas Septembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. II. ep. 1619. fol. 218.

CCCIV.

Ioanni Boguslai beneficium ecclesiasticum ad episcopi Vratislaviensis collationem pertinens confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Boguslai clerico Cracoviensis diocesis, salutem etc. Ex tue devotionis et probitatis meritis, super quibus apud nos fide dignorum testimonio commendaris, inducimur, ut personam tuam paterna benivolentia prosequentes, tibi reddamur in exhibitione gratie liberales. Volentes itaque tibi propter hoc gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad Episcopi Wratislaviensis, qui est pro tempore, collationem, provisionem, vel quamvis aliam dispositionem pertinens, si quod in civitate vel diocesi Wratislaviensi vacat ad presens, vel quamprimum vacaverit, quod per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacatione constiterit, volueritis acceptare, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eidem Episcopo, ne de huiusmodi beneficio, interim etiam ante acceptationem predictam, nisi postquam ei constiterit, quod illud per te vel dictum procuratorem nolueris acceptare, disponere quoquomodo presumat, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstante etc. Datum Avinione xiv. Kalendas Septembris. Anno Octavo.

In e. m. ... Wratislaviensi et ... Oppolicnsi Wratislaviensis diocesis Archidiaconis, ac magistro Iohanni de Regio eiusdcm Wratislaviensis ecclesie Canonico, Camere nostre clerico, ut cidem Iohanni tale beneficium conferri curent etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. Part. II. ep. 1697. fol. 251.

CCCV.

Archiepiscopo Magdeburgensi, ut cum Ioanne duce Silesiae et Margaretha eius uxore super consanguinitate dispenset.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Magdeburgensi, salutem etc. Concessam nobis a domino, licet insufficientibus meritis, plenitudinem potestatis circa personas generis nobilitate preclaras invicem dissidentes, quas in dissensionum turbines nonnumquam inimicus humani generis zizanie sator involvit, ad sercnandos huiusmodi turbines interdum leti nimirum exequimur affectione paterna, si dictorum turbinum per nostre providencie studium radicitus materia procul pulsa, inter dissidentes ipsos pacis gratia vigeat, et ex apostolica mansuetudine iuris temperato rigore dilectionis et unitatis caritas elucescat. Sane dilecti filii nobilis viri Iohannis ducis Slesie, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Margarete, sororis nobilis viri Wartislai Ducis Stetinensis, nobis oblata petitio continebat, quod licet dudum ad sedandas duras et frequentes commotiones guerrarum, que in quibusdam terris et districtibus utriusque ducis inter eos graviter insurgebant, ex quibus homicidia, spolia et incendia sequebantur, de consilio et assensu Nobilium, Baronum et aliorum amicorum communium iidem Iohannes et Margareta, ignorantes, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, publice secundum consuetudinem illius regionis matrimonium invicem contraxissent, et carnali postmodum inter eos copula subsecuta, insimul aliquandiu sicut coniuges habitassent, tamen processu temporis ad eorum deducto noticiam, quod tertio erant gradu consanguinitatis coniuncti, ipsi attendentes se non posse in sic contracto matrimonio remanere absque dispensatione et licentia sedis apostolice speciali, nobis humiliter supplicarunt, ut cum ex huiusmodi separatione, si fieret, inter eosdem duces eorumque consanguineos et amicos multarum animarum pericula, destructiones terrarum, et infinita alia mala poterant provenire, providere eis in hac parte de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui pacem et salutem qucrimus singulorum, et iugiter intentis affectibus inter Christi fideles pacis et concordie comoda procuramus, eorundem Iohannis et Margarete supplicationibus inclinati, fraternitati tue, qui de premissis noticiam habere poteris pleniorem, presentium auctoritate committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Margarita, quod impedimento, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante, in sic contracto matrimonio libere et licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam decernendo. Datum Avinione II. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. I. ep. 9. fol. 9.

CCCVI.

Permutatio loci a regibus Poloniae pro abbatissa et conventu sancti Andreae Cracoviensi facta confirmatur.

Iohannes episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Solet plerumque sedes apostolica circa illorum presertim quietem et statum libcnter intendere, qui mundane dissolutionis relegatis illecebris, sub paupertatis onere puritate fulgent observantie regularis, et sub obedientie debito dignam et sedulam exhibent domino servitutem. Nuper siquidem Carissimi in Christo filii nostri Wladislaus Rex et Hedwigis consors eius Regina Polonie Illustres sua nobis insinuatione monstrarunt, quod ipsi dudum attendentes, quod dilecte in Christo filie ... Abbatissa et Conventus monasterii sancti Andree Cracoviensis ordinis sancte Clare, que sunt numero fere centum, ad quas propter religionis zelum et honestatem vite, quibus pollere dicuntur, fervore afficiuntur intime caritatis, in monasterio de Scala ordinis sancte Clare Cracoviensis diocesis, in quo tunc temporis degebant, propter ineptitudinem loci, qui quamplurimis incomoditatibus expositus esse dinoscitur, non poterant comode iuxta status earum exigentiam commorari, sueque religionis officium exequi, prout ordo exegerit earundem, et propterea dicti Rex et Regina pro suorum, et progenitorum ipsorum remissione peccaminum Abbatisse et Conventui supradictis de congruenti et accomodo loco, in quo possent altissimo devotius reddere vota sua, providere ab intimis cupientes, idem Rex ecclesiam S. Egidii Cracoviensem, cuius erat patronus, et dilecti filii ... Abbas et Conventus monasterii Sececoniensis ordinis S. Benedicti, dicte diocesis, eccle-

siam dicti monasterii S. Andree, eiusdem sancti vocabulo insignitam, tunc secularem, ad eosdem Abbatem et Conventum tunc spectantem, cum omnibus areis ac iuribus et pertinentiis earundem ad invicem permutarunt: demum vero cedentibus libere personis in eisdem ecclesiis institutis, idem Rex post permutationem huiusmodi prefatam ecclesiam S. Andree cum omnibus areis, iuribus et pertinentiis suis gratiose donavit Abbatisse et Conventui supradictis, ibique de novo fundavit monasterium memoratum, ad quod dicta Abbatissa et Conventus post fundationem et donationem huiusmodi de monasterio de Scala predicto se illico transtulerunt, ibique degunt ad presens, reddentes altissimo in humilitatis spiritu vota sua, consensu Venerabilis fratris nostri Nankeri episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Cracoviensis in hiis omnibus accedente, prout hec omnia in patentibus litteris episcopi et Capituli ac Abbatis et Conventus, ac Regis predictorum sigillis munitis plenius continetur. Quare Rex et Regina prefati nobis humiliter supplicarunt, ut permutationi, fundationi, translationi, et consensui huiusmodi confirmationis nostre robur adicere dignaremur. Nos igitur, qui in divini cultus augmento et sacre religionis observancia plurimum delectamur, attendentes, quod Abbatissa et Conventus prefate in predicto monasterio S. Andree eo devotius poterunt perpetuum domino reddere famulatum, quo quietius valebunt vivere in eodem, eorundem Regis et Reginc devotis supplicationibus inclinati, permutationem, fundationem et translationem et consensum huiusmodi ratos et gratos habentes, illos, quibuslibet statutis et consuetudinibus ordinum et monasteriorum predictorum contrariis, etiam si essent auctoritate sedis apostolice confirmata, nequaquam obstantibus, ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in eis quomodolibet extitisset, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et supplctionis infringere etc. Datum Avinione II. Nonas Aprilis. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1512. fol. 1898.

CCCVII.

Regi et reginae Poloniae, ut confessor ipsis plenam peccatorum absolutionem impertiri semel possit, indulgetur.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Exigit magne devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere te novimus, ut petitionibus tuis, in hiis presertim, que anime tue salutem respiciunt, favorabiliter annuamus. Tuis itaque devotis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus ydoneus, quem ad hoc duxeris eligendum, confessione tua audita diligenter, tibi possit auctoritate nostra semel dumtaxat pro commissis hactenus, etiam si talia forsan existant, quod super illis sit sedes apostolica consulenda, penitenciam iniungere salutarem, et debite absolutionis beneficium misericorditer impertiri, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione II. Nonas Aprilis. Anno IX.

In e. m. Carissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie Illustri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1568. fol. 120.

CCCVIII.

Iisdem regibus, ut confessor ipsos ab omnibus excommunicationum sententiis, si quas incurrerint, absolvere possit.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonic Illustri, salutem etc. Quanto maioris devotionis affectum erga nos et Romanam geris ecclesiam, tanto favorabilius in hiis, que votis tuis, presertim anime tue salutem tangentibus, placida fore perpendimus, apostolice benignitatis dexteram explicamus. Tuis igitur devotis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem ad hoc duxeris eligendum, te ab omnibus excommunicationum sententiis latis a canone, si quas ex quacumque causa forsitan incurristi, competenti satisfactione premissa, iuxta formam ecclesie possit apostolica auctoritate absolvere, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione II. Nonas Aprilis. Anno Nono.

In e. m. Karissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie Illustri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1505. fol. 97.

CCCIX.

Iisdem regibus, ut in locis interdicto ecclesiastico suppositis divina celebrari officia facere possint.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Excellentie regalis devotio, quam ad nos et apostolicam sedem habere te novimus, rationabiliter pro-

meretur, ut petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut liceat tibi coram te ac prole tua, et aliis viginti personis fidelibus in locis ecclesiastico suppositis interdicto, alias congruis et honestis, ianuis clausis, et non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis exclusis, summissa voce divina officia facere celebrari, dummodo tu et hii, qui celebrationi huiusmodi tecum intererint, causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere. Datum Avinione II. Nonas Aprilis. Anno Nono.

In e. m. Karissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie Illustri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1504. fol. 97.

CCCX.

Iisdem regibus indulgetur, ut confessore, quem eligant, ipsos auctoritate apostolica absolvere valeat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Claris tue celsitudinis meritis sic tibi gratiam et favorem sedis apostolice vendicasti, ut in hiis, que anime tue salutem respiciunt, gratiosis favoribus annuamus favorabiliter votis tuis. Nos igitur devotionis tue precibus inclinati, ut aliquem ydoneum sacerdotem secularem vel religiosum in confessorem tuum eligere valeas, qui audita confessione tua, quotiens oportunum extiterit, tibi pro commissis penitentiam salutarem iniungens, te a peccatis omnibus, nisi talia fuerint, super quibus esset sedes apostolica consulenda, auctoritate apostolica possit absolvere, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli etc. nostre constitutionis infringere etc. Datum Avinione II. Nonas Aprilis. Anno Nono.

In e. m. Carissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie Illustri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1578. fol. 123.

CCCXI.

Andreae de Masovia beneficium ecclesiasticum ad collationem monasterii Tynciensis Cracov. dioec. pertinens confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Andrec de Mazovia clerico Plocensis diocesis, salutem etc. Laudabile testimonium, quod tibi apud nos de probitatis meritis fidedignorum testimonio perhibetur, benignius attendentes, dignum duximus, ut ad personam tuam apostolice liberalitatis dexteram extendamus. Hinc est, quod nos volentes tibi propterea, necnon consideratione carissime in Christo filie nostre Hedwigis Regine Polonie Illustris pro clerico suo nobis in hac parte humiliter supplicantis gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, nulli alii de iure debitum, consuetum clericis secularibus assignari, ad dilectorum filiorum . . . abbatis et conventus monasterii Tynciensis ordinis S. Benedicti, Cracoviensis diocesis, collationem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem pertinens, cuius fructus, redditus et proventus, si sine cura fuerit, viginti marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, si quod in civitate vel diocesi Cracoviensi vacat ad presens, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus de illo. Si vero nullum tale beneficium nunc vacat in civitate vel diocesi supradictis, Nos simile beneficium, quod specialiter nulli alii debeatur, conferendum tibi, cum vacaverit, donationi apostolice reservamus, decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstante, si aliqui super provisionibus sibi faciendis etc. Nulli etc. nostre collationis, provisionis, reservationis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione VII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Nono.

In e. m. . . . Abbati monasterii de Mogyla et . . . Preposito Sandomiriensis Cracoviensis diocesis ac . . . Decano Cracoviensis ecclesiarum, ut eidem Andree tale beneficium conferri curent.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1566. fol. 119.

CCCXII.

Kazimiro nato regis Poloniae, ut sibi confessorem eligere possit, indulgetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Kazimiro nato Karissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, salutem etc. Sincera tue devotionis affectio, quam ad nos etc. ut supra in aliis similibus. Datum Avinione VII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1510. fol. 98.

CCCXIII.

Regi Poloniae pontifex se nuntios suos benigne recepisse significat, eosque de mora in Romana curia excusat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislavo Regi Polonie Illustri, salutem etc. Dudum dilectos filios Petrum dictum Militem Canonicum Cracoviensem et Nicolaum Manentis Civem Ianuensem, tuc celsitudinis nuncios ad nostram presentiam destinatos, benigne consideratione mittentis et ipsorum probitatis obtentu recepimus, et que pro parte Regia coram nobis exponere voluerunt, intelleximus diligenter, ipsosque curavimus expedire, sicut cum deo potuimus, favorabiliter super eis. Sane cum idem Nicholaus, quem de diligencia et circumspecta solicitudine circa negociorum promotionem regiorum coram nobis prudenter adhibitis commendamus, ad repetendam regalem presenciam se disponat, Serenitatem regiam deprecamur, quatinus ipsum super mora, quam contraxit in Curia, excusatum velit habere magnitudo Regia, et etiam favore benivolo commendatum. Datum Avinione III. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 394. fol. 51.

CCCXIV.

Palatino Cracoviensi eiusque uxori, ut confessor ipsos a peccatis etiam in casibus sedi apostolicae reservatis semel absolvere possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Spicimiro Comiti palatino Cracoviensi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Stanislave uxori sue, salutem etc. Exigit magne devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere vos novimus, ut petitionibus vestris, in hiis presertim, que animarum vestrarum salutem respiciunt, favorabiliter annuamus. Vestris itaque devotis supplicationibus inclinati, ut confessor utriusque vestrum ydoneus, quem ad hoc duxeritis eligendum, confessione vestra diligenter audita, vobis possit auctoritate nostra semel dumtaxat pro commissis hactenus, etiam si talia forsan existant, quod super illis sit sedes apostolica consulenda, penitenciam iniungere salutarem et debite absolutionis beneficium misericorditer impertiri, devotioni vestre tenore presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione XV. Kal. Iulii. Anno Nono.

In e. m. Eisdem conceditur, ut confessorem sibi eligere possint. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1679. fol. 156.

CCCXV.

Executoribus, ut Andreae de Vislicia Cracov. dioec. praeposituram etc. in ecclesia Posnaniensi conferri curent.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, et dilectis filiis ... Preposito et Petro dicto Militi Canonico Cracoviensis ecclesie, salutem etc. Digne agere credimus, cum illis nostre provisionis ianuam aperimus, quibus litterarum scientia, vite ac morum honestas, et alia virtutum dona laudabiliter suffragantur. Cum itaque, sicut exhibita nobis dilecti filii Andree de Wislicia Rectoris ecclesie S. Martini de Wislicia Cracoviensis diocesis petitio continebat, Prepositura et canonicatus ac prebenda ecclesie Poznaniensis, quos quondam Phylippus Marcutii ecclesie predicte Prepositus et Canonicus in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, quorum fructus et proventus modernis temporibus ad valorem annuum octuaginta florenorum auri, ut asserit, vix ascendunt: Nos volentes dicto Andree meritorum suorum obtentu, super quibus apud nos laudabiliter commendatur, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si est ita, Prepositurum, canonicatum et prebendam predictos, de quibus, si apud dictam sedem, ut premittitur, vacant, nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia, et canonicatus ac prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud sedem ipsam vacantia, et imposterum vacatura collationi nostre duximus specialiter reservanda, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Andree, vel procuratori suo eius nomine auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel dictum procuratorem suum eius nomine per vos vel alium seu alios in illorum corporalem possessionem, et defendentes inductum, ac facientes eundem Andream vel procuratorem predictum pro eo in eadem ecclesia ad

prepositurarn, ut est moris, admitti et ad prebendam predictas in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie assignatis, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, sibique facientes de ipsorum prepositure, canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. seu quod idem Andreas dictam ecclesiam sancti Martini de Wislicia noscitur obtinere, quodque sibi nuper de Curata ecclesia de Igolonia dicte diocesis mandavimus per nostras certi tenoris litteras provideri. Volumus autem, quod postquam idem Andreas prepositure predicte possessionem pacificam extiterit assecutus, prefatam ecclesiam de Igolonia, si adhuc eius possessionem pacificam forsitan habuit, vel eam ipsum habere contingat, quamque ecclesiam nos extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur etc. Datum Avinione xv. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1585. fol. 124.

CCCXVI.

Universis Christi fidelibus Poloniae, qui morientur in bello contra infideles, plena conceditur indulgentia.

Iohannes episcopus etc. Universis Christifidelibus per regnum Polonie constitutis, salutem etc. Inter alia, que salutem fidelium operantur, ad illa libenter dirigimus mentem nostram, per que fides catholica roboretur, et gentes, que deum ignorant et in sua confidunt potentia, conteruntur. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit nobis expositum, vos et alii ecclesie Romane fideles aliarum partium regno Polonie adiacentium a Scismaticis, Tartaris et paganis aliisque permixtis infidelium nationibus impugnationes, depopulationes, captivitates, servitutes et carceres, et alias diversorum generum penas et cruciatus multiplices patiamini, quibus nec obviare potestis, nec resistere per vos ipsos: Nos huiusmodi vestris tantis calamitatibus, miseriis et pressuris affectu paterno compatientes, ab intimis libenter vobis illo, quo possumus, spirituali subsidio, quod cuilibet temporali prevalet, misericorditer subvenimus. Ut igitur vos aliique Christi fideles ad defensionem catholice fidei contra Scismaticos et infideles eosdem eo amplius animemini, quo temporalem in hoc vitam sperabitis in perpetuam commutare, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, vobis omnibus ceterisque Christifidelibus, quos pro defensione catholice fidei in bello seu pugna in regno Polonie aliisque fidelium terris et partibus eidem regno adiacentibus supradictis, aut vicinis eisdem habitis et habendis contra Scismaticos, Tartaros, paganos aliasque permixtas nationes infidelium supradictas, aut ex vulneribus in eisdem bello vel pugna receptis postmodum mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis et confessi, plenam concedimus veniam peccatorum, Presentibus post triennium minime valituris. Datum Avinione xii. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 1513. fol. 98.

CCCXVII.

Andreae de Verulis et Petro de Alvernia, ut residua fructuum beneficiorum vacantium in regno Poloniae exigant et recipiant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, Scriptori nostro, et Petro de Alvernhia Iurisperito, clerico Lemovicensis diocesis, salutem etc. Volentes dudum nostris et ecclesie Romane necessitatibus utique grandibus providere, fructus, redditus et proventus primi anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, dignitatum vel personatuum et officiorum, Monasteriorum, Prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum, secularium et regularium, exemptorum et non exemptorum, que in regno Polonie, sicut in nonnullis aliis partibus tunc vacabant, et usque ad triennium, qualitercumque et ubicumque, etiam si apud sedem apostolicam illa vacare contingeret, certis tamen ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis exceptis, de fratrum nostrorum consilio per nostras litteras reservandos duximus et nostre Camere deputandos, certis ad colligendum et recipiendum fructus, redditus et proventus huiusmodi per nos collectoribus deputatis, qui ad partes eiusdem regni personaliter accedentes circa collectionem fructuum, redditum et proventuum eorumdem solicite laborarunt. Verum quia, sicut accepimus, in diversis partibus dicti regni fructus, redditus et proventus nonnullorum beneficiorum huiusmodi totaliter, necnon et aliqua de aliorum beneficiorum fructibus, redditibus et proventibus restant residua colligenda, et ad manus certarum personarum nonnulle pecuniarum summe de dictis collectis fructibus pervenerunt, de

quibus nondum est eidem Camere integraliter satisfactum: Nos de vestre circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, vobis et cuilibet vestrum petendi, exigendi et recipiendi per vos, vel per alium seu alios nostre et eiusdem Camere nomine dictos fructus, redditus et proventus, et residua ac summas pecuniarum huiusmodi, necnon contradictores et impedientes quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si eis vel ipsorum aliquibus etc. quod interdicti etc. plenam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod eos, a quibus receperitis fructus, redditus et proventus predictos, seu residua, necnon summas pecuniarum huiusmodi, de hiis, que ab eis recipere vos continget, absolvatis plenius et quittetis, necnon et eis a quibusvis spiritualibus penis et sententiis, quas pro eo, quod huiusmodi fructus, redditus et proventus, ac ipsorum residua et summas pecuniarum predictas statutis non solvissent temporibus, incurrissent, post satisfactionem de illis prestitam auctoritate nostra absolutionis beneficium impendatis, cum eis super irregularitate, quam huiusmodi ligati sententiis celebrando divina, vel immiscendo se illis forsitan contraxissent, misericorditer dispensando. Datum Avinione x. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 948. fol. 149.

CCCXVIII.

Iisdem nuntiis, ut administratores bonorum episcopatus Vratislaviensis tempore suspensionis quondam Henrici episcopi ad reddendam rationem compellant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis canonico Wratislaviensi, scriptori nostro, et Petro de Alvernhia Iurisperito, clerico Lemovicensis diocesis, salutem etc. Ad nostri apostolatus auditum perduxit relatio fidedigna, quod olim bone memorie Henrico episcopo Wratislaviensi ab administratione spiritualium et temporalium per felicis recordationis Clementem papam V. predecessorem nostrum certis ex causis suspenso, et ad sedem apostolicam personaliter evocato, a qua, licet aliquamdiu moram traxisset ibidem, illicentiatus post dicti predecessoris obitum dicitur recessisse, dilecti filii Nicolaus Bancz et Henricus de Drogus Canonici Wratislavienses et nonnulli alii tempore, quo dictus Episcopus suspensus, ut predicitur, extitit, ac postmodum per obitum ipsius Episcopi ecclesia Wratislaviensi vacante, per quinquennium et amplius administrationem bonorum eiusdem gerentes ecclesie, de bonis ipsius quantitatem maximam perceperunt. Nos itaque de bonis huiusmodi per eosdem Canonicos et quosvis alios huiusmodi suspensionis et vacationis perceptis temporibus habere certitudinem pleniorem, et de illis disponere, prout nobis secundum deum expedire videbitur, intendentes, committimus et mandamus, quatinus tam ab eisdem Canonicis et quolibet eorundem, quam aliis quibuscunque personis ecclesiasticis et secularibus, cuiuscunque status vel conditionis existant, qui temporibus predictis administrationem eandem gesserunt, et bona perceperunt supradicta, de illis audiatis, exigatis ac recipiatis legitimas rationes, illasque examinare, vosque super hiis et ea contingentibus summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii informari cum diligentia studeatis, facientes vobis nostro et ecclesie Romane nomine reliqua, deductis tamen expensis iustis et legitimis, sicut per rationes huiusmodi vobis faciendum videbitur, integraliter assignari, deponenda per vos nomine, quo supra, in aliquibus tutis locis, de quibus vobis videbitur, ac etiam conservanda. Nos enim vobis et cuilibet vestrum audiendi, exigendi ac recipiendi rationes et reliqua huiusmodi, contradictores etiam et impedientes quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, ipsosque ad quecunque loca Gneznensis provincie propterea convocandi, invocato ad hoc etc. non obstante, si eis vel eorum aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca vocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, nec non prefatos Canonicos et quosvis alios de hiis, que receperitis ab eisdem, quietandi, ac eciam absolvendi, eis insuper, quos occasione premissorum excommunicationis vel alias speciales sententias continget incurrere, postquam per eos fuerit satisfactum, absolutionis beneficium impendendi, et cum eis super irregularitate, quam predictis ligati sententiis divina officia celebrando vel immiscendo se illis contraxerint forsitan, dispensandi, ipsosque Canonicos et quasvis alias personas ecclesiasticas vel seculares, qui in reddendo rationes huiusmodi et reliqua prestando se contumaces reddiderint vel rebelles, aut quominus vos rationes et reliqua huiusmodi in omnibus illarum vel vicinarum partium locis, de quibus expedire videretis, possitis plene recipere ac audire,

per se vel alium seu alios impedimentum vel obstaculum aliquod prestiterint, vel per alios prestari forsitan procurarint, nec non et quosvis impedientes alios, cuiuscumque status vel conditionis extiterint, de quibus vobis videbitur, citandi, ut infra certum terminum peremptorium competentem per vos sibi super hoc prefigendum apostolico conspectui personaliter se presentent, responsuri et facturi super hiis, quod iustitia suadebit, ac mandatis et beneplacitis apostolicis humiliter parituri, plenam et liberam vobis et cuilibet vestrum concedimus tenore presencium facultatem. Diem autem huiusmodi citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per instrumentum publicum harum seriem continens studeatis quamtocius intimare. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 946. fol. 148.

CCCXIX.

Iisdem nuntiis, ut praedicta ad manum suam recipiant et ad cameram apostolicam deferant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, scriptori nostro, et Petro de Alvernhia Iurisperito, clerico Lemovicensis diocesis, salutem etc. Cum nuper vobis per alias nostras certi tenoris litteras dederimus in mandatis, ut tam a dilectis filiis Nicolao Bancz et Henrico de Drogus Canonicis Wratislaviensibus, qui tempore, quo bone memorie Henricus episcopus Wratislaviensis per felicis recordationis Clementem papam V., predecessorem nostrum, ab administratione spiritualium et temporalium Wratislaviensis ecclesie suspensus extitit, ac postmodum per obitum ipsius Episcopi ecclesia predicta vacante, per quinquennium et amplius administrationem bonorum ecclesie memorate gerentes, de bonis ipsius quantitatem maximam perceperunt, et quolibet eorumdem, quam aliis quibuscumque personis ecclesiasticis et secularibus, cuiuscumque conditionis existerent, que predictis temporibus administrationem gessissent eandem, et bona huiusmodi percepissent, rationes de illis audiretis et exigeretis ac reciperetis legittimas, illasque examinare, vosque super hiis et ea contingentibus summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii informare cum diligentia studeretis, facientes vobis reliqua nostro et ecclesie Romane nomine integraliter assignari, deponenda per vos nomine, quo supra, in aliquibus tutis locis, de quibus vobis videretur expediens, ac etiam conservanda, prout in eisdem litteris plenius continetur: Nos de bonis ipsis disponere, prout secundum deum nobis expedire videbitur, intendentes, discretioni vestre recipiendi ad manum vestram bona predicta, illaque ad nostram Cameram transmittendi fideliter, vel etiam deferendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 947. fol. 149.

CCCXX.

Iisdem, ut ab archiep̄o Gnesnensi et ep̄o Vladislaviensi de denario sancti Petri, quem receperunt, rationes exigant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, Scriptori nostro, et Petro de Alvernhia Iurisperito, clerico Lemovicensis diocesis, salutem etc. Olim nostris et ecclesie Romane iuribus prospicere ac providere Camere nostre indempnitatibus cupientes, Venerabilibus fratribus nostris.... Archiepiscopo Gneznensi et.... Episcopo Wladislaviensi petendi, exigendi et recipiendi annuum censum, qui denarius beati Petri nuncupatur, nobis et eidem ecclesie in regno Polonie debitum, per nostras certi tenoris litteras concessisse meminimus facultatem. Et licet aliqua de dicto censu pro parte Archiepiscopi et Episcopi predictorum fuerint diversis temporibus eidem Camere assignata, ipsi tamen de omnibus per eos de eodem censu perceptis hactenus nondum rationes legitimas reddiderunt. Nos autem volentes, ut ab Archiepiscopo et Episcopo supradictis super hiis rationes audiantur legitime, ac eciam exigantur, de vestre quoque circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ab eisdem Archiepiscopo et Episcopo, necnon quibuscumque Collectoribus et subcollectoribus ad colligendum huiusmodi censum seu denarium hactenus deputatis, de receptis per eos et ipsorum quemlibet ratione census huiusmodi rationes exigatis legitimas, et etiam audiatis, et reliqua nostro et eiusdem ecclesie nomine petatis, exigatis et recipiatis ab ipsis et eorum quolibet, vel successoribus aut heredibus eorumdem, super quibus, necnon quod vos super premissis omnibus et singulis simpliciter et de plano, summarie, sine strepitu et figura iudicii, sicut expedire videritis, informetis, Contradictores ac rebelles et impedientes quoslibet auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo,

invocato etc. Non obstantibus, si Archiepiscopo vel Episcopo supradictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede sit indultum predicta, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibusvis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quibuscumque concessis, quorumcumque tenorum existant, per que commisse vobis potestatis executio impediri posset quomodolibet vel differri, plenam vobis et cuilibet vestrum concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod eos, a quibus censum receperitis supradictum, de hiis, que ab ipsis recipere vos continget, quitare.... absolvere, ac eis, qui occasione predicta excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias incurrerunt, post integram satisfactionem inde vobis exibitam de absolutionis et relaxationis beneficio auctoritate nostra iuxta formam ecclesie providere plenarie valeatis. Datum Avinione x. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 949. fol. 449.

CCCXXI.

Iisdem nuntiis, ut fructus episcopatus Cracoviensis a quondam archidiacono Cracoviensi tempore suae administrationis perceptos exigant, et camerae apostolicae transmittant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis etc. et Petro de Alvernhia etc. salutem etc. Licet olim venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi per nostras certi tenoris litteras dederimus in mandatis, ut a quondam Rimboldo Archidiacono Cracoviensi de fructibus, redditibus et proventibus per eum de bonis Episcopatus Cracoviensis, quorum administrationem auctoritate propria certo tempore gessisse dicebatur, perceptis ad Cameram nostram ex certis causis spectantibus, necnon et a quibusvis aliis, ad quos fructus, redditus et proventus huiusmodi quomodolibet pervenissent, exactis et receptis, fideli computo et plenaria ratione predictos fructus, redditus et proventus nomine dicte Camere peteret et reciperet ab eisdem, eos ad hoc, si necesse foret, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, dictusque Archiepiscopus dicatur ab eodem Rimboldo et quibusdam aliis de predictis rationem et computum recepisse, nondum tamen de fructibus, redditibus et proventibus ipsis extitit predicte Camere satisfactum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos super premissis summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii informantes, fructus, redditus et proventus huiusmodi ab eodem Archiepiscopo, si quos ipsum per informationem huiusmodi recepisse repereritis, necnon et ab heredibus dicti Rimboldi et quibusvis aliis, ad quos fructus, redditus et proventus huiusmodi pervenissent, et qui ad satisfactionem ipsorum quomodolibet tenerentur, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, dicte Camere nomine petere, exigere ac recipere cum integritate curetis, eos ad id auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si eis vel ipsorum alicui communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Super quibus omnibus, necnon illos, a quibus dictos fructus, redditus et proventus receperitis, de hiis videlicet, que vos continget recipere ab eisdem, quitandi ac etiam absolvendi plenam et liberam vobis et cuilibet vestrum concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 950. fol. 149.

CCCXXII.

Iidem nuntii decimae sexennalis in concilio Viennensi per Clementem V. impositae collectores in Polonia constituuntur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis etc. et Petro de Alvernhia etc. salutem etc. Dudum felicis recordationis Clemens papa V. predecessor noster ad terram sanctam pie dirigens compassionis affectum, decimam omnium redditiuum et proventuum ecclesiasticorum per diversas mundi partes consistentium auctoritate apostolica in concilio Viennensi pro dicte terre subsidio, et alias contra inimicos et rebelles catholice fidei dispensandam duxit per sex annos, eodem approbante concilio, imponendam, et licet predicta decima in diversis partibus collecta fuerit et exacta, tamen in Gneznensi, Cracoviensi, Wratislaviensi, Poznaviensi, Wladislaviensi, Plocensi, Lubucensi, Caminensi

et Culmensi civitatibus et diocesibus certis ex causis usque nunc suspensa extitit collectio, quam tam dicte terre sancte necessitas, quam rebellium predictorum immanitas, que plus solito invalescit, expetere noscitur, ulterius retardetur: Discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus prefatam decimam in eisdem civitatibus et diocesibus per sex annos competentibus ad hoc per vos statuendis terminis a Venerabilibus fratribus nostris . . . Archiepiscopo Gneznensi et . . . Cracoviensi, ... Wratislaviensi, ... Poznaniensi, ... Wladislaviensi, ... Plocensi, ... Lubucensi, ... Caminensi et ... Culmensi Epis, necnon et a dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Plebanis et aliis ecclesiarum Prelatis et Rectoribus, a Capitulis quoque, Collegiis et Conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, ac aliorum quorumcumque ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, exemptis et non exemptis, necnon et hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theotonicorum Magistris, Prioribus et Preceptoribus in eisdem civitatibus et diocesibus consistentibus petere, exigere, colligere et recipere per vos et subcollectores a vobis assumendos in singulis eisdem civitatibus et diocesibus exacta diligentia studeatis. Nos enim petendi, exigendi et recipiendi per vos et subcollectores predictos decimam supradictam, necnon contradictores ac impedientes quoslibet et rebelles, cuiuscumque preminentie, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existant, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi, Non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod ad solutionem alicuius decime minime teneantur, et ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes de indulto huiusmodi, totoque eius tenore de verbo ad verbum, et propriis locorum, ordinum et personarum ipsorum nominibus plenam et expressam mentionem, et quibuscumque privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum a sede memorata concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda; illis etiam, qui occasione dicte decime tempore debito non solute excommunicationum, suspensionum vel interdicti fuerint ligati sentenciis, post satisfactionem de illa exibitam per vos vel alium seu alios absolutionis beneficium impendendi, ac dispensandi cum eis, qui eisdem ligati sentenciis celebrando divina, vel inmiscendo se illis irregularitatis maculam contraxerint, dictosque subcollectores mutandi et alios subrogandi, quociens vobis videbitur, et alia omnia et singula faciendi, gerendi et expediendi, que circa premissa fuerint quomodolibet oportuna, vobis et cuilibet vestrum insolidum plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 951. fol. 150.

CCCXXIII.

Praelatis Poloniae, ut eandem decimam solvant et exigant, praedictisque nuntiis sive collectoribus assignent.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi, et . . . Cracoviensi, ... Wratislaviensi, ... Poznaviensi, ... Wladislaviensi, ... Plocensi, ... Lubucensi, ... Caminensi et ... Culmensi Epis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus et Prioribus etc. necnon et sancti Iohannis Ierosolimitani ac sancte Marie Theutonicorum Magistris, Prioribus et Preceptoribus eorumque locatenentibus per Gneznensem, Cracoviensem, Wratislaviensem, Poznaniensem, Wladislaviensem, Plocensem, Lubucensem, Caminensem et Culmensem civitates et dioceses constitutis, salutem etc. Dudum felicis recordationis etc. usque collecta fuerit et exacta, tamen in vestris civitatibus et diocesibus, fratres Archiepiscope et Episcopi, certis ex causis etc. ut supra usque retardetur, dilectos filios Magistros etc. ut supra in prima, apostolice sedis nuncios, de quorum circumspectione et fidelitate confidimus, ad petendum, exigendum, colligendum et recipiendum per se ac subcollectores deputandos ab eis in singulis civitatibus et diocesibus supradictis a vobis, et vestrum singulis per sex annos competentibus terminis ad hoc statuendis per eos decimam antedictam per alias nostras certi tenoris litteras duximus deputandos. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in domino, vobis nichilominus per apostolica scripta districtius precipiendo mandantes, quatinus decimam memoratam de vestris redditibus et proventibus supradictis in terminis per eosdem collectores aut eorum alterum statuendis sine difficultatis obstaculo

persolvatis. Nos enim eisdem collectoribus et cuilibet ipsorum petendi, exigendi et recipiendi per se ac subcollectores eosdem decimam supradictam, contradictores quoque ac impedientes quoslibet et rebelles, cuiuscunque preminentie, dignitates, ordinis, status vel conditionis existant, etiam si pontificali vel quavis alia dignitate prefulgeant, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi, Non obstantibus, si vobis aut vestrum aliquibus, aut quibuscumque aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad solutionem alicuius minime teneamini, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis ordinum, locorum et personarum vestrarum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et litteris apostolicis quibuscunque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum a sede memorata concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mentio sit habenda, plenam per alias nostras litteras concessimus potestatem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 952. fol. 150.

CCCXXIV.

Litterae salvi conductus pro memoratis nuntiis apostolicis.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis etc. ac aliis universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum nos dilectos filios Magistros Andream de Verulis Canonicum Wratislaviensem, Scriptorem nostrum, et Petrum de Alvernia Iurisperitum, clericum Lemovicensis diocesis, apostolice sedis nuntios ad partes regni Polonie pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinemus, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in domino, quatinus eosdem nuncios et eorum quemlibet, cum per terras et loca, districtus et portus vestros cum comitiva et familia sua transitum fecerint, recommendatos habentes, eis in personis ac bonis, et rebus suis ac familiarium suorum nullam molestiam vel impedimentum aliquod inferatis, nec inferri ab aliis permittatis, sed eis potius et eorum cuilibet de securo conductu, si illum a vobis petierint, in eundo, morando et redeundo pro nostra et apostolice sedis reverentia taliter providere curetis, quod ipsi de vobis referre valeant, nosque devotionis vestre promptitudinem debeamus merito commendare. Nos enim eisdem nunciis et cuilibet eorumdem vos fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos ac alias personas ecclesiasticas supradictas ad premissa, si necesse fuerit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi, non obstante, si vobis aut vestrum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 974. fol. 159.

CCCXXV.

Iisdem nuntiis conceditur, ut quoscunque ad exsequendum quodlibet negotium requirere et compellere possint.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis etc. et Petro de Alvernia etc. apostolice sedis nunciis, salutem etc. Cum de vestre circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, vos pro diversis nostris et ecclesie Romane negociis ad partes regni Polonie destinemus: Nos cupientes, quod negocia huiusmodi per vestre solicitudinis studia dirigantur utiliter ac etiam prosperentur, ut quascumque personas ecclesiasticas, etiam religiosas, exemptas et non exemptas, cuiuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, ad exequendum ea, que super dictis negociis sibi committenda duxeritis, vel etiam iniungenda, compellere, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, valeatis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, graciis seu litteris apostolicis personis ipsis ac locis seu ordinibus eorundem sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiam si de illis in presentibus de verbo ad verbum esset facienda mentio specialis, que sibi quoad hoc in nullo volumus suffragari, seu si eis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de in-

dulto huiusmodi mentionem, vobis et vestrum cuilibet insolidum, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 975. fol. 160.

CCCXXVI.

Regi Poloniae et pluribus aliis, ut dictos nuncios in praemissorum executione habeant commendatos.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislavo Regi Polonie Illustri, salutem etc. Credimus, fili carissime, sic devotionem tuam fervere apud nos et Romanam ecclesiam matrem tuam, quod ea, que nobis et eidem ecclesie grata esse cognoveris, promptis et devotis operibus exequaris. Cum itaque dilectos filios Magistros Andream de Verulis Canonicum Wratislaviensem, scriptorem nostrum, et Petrum de Alvernia Iurisperitum, clericum Lemovicensis diocesis, nostros et apostolice sedis nuncios, de quorum circumspectione plene confidimus, ad partes regni tui pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinemus, excellentiam Regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus eosdem nuncios et quemlibet ipsorum habens pro nostra et eiusdem sedis reverentia propensius commendatos, sic velit eis circa felicem expeditionem negociorum huiusmodi assistere regia sublimitas auxiliis et favoribus oportunis, quod ipsi Regio fulti presidio huiusmodi negocia feliciter prosequantur, Nosque magnitudinem Regiam specialiter propter hoc cum gratiarum actionibus attollamus. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

In e. m. Ducibus Slesie, Opoliensi, et Glogoviensi ac Venerabili fratri Archiepo Gneznensi.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 976. fol. 160.

CCCXXVII.

Iisdem nuntiis apostolicis, ut censum, qui dicitur denarius sancti Petri, ab incolis regni Poloniae exigant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis et Petro de Alvernia, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Officii nostri debitum exigit, nos circa iura Romane ecclesie, cuius cura nobis est divina dispositione commissa, ne pereant, sed in statu debito conserventur, sedulam diligenciam adhibere. Sane licet census, qui vocatur denarius beati Petri, in toto regno Polonie ecclesie Romane subiecto in signum subiectionis eidem ecclesie debeatur, et multis retroactis temporibus idem census ipsi ecclesie fuerit integraliter persolutus, nonnulli tamen de regno ipso minus veraciter pretendentes, se ad solutionem census huiusmodi seu denarii non teneri, ab huiusmodi solutione cessarunt indebite, illumque minus rationabiliter solvere contradicunt in iuris ipsius ecclesie Romane preiudicium manifestum. Nos igitur, ad quos huiusmodi iurium noscitur defensio pertinere, talia nequeuntes, sicut etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios ab universis et singulis personis infra dicti regni antiquos limites constitutis, cuiuscunque nationis, conditionis, status et dignitatis existant, predictum censum seu denarium ab eo tempore, quo fuit ab ipsius solutione cessatum, necnon et imposterum usque ad beneplacitum apostolice sedis, quibuscunque privilegio seu exemptione aut consuetudine contrariis nequaquam obstantibus, petere, exigere ac recipere nostro et predicte ecclesie Romane nomine studeatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum petendi, exigendi ac recipiendi per vos vel alium seu alios censum seu denarium supradictum, contradictores insuper ac rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras sedis eiusdem non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, eos etiam, a quibus censum seu denarium receperitis supradictum, de eo, quod ab eis recipere vos continget, quitandi, et etiam absolvendi, et eis, qui excommunicationis et alias spirituales sententias propter censum seu denarium huiusmodi in prefixis terminis non solutum incurrerint, postquam per eos de illo fuerit integre satisfactum, absolutionis beneficium impendendi plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione x. Kal. Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 978. fol. 160.

CCCXXVIII.

Iisdem nuntiis, ut qui denarium beati Petri solvere recusant, ad id censuris ecclesiasticis compellant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi

et Petro de Alvernia Iurisperito, clerico Lemovicensis diocesis, sedis apostolice nunciis, salutem etc. Dudum ad nostri apostolatus auditum fidedigna relatione perducto, quod nonnulli consistentes infra regnum Polonie Romane ecclesie censuale minus veraciter pretendentes, se ad solutionem census, qui denarius beati Petri dicitur, per incolas et habitatores dicti regni in signum subiectionis debiti prelibate ecclesie, non teneri, a solutione census eiusdem per aliquod tempus cessaverant, illumque solvere contra iusticiam denegabant: Nos cupientes, ut iura eiusdem ecclesie non perirent, sed conservarentur in statu debito nostro ministerio servitutis, Venerabilibus fratribus nostris... Archiepiscopo Gneznensi et.... Episcopo Wladislaviensi per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis, ut ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios a quibusvis personis infra dicti regni antiquos limites constitutis, cuiuscunque nationis, conditionis, status, dignitatis existerint, huiusmodi censum a tempore, quo fuerat ab ipsius solutione cessatum, necnon et in antea usque ad apostolice sedis beneplacitum, quibuscumque privilegio vel exemptione aut consuetudine contrariis nequaquam obstantibus, petere, exigere ac recipere nostro et eiusdem ecclesie nomine procurarent, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus esset, auxilio brachii secularis, non obstante, si aliquibus a sede predicta indultum existeret, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Licet igitur Archiepiscopus et Epi supradicti, sicut per eos fuit nobis fideliter intimatum, auctoritate litterarum huiusmodi universos et singulos incolas et habitatores Caminensis, Culmensis et Lubucensis Civitatum et diocesium consistentium infra regni limites memorati, qui per nonnulla tempora a prestacione census cessaverant antedicti, quod pro eisdem preteritis et deinceps pro futuris temporibus de dicto censu satisfaccrent integre, legitime monuissent, in eos omnes et singulos, si huiusmodi monicionibus non parerent, excommunicationis, et terras ipsorum interdicti sentencias promulgando: ipsi tamen tanquam inobedientes et degeneres filii, monicionibus huiusmodi vilipensis, dictum censum solvere penitus contempserunt, et adhuc solvere contradicunt in nostrum et eiusdem ecclesie Romane preiudicium et contemptum, propter quod persone huiusmodi excommunicacionis et terre predicte interdicti noscuntur sentenciis subiacere. Preterea Episcopus Caminensis, qui tunc erat, necnon Culmensis et Lubucensis ecclesiarum Capitula totusque Clerus Caminensis et Lubucensis civitatum et diocesium predictarum, ac... Magister et fratres domus beate Marie Theotonicorum in eisdem civitate et diocesi Culmensibus commorantes, qui pro iuribus ecclesie Romane prefate se debuissent murum defensionis opponere, nostra et apostolice sedis reverencia retroiecta, prefatas personas civitatum et diocesium predictarum in eadem inobediencia confoventes, quinimmo cum eis in crimen participare volentes, interdictum violando predictum a tempore prolationis sententiarum huiusmodi, et post a celebratione divinorum officiorum cessare minime curaverunt, sicut adhuc illa in divine maiestatis offensam et animarum ipsorum perniciem celebrare, immo verius prophanare, quantum in eis est, ut primitus, non verentur, et insuper quod durius est, idem Caminensis Episcopus, et nonnulli de Canonicis eiusdem ecclesie Caminensis sue nequicie virus nequiter effundentes, nonnullos Archiepiscopi et Episcopi Wladislaviensis predictorum nuncios, eorum litteras huiusmodi contingentes negocia, et processus super hiis in ipsos habitos deferentes, aliquos videlicet eorum, huiusmodi litteris et processibus laniatis, duris verberibus affici, aliquos vero fecerunt carceri mancipari, mortem eis nichilominus comminando, et in tantum se rebelles et contradictores reddiderint, et adhuc exhibent in premissis, quod illuc nullus cum similibus litteris et processibus audet accedere, mortem metuens comminatam. Nos igitur inobedienciam et rebellionem ac excessus huiusmodi, si eis veritas suffragetur, non volentes, sicut nec debemus, conniventibus oculis pertransire, discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, committimus et mandamus, quatinus super hiis summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii vos plenius informantes, si per informacionem huiusmodi premissis veritatem repereritis suffragari, predictos habitatores et incolas excommunicatos, et eorum terras et loca ecclesiastico interdicto supposita tam diu in locis, de quibus expedire videritis, faciatis publice nunciari, donec per eos de predictis congrua satisfactione impensa, ab eisdem sentenciis meruerint absolutionis et relaxationis beneficium obtinere, alias processuri nichilominus contra eos, ac omnes et singulos alios supradictos, quos in predictis culpabiles repereritis, eorumque in hac parte complices et fautores, sicut delicti cuiuslibet enormitas exegerit vel excessus, et alias videritis expedire, invocato, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, super quibus, necnon quoscun-

que de predictis, de quibus cognoveritis faciendum, citandi peremptorie, ut infra certum competentem terminum per vos sibi super hoc prefigendum apostolico conspectui se personaliter representent, pro demeritis recepturi, ac mandatis et beneplacitis apostolicis parituri, vobis et vestrum cuilibet insolidum plenam et liberam concedimus facultatem, diem autem huiusmodi citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per instrumentum publicum fideliter intimare curetis, Non obstantibus, si eis vel ipsorum aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod suspendi vel excommunicari, et eorum ecclesie sive loca interdicto ecclesiastico subici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuscunque privilegiis, indulgenciis, graciis et litteris apostolicis eisdem personis aut eorum ecclesiis, ordinibus et locis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, aut constitucionibus, statutis, consuetudinibus contrariis, per que potestati vobis super predictis concesse, vel eius mero et libero exercicio posset obviari quomodolibet, aut impedimentum vel obstaculum interponi, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, ac propriis locorum, ordinum et personarum ipsorum nominibus esset in presentibus facienda mentio specialis. Datum Avinione x. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 979. fol. 160.

CCCXXIX.

Iisdem nuntiis, ut in locis interdicto ecclesiastico suppositis divina celebrare vel facere celebrari possint.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis et Petro de Alvernia, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Cupientes, ut vos, quos ad partes regni Polonie pro certis nostris et ecclesie Romane negociis providimus destinandos, prosequi negocia huiusmodi feliciter valeatis, ut ad quecunque loca ecclesiastico supposita interdicto pro feliciori dictorum negociorum prosecutione infra dictum regnum vos contigerit declinare, ibidem celebrare vel audire divina licite absque pena excommunicationis et irregularitatis macula valeatis, excommunicatis et interdictis exclusis, vobis et vestrum cuilibet auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 980. fol. 161.

CCCXXX.

Iisdem nuntiis, ut si opus esset, indultum quibusdam nobilibus Poloniae circa celebrationem divinorum officiorum in locis interdictis concessum suspendent.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis et Petro de Alvernia, sedis apostolice nunciis, salutem etc. Cum ex eo, quod nos nonnullis regni Polonie Ducibus aliisque nobilibus per litteras apostolicas sub certis formis, ut in locis ecclesiastico suppositis interdicto sibi possint facere celebrari divina officia, dicimur concessisse, negociorum vobis per nos in partibus dicti regni commissorum expeditio posset quandoque, sicut accepimus, impediri: nos volentes super hoc de oportuno remedio providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si quem vel quos de dictis Ducibus et nobilibus uti indultis huiusmodi repereritis in locis, de quibus detrimentum vel impedimentum predictis negociis proveniret, illum vel illos, ut ab usu desistant huiusmodi, ex parte nostra moneatis, ac etiam requiratis, quod si desistere noluerint, per vos, sicut premittitur, requisiti, predicta indulta, quibus post monitionem et requisitionem vestram modo uterentur premisso, donec cessent impedimenta huiusmodi, super quo vobis et utrique vestrum potestatem plenariam tenore presentium concedimus, suspendatis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 981. fol. 161.

CCCXXXI.

Iisdem nuntiis, ut omnes ecclesiasticos, qui in solvendis decimis mandatis apostolicis non obediant, ad Curiam citent.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis et Petro de Alvernia, apostolice sedis nunciis, sal. etc. Ad nostri apostolatus auditum nuper infesta relatione pervenit, quod nonnulle ecclesiastice persone tam religiose quam seculares, exempte et non exempte, regni Polonie, quorum exemplari vita dirigi debebant alii ad salutem, censuram ecclesiasticam in suarum animarum et status

dispendium ac plurimorum scandalum contempnentes, interdicta per nuncios seu commissarios apostolice sedis in ecclesiis et locis illarum partium certis causis apposita renuunt dampnabiliter observare, in eisdem ecclesiis et locis, sicut premittitur, interdictis, divina celebrantes officia, seu quantum in eis potius profanantes, quod si veritate fulcitur, in divine maiestatis offensam nostramque et apostolice sedis contumeliam noscitur redundare. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios super premissis summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii diligentius informantes, quos in premissis scienter repereritis deliquisse, punire ac corrigere iuxta sanxiones canonicas, sicut expedire cognoveritis, taliter studeatis, quod talia vel similia perpetrare decetero non attemptent, sed eorum correctio aliis transeat pocius in exemplum, invocato etc. Eos vero, quos incorrigibiles in hac parte inveneritis vel rebelles, et de quibus videritis expedire, peremptorie citare curetis, ut certo peremptorio termino per vos sibi super hoc prefigendo apostolico conspectui personaliter se presentent, pro demeritis recepturi ac mandatis et beneplacitis apostolicis parituri: diem huiusmodi citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per instrumentum publicum inde conficiendum harum seriem continens intimantes, Non obstantibus exemptionis vel quibuscumque aliis privilegiis, gratiis aut litteris apostolicis personis eisdem, aut locis et ordinibus suis generaliter vel specialiter sub quacunque forma, vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in presentibus mentio specialis, aut si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 982. fol. 161.

CCCXXXII.

Iisdem nuntiis, ut unusquisque eorum duobus idoneis tabellionatus officium concedere possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, Scriptori nostro, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negociis una cum dilecto filio Petro de Alvernia Clerico, Iurisperito Lemovicensis diocesis, ad partes regni Polonie destinemus: Nos cupientes, ut negocia huiusmodi per tuam solicitudinem prosperentur, concedendi tabellionatus officium duabus personis non coniugatis, nec in sacris ordinibus constitutis, quas ad illud post diligentem examinationem ydoneas esse repereris, prius a qualibet ipsarum iuramento recepto iuxta formam presentibus annotatam, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Forma autem iuramenti, quod quelibet dictarum personarum prestabit, talis est: fiat forma. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Anno Nono.

In e. m. Petro de Alvernia apost. sedis nuncio.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 983. fol. 161.

CCCXXXIII.

Iisdem nuntiis apostolicis, ut legata ecclesiae Romanae facta recipere possint.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis et Petro de Alvernia apostolice sedis nunciis, salutem etc. Cum nonnulli fideles regni Polonie ad Romanam ecclesiam matrem suam et terram sanctam pie devotionis et compacionis dirigentes affectum, certa legata eidem ecclesie seu terre in suis dispositionibus seu ultimis voluntatibus fecisse dicantur: Nos cupientes, quod eorum pium in hac parte desiderium compleatur, ac de vestre circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, huiusmodi legata nostro et eiusdem ecclesie Romane nomine per vos vel alium seu alios petendi, exigendi et recipiendi, vosque super hoc summarie, de plano, simpliciter informandi, eos quoque, qui ad solutionem legatorum tenerentur huiusmodi, ad illa solvenda, ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, vobis plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod solventes vobis seu vestrum alteri legata huiusmodi absolvere valeatis plenius, et quitare de hiis, que recepcritis ab eisdem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 984. fol. 162.

CCCXXXIV.

Regi et incolis Poloniae contra infideles pugnantibus indulgentia conceditur.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio ... Regi Polonie et universis Christi fidelibus per regnum Polonie constitutis, salutem etc. Inter alia, que salutem fidelium operantur, ad illa libenter dirigimus mentem nostram, per que fides catholica roboretur, et gentes, que deum ignorant et in sua confidunt potentia, conterantur. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit nobis expositum, vos et ecclesie Romane fideles aliarum partium regno Polonie adiacentium a Scismaticis, Tartaris, paganis aliisque permixtis infidelium nationibus impugnationes, depopulationes, captivitates, servitutes et carceres et alias diversorum generum penas et cruciatus multiplices paciamini, quibus nec obviare potestis, nec resistere per vos ipsos: Nos huiusmodi vestris tantis calamitatibus, miseriis et pressuris affectu paterno compacientes ab intimis, libenter vobis illo, quo possumus, spirituali subsidio, quod cuilibet temporali prevalet, misericorditer subvenimus. Ut igitur vos aliique Christi fideles ad defensionem catholice fidei contra Scismaticos et infideles eosdem amplius animemini, quo temporalem in hoc vitam sperabitis in perpetuam commutare: Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, vobis omnibus ceterisque Christi fidelibus, qui pro defensione catholice fidei in bello seu pugna in regno Polonie, aliisque fidelium terris et partibus eidem regno adiacentibus supradictis, aut vicinis eisdem, habitis et habendis contra Scismaticos, Tartaros, paganos aliasque permixtas nationes infidelium supradictos pugnando viriliter et fideliter laborarunt .... annos de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus; eis vero, quos in eisdem bello seu pugna, aut ex vulneribus in eisdem bello vel pugna receptis postmodum mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis et ore confessi, plenam concedimus veniam peccatorum, presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione Kalendis Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 986. fol. 162.

CCCXXXV.

Wladislao regi Poloniae, ut hostibus ecclesiae resistat et supradictos nuntios apostolicos habeat commendatos.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Regie magnificencie litteras solita benignitate recepimus, et que continebantur in eis, pleno concepimus intellectu. Sane, fili carissime, dum diligenter attendimus erga nos ut spiritualem patrem et sanctam Romanam matrem ecclesiam tue gratitudinis animum super hiis, que contra impetus et conatus hostiles in honorem dei, nostrum et ipsius ecclesie te iam fecisse testatur, et facturum, actore domino, inantea grata litterarum ipsarum pollicetur assertio, ex quibus faciliter nullus tam sinistre relationis afflatus conceptum erga te bone opinionis nostrum posset mutare iudicium, vel revocare affectum, multipliciter excellentiam Regiam commendamus in domino, et actione plena prosequimur graciarum, rogantes et hortantes attente, quatinus circa premissa, que scribis, firmiter et illibate persistas, et quod erga nos et dictam ecclesiam propterea te habere supponimus mentis devotione propositum, sic perducere studeas ad effectum, ut ex hoc preter premium retributionis eterne benivolentiam nostram et apostolice sedis reddas Regie commoditati propiciam, quam oportunis loco et tempore intendimus gracia prosequi et favore. Subiungimus autem, ipsam excellentiam Regiam affectuose precantes, ut dilectos filios Magistros Andream de Verulis Canonicum Wratislaviensem, scriptorem nostrum, et Petrum de Alvernia clericum iurisperitum Lemovicensis diocesis, nostros et dicte sedis nuntios, quos ad partes ipsas pro expressis negociis nostris et ecclesie memerate transmittimus, pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter habeas commendatos. Datum Avinione Idibus Iulii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 400. fol. 52.

CCCXXXVI.

Executoribus, ut Dominico de Zarow canonico Posnaniensi decanatum dictae ecclesiae conferant.

Iohannes episcopus etc. Ven. fratri... Archiepo Gneznensi, et dilectis filiis Iacobo de Mutina scolastico Tullensis, Capellano nostro, ac Petro dicto Militi Canonico Cracoviensis ecclesiarum, sal. etc. Nobilitas generis, morum decor et alia probitatis merita, quibus personam dilecti filii Dominici, nati dilecti filii Iohannis de Zarow, canonici Poznaniensis fidedignorum testimonio preditam percepimus, nos

inducunt, ut ipsam prerogativa specialis favoris et gracie prosequamur. Cum itaque decanatus ecclesie Poznaniensis ex eo de iure vacare dicatur ad presens, quod dilectus filius Petrus dictus Schila, qui decanatum ipsum detinet, quoddam altare curatum in ecclesia in Templin Brandeburgensis diocesis una cum dicto decanatu tenuit, sicut adhuc tenet, annis pluribus iam elapsis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: Nos volentes personam dicti Dominici premissorum meritorum suorum intuitu favore prosequi gratioso, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum decanatum, si, ut premittitur, vacat, et tempore date presentium ius in eo non sit alicui alteri specialiter acquisitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Dominico vel procuratori suo pro eo, auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel dictum procuratorem suum eius nomine per vos, vel per alium seu alios in corporalem possessionem decanatus, iurium et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto ab eo quolibet illicito detentore, ac facientes eum vel dictum procuratorem pro ipso ad dictum decanatum in eadem ecclesia, ut est moris, admitti, sibique de ipsius decanatus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscunque statutis etc. Datum Avinione XVI. Kal. Augusti. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. Com. ep. 1758. fol. 184.

CCCXXXVII.

Praelatis Poloniae, ut falsarios litterarum apostolicarum severe puniant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis, salutem etc. Cum, sicut accepimus, in vestris civitatibus aliqui litterarum apostolicarum falsarii et abusores existant: Nos cupientes ubique crimen extirpari huiusmodi, et delinquentes in illo pena debita castigari, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus falsarios et abusores dictarum litterarum, quos in eisdem vestris civitatibus et diocesibus repereritis, per vos vel alios capientes eosdem falsarios et abusores, de quibus vobis legitime constiterit, iuxta sanctiones canonicas usque ad beneplacitum vestrum taliter corrigatis, ac etiam puniatis, quod aliis merito precludatur aditus in similibus delinquendi. Datum Avinione Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex reg. orig. An. IX. Secret. ep. 1018. fol. 171.

CCCXXXVIII.

Wladislao regi et incolis Poloniae contra infideles pugnantibus indulgentia usque ad biennium post triennium prorogatur.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo Wladislao Regi Polonie Illustri ac aliis universis Christi fidelibus per Regnum Polonie constitutis, salutem etc. Etsi cunctos militantes sub religione fidei christiane desideramus more pastoris vigilis in loco pascue collocari, eos tamen, qui pro nostri reverencia salvatoris, et eiusdem deffensione fidei contra gentes, que deum ignorant, corporum suorum spretis periculis se exponunt, donorum largitione spiritualium, ut laboris sui mercedem possint expectare securius, libenter, sicut in deo expedire conspicimus, premunimus. Nuper siquidem exposito coram nobis, quod vos et ecclesie Romane fideles aliarum partium regno Polonie adiacentium, a Scismaticis, Tartaris, paganis aliisque permixtis infidelium nationibus impugnationes, depopulationes, captivitates, servitutes et carceres, aliasque diversorum generorum penas et cruciatus multiplices patimini, quibus nec obviare poteratis, nec resistere per vos ipsos: Nos huiusmodi vestris tantis calamitatibus, miseriis et pressuris affectu paterno compacientes ab intimis, ac volentes vobis spirituali subsidio, quod cuilibet temporali prevalet, misericorditer subvenire, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, vobis omnibus ceterisque Christi fidelibus, quos pro dicte defensione fidei in bello seu pugna in dicto regno, aliisque fidelium terris et partibus eidem regno adiacentibus supradictis, aut vicinis eisdem, habitis et habendis contra Scismaticos, Tarteros, paganos aliasque permixtas nationes infidelium supradictos, aut ex vulneribus in eisdem bello vel pugna receptis postmodum mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti et ore confessi essetis, plena concessimus veniam peccatorum, sicut in nostris super hoc confectis litteris, quas per triennium dumtaxat a data ipsarum valere volumus, plenius continetur. Ut igitur tu, fili carissime, qui, sicut letanter percepimus, predictorum infidelium fetidam nationem aborrens, orthodoxe fidei claritate prefulges, vosque Christi fideles alii ad eiusdem defensionem fidei contra dictos Scismaticos,

Paganos, Tartaros et alios infideles promptius consurgatis, quo potiorem fructum ex laboribus vestris vos noveritis percepturos, concessionem ipsam usque ad biennium a fine dicti triennii computandum, in antea de speciali gratia extendimus, ac etiam prorogamus. Nulli igitur etc. nostre concessionis, prorogationis etc. Datum Avinione Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 1020. fol. 171.

CCCXXXIX.

Sententiam excommunicationis per pontificem contra Ludovicum Bavarum editam episcopus Plocensis in sua dioecesi promulgat.

In nomine domini Amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo vicesimo quinto, octavo ydus mensis Augusti, Indictione octava, in choro Plocensis ecclesie kathedralis, Reverendo in Christo patri domino Floriano dei gratia Episcopo Plocensi in presentia mei Notarii et testium subscriptorum dominus Iohannes clericus de Wratislavia, Notarius Venerabilis in Christo patris domini ... Archiepiscopi Gneznensis, quasdam litteras Sigillo eiusdem domini Archiepiscopi signatas exhibuit in hec verba. Reverendo in Christo fratri, domino Floriano dei gratia Episcopo Plocensi, Ianislaus divina et apostolice sedis providentia sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopus, salutem cum sincera in domino karitate. Quia nobis omnibus mandatum contra Ludovicum ducem Bavarie, qui se asserit imperatorem, a sede apostolica est directum, fraternitatem vestram ideo requirimus in domino et hortamur, quatenus ipsum, pontificalibus induti, vobis adherentibus viris prelatis, canonicis ac aliis personis quibuscunque, indutis similiter ecclesiasticis ornamentis, ita quod candele in vestris manibus existant, et campanis per ter pulsatis, excommunicetis in ecclesia vestra publice diligenter, et sic excommunicatum per loca vestra faciatis, ubi dignum fuerit, publicari, faciendo hec et omnia sine dilatione, que in litteris papalibus bullatis vobis liquido apparebunt. Datum in Lovicz. Qua siquidem littera recepta et perlecta per dominum Episcopum supradictum, idem Iohannes Notarius quasdam litteras sedis apostolice non cancellatas, non abolitas, non rasas, sed omni corruptione et suspicione carentes sub vera plumbea bulla, zona canapis appensa, predicto domino Episcopo ibidem in choro prefato publice presentavit. Quarum quidem litterarum apostolicarum principium erat tale. Iohannes Episcopus servus servorum dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis, Salutem et apostolicam benedictionem. Propter excessus varios et enormes, obstinatas inobedientias ac multiplicatas contumacias, ac contemptus execrabiles per magnificum virum Ludovicum ducem Bavarie contra deum, nos et sanctam Romanam ecclesiam, utilitatem rei publice, ac in anime sue periculum et multorum scandalum perpetratos, nuper de fratrum nostrorum consilio certos processus habuimus contra eum, privationis a iure, si quod sibi ex electione, que de ipso in Regem Romanorum promovendum in imperatorem olim in discordia celebrata fuisse dicitur, competebat, sententiam inter cetera continentes, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum. Iohannes Episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sicut ad curam periti medici pertinet, et cetera: finis vero earundem litterarum erat talis. Quocirca fraternitati vestre in virtute obedientie per apostolica scripta mandamus, quatinus vos et singuli vestrum in vestris civitatibus et diocesibus ac locis aliis earundem, de quibus videritis expedire, processus et sententiam huiusmodi, et omnia alia in eisdem contenta processibus per vos et alios quoscunque viros ecclesiasticos regulares et seculares, exemptos et non exemptos, per vos super hiis assumendos, quos, exemptionis vel quibusvis aliis privilegiis sibi aut eorum locis vel ordinibus specialiter vel generaliter sub quacunque forma, vel expressione verborum ab apostolica sede concessis nequaquam obstantibus, que sibi quoad hoc in nullo volumus suffragari, auctoritate nostra per vos ad hoc compelli, si opus fuerit, appellatione cessante, volumus et mandamus, publicare Clero et populo in locis singulis, ubi fiet dicta publicatio, propter hoc congregatis sollempniter et publice studeatis, nos de publicatione huiusmodi et aliis, que super predictis feceritis, per vestras litteras seu instrumenta publica principium et finem presentium continentia reddituri nichilominus certiores. Datum Avinione ydus Iulii, pontificatus nostri anno octavo. Quas itaque litteras memoratus dominus Episcopus Plocensis humiliter et devote cum reverentia debita, deposito bareto, recipiens, ac indutus pontificalibus, et sibi astantibus prelatis et canonicis dicte ecclesie Plocensis, ornamentis ecclesiasticis superpositis, prout moris est, nec non et aliis religiosis et secularibus clericis, coram populo tunc ad sonum campane in dicta ecclesia ad audiendum prefatas litteras sedis apostolice congregatis per Iohannem notarium supradictum publicavit, et publicari mandavit, secundum traditam in eisdem litteris sibi formam. Quibus denique litteris

sollempniter publicatis, idem venerabilis pater dominus Plocensis Episcopus, volens obedire mandatis apostolicis supradictis, et tenens candelam ardentem, sicut et alii prelati et Canonici eiusdem ecclesie in manibus tunc tenebant, sepefatum Ludovicum Ducem Bavarie, et alios quoslibet sibi adherentes consilio, auxilio et favore occulte vel manifeste per se vel per alium seu alios, velut in eisdem litteris apostolicis plenius continetur, extinctis eisdem candelis, et postmodum pulsatis ternis vicibus campanis, excommunicatos publice nunciavit, et cetera executus est fideliter secundum tenorem earumdem litterarum apostolicarum, que fuerant exequenda. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem sigilla prelibati domini Episcopi et Capituli Plocensis, item Conventus monasterii sancti Adalberti, beati Benedicti, idem Nycholai prepositi monasterii beate Marie Magdalene, Premonstratensis, item ... Conventus fratrum Predicatorum monasterii sancti Dominici Ordinum ibidem apud Ploczk presenti instrumento publico sunt appensa. Actum anno, die, indictione et loco suprascriptis, presentibus dominis prefato domino Floriano Episcopo, Clemente Preposito, Alberto Decano, Alberto Scolastico, Stephano Archidiacono, Petro Cantore, Magistro Mathia Custode, Wolgmaro Archidiacono Dobrinensi diocesis eiusdem, Magistro Andrea Cancellario, Iohanne Officiali, Stanyslao Subcustode, Alberto de Karvosek, Gabriele de Poznan, Nicholao de Smylow, et aliis Canonicis Plocensibus, fratre Zygardo Priore, fratre Laurentio quondam Abbate de domo sancti Adalberti supradicti, item fratre Nycholao Preposito et fratre Iohanne de Bozanow sancte Marie Magdalene monasterii suprascripti, item fratre Iohanne Priore, fratre Paulo lectore, viceprovinciali, fratre Zegota visitatore domorum per provinciam Polonie predicatorum, et aliis clericis et laycis quam pluribus fidedignis.*)

(L. S.) Et ego Mathias quondam Bozconis de Ploczk, imperiali auctoritate publicus notarius, predicte publicationi litterarum apostolicarum interfui, et de ipsa publicatione de mandato et auctoritate domini Plocensis Episcopi superius nominati rogatus presens publicum instrumentum confeci, et in publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi. Ex Instrum. Miscell. Caps. 182.

CCCXL.

Ducibus Slaviae et Glogoviensi, ut pro viribus se opponant, ne Ludovicus Ludovici Bavari filius marchionatum Brandeburgensem valeat occupare.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Óthoni et Baraym, nato suo, Ducibus Slavie, salutem etc. Letanter audivimus, filii, quod vos honorem sancte Romane ecclesie matris vestre velut ipsius fervidi zelatores diligitis, ipsamque studetis promptis et devotis affectibus revereri, existentes eorum, que sibi sunt placita, operatores soliciti, ac eius rebelles et hostes tanquam proprios abhorrentes. Super quibus deo et nobis et eidem ecclesie gratis admodum et acceptis devotionis vestre sinceritatem cum gratiarum actionibus uberibus plurimum in domino commendantes, Nobilitatem vestram rogamus et hortamur attentius, quatinus in premissis, ex quibus favorem et gratiam sedis apostolice vobis et vestris posteris multipliciter vendicastis, constanter et immobiliter persistentes, Ludovico filio Ludovici Ducis Bavarie excommunicati, dei et eiusdem ecclesie adversarii manifesti, super marchionatu Brandeburgensi, quem occupare nititur indebite, sicut fertur, tanquam marchioni nullatenus pareatis: sed vos opponatis, si necesse fuerit, potius super hoc contra eum, presertim cum nullum ius, ut vestram prudentiam latere non credimus, sibi competat in eodem, nec dictus Dux de illo potuit aliquid disponere, sicut in nostris processibus contra eum, suis culpis gravibus exigentibus, per quos revocare debuisset, quicquid de facto et indebite attemptaverat, super hiis plenius continetur, scituri, quod obedientes dicto Ludovico seu sibi prestantes super dicto marchionatu auxilium, consilium vel favorem excommunicationis, et alias graves spirituales et temporales penas et sententias contentas in eisdem processibus incurrere dubium non existit. Datum Avinione iv. Idus Augusti. Anno IX.

Item in e. m. Wratislao Duci Slavie et Iohanni Duci Glogoviensi.

Ex Reg. orig. An. IX. Secr. ep. 414. fol. 54.

CCCXLI.

Exsecutoribus, ut ducem Brigae ad restituendum fratri suo subdiacono ducatum Lignicensem compellant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis ... De-

*) Ex hoc instrumento pergameneo quinque sigilla pendebant, quorum primum, tertium, quartum et quintum supersunt.

cano ac . . . Scolastico ecclesie Lubucensis, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius Wladizlaus dux Legnicensis, subdyaconus Wratislaviensis diocesis, quod olim quondam Henrico Wratislaviensi, Legnicensi et de Brega duce, patre suo, defuncto, dicto Wladizlao, et dilectis filiis Nobilibus viris Henrico Wratislavie et Bolezlao Brege Wratislaviensis diocesis ducibus, superstitibus filiis et heredibus derelictis, eidem Wladizlao ex divisione hereditatis paterne inter eosdem fratres concorditer habita, ac de voluntate dictorum fratrum suorum ducatus Legnicensis eiusdem diocesis pro portione sua hereditatis paterne ipsum rationabiliter contingente extitit assignatus: verum prefatus Bolezlaus fraterne affectionis oblitus, et ad eiusdem Wladizlai exheredationem aspirans, dictum ducatum contra iusticiam occupavit, et detinet occupatum, ac nichilominus divino timore postposito, in eundem Wladizlaum subdiaconum manus iniciens temere violentas, ipsum in arctum detrusit carcerem, et duobus annis in eodem carcere tenuit vinculis mancipatum, propter quod idem Wladizlaus paterne hereditatis comodo destitutus, et squallore carceris maceratus, sedis apostolice super hiis remedium imploravit. Quia igitur de premissis notitiam non habemus, discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios, vocatis, qui fuerint evocandi, de premissis summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii vos plenius informantes, si ea inveneritis ita esse, dictum Bolezlaum ad restituendum eidem Wladizlao memoratum Ducatum Legnicensem cum suis iuribus et pertinentiis universis, nec non fructus medio tempore perceptos ex eo, et qui percipi potuerunt, aut extimationem ipsorum per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ac nichilominus eundem Bolezlaum sacrilegum tandiu excommunicatum publice nuncietis, et faciatis ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam satisfecerit competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem venerit apostolicam absolvendus, Non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerunt, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam civitatem et diocesim auctoritate presentium non trahatur. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi possit articulum per alium inchoatum, etiam si idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus. Datum Avinione Idibus Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 2093. fol. 301.

CCCXLII.

Henrico duci Silesiae, ut confessor semel in mortis articulo ipsis plenam peccatorum absolutionem impertiri possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Duci Slezie, salutem etc. Provenit ex tue devotionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petitiones tuas, illas presertim, que anime tue salutis incrementa respiciunt, ad exauditionis gratiam promptis affectibus admittamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus ydoneus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum, de quibus fueris corde contritus et ore confessus, eam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium aliquibus impertiri, quatenus claves ecclesie se extendunt, et gratum in oculis divine magestatis extiterit, semel in mortis articulo concedere valeat, tibi auctoritate presentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi pro te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel ipsi facere teneamini, ut prefertur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Idibus Augusti. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 2048. fol. 286.

CCCXLIII.

Eidem indulgetur, ut ipse et eius uxor et familiares in locis interdictis divina facere celebrari possint.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Duci Slezie, salutem etc. Ut erga sedem apostolicam eo amplius tue crescat devocionis affectus, quo eam tibi magis senseris propitiam et benignam, tuis supplicationibus inclinati, ut in locis suppositis ecclesiastico interdicto, cum

ad illa te declinare continget, possis tibi, uxori et familiaribus tuis et uxoris eiusdem dumtaxat per ydoneum sacerdotem presbiterum, ianuis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis exclusis, divina officia facere celebrari, dummodo tu, uxor et familiares predicti causam non dederitis huiusmodi interdicto, nec id tibi vel eis contingat specialiter interdici, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione Idibus Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Part. II. ep. 2047. fol. 286.

CCCXLIV.

Andreae de Verulis et Petro de Alvernia nuntiis apostolicis de stipendio et expensis necessariis providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree de Verulis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te nna cum dilecto filio magistro Petro de Alvernia, clerico, iurisperito Lemovicesis diocesis, apostolice sedis nuncio, ad partes regni Polonie pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinemus: Nos volentes tibi decenter pro tuis et familiarium tuorum stipendiis et expensis necessariis providere, unum florenum et dimidium auri pro singulis diebus, quibus in prosecutione dictorum negociorum extiteris, a te percipiendos et habendos de hiis, que nostro et ecclesie memorate nomine in eisdem partibus collegeris et perceperis, tibi pro dictis stipendiis et expensis tenore presentium deputamus. Datum Avinione xvi. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

In e. m. Dicto Petro de Alvernia nuncio. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 995. fol. 164.

CCCXLV.

Praelatis Poloniae pontifex fructus unius anni ex beneficiis vacantibus pro ecclesia Romana reservatos colligi notificat.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepo... Gneznensi et... Cracoviensi,... Wratislaviensi,... Poznaniensi,... Wladislaviensi,... Plocensi,... Lubucensi,... Caminensi et... Culmensi Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. in dictis civitatibus et diocesibus constitutis, salutem etc. Dum levamus in circuitu oculos mentis nostre, necessitates innumeras, quibus ecclesia Romana, mater fidelium et magistra, hostium et rebellium suorum exasperata conviciis, et dolorosis afflicta puncturis incessanter premitur, eiusque facultatum et proventuum ad tot et tanta expensarum onera, quot et quanta propterea sibi noscuntur incumbere, supportanda nequaquam sufficientium raritatem intenta consideratione pensantes, non absque anxietate animi vias et modos utique licitos exquirere cogimur, quibus ab huiusmodi necessitatum oneribus eadem ecclesia valeat aliqualiter relevari. Eapropter diligenti et matura deliberatione prehabita, omnes fructus, redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam dignitatum, personatuum et officiorum quorumlibet ecclesiasticorum, Monasteriorum, Prioratuum et aliorum ecclesiasticorum locorum tam secularium quam regularium, exemptorum et non exemptorum, que in Gneznensi, Cracoviensi, Wratislaviensi, Poznaniensi, Wladislaviensi, Plocensi, Lubucensi, Caminensi et Culmensi civitatibus et diocesibus vacant ad presens, et que usque ad unum annum continuum, a die date presentium in antea computandum, qualitercumque et ubicumque, etiam si apud sedem apostolicam vacare contigerit, ecclesiis tamen, monasteriis, dignitatibus ac beneficiis subscriptis (?) expressim exceptis, percipiendos in modum subscriptum pro dictis necessitatibus utilius relevandis, et in ecclesie predicte agendorum subsidium convertendos auctoritate apostolica reservamus, ac etiam deputamus, ipsosque per collectores, quos ad hoc per alias nostras certi tenoris litteras constituimus, aut subcollectores, qui ad huiusmodi collectionis ministerium per eos fuerint deputati, in vestris civitatibus et diocesibus, fratres Archiepiscope et Episcopi, colligi volumus, et per eosdem collectores, ubi mandabimus, assignari, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum, monasteriorum et locorum, in quibus huiusmodi beneficia, dignitates, personatus et officia fuerint, iuramento, confirmatione dicte sedis seu quacunque firmitate alia roboratis, aut si fructus, redditus et proventus huiusmodi primi anni ex privilegio dicte sedis, vel alias de iure seu quacunque consuetudine vel statuto alicui vel aliquibus debeantur, sive ad fabricam quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum seu locorum per quoscunque concessi fuerint, vel etiam deputati, seu interim contigerit deputari, aut si sunt in usus alios convertendi. Volumus autem, quod si idem beneficium bis vel pluries in anno vacare

contingat, non nisi semel fructus, redditus et proventus iuxta taxationem decime persolvantur, et a collectoribus recipiantur eisdem, ut scilicet summam, pro qua unum quodque beneficium ipsorum in solutione decime taxatur, dicti collectores exigant atque percipiant, totali residuo obtinentibus huiusmodi beneficia remansuro, nisi forte dicti collectores residuum huiusmodi pro nobis et Camera nostra percipere et habere maluerint, et obtinentibus beneficia supradicta ad supportandum eorum onera, et ad sustentationem habendam summam, pro qua beneficia ipsa taxantur in decima, remanere. Nos enim dictos collectores recipiendi utrumlibet predictorum, scilicet taxationem ipsam vel residuum antedictum, habere volumus obtionem: ita tamen quod quicquid ipsi collectores elegerint, beneficiorum ipsorum onera debeant obtinentes eadem de ea parte, quam sibi dicti collectores dimiserint, totaliter supportare, nisi forte obtinentes beneficia huiusmodi vellent omnes fructus, redditus et proventus dimittere collectoribus antedictis. Quo casu collectores ipsi habebunt beneficiis huiusmodi quoad curam animarum, si eis imineat, necnon et in divinis officiis et sacramentorum ecclesiasticorum ministratione facere per personas ydoneas deserviri, et cetera eis incumbentia onera supportari. De illis autem beneficiis, que taxata non existunt ad decimam, ut sequitur, ordinamus, videlicet quod ipsorum fructuum, reddituum et proventuum medietas ad nos et nostram Cameram, alia vero ad obtinentes eadem beneficia debeat pertinere modis, formis et conditionibus, quibus de aliis beneficiis superius est expressum. Ceterum volumus et auctoritate presentium declaramus, ut deputatio nostra huiusmodi nullatenus extendatur ad Cathedrales ecclesias, nec ad Abbatias regulares, que tamen conventuales existunt, nec ad beneficia illa, quorum redditus et proventus annui valorem annuum sex marcarum argenti non excedunt, et que ex permutationis causa vacare continget, nec etiam ad vicarias seu cappellanias, a plurimum decedentibus secundum morem diversarum ecclesiarum institutas, ad missas pro ipsis decedentibus celebrandas certis constitutis redditibus presbitero inibi celebranti, seu aliis, ut diurnis vel nocturnis canonicis horis intersint, alias sub deputatione huiusmodi includantur, nec etiam ad ordinarias distributiones quarumcumque ecclesiarum seu anniversaria vel obventiones, que ad certum quid deputate noscuntur, nisi ad illas, que eis, qui sunt in civitate vel loco prescntes, consueverint, quamvis horis non intersint canonicis, elargiri. Volumus etiam, quod fructus, redditus et proventus prebendarum illorum, qui solvere taxationem decime recusantes velle simularent abesse, ut prebende, quas non recipiunt, nisi sint in civitate vel loco presentes, adeo diminuantur, quod parum aut nichil debeat percipi iuxta taxationem predictam, includantur in deputatione predicta: de prebendis vero, que ad tantam summam taxate sunt in decima, quod parum superest in valore pro servitio, congrua portio dimittatur, residuo pro nostra Camera remansuro. Et idem etiam de aliis beneficiis ecclesiasticis sic taxatis ad decimam, quod parum aut nichil superest ultra taxationem eandem ordinariorum, per collectores adhibito consilio, quorum super hoc oneramus conscientias, quod utilius fieri poterit, ordinctur. Et insuper intelligimus, quod fructus, redditus et proventus beneficiorum patrimonialium, ac prebendarum seu beneficiorum, in quibus benefactorum non est certus numerus, ac prebendarum canonicorum absentium, cum decedunt, necnon prioratus conventuales, quorum prelati et conventus bona in communi habere noscuntur, ac beneficia ordinis Humiliatorum includantur sub deputatione predicta: ita tamen quod inde prioribus et conventibus, et aliis similia beneficia obtinentibus provideatur decenter. Nostre etiam intentionis existit, quod licet Episcopales ecclesie et Abbatie regulares a prestatione dictorum fructuum eximantur, non tamen propter hoc dignitates et alia beneficia dictarum ecclesiarum et Abbatiarum, quecumque sint intra vel extra, aliquatenus intelligantur exempta: ita quod terre et proventus ac bona, que recipiebat distincte decedens canonicus pro prebenda ac beneficio, que detinentur per quoscunque, etiam sacrosancte Romane ecclesie Cardinales, ad mensas prelatorum pertinentes, et etiam decime, licet nullum herens beneficium habent, includantur sub deputatione predicta: quodque illi, quibus alias ex privilegio, consuetudine vel statuto fructus beneficiorum vacantium primi anni debentur, anno sequenti illos percipere valeant, sicut primo anno fuerant, si non obstaret dicta nostra deputatio, percepturi. Ut autem circa solutionem dictorum fructuum, reddituum et proventuum evitentur scandala, et a gravaminibus releventur solventes, volumus, quod duobus terminis congruis solutio fiat huiusmodi dictorum collectorum arbitrio statuendis: sic equidem, quod ubi collectores prefati taxacionem decimalem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi pro Camera nostra habere maluerint, obtinentes ipsa beneficia, vel illi, quibus dicti collectores aut subcollectores beneficiorum ipsorum fructus, redditus et proventus sub firma seu arrendatione, sicut viderint expedire, dimittent,

eandem taxationem solvant eisdem collectoribus in cisdem duobus terminis, ut premittitur, statuendis, sufficienti per obtinentes vel arrendantes eosdem prestita collectoribus super solutione huiusmodi cautione; ubi vero collectores predicti taxationem prefatam obtinentibus beneficia ipsa relinquere, et habere residuum fructuum, redditum et proventuum eorumdem elegerint, tunc dicti collectores de hiis, quos in totum colligent, eo casu solvent beneficia ipsa obtinentibus taxationem predictam in duobus terminis similiter statuendis: sed nec pretextu defectus solutionum huiusmodi volumus, ut ad calices, cruces, vasa sacra, libros vel vestes ac bona mobilia divino usui dedicata manus aliquatenus extendatur. Quocirca Universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attentius, per apostolica scripta districtius precipiendo mandantes, quatinus huiusmodi necessitates in debite considerationis deducentes examen, eisdemque benigno compatientes affectu, collectores predictos et subcollectores deputandos ab eis, et eorum quemlibet huiusmodi fructus, redditus et proventus per dictum annum in forma predicta petere, colligere, exigere et recipere nostro et ecclesie predicte nomine libere permittatis, et illos, prout in vobis fuerit, integraliter assignetis, et alias taliter in premissis et ea tangentibus assistatis eisdem auxiliis, consiliis et favoribus opportunis, quod de promptitudine obedientie valeatis merito commendari. Ceterum nostre intentionis existit, quod fructus, redditus et proventus beneficiorum, que tempore reservationis predicte vacare contigerit, si collecti non fuerint infra illud, eo elapso, colligi valeant. Datum Avinione xv. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 999. fol. 165.

CCCXLVI.

Iisdem nuntiis apostolicis, ut pecuniam eorumdem fructuum colligant et camerae apostolicae assignent.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis et Petro de Alvernia apostolice sedis nunciis, salutem etc. Dum levamus in circuitu oculos mentis nostre etc. ut supra usque in finem mutatis mutandis. Quocirca discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatos redditus et proventus per vos et subcollectores predictos, vel eorum aliquem in civitatibus et diocesibus memoratis diligenter et sollicite petere, colligere, exigere et recipere nostro et ecclesie predicte nomine studeatis, vobis nichilominus in virtute obedientie et sub excommunicationis pena districtius iniungentes, ne pecuniam fructuum, redituum et proventuum eorundem distrahatis quomodolibet, vel in usus alios convertatis, sed illam fidelitcr eidem Camere assignare curetis. Nos enim vobis et vestrum cuilibet petendi, colligendi et exigendi et recipiendi nostro et ecclesie prefate nomine per vos ac subcollectores eosdem, et singulos eorum fructus, redditus et proventus premissos, et subcollectores mutandi predictos et alios subrogandi, quotiens vobis et singulo vestrum expedire videbitur, necnon contradictores quoslibet et rebelles, quicumque et cuiuscumque conditionis, preminentie, dignitatis, ordinis aut status existant, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus omnibus supradictis, seu si Archiepiscopo et Episcopis supradictis, ac Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis et aliis superius nominatis, vel personis aliis quibuscunque, aut eorum ordinibus specialiter vel generaliter, communiter vel divisim a sede prefata indultum existat, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac propriis ordinum, locorum et personarum ipsorum nominibus mentionem, et quibusvis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, quibuscunque dignitatibus, ordinibus, personis et locis sub quacunque forma vel conceptione verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentionem in nostris litteris fieri oporteat specialem, plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione xv. Kalendas Augusti. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Secret. ep. 1000. fol. 166.

CCCXLVII.

Cum Henrico duce Silesiae et Agnete nata regis Bohemiae super matrimonio inito in gradu prohibito dispensatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Duci Slezie et domino de Furstemberch et de Iawoir, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti, nate clare memorie Wenceslai Regis Boemie, eius consorti, salutem etc. Romani Pontificis precellens auctoritas nonnunquam rigorem

iusticie mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, de gratia benignitatis indulget, cum id salubriter noverit expedire. Sane peticio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod vos olim penitus ignorantes, quod aliquod impedimentum vel obstaculum existeret, per quod posset contractum vel contrahendum inter vos matrimonium impediri, bannis prius editis, ut est moris, matrimonium in facie ecclesie publice adinvicem contraxistis, et carnali inter vos copula subsecuta, insimul pluribus annis ut coniuges habitastis: postmodum vero ad vestram deducto noticiam, quod vos ex diversis lateribus in tercio et quarto gradibus consanguinitatis invicem attinetis, et attendentes vos non posse in huiusmodi matrimonio absque speciali dispensatione sedis apostolice licite remanere, quodque ex huiusmodi matrimonii separatione, si fieret, quod absit, gravia animarum et corporum pericula et scandala ac odia orirentur, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum, animarum vestrarum saluti providere, ac huiusmodi scandalis et periculis ac odiis obviare salubriter cupientes, Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Iohannis (Regis) Boemie et Elizabet relicte, clare memorie Wenceslai Regis Boemie vidue, Regine Illustrium, et vestris supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex duplici consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante, in dicto matrimonio remanere libere et licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali dono gratie dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam ex vobis legitimam decernentes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione VIII. Kalendas Octobris. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. I. ep. 44. fol. 25.

CCCXLVIII.

Henrico de Lewenberg beneficium ecclesiasticum in diocesi Vratislaviensi confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Henrico de Lewenberc, Clerico Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Sedis apostolice benignitas provide pensans merita singulorum, ad illos libenter dexteram sue liberalitatis extendit, qui virtutum adiuti meritis, et aliorum favoribus circumfulti se fore dignos gratia representant. Hinc est, quod nos volentes tibi tuorum meritorum obtentu, super quibus apud nos fidedignorum testimonio multipliciter commendaris, et consideracione Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris pro te familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, nulli alii de iure debitum, spectans communiter vel divisim ad collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem ... Episcopi, qui est pro tempore, et dilectorum filiorum Capituli Wratislaviensium, si quod in civitate vel diocesi Wratislaviensi vacat ad presens, vel quamprimum vacare contigerit, cuius quidem beneficii fructus, redditus et proventus, si sine cura fuerit, quindecim marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, quod per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacatione constiterit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem Episcopo et Capitulo, ne de huiusmodi beneficio interim, etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus etc. Datum Avinione VIII. Kal. Octobris. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. I. ep. 26. fol. 19.

CCCXLIX.

Conservatores abbatissae et conventui in Ovenz ord. Cisterciensis dioecesis Posnaniensis constituuntur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis ... Wratislaviensis ac ... sancte Crucis prope Wratislaviam ecclesiarum Prepositis, salutem etc. Militanti ecclesie licet immeriti, disponente domino, presidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solercia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina cooperante clemencia, salubriter intendamus. Sane dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et conventus monasterii in Ovenz Cisterciensis ordinis, Poznaniensis diocesis, conquestione percepimus, quod nonnulli Venerabiles fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi, ceterique ecclesiarum Prelati

ac clerici, ecclasiasticeque persone tam religiose quam etiam seculares, nec non duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites, communia civitatum, universitates, castrorum, villarum et aliorum locorum iudices, baiuli, officiales, advocati et eorum ministri, ac alie singulares persone tam ipsorum quam vicinarum et aliarum partium, in quibus dictum monasterium nec non Prioratus, grangie, domus et alia loca et membra eisdem Abbatisse et monasterio ac Conventui in Ovenz subiecta consistere dinoscuntur, occuparunt et occupari fecerunt ecclesias, capellas, grangias, castra, villas, casalia et alia loca, terras, domos, mayneria, vineas, ortos, prata, pascua, nemora, molendina, piscarias, possessiones, dominia, iura et iurisdictiones, ac pecuniarum summas, necnon pensiones, decimas, obedientias, legata sive relicta, fructus, census, redditus et proventus eorumdem, et nonnulla alia res et bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad dictos Abbatissam et Conventum ac monasterium spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu eadem detinentibus prestant auxilium, consilium et favorem. Nonnulli etiam civitatum et diocesium ac partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Abbatisse et Conventui ac monasterio in predictis ecclesiis, capellis, grangiis, castris, villis, terris, domibus, mayneriis, casalibus, vineis, ortis, pratis, pascuis, nemoribus, molendinis, piscariis, possessionibus, dominiis, locis, iuribus et iurisdictionibus, ac pecuniarum summis, pensionibus, decimis, obedientiis, legatis sive relictis, fructibus, censibus, redditibus, proventibus et bonis aliis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad Abbatissam et Conventum ac monasterium predictos spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare prefate Abbatissa et Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eisdem pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere sibi super hiis paterna diligentia dignaremur. Nos igitur adversus occupatores, detentores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, eisdem Abbatisse et Conventui ac monasterio efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad Abbatissam et Conventum ac monasterium eosdem spectantibus ab eisdem, vel quibuscumque aliis indebite molestari, vel sibi gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi eisdem Abbatisse et Conventui ac monasterio, cum ab eis vel eorum procuratore seu procuratoribus fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione ecclesiarum, capellarum, castrorum, villarum, grangiarum, casalium, terrarum, domorum, possessionum, vinearum, pratorum, pascuorum, piscariarum, nemorum, molendinorum, censuum, dominiorum, iurium, iurisdictionum, pecuniarum summarum, decimarum, obedientiarum, legatorum sive relictorum, redditum quoque, fructuum et proventuum, et aliorum quoruncunque bonorum et rerum mobilium et immobilium, necnon et de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis, presentibus et futuris, sibi tam in personis, quam bonis predictis illatis, et etiam inferendis, in hiis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, occupatores seu detentores, molestatores, presumptores, et iniuratores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, ordinis vel condicionis, eciam si Archiep̄alis vel Ep̄alis dignitatis extiterint, quandocumque et quocienscumque expedierit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem seu diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra civitatem seu diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, sive quod de aliis, quam de manifestis iniuriis et molestiis aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam civitatem seu diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus, quam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, et aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni ac potestati eiusque libero exerci-

cio quomodolibet obviare; seu si aliquibus comuniter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod excomunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia prefate sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presentium sit vobis, et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, ac in predictis et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, Constitutione predicta super conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante, Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione XVII. Kal. Novembris. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. I. ep. 64. fol. 32.

CCCL.

Episcopo Vratislaviensi, ut cum Henrico duce Valkenbergensi et Eufemia eius uxore super consanguinitate dispenset.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Intenta salutis operibus apostolice sedis circumspecta benignitas concessa sibi desuper utitur plenitudine potestatis, prout negociorum emergentium qualitate et personarum conditione pensatis, id in deo conspicit salubriter expedire. Sane petitio dilecti filii nobilis viri Henrici Ducis Slesie et domini Wratislavie, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Anne uxoris sue nobis nuper exhibita continebat, quod licet non ignotum existeret, quod nobilis vir Boleslaus Dux Valkenbergensis Vratislaviensis diocesis, et Eufemia predictorum Henrici et Anne filia se quarto consanguinitatis gradu contingerent, nichilominus tamen ob bonum pacis, terrarum et hominum eisdem Ducibus subiectorum, nonnullis habitis tractatibus super istis, tandem inter eos taliter extitit ordinatum et factum, quod prefati Boleslaus et Eufemia, nulla tamen super hoc obtenta dispensatione legitima, matrimonium ad invicem scienter contraxerunt, carnali etiam postmodum inter eos copula subsecuta, propter que iidem Boleslaus et Eufemia taliter contrahentes excommunicationis sententiam, per felicis recordationis Clementem papam V. predecessorem nostrum adversus scienter contrahentes in consanguinitatis et affinitatis gradibus constitutione canonica interdictis in Viennensi concilio promulgatam, ipso facto incurrisse noscuntur: quare predicti Henricus et Anna considerantes attente, quod non solum dicti contrahentes prefatam excommunicationis sententiam incurrerunt, verum etiam quod dictum matrimonium utpote sine dispensatione de facto contractum iuribus non subsistit, quodque ex separatione predictorum Boleslai et Eufemie, si divorcium celebrari contingeret inter eos, gravis posset inter Duces prefatos dissensionis materia suboriri, nobis humiliter supplicarunt, ut eisdem Boleslao et Eufemie a predicta excommunicationis sententia primitus absolutis, providere super hiis de oportune dispensationis remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christi fidelibus etiam pacis commoda procuramus, predictorum Boleslai et Eufemie animarum saluti*), ac huiusmodi dissensionis et scandali cuiuslibet inter Duces prefatos amputare materiam paterna sollicitudine cupientes, de tue quoque circumspectionis industria plenam super hiis in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eosdem Boleslaum et Eufemiam a predicta excommunicationis sententia, si pecierint humiliter se absolvi, hac vice auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas, impositis sibi super transgressione huiusmodi penitencia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et demum cum eisdem, ut impedimento, quod ex predicta consanguinitate provenit, aliquatenus non obstante, possint in dicto matrimonio licite remanere, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex ipsis legitimam decernendo. Datum Avinione IV. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. II. ep. 2664. fol. 430.

*) Deest „providere".

CCCLI.

Wladislao regi Poloniae pontifex provisiones in ecclesia Cracoviensi concessas se revocare non posse scribit.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Litteras nuper a regia serenitate nobis missas benignitate recepimus consueta. Sane provisiones et gratias in ecclesia et diocesi Cracoviensi, prout ipse littere nobis insinuant, iam obtentas decenter a modo revocare non possumus, sed super illis providere in futurum, auctore deo, disponimus oportune, mirantes admodum, si super pluralitate beneficiorum in illis partibus, de quo tacite quereris, nimis nostre dispensationis gratia potuit, quia pro certo non nisi, ut in pluribus, sicut firmiter credimus, regii favoris instantia illud fecit. Datum Avinione xiv. Kalendas Decembris. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Secr. ep. 1475. fol. 251.

CCCLII.

Ioanni de Lodimiria canonicatus in ecclesia Vratislaviensi confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni dicto de Lodimiria Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Meritis tue probitatis et devotionis, super quibus apud nos fide dignorum testimonio commendaris, inducimur, ut ad personam tuam apostolice provisionis dexteram extendamus. Volentes itaque tibi premissorum intuitu gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Wratislaviensis cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus: Prebenda vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam tu per te vel procuratorem tuum ad hoc specialiter constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro . . . Ep̃o et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus etc. ne de predicta prebenda interim etc. disponere quoquo modo presumant etc. Non obstantibus etc. sive quod Cantoriam in Opathaviensi, cuius nunquam pacificam possessionem, sicut asseris, habuisti, et in Opaliensi Cracoviensis et Wratislaviensis diocesium ecclesiis Canonicatum sub expectatione vacature prebende nosceris obtinere. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis, reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione iv. Kalendas Decembris. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. II. ep. 2673. fol. 434.

CCCLIII.

Nuntiis apostolicis, ut de valore praepositurae S. Michaelis in castro Cracoviensi se informent.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Petro de Alvernia Turonensis et Andree de Verulis Wratislaviensis ecclesiarum Canonicis, nostris in Regno Polonie nunciis, salutem etc. Exhibita nobis Venerabilis fratris nostri Mathie Episcopi Wladislaviensis peticio continebat, quod redditus mense sue Episcopalis sunt adeo tenues et exiles, quod statu suo Episcopali et aliis omnibus, que in partibus illis pro defensione iurium et bonorum ecclesie sue Wladislaviensis ac alias pro manutenendo Episcopali onere sibi incumbunt, consideratis attente, vix dinoscuntur sufficere ad illa onera supportanda: quare nobis humiliter supplicavit, ut sibi sueque mense Episcopali predicte de benignitate apostolica providentes, prepositurum ecclesie sancti Michaelis de Castro Cracoviensi, ad ipsius Episcopi presentacionem spectantem, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate apostolica unire, annectere et incorporare perpetuo pro dictis omnibus facilius supportandis eidem mense de speciali gratia dignaremur. Cum igitur de premissis ad presens nobis liquere non possit, nos gerentes de vestre circunspectionis industria fiduciam in domino specialem, discretioni vestre tenore presencium committimus et mandamus, quatenus de condicionibus prepositure predicte, eiusque redditibus, eciam si dicta unio, annexio et incorporacio fieri valeat sine gravi dicte prepositure iactura, aliisque circumstanciis universis vos diligentius informare, et quecumque super hiis invenietis, nobis fideliter in scriptis redacta per vestras litteras harum seriem continentes quantocius referre et intimare fideliter studeatis, ut vestra super hiis relacione et informacione instructi, quicquid in hac parte fieri expediat, consultius et utilius videamus. Datum Avinione xviii. Kal. Ianuarii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part I. ep. 419. fol. 155.

CCCLIV.

Censtoborio Meczlinocz canonicatus in ecclesia Cracoviensi confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Censtoborio quondam Nicolai Meczlinocz Canonico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Ex tue devocionis et probitatis meritis, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, digne provenire conspicimus, ut personam tuam paterna benivolencia prosequentes, tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque tibi huiusmodi meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, Canonicatum ecclesie Cracoviensis cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo eciam providemus: Prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus etc. non obstantibus etc. aut quod in Crusviciensi et Glussinensi ecclesiis Canonicatus et prebendas ac parochialem ecclesiam in Vinetz Wladislaviensis et Poznaniensis diocesium nosceris obtinere, et quod de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad Venerabilis fratris nostri Episcopi Wratislaviensis collacionem spectante, vacante vel vacaturo, quod duceres acceptandum, tibi duximus providendum, de qua gracia nullum adhuc, ut asseris, comodum reportasti. Volumus autem, quod postquam virtute presentis gracie Canonicatus et prebende ecclesie Cracoviensis predicte possessionem pacificam fueris assecutus, Canonicatum et prebendam, quos, ut premittitur, in Glussinensi ecclesia obtines, quos ex nunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis. Nulli ergo etc. nostre collacionis, provisionis, reservacionis, inhibitionis, constitucionis etc. Datum Avinione XVIII. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. I. ep. 420. fol. 155.

CCCLV.

Episcopus Cracoviensis laudatur, quod processus pontificis contra Ludovicum Bavarum in dioecesi sua promulgaverit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nanchero Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Fraternitatis tue litteris solita benignitate receptis, de diligentia per te laudabiliter adhibita in nostrorum contra perditionis filium Ludovicum Ducem Bavarie habitorum hactenus publicatione processuum te, frater, digne laudis preconio duximus commendandum, attamen provisiones et gracias in ecclesia et diocesi tuis intollerabiliter iam obtentas, ut asseris, decenter nequimus amodo velut preterita revocare. Super decimis quoque novalium ipsius ecclesie, quamquam iusticie petitiones oblatas cancellaria nostra iuste denegare non possit, nos nichilominus in hac parte remedium adhibebimus, sicut expedire videbimus, oportunum. Ceterum super absolutione, quam a nobis postulasti humiliter, ecce tibi oportunas litteras per latorem presentium destinamus. Datum Avinione XV. Kalendas Ianuarii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Secret. ep. 1478. fol. 251.

CCCLVI.

Episcopo Vladislaviensi congratulatur pontifex, quod tam ipse quam consanguinei sui in causa Ludovici Bavari eiusque filii sanctam sedem strenue defendant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Benigne recepimus fraternitatis tue litteras, per quas rumores earum partium, et qualiter consanguinei et alii nobiles partium predictarum, amici tui, accensi zelo dei et ecclesie contra seviciam et presumptiones Ludovici Ducis Bavarie ac sui primogeniti detestabiles se opponunt seriosius, descripsisti: super quibus tuam et nobilium devotionem ipsorum plurimum in domino commendantes, eandem fraternitatem tuam attentius exhortamur, quatinus circa continuationem inceptorum huiusmodi solidam eos salubribus studeat exhortationibus animare, ut inde preter retributionis eterne premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam valeant uberius promereri. Nos enim processus, de quibus fiebat in tuis predictis litteris mentio, tibi breviter intendimus destinare. Et ecce, quod petitiones tuas nobis oblatas ad exauditionis gratiam duximus favorabiliter admittendas. Datum Avinione IV. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Secr. ep. 1482. fol. 252.

CCCLVII.

Episcopo Vladislaviensi et nuntiis apostolicis, ut duos abbates et quosdam alios Vratislaviensis dioecesis, qui promulgationem processuum contra Ludovicum Bavarum conati sunt impedire, coram pontifice comparendos peremptorie citent.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Ep̄o Wladislaviensi, et dilectis filiis Magistris Andree de Verulis ac Petro de Alvernia, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Moleste ferimus quorumlibet insolencias transgressorum: sed cum in contumeliam sedis apostolice Prelati et ecclesiastice persone delinquunt, eo nimium gravius provocamur, quo facilius actus eorum transeunt aliis in exemplum. Ad nostri siquidem apostolatus auditum gravis querela dilecti filii Iohannis Radislai Canonici ecclesie Uneniensis (?) Gneznensis diocesis in nostra presentia constituti perduxit, quod cum ipse ad publicandum seu publicari faciendum in partibus Alamanie et Polonie certos processus per nos contra Ludovicum Ducem Bavarie, suis gravibus culpis et enormibus excessibus exigentibus, dudum habitos auctoritate apostolica destinatus, processus cosdem in monasteriis beate Marie in Arena prope Wratislaviam Premonstratensis, et de Henrichov Cisterciensis ordinum Wratislaviensis diocesis publicasset, eorundem monasteriorum Abbates, quasi molestam gerentes publicationem huiusmodi, denunciare seu vulgarizare populo dictorum processuum seriem, (cum) per eundem Iohannem cum instantia requisiti fuissent, ac eidem testimoniales litteras super eadem publicatione concedere non absque nota rebellionis et inobedientie recusarunt, et insuper Abbas dicti monasterii de Henrichov ad verba contumeliosa in derogationem honoris sedis eiusdem temerariis ausibus ac calcata sui ordinis maturitate prorumpit, preterea Nicolaus Plebanus ecclesie de Chelm, et Hermannus Canonicus dicte Uneniensis ecclesiarum (?) eiusdem Gneznensis diocesis ac . . . Advocatus ville Uneniensis, Conradus cognatus suus, ac Thomas frater dicti Plebani, laici, et nonnulli alii clerici et laici dicte ville prefate diocesis in eundem Iohannem volentem processus publicare predictos hostiliter irruentes, et manus suas inicientes temere violentas, ipsum atrociter usque ad effusionem sanguinis percusserunt, et in animarum suarum periculum dicteque sedis contemptum, et eiusdem Iohannis grave dispendium graviter vulnerarunt, impediendo temere nichilominus publicationem processuum predictorum: nonnulli etiam Canonici predicte Uneniensis ecclesie interesse publicationi predictorum processuum faciende in eadem ecclesia, quamvis per eundem Iohannem fuissent moniti, noluerunt, se contumaciter super hoc absentantes. Cum autem premissa, si eis veritas suffragetur, nolimus, sicut etiam nec debemus, sub dissimulationis neglectu relinquere incorrecta, Discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios super predictis et ea tangentibus summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, vocatis, qui evocandi fuerint, diligentius informantes, personas ecclesiasticas, quas veritate cognita culpabiles inveneritis de predictis, citetis peremptorie, ut certo termino competenti, quem eis duxeritis super hiis prefigendum, apostolico conspectui personaliter se presentent, pro demeritis recepture ac mandatis et beneplacitis apostolicis humiliter pariture, adversus alios nichilominus culpabiles de premissis per penas iuris et alias contentas contra inobedientes et rebelles huiusmodi in prefatis processibus, sicut expediens fuerit, ratione previa, processuri, Nosque reddituri de die predicte citationis, et forma et aliis, que in premissis feceritis, per instrumenta publica certiores. Datum Avinione IX. Kalendas Februarii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Secr. ep. 1444. fol. 245.

CCCLVIII.

Liber rationis decimae sexannalie per Clementem PP. V. in concilio Viennensi impositae et in Polonia collectae anno MCCCXXVI. et seqq.

Episcopatus Cracoviensis.

Inscripte sunt solutiones decime Sexennalis, imposite per felicis recordationis dominum Clementem pp. V. in concilio Viennensi, recepte per me Andream de Verulis Canonicum Wratislaviensem, apostolice sedis nuncium, eiusdem decime Collectorem, ecclesie Romane nomine de redditibus et proventibus episcopatus Cracoviensis, et monasteriorum, dignitatum et prebendarum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum civitatis et diocesis Cracoviensis, de mandato sanctissimi patris dn̄i nostri Iohannis divina providentia pape XXII. in duobus terminis singulorum annorum per me, et Venerabilem virum dominum Petrum de Alvernia, collegam meum, dicte sedis nuncium, iuxta ordinationem factam per nos cum Reverendo patre domino Ianislao archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis, abbatibus et aliis

prelatis ac procuratoribus totius cleri provincie Gneznensis in Uneyow Gneznensis diocesis presentibus, anno domini M. CCC. XXVI. die XIX. Februarii, Pontificatus dicti domini nostri anno decimo, deputa..... sicut in processibus per nos factis plenius continetur. Primo videlicet termino in octava festi beati Martini eiusdem anni, qui est secundus annus dictorum sex annorum incipiendo a X. Kalendas Iulii proxime preteriti, secundo vero termino in festo Pentecostes proxime subsequenti. In quibus quidem duobus terminis eiusdem et singulorum annorum sequentium debet solvi medietas cuiuslibet anni cum decima parte decime anni primi huiusmodi sex annorum iuxta ordinationem habitam super hoc.

Et primo Reverendus in Christo pater dñus Nankerus episcopus Cracoviensis de proventibus episcopatus sui, quos ad valorem mille trecentarum et quinquaginta marcarum extimavit, solvit eodem primo termino tam pro medietate decime eiusdem anni presentis, quam decima parte decime anni primi proxime preteriti octuaginta unam marcas grossorum Pragensium, XLVIII. grossis pro marca qualibet computatis. Item in secundo termino eiusdem presentis anni dñus Iohannes Cracoviensis Episcopus, successor eiusdem Nankeri, de proventibus eiusdem episcopatus, qui post translationem dicti Nankeri pervenerunt ad eum, solvit triginta unam marcas. Summa CXII. marc.

Bodzata Decanus et Canonicus Cracoviensis de proventibus Decanatus et prebende cum agriculturis et aliis utilitatibus ad centum et viginti marcas communiter et concorditer extimatis, eodem primo termino dicti presentis anni tam pro medietate decime ipsius, quam decima parte decime anni primi solvit septem marcas quatuor scotos cum dimidio et septem denarios. Item in secundo termino simili modo solvit eandem. Summa XIV. marc. IX. scot. cum dimidio et II. denar.

Item Iaroslaus Archidiaconus et Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus Archidiaconatus et prebende ac ville Vesow, quam habet a Capitulo Cracoviensi, cum agriculturis et obventionibus omnibus ad centum et unam marcas cum tribus scotis modo simili extimatis, solvit tam pro medietate decime eiusdem presentis, quam decima parte decime primi annorum sex marcas et duos scot. minus quarta. Item secundo termino simili modo solvit tantumdem. Prefatus dñus Iaroslaus de proventibus quondam cancellarie eiusdem ecclesie dicti primi anni, quo dicta cancellaria desiit esse, solvit pro integra decima dictorum proventuum, qui ad XV. marc. ascendebant, I. marc. cum dimidia. Summa XIII. mar. XV. scot.

Item Sbigneus Prepositus et Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus Prepositure, ad XLIII. et prebende ad XXXVI. marcas extimatis, solvit presenti primo termino IV. marc. XVIII. scotos et V. denarios. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime utriusque anni solvit VI. marcas IX. scotos cum dimidio et II. denarios. Item de proventibus agriculturarum suarum, ad IX. marcas IV. scotos extimatis, pro integra decima presentis anni, quo incepit agros colere, solvit XXII. scotos. Summa XVII. marc. minus II. scot.

Iohannes Scolasticus eiusdem ecclesie de proventibus Scolastrie sue, ad CXX. marcas communiter extimatis, solvit simili modo VII. marc. IV. scot. cum dimidio et VII. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa XIV. marc. IX. scot. cum dimidio et II. denar.

Magister Guillermus Cantor eiusdem ecclesie de proventibus Cantorie, ad XLIV. marc. communiter extimatis, solvit simili modo II. marc. et X. scot. Summa II. marc. et X. scot.

Magister Martinus Custos et Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus Custodie sue, ad XX. marcas extimatis, tam pro medietate quam decima parte decime huiusmodi solvit II. marc. IX. scotos cum dimidio et II. denar. cum dimidio. Item de proventibus ville, quam habet a Capitulo, cum agriculturis ad XIV. marcas extimatis, solvit simili modo unam marcam minus uno scoto. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa VI. marc. XVII. scot. et V. denar.

Magister Franciscus Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad XXXII. et duarum villarum, videlicet Rudawe et Raceborawicz, cum agriculturis suis ad XXX. marcas extimatis, simili modo solvit III. marc. IX. scot. cum dimidio et III. denar. Item solvit in secundo termino simili modo tantumdem. Item pro toto residuo decime proventuum utriusque anni prebende, villarum cum agriculturis solvit V. marc. X. scot. cum dimidio et II. denar. Summa XII. marc. VI. scot. minus IV. den.

Engbertus Canonicus de proventibus prebende sue, ad XXXIII. marcas communiter extimatis, simili modo solvit unam marc. et XXIII. scot. cum dimidio. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Item de proventibus ville Capituli nomine Goscza cum agriculturis, ad XXII. marc. et XVI. scot. cum dimidio extimatis, solvit pro integra decima predicti primi et presentis annorum IV. marc. et XIII. scot. Summa VII. marc. cum dimidio.

Mathias Officialis Canonicus de proventibus prebende sue, ad xxx. et ville Capituli nomine Vitgiczecz cum agriculturis ad x. marc. communiter extimatis, simili modo solvit ii. marc. ix. scotos cum dimidio et iii. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa iv. marc. xix. scot. et vi. denar.

Adam Pecta Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad xxi. et ville Capituli ad iii. marcas extimatis, solvit simili modo unam marcam x. scot. cum dimidio et ii. denar. Item in secundo termino simli modo solvit tantumdem. Summa ii. marc. xxi. scot. et iv. denar.

Nicolaus Bancz Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad xxxv. marcas communiter extimatis, simili modo solvit ii. marc. ii. scot. et x. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa iv. marc. v. scot. minus iv. denar.

Nicul Decanus Gneznensis, Canonicus eiusdem ecclesie, de proventibus prebende sue ad xxxv. ac duarum villarum et medietatis alterius, quas habet a Capitulo Cracoviensi, cum agriculturis ad viii. marc. extimatis, simili modo solvit ii. marc. et xiv. scot. minus ii. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa v. marc. iv. scot. minus iv. denar.

Yvo Cantor Gneznensis, Canonicus eiusdem ecclesie, de proventibus prebende sue, ad xxx. et ville nomine Wsw, quam tenet a Capitulo, ad xiv. marc. communiter extimatis, simili modo solvit ii. marc. xv. scot. et ix. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa v. marc. vii. scot. minus i. quarta.

Wirchoslaus Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad xẋ. marcas communiter extimatis, simili modo solvit i. marc. iv. scotos cum dimidio et vii. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa ii. marc. ix. scot. cum dimidio et ii. denar.

Prandocta Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad xxi. et ville, quam tenet a Capitulo, cum agriculturis extimatis ad xvi. marcas, simili modo solvit ii. marc. v. scotos et unam quartam. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa iv. marc. x. scot. cum dimidio.

Bartholomeus Archidiaconus Wladislaviensis, Canonicus eiusdem ecclesie, de proventibus prebende sue, extimatis communiter ad xxx. marc. simili modo solvit unam marc. xix. scot. et v. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa iii. marc. xviii. scot. et x. denar.

Bartholomeus Zartho Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad xxv. marc. communiter extimatis, simili modo solvit i. marc. cum dimidia. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa iii. marc.

Petrus Miles Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad xxx. et ville cum agriculturis ad vi. marc. communiter extimatis, simili modo solvit ii. marc. iv. scot. minus iv. denar. In secundo termino simili modo solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime proventuum prebende, et ville cum agriculturis dicti primi anni solvit ii. marc. xxi. scot. et iii. denar. Summa vii. marc. et v. scot. minus v. denar.

Santeko, nepos Episcopi Cuyaviensis, Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad quinque marc. communiter extimatis, simili modo solvit vii. scot. et v. den. Item in secundo termino solvit simili modo tantumdem. Summa xiv. scot. et x. denar.

Henricus de Magnosale Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ac ville, quam tenet a Capitulo, ad xxiii. marc. communiter extimatis, simili modo solvit i. marc. ix. scot. et iii. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa ii. marc. xviii. scot. et iv. denar.

Henricus de sancto Nicolao Canonicus de proventibus prebende sue, ad xiv. ac ville Capituli cum agriculturis ad iv. marc. communiter extimatis, simili modo de una marca et ii. scotis minus ii. denariis, quos debebat hoc termino solvere, solvit xxii. scot. minus ii. denar. reliqui vero iv scot. fuerunt sibi concessi pro expensis necessariis faciendis in agriculturis. Item in secundo termino simili modo solvit i. marcam et ii. scotos minus ii. denar. Summa ii. marc. et iv. denar.

Iohannes Iarlaci Archidiaconus Sandomiriensis, Canonicus eiusdem ecclesie, de proventibus preb. sue, ad xxvi. marc. communiter extimatis, s. m. solvit i. marc. xiii. scot. cum dimidio minus i. denar. Item in secundo termino s. m. solvit tantumdem. Summa iii. marc. iii. scot. iv. den.

Octo Canonicus de proventibus prebende sue, ad xli. et ville Capituli cum agriculturis ad iii. marcas communiter extimatis, simili modo solvit ii. marc. et xv. scot. et ix. denar. Item in secundo termino simili modo tantumdem. Summa v. marc. vi. scot. cum dimidio et vi. denar.

Iohannes de Aynovia Canonicus de proventibus prebende sue, ad VIII. marcas et VI. scotos communiter extimatis, quam nuper dimisit dominus Nicolaus Custos Wisliciensis, pro medietate decime presentis anni solvit IX. scot. et XXII. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Item predictus dominus Nicolaus Custos pro tota decima eiusdem prebende predicti primi anni solvit XX. scot. minus IV. denariis. Summa I. marc. XV. scot. et XVI. denar.

Petrus de Verulis Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad L. marc. communiter extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam pro decima parte decime primi annorum solvit III. marc. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa VI. marc.

Bogufalus Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad XXXVIII. marc. communiter extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam pro decima parte decime primi annorum solvit II. marc. VI. scot. et XVII. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa IV. marc. XIII. scot. cum dimidio.

Petrus Zirik Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad XX. marcas extimatis, tam pro medietate decime presentis anni, quam decima parte decime medietatis proventuum primi anni, quo dicta prebenda vacavit, et reliqua medietas fuit recepta pro Camera domini pape, solvit I. marc. II. scot. et X. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Item de proventibus villarum et agriculturarum suarum, ad X. marc. extimatis, pro integra decima presentis anni et quinta parte decime anni primi solvit I. marc. IV. scot. et XX. denar. Summa III. marc. IX. scot. cum dimidio et IV. denar.

Lubiko Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad XVI. marcas extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit XVII. scot. et IV. denar. cum dimidio. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa I. marc. X. scot. cum dimidio et I. denar.

Waltherus Scolasticus Wratislaviensis, Canonicus eiusdem ecclesie, de proventibus prebende sue ad XXI. et ville Zelonek, quam tenet a Capitulo, ad VII. marcas cum dimidia, ac ville nomine Provenzan, quam tenet ab Episcopo Lubucensi, ad XV. marcas extimatis, simili modo solvit II. marcas XVI. scot. cum dimidio et III. denarios. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. marc. V. scot. et VI. denar.

Magister Cristanus Canonicus eiusdem ecclesie de proventibus prebende sue, ad XXXVI. marcas extimatis, solvit similiter II. marc. III. scot. et XX. denarios. Item in secundo termino solvit tantumdem. Pro toto vero residuo decime dicti primi anni solvit II. marc. XX. scot. cum dimidio et III. denarios.

Dominus Iohannes Grothonis Canonicus de proventibus prebende sue, ad XVII. marc. et ville, quam tenet a Capitulo, cum agriculturis ad XI. marcas communiter extimatis, solvit tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum I. marcam XVI. scot. cum dimidio et III. denarios. Item in secundo termino s. m. solvit tantumdem. Summa III. marc. IX. scot. et VI. denar.

Canonici gratiales eiusdem Ecclesie.

Iacobus Zirik Canonicus gratialis de proventibus gratie sue, ad XV. marcas, et ville cum agriculturis ad IV. marcas extimatis, solvit simili modo I. marc. III. scot. et IX. denarios. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa pro toto residuo decime primi anni I. marc. et XII. scot. cum dimidio. Summa III. marc. XIX. scot. et VI. denar.

Andreas Prepositus Gneznensis, Canonicus gratialis, de proventibus gratie sue, ad XV. marcas extimatis, solvit simili modo XXI. scot. cum dimidio et III. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solvit I. mar. et IV. scot. et XVIII. denar. Summa III. mar.

Michael dictus Ursus, Canonicus gratialis, de proventibus gratie sue, ad IV. marc. extimatis, simili modo pro medietate et decima parte huiusmodi solvit V. scot. XVIII. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Clemens Scolasticus Gneznensis, Canonicus gratialis, de proventibus gratie sue, ad XXV. marc. extimatis, solvit simili modo I. marc. cum dimidia. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa III. marche.

Michael Dyrzieray Canonicus gratialis de proventibus gratie sue, ad V. marc. extimatis, simili modo solvit VII. scot. et V. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Albertus Paluca Canonicus gratialis de proventibus gratie sue, ad II. marc. extimatis, solvit

simili modo II. scot. et XXI. denarios. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. scot. cum dimidio et VI. denar.

Signius, filius Castellani, Canonicus gratialis de proventibus gratie sue, ad VIII. marc. extimatis, solvit s. m. XI. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XXV. scot.

Iohannes Prepositus ecclesie sancti Michaelis, Canonicus gratialis, de proventibus gratie sue cum agriculturis, ad XVIII. marc. extimatis, solvit simili modo I. marc. et II. scot. minus II. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. marc. III. scot. et XX. denar.

Nassan Canonicus gratialis de proventibus gratie sue, ad V. marc. extimatis, solvit simili modo VII. scot. et V. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Nankerus Prepositus Scarbimiriensis, Canonicus gratialis, de proventibus gratie sue, ad V. m. extimatis, simili modo solvit VII. scot. et V. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Petrus Zirik Canonicus gratialis de proventibus gratie sue et certe partis ville Capituli nomine Gramblow, ad X. marc. extimatis, solvit simili modo XIV. scot. et X. denar. Item in secundo termino pro toto residuo decime primi et presentis annorum I. marc. IX. scot. cum dimidio et II. denar. Summa II. marc.

Nicolaus Custos Wisliciensis, Canonicus gratialis, de proventibus gratie sue, quam nuper est adeptus, ad V. marc. extimatis, pro medietate decime presentis anni solvit VI. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item de proventibus certe partis ville Capituli nomine Gramblow, ad II. marc. et II. scot. extimatis, pro integra decima presentis et preteriti primi annorum solvit X. scot. Summa XXII. scot. Item de communibus proventibus Capituli eiusdem ecclesie Cracoviensis, ad XC. marc. extimatis, solvit pro integra decima presentis et preteriti annorum XVII. marc. Summa XVII. marc.

Iaroslaus novus Canonicus gratialis de proventibus gratie sue, quam habet ab Episcopo dimissam per Petrum Zirik, ad XII. marc. extimatis, solvit XIV. scotos et X. denar. Item in secundo termino tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. denar.

Iohannes Brocka Canonicus gratialis de proventibus eiusdem gratie, quam habet a domino Mechoviensi, ad V. marcas extimatis, solvit pro integra decima presentis anni, quo gratiam ipsam est adeptus, XII. scotos. Item pro futuro termino quarti anni solvit VI. scotos. Summa XVIII. scot.

Altariste eiusdem Ecclesie Cracoviensis.

Clemens de Wratislavia Altarista altaris beate Margarete de proventibus eiusdem altaris, ad XV. marc. extimatis, solvit tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum XXI. scot. cum dimidio et III. denar. Item in secundo termino solvit simili modo tantumdem. Summa I. marc. XIX. scot. et VI. denar.

Waltherus de proventibus altaris sui beati Thome, ad X. marcas extimatis, s. m. solvit XIV. scot. et X. denar. Item in sec. term. s. m. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. denar.

Thomas de prov. altaris sui sancti Iohannis Baptiste, ad VI. marcas extimatis, s. m. solv. VIII. scot. cum dimidio et III. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et XI. denar.

Michael de Cracovia de prov. altaris sui beate Marie, ad V. marc. extimatis, s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Iacobus Subcustos de proventibus altaris sui beati Nicolai, ad IV. marc. extimatis, s. m. solv. V. scot. et XVIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Laurentius de prov. altaris sui sancti Iohannis Evangeliste ad VII. marc. extimatis, solv. s. m. X. scot. et II. denar. Item in sec. term. pro toto residuo decime predicti primi et presentis annorum solv. XXIII. scot. cum dimidio. Summa I. marc. IX. scot. cum dimidio et II. denar.

Augustinus de prov. altaris sui beate Catherine, ad II. marc. extimatis, solv. s. m. II. scot. et XXI. denar. Item in sec. term. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den. Attende, quod deinceps nichil solvit, quia destructi fuerunt proventus per gentes Regis Boemie.

Ecclesie Civitatis et Suburbiorum Cracoviensium.

Ecclesia S. Michaelis in Castro Cracoviensi.

Iohannes Prepositus eiusdem ecclesie de proventibus Prepositure sue, ad XXXV. marc. extimatis, tam pro medietate decime presentis anni, quam decima parte decime anni primi solv. II. marcas II. scot. et X. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. marc. IV. scot. et XX. denar.

Franco Custos eiusdem ecclesie de prov. Custodie sue, ad v. marcas extimatis, solv. s. m. VII. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et x. denar.

Ubislaus Canonicus eiusdem ecclesie de prov. prebende sue, ad v. marcas extimatis, s. m. solvit VII. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et x. denar.

Bertholdus de Camen Canonicus eiusdem ecclesie de prov. prebende sue, ad v. marc. extimatis, s. m. solv. VII. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et x. denar.

Borislaus Radlicza Canonicus de prov. prebende sue, ad v. marc. extimatis, s. m. solv. VII. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et x. denar.

Ecclesia S. Georii (sic).

Lubtko, Rector eiusdem ecclesie, de prov. ipsius ecclesie, ad x. marc. extimatis, nichil solvit.

Ecclesia S. Marie Ezitiace (sic).

Alexander, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad VI. marc. extimatis, s. m. solvit VIII. scot. cum dimidio et III. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et VI. denar.

Ecclesia S. Marie.

Iohannes Grotonis, Plebanus ipsius, de universis prov. eiusdem ecclesie, ad CXXXIII. marc. extimatis, solv. s. m. VIII. marc. et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solv. x. marc. XIV. scot. et IV. den. Summa XXVI. marc. XIV. scot. et x. den.

Ecclesia S. Stephani.

Nicolaus, Plebanus eiusdem ecclesie, de prov. ipsius ad XVII. marc. et agriculturarum suarum ad IV. marc. et VI. scot. extimatis, solv. s. m. I. marc. VI. scot. cum dimidio et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. XIII. scot. et IV. denar.

Ecclesia omnium Sanctorum.

Florianus, Plebanus medietatis ecclesie eiusdem, de prov. ad eum pertinentibus, ad XXX. marc. extimatis, s. m. solv. I. marc. XIX. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. marc. XIV. scot. et x. den.

Bogufalus, Rector alterius medietatis eiusdem ecclesie, de proventibus ad eum spectantibus, ad XIV. marc. extimatis, solv. s. m. XX. scot. et IV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XVI. scot. et VIII. den.

Ecclesia S. Adalberti.

Iacobus, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad x. marc. extimatis, solv. s. m. XIV. scot. et x. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Ecclesia S. Nicolai.

Henricus, Rector ecclesie ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad XVIII. marc. cum dimidia extimatis, simili modo solvit XXII. scot. cum dimidio et III. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. XXI. scot. et VI. den.

Ecclesia S. Marie Magdalene.

Iohannes, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, extimatis ad VIII. marc. cum dimidio, s. m. solv. XII. scot. et VI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. et I. gross.

Ecclesia S. Laurentii.

Laurentius, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad VII. marc. et II. scot. extimatis, solv. s. m. XXII. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantundem. Summa I. marc. XX. scot. et x. den.

Ecclesia S. Martini.

Bogufalus, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad VIII. marc. et XIV. scot. cum agriculturis extimatis, s. m. solv. XII. scot. IX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. et XVIII. denar.

Ecclesia S. Iacobi.

Stanislaus, Plebanus medietatis eiusdem ecclesie, de prov. ad eum spectantibus, ad XIII. marc. extimatis, s. m. solv. XVIII. scot. cum dimidio et v. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XIII. scot. et XI. den.

Georgius, Plebanus alterius medietatis eiusdem, de prov. ad eum spectantibus, ad XII. marc. extimatis, s. m. solv. XVII. scot. et VII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. x. scot. cum dimidio et II. denar.

Ecclesia Hospitalis S. Crucis.

Frater Martinus, Magister Hospitalis sancte Crucis, de proventibus eiusdem Hospitalis, ad XLV. marcas, deductis expensis infirmorum, extimatis, s. m. solv. II. marc. XVI. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. marc. IX. scot. cum dimidio et II. den.

Ecclesia S. Marci fratrum ordinis sancti Marci.

Frater Pozoldus, Prior eiusdem ecclesie, de prov. ipsius, ad III. marc. et XVIII. scot. extimatis, pro medietate decime presentis et preteriti annorum solv. IX. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVIII. scot.

Ecclesia S. Stanislai de Rupella.

Magister Petrus, Plebanus ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad X. marc. extimatis, solv. tam pro medietate decime presentis, quam pro decima parte decime preteriti annorum XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro parte residui decime primi anni solv. II. scot. et XVI. den. Summa I. marc. et VII. scot. cum dimidio.

Ecclesia S. Egidii.

Miroslaus Custos de prov. Custodie sue, ad VII. marc. extimatis, s. m. solv. X. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XX. scot. et IV. den.

Petrus Rimboldi Canonicus de prov. prebende sue, ad X. marc. extimatis, s. m. solv. XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Iohannes Conradi Canonicus eiusdem de prov. prebende sue, ad XIX. marc. extimatis, nihil solv.

Clemens Scolasticus Gneznensis, Canonicus eiusdem ecclesie, de prov. prebende sue, ad X. marc. extimatis, s. m. solv. XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Ecclesia S. Floriani in suburbio Civitatis Cracoviensis.

Prandocta Prepositus eiusdem ecclesie de prov. Prepositure sue, ad XLIV. marc. extimatis, solv. s. m. II. marc. IX. scot. cum dimidio et II. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. marc. XIX. scot. et V. den.

Cestko Decanus de proventibus Decanatus sui, ad VI. marc. extimatis, pro integra decima presentis et preteriti annorum solv. I. marc. IV. scot. cum dimidio et VII. denar. Summa I. marc. IV. scot. et XIX. denar.

Dyrzko Custos de prov. Custodie sue, ad XXV. marc. cum dimidio extimatis, s. m. solv. I. marc. et XIII. scot. minus quarta. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. marc. I. scot. cum dimidio.

Dyrzko Canonicus de prov. prebende sue, ad XX. marc. extimatis, solv. s. m. I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Magister Adam Canonicus de prov. prebende sue, ad IX. marc. extimatis, solv. s. m. XII. scot. et XXIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. I. scot. et XXII. den.

Santko Canonicus de prov. prebende — Attende, quia prebenda ista est fundata in proventibus ecclesie de Ilcus, de quibus satisfaciet infra.

Nicolaus Canonicus eiusdem eccl. de prov. prebende sue, ad XX. marc. extimatis, s. m. solv. I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Ecclesia S. Iohannis.

Dyrzko Rector ipsius de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad VI. marc. et VIII. scot. s. m. solv. IX. scot. et III. den. Item sec. term. solv. tantumdem. Summa XVIII. scot. et VI. denar.

Ecclesia SS. Philippi et Iacobi.

Franciscus, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad III. marc. cum dimidia extimatis, s. mo. solv. V. scot. et I. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa X. scot. et II. denar.

Ecclesia S. Benedicti.

Waltherus, Rector ipsius, de prov. eiusdem ecclesie, ad II. marc. extimatis, s. m. solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Ecclesia Scarbimiriensis Cracoviensis diocesis.

Nankerus, Prepositus eiusdem ecclesie, de prov. Prepositure sue, ad LXXX. marc. extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime anni primi proximum preteriti solv. IV. marc. XIX. scot. et V. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IX. marc. XIV. scot. et X. den.

Signeus Scolasticus de prov. Scolastric sue, ad xx. marc. extimatis, s. m. solv. i. marc. iv. scot. et xix. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa ii. marc. ix. scot. et xiiii. den.

Groto Custos ciusdem ecclesie de prov. Custodie sue, ad v. marc. extimatis, s. m. solv. vii. scot. et v. denar. Item in sec. term. pro toto residuo decime presentis et primi anni solv. xvi. scot. et xix. denar. Summa i. marc.

Laurentius Ogorzolecz Canonicus de prov. prebende sue, ad v. marc. extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam pro decima parte decime dicti primi anni solv. vii. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Henricus de S. Nicolao Canonicus de provent. prebende sue, ad iv. marc. cum dimidia extimatis, s. m. solv. vi. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiii. scot.

Alexander Canonicus de prov. prebende sue, ad v. marc. extimatis, s. m. solvit vii. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Henricus Zopuchonis Canonicus de prov. prebende sue, ad iv. marc. et xv. scot. extimatis, s. m. solv. iii. scot. cum dimidio et iv. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa vii. scot. et viii. denar.

Lassota Canonicus de proventibus prebende sue, ad iv. marc. et xiv. scot. extimatis, s. m. solv. vi. scot. et xxi. denar. Summa vi. scot. et xxi. denar.

Monasteria et alia loca Regularium Civitatis et Diocesis Cracoviensis.

Frater Michael Abbas monasterii Tintiensis de prov. eiusdem monasterii, ad ccxxii. marcas cum dimidia extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit xiii. marc. viii. scot. et x. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xxvi. marc. xvi. scot. et xx. den.

Prepositura de Swirintia ord. Premonstratensis.

Frater Nicolaus Prepositus monasterii de Swirintia de proventibus eiusdem monasterii, ad cxl. marcas extimatis, s. m. solv. viii. marc. ix. scot. cum dimidio et iii. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xvi. marc. xviiii. scot. et vi. den.

Monasterium de Mogyla ord. Cisterciensis.

Frater Stephanus Abbas de prov. eiusdem monasterii, ad cxlv. marc. pro presenti et preterito annis extimatis, s. m. solv. viii. marc. xvii. scot. minus v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solv. tantum xiv. scot. et x. den. Summa xviii. marc.

Monasterium de Andreow eiusdem ordinis.

Frater Waltherus Abbas de prov. eiusdem monasterii cum omnibus utilitatibus, ad c. marc. extimatis, s. m. solv. vi. marc. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xii. marc.

Monasterium de Ciricz eiusdem ordinis.

Frater Dyonisius Abbas de prov. eiusdem monasterii, ad xli. marc. extimatis, s. m. solvit ii. marc. xi. scot. et i. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa iv. marc. xxii. scot. et ii. den.

Monasterium de Bresko ord. Premonstratensis.

Frater Blasius Abbas de prov. eiusdem monasterii, ad lxx. marc. extimatis, solv. iii. marc. cum dimidia pro medietate decime presentis anni. Attende, quia pro residuo decime primi anni debet solvere iv. marc. in festo Martini. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa vii. marc.

Monasterium de Stagnantek ordinis S. Benedicti.

Frater Ztresko Prepositus de proventibus Prepositure, ad cl. marc. extimatis, s. m. solv. ix. marc. videlicet tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum. Item in sec term. solv. tantumdem. Summa xviii. marc.

Prepositura domus Mechowiensis ordinis Sepulchri dominici.

Frater Benedictus Prepositus eiusdem domus de prov. ipsius cum omnibus utilitatibus, ad ccc. marc. extimatis, s. m. solv. xviii. marc. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xxxvi. marc.

Monasterium Secechoviense ord. S. Benedicti.

Fr. Desiderius Abbas de prov. eiusdem monasterii, ad lxx. marc. iuxta compositionem extimatis, solv. s. m. iv. marc. iv. scot. et xix. den. Item in sec. term. s. m. solv. tantumdem. Summa viii. marc. ix. scot. et xiv. den.

Monasterium Calvimontis ord. S. Benedicti.

Fr. Willielmus Abbas de prov. eiusdem monasterii, ad c. marc. extimatis, pro medietate decime presentis anni solv. v. marc. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa x. marc.

Monasterium de Comprovinitia ord. Cisterciensis.

Fr. Iohannes Abbas monasterii de Comprovinitia de prov. eiusdem monasterii, ad xc. marc. extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. v. marc. ix. scot. cum dimidio et ii. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa x. marc. xix. scot. et v. den.

Monasterium de Wanchocz eiusdem ordinis.

Fr. Iohannes Abbas de prov. eiusdem monasterii, ad lxxxv. marc. extimatis, pro medietate decime presentis anni solvit iv. marc. et vi. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro tota decima primi anni solv. viii. marc. cum dimidio. Summa xvii. marc.

Prepositura de Imramowicz ord. Premonstratensis.

Fr. Iacobus Prepositus de prov. ad lx. marc. cum agriculturis et omnibus aliis utilitatibus extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. iii. marc. xiv. scot. et x. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa vii. marc. iv. scot. et xx. den.

Prepositura de Crizanowicz eiusdem ordinis.

Fr. Friczco Prepositus de prov. eiusdem Prepositure, ad xxx. marc. extimatis, s. m. solv. i. marc. xix. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa iii. marc. xiv. scot. et x. den.

Prepositura de Busko eiusdem ordinis.

Fr. Henricus Prepositus de prov. eiusdem Prepositure, ad xlv. marc. extimatis, s. m. solv. ii. marc. xvi. scot. et xix. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa v. marc. ix. scot. cum dimidio et ii. denar.

Prioratus de Lubichowa ord. S. Marci.

Fr. Petrus Prior de prov. eiusdem Prioratus, ad xiii. marc. extimatis, s. m. solv. xviii. scot. et xviii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa i. marc. xiii. scot. cum dimidio.

Prepositura de Mistow ord. S. Benedicti.

Fr. Iohannes Prepositus de prov. eiusdem Prepositure, extimatis ad xx. marc. s. m. solv. i. marc. v. scot. minus v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa ii. marc. ix. scot. et xiv. den.

Monasterium Monialium de Sandecz ord. S. Clare.

Abbatissa eiusdem monasterii de ccc. marcis solv. pro integra decima presentis et preteriti annorum lx. marc. Summa lx. marc.

Monasterium Monalium S. Andree Cracoviensis eiusdem ordinis.

Abbatissa eiusdem monasterii de cc. marc. pro integra decima huiusmodi et preteriti annorum solv. xl. marc. Summa xl. marc.

Ecclesie consistentes in Archidiaconatu Cracoviensi.

Decanatus de Prandocin.

Siffridus Plebanus ecclesie de Prandocin de prov. eiusdem ecclesie, ad xiii. marc. extimatis, solvit tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi, solv. xvii. scot. et vi. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. pro toto residuo decime utriusque anni xxiii. scot. Summa i. marc. xvi. scot. et vi. den. cum dimidio.

Vernerus et Iaroslaus Plebani ecclesie de Dissitia de provent. eiusdem ecclesie solverunt tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum, solvit xviii. scot. et xviii. den. Item in sec. term. solverunt tantumdem. Summa i. marc. xiii. scot. cum dimidio.

Swentoslaus Plebanus ecclesie de Strzonawa de prov. eiusdem ecclesie, ad xi. marc. extimatis, s. m. solv. xv. scot. et xx. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime dicti primi anni solv. xxi. scot. et iii. den. Attende, quia futuris annis decimabit de xii. marcis iuxta concordiam. Summa ii. marc. iv. scot. et xix. den.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Sececowicz de prov. eiusdem ecclesie, extimatis ad xiii. marc. cum dimidia, tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. xix. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa i. marc. et xv. scot.

Theodoricus Plebanus ecclesie Uneyow de prov. eiusdem ecclesie, ad xiii. extimatis, pro integra decima anni presentis solv. i. marc. vii. scot. et v. den. Primo vero anno predicta vacavit ecclesia et medietas proventuum recepta est pro camera dñi pape. Summa i. marc. vii. scot. et v. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Golzha de prov. eiusdem ecclesie, ad xx. marc. extimatis, tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. i. marc. iv. scot. et xix. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa ii. marc. ix. scot. et xiv. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Wisseticz de prov. eiusdem ecclesie, ad xi. marc. cum dimidia extimatis, tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. xvi. scot. cum dimidio et i. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa i. marc. ix. scot. et iii. denar.

Benedictus Plebanus ecclesie de Imramowicz de prov. eiusdem ecclesie, ad vi. marc. extimatis, tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. viii. scot. et xx. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. xx. scot. minus i. den. Summa i. marc. iv. scot. et xix. den.

Bartholomeus Plebanus ecclesie de Vlina de proventibus eiusdem ecclesie, ad ii. marc. extimatis, pro medietate decime utriusque anni solvit ix. scot. cum dimidio et ii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xix. scot. et iv. denar.

Conradus Plebanus ecclesie de Mlinoga de proventibus eiusdem ecclesie, ad xxii. marc. cum dimidia extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit i. marc. viii. scot. et x. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa ii. marc. xvi. scot. et xx. denar.

Brathomilus Plebanus medietatis ecclesie de Medwecz de proventibus ad eum spectantibus, ad vi. marc. et vi. scot. extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte primi annorum solvit ix. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xviii. scot.

Petrus Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de proventibus ad eum spectantibus, ad v. marc. et vi. scot. communiter extimatis, simili modo solvit vii. scot. cum dimidio et ii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xv. scot. et iv. denar.

Boguslaus Plebanus ecclesie de Zadroze de proventibus eiusdem ecclesie, ad ii. marc. et ii. scot. extimatis, simili modo solvit iii. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa vi. scot.

Boguslaus Plebanus ecclesie de Belechowicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad x. marc. extimatis, tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit xiv. scot. et x. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. iv. scot. et xx. denar.

Raynerius Plebanus ecclesie de Raceborawicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad vii. marc. et xvi. scot. extimatis, simili modo solvit xi. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xxii. scot. Attende, quia futuris annis decimabit de ix. marc.

Florianus Plebanus ecclesie de Gebeltow de proventibus eiusdem ecclesie, ad ix. marc. cum dimidia extimatis, simili modo solvit xiii. cum dimidio scot. et iv. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. iii. scot. et viii. denar.

Gumbertus Plebanus ecclesie de Venceslawicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad xiii. marc. extimatis, simili modo solvit xviii. scot. et xviii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. xiii. scot. cum dimidio.

Dominus Iohannes Brotka, Officialis Gneznensis, de proventibus cuiusdam gratie, quam habet a domo Mechoviensi ord. Sepulchri dominici, ad v. marc. extimatis, pro integra decima huius anni, quo adeptus est illam, solvit xii. scot. Summa xii. scot.

Bratko Plebanus ecclesie de Samspowa de proventibus eiusdem ecclesie extimatis ad ii. marc. solvit simili modo ii. scot. et xxi. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa v. scot. et xviii. denar.

Martinus Plebanus ecclesie de Sulessow de proventibus eiusdem ecclesie, ad ii. marc. extimatis, solvit simili modo in utroque termino sicut predictus Bratko. Summa v. scot. et xviii. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Radlawicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad iii. marc. extimatis, solvit simili modo iv. scot. et viii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Pro toto residuo decime primi anni solvit v. scot. et xviii. denar. Summa xiv. scot. et x. denar.

Andreas Plebanus ecclesie de Pregina de proventibus eiusdem ecclesie, ad v. marc. extimatis, solvit tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum vii. scotos et

v. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit ix. scot. cum dimidio et ii. denar. Summa i. marca.

Paulus Plebanus ecclesie de Zelonek de proventibus eiusdem ecclesie, ad viii. marc. extimatis, simili modo solvit tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi xi. scot. cum dimidio et i. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xxiii. scot. et ii. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Scala de proventibus eiusdem ecclesie, ad iii. marc. extimatis, solvit tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime anni primi iv. scot. et viii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa viii. scot. cum dimidio et iv. denar.

Michael Plebanus ecclesie de Ywanowicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad vi. marc. extimatis, simili modo solvit ii. scot. et xxi. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa v. scot. et xviii. denar.

Sulco Plebanus ecclesie de Modlitia de proventibus eiusdem ecclesie, ad vi. marc. extimatis, simili modo solvit viii. scot. et iii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xvi. scot. et vi. denar.

Albertus Plebanus ecclesie de Slawetz de proventibus eiusdem ecclesie, ad i. marc. extimatis, simili modo solvit i. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iii. scot.

Iohannes Plebanus ecclesie de Albaecclesia de proventibus eiusdem ecclesie, ad iii. marc. extimatis, simili modo solvit iv. scot. et viii. denar. Item in secundo termino pro toto residuo decime dicti primi anni et presentis annorum solvit x. scot. et ii. denar. Summa xiv. scot. et x. denar.

Decanatus de Negowecz olim de Ciricz.

Paulus Plebanus ecclesie de Negowecz de proventibus eiusdem ecclesie, ad xv. marc. extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit xxi. scot. cum dimidio et ii. denar. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. xix. scot. et v. denar.

Henricus Plebanus ecclesie de Visliczka de proventibus eiusdem ecclesie, ad xx. marc. extimatis, simili modo solvit i. marc. iv. scot. et xix. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa ii. marc. ix. scot. et xiv. denar.

Hencardus Plebanus ecclesie de Bozanow de proventibus eiusdem ecclesie, ad xv. marc. extimatis, simili modo solvit xxi. scot. cum dimidio et iii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. xix. scot. et vi denar.

Falislaus Plebanus ecclesie de Decanowicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad xii. marc. extimatis, solvit simili modo xvii. scot. et vi. denar. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. x. scot. cum dimidio et i. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Chelme de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad xii. marc., simili modo solvit in utroque termino sicut predictus Falislaus. Attende, quod futuris annis decimabit de xiii. marc. xvi. scot.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Ciricz de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad vi. marc., simili modo solvit viii. scot. cum dimidio et iii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xvii. scot. et vi. denar. Attende, quod futuris annis decimabit de viii. marc.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Gdow de proventibus eiusdem ecclesie, ad x. marc. extimatis, tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit xiv. scot. et x. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. v. scot. minus iv. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Biscupicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad x. marc. cum dimidio extimatis, simili modo solvit xv. scot. et iii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. vi. scot. et vi. denar.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Lapssitia de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad x. marc., simili modo solvit xiv. scot. et x. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. iv. scot. et xx. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Bochna de proventibus eiusdem ecclesie, ad xxx. marc. extimatis, simili modo solvit i. marc. xix. scot. et v. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iii. marc. xiv. scot. et x. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Cridlna, seu Antiquo Rudel, de proventibus eiusdem ecclesie, ad xxx. marc. extimatis, simili modo solvit iii. scot. et vi. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa vi. scot. cum dimidio.

Arnoldus Plebanus ecclesie de Cossaticz de proventibus eiusdem ecclesie, ad v. marc. extimatis, simili modo solvit vii. scot. et v. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xiv. scot. et x. denar.

Gregorius Plebanus ecclesie de Crizanowicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad v. marc. extimatis, simili modo solvit in utroque termino per omnia sicut predictus Arnoldus.

Iohannes Plebanus ecclesie de Lapanow de proventibus eiusdem ecclesie, ad i. marc. cum dimidio extimatis, simili modo solvit ii. scot. et iv. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iv. scot. et viii. denar.

Adam Plebanus ecclesie de Tarnowa de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad i. marc., cum dimidio, simili modo solvit in utroque termino per omnia sicut predictus Iohannes.

Radizlaus Plebanus ecclesie de Bacechowicz de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad iv. marc. cum dimidio, simili modo solvit vi. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xiii. scot.

Vincentius Plebanus ecclesie de Zaclicino de proventibus eiusdem ecclesie, ad i. marc. et vi. scot. extimatis, simili modo solvit i. scot. cum dimidio et vii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iii. scot. et xiv. denar.

Miloslaus Plebanus ecclesie de Seprawe de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad i. marc., cum dimidio, simili modo solvit ii. scot. et iv. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iv. scot. et viii. denar.

Postek Plebanus ecclesie de Lasan de proventibus eiusdem ecclesie, extimatis ad iii. marc., tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit iv. scot. et viii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa viii. scot. cum dimidio et iv. denar.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Dobssicz de proventibus eiusdem ecclesie, ad iv. marc. extimatis, simili modo solvit v. scot. et tres quartas. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Gregorius Plebanus ecclesie de Sobolow de proventibus eiusdem ecclesie, ad ii. marc. et vi. scot. extimatis, simili modo solvit iii. scot. et vi. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa vi. scot. cum dimidio.

Iohannes Plebanus ecclesie de Visnice de proventibus eiusdem ecclesie, ad vi. marc. extimatis, simili modo solvit viii. scot. cum dimidio et iii. denar. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xvii. scot. et vii. denar.

Marcuardus Plebanus ecclesie de Novorudel de proventibus eiusdem ecclesie, ad i. marc. cum dimidio extimatis, simili modo solvit ii. scot. et iv. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iv. scot. et viii. denar.

Henricus Plebanus ecclesie de Villaregis de prov. eiusdem ecclesie, extimatis ad iii. marc. s. m. solv. iv. scot. et viii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa viii. scot. cum dimidio et iv. den.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Mislimicz de prov. eiusdem ecclesie, extimatis ad iii. marc. et xviii. scot. s. m. solv. v. scot. et ix. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa x. scot. et xix. den.

Andreas (Petrus) Plebanus ecclesie de Lipnik de prov. eiusdem ecclesie, extimatis ad iii. marc. s. m. solv. iv. scot. et viii. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa viii. scot. cum dimidio et iv. denar.

Andreas Plebanus medietatis ecclesie de Breze de prov. ad eum spectantibus, extimatis ad vi. marc. s. m. solv. viii. scot. cum dimidio et iii. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xvii. scot. et vii. den.

Gregorius Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de proventibus ad eum spectantibus, ad ii. marc. extimatis, s. m. solv. ii. scot. et xxi. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa v. scot. et xviii. denar.

Martinus Plebanus ecclesie de Brestnitia de prov. eiusdem ecclesie, ad VIII. marc. pro presenti anno extimatis, solv. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime medietatis proventuum primi annorum, quo ecclesia vacavit, et valuerunt IV. marc. solv. X. scot. cum dimidio et II. denar. Summa X. scot. cum dimidio et II. den.

Santko Plebanus ecclesie de Lossosina de prov. eiusdem ecclesie, extimatis ad VIII. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. XI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXIII. scot.

Petrus Plebanus ecclesie de Drogyna de prov. eiusdem ecclesie, ad V. marc. extimatis, s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Gay de prov. eiusdem ecclesie, ad I. marc. extimatis, s. m. solv. I. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot.

Marcus (Iohannes) Plebanus ecclesie de Mogylan de prov. eiusdem ecclesie, ad I. marc. extimatis, s. m. solv. I. scot. cum dimidio. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. III. scot. et VII. den. Summa IV. scot. et XIX. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Sulicowicz de III. marc. solv. s. m. IV. scot. et VIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Gregorius Plebanus ecclesie de Glovoczhow de media marca solv. s. m. XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. scot. cum dimidio.

Octo Plebanus ecclesie de Crivadambrowa de I. marc. cum dimidio s. m. solv. II. scot. et IV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. scot. et VIII. den.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Erbordi Villa de una marca pro integra decima presentis anni, quo adeptus est ecclesiam de novo fundatam, solv. II. scot. et X. den. Summa II. scot. X. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Iavornik de prov. eiusdem ecclesie, ad I. marc. et VI. scot. extimatis, simili modo solvit I. scot. et XIX. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot. et XIV. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Rethembrot de una marca solvit s. m. I. scot. et XI. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et XXII. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Villa Conradi de III. marcis et III. scotis pro decima presentis anni, quo assecutus est eandem ecclesiam, que de novo fundata est, solv. III. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. tantumdem. Summa VII. scot. cum dimidio.

Bertholdus Plebanus ecclesie de Villa Martini de una marca s. m. solv. I. scot. et XI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et XXII. den.

Decanatus de Zathor.

Henricus Plebanus ecclesie de Zathor de V. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. VII. scot. et V. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Villa Hermanni de II. marc. cum dimidio s. m. solv. III. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Tillo Plebanus ecclesie de Polenka de VII. marc. s. m. solv. X. scot. et II. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XX. scot. et IV. den.

Wilhelmus Plebanus ecclesie de Petrowicz de III. marc. cum dimidio pro medietate decime presentis anni solv. IV. scot. et V. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et X. den. Attende, quod pro decima primi anni habet terminum ad solvendum.

Bartholomeus Plebanus ecclesie de Villa Gerardi de III. marc. cum dimidia tam pro medietate decime presentis, quem decima parte decime primi annorum solv. V. scot. et I. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa X. scot. et II. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Glambowicz de II. marc. et XVIII. scot. solv. III. scot. et XXIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et XXII. den.

Michael Plebanus de Villa Zebotonis de I. marc. cum dimidia pauper et numquam comparuit, neque solvit.

Paulus Plebanus ecclesie de Villa Wriderici, seu Vitanowicz, de III. marc. pro medietate et

decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Theodericus Plebanus ecclesie de Weprez de VI. marc. s. m. solvit VIII. scot. cum dimidio et III. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et VII. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Helwand de I. marc. et VI. scot. s. m. solv. I. scot. et XX. den. Deinceps nunquam solvit, quia ecclesia deserta est. Summa I. scot. et XX. den.

Michael Plebanus ecclesie de Spichowicz de VI. marc. s. m. solv. VIII. scot. cum dimidio et III. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et VII. den.

Florianus Plebanus ecclesie de Woznik de II. marc. cum dimidia s. m. solv. III. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et VI. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Wriderichowicz de II. marc. cum dimidia s. m. solv. in utroque termino per omnia sicut predictus Florianus. Summa VII. scot. et VI. den.

Fredericus Plebanus ecclesie de Zarissow de III. marc. solv. pro medietate decime presentis anni, et decima parte huiusmodi IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Berwald de II. marc. cum dimidia s. m. solv. III. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et VI. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Villa Siffridi de II. marc. cum dimidia s. m. solv. in utroque termino tantumdem sicut predictus Iohannes. Summa VII. scot. et VI. den.

Mathias Plebanus ecclesie de Bobedre de I. marc. s. m. solv. I. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot.

Iohannes Pleb. ecclesie de Regulicz de II. marc. et XVIII. scot. s. m. solv. III. scot. et XXIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et XXII. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Grabsicz de I. marc. cum dimidia s. m. solvit III. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et VI. den.

Iohannes Pleb. ecclesie de Muchar de XV. marcis s. m. solv. XXI. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XIX. scot. et V. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Nidek de I. marca cum dimidia s. m. solv. II. scot. et VI. den. Deinceps nichil solvit, quia ecclesia est deserta. Summa II. scot. et VI. den.

Sulco Plebanus ecclesie de Villa Mathei de I. marca cum dimidia per omnia solvit sicut predictus Iohannes. Deinceps nichil solvit, quia ecclesia deserta est. Summa II. scot. et VI. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Antiquoradissow de III. marc. pro medietate decime presentis anni solv. III. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Vitko Plebanus ecclesie de Novoradissow (alias de Vola) de II. marcis et VII. scot. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. III. scot. et VII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VI. scot. cum dimidio et II. den.

Henczeko Plebanus ecclesie de Cirnechow de VI. marc. s. m. solv. VIII. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et VI. den.

Grimislaus Plebanus ecclesie de Thintia de VII. marc. solv. s. m. X. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solv. XIV. scot. et II. denar. Summa I. marc. X. scot. et VI. denar.

Stanislaus et Florianus Plebani ecclesie de Moravitia de XII. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solverunt XVII. scot. et VII. den. Item in sec. term. Summa I. m. X. scot. cum dimidio et II. den. Attende, quia futuris annis decimabunt de XXV. marc. preter decimam partem primi anni.

Lipoldus Plebanus ecclesie de Rudawa de XX. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Preghina de V. marcis pro medietate decime presentis anni solv. VI. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XII. scot. Attende, quod habet terminum ad solvendam decimam totam primi anni.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Crencin de I. marca cum dimidia s. m. solv. I. scot. et XIX.

den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot. cum dimidio et II. denar. Attende, quod habet terminum ad solvendam decimam totam primi anni.

Hermannus Plebanus ecclesie de Strenow de II. marc. tam pro medietate, quam decima parte decime huiusmodi solv. II. scot. et XXI. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. denar.

Ecclesia de Wadowicz nichil habet, quia filialis est ecclesie predicte de Muchar.

Vincentius Plebanus ecclesie de Palcowicz nichil solvit, qui nichil habet.

Albertus Plebanus ecclesie de Somscow (Sosca) de III. marc. pro medietate decime presentis anni solv. III. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Adolphus Plebanus ecclesie de Paromba Zenota de III. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime anni primi solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Cressowicz de IV. marc. s. m. solvit V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Item Andreas Plebanus ecclesie de Lissek de II. marc. s. m. solv. II. scot. et XXII. denar. Deinceps nichil solvit inobediens et excommunicatus. Summa II. scot. et XXII. den.

Decanatus de Andreow.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Andreow de III. marcis tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decimi primi annorum solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Mathias Plebanus ecclesie de Mocresko de IV. marc. s. m. solv. V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Albertus Prebendarius in eadem ecclesia de II. marc. s. m. solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Gomelnow de V. marc. cum dimidio s. m. solv. VII. scot. et XXII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XV. scot. et XX. den. Stanislaus Complebanus eiusdem de IV. marc. cum dimidia s. m. solv. VI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. tantumdem. Summa XIII. scot. Pripko Prebendarius in eadem ecclesia de VIII. marcis s. m. solv. XI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXIII. scot.

Martinus Plebanus ecclesie de Wrocyzir de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Albertus Plebanus ecclesie de Lubza de V. marc. cum dimidia s. m. solv. VII. scot. et XXII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XV. scot. et XX. den.

Ioseph Plebanus ecclesie de Petrechowicz de III. marc. s. m. solv. IV. scot. et VIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Willelmus Plebanus ecclesie de Mironiwicz de VI. marc. cum dimidia s. m. solv. IX. scot. et IX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVIII. scot. et XVIII. den. Venceslaus Complebanus (excommunicatus) nichil solvit.

Item Adam Plebanus ecclesie de Sandissow de XVI. marc. pro medietate decime presentis anni solv. XIX. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XIV. scot. et X. den. Grivosand Prebendarius in eadem ecclesia de III. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime anni primi solv. V. scot. et I. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa X. scot. et II. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Dirzcow de IV. marcis tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Martinus Plebanus ecclesie de Slupp de III. marcis s. m. solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Cethoslaus Plebanus ecclesie de Naglowicz de II. marcis cum dimidia s. m. solv. III. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et VI. den.

Miroslaus Plebanus ecclesie de Grodzina de VIII. marcis s. m. solv. XI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXIII. scot.

Iacobus Plebanus ecclesie de Obichow de IX. marcis et VI. scot. s. m. solv. XIII. scot. et VII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. II. scot. cum dimidio et IV. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Krisanticz de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Florianus Plebanus ecclesie de Racosin de I. marc. s. m. solv. I. scot. et XI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et XXII. den.

Decanatus Cazmiriensis.

Gregorius Plebanus ecclesie de Cazmiria de XIV. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decimi primi annorum solv. XX. scot. et IV. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa I. marc. XVI. scot. et VIII. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Czudinowicz de III. marc. s. m. solv. IV. scot. et VIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Ignatius Plebanus ecclesie de Bobin de VIII. marc. s. m. solv. XI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime utriusque anni solv. XV. scot. et X. den. Summa I. marc. XIV. scot. et X. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Niculauschowicz de III. marc. cum dimidia s. m. solv. V. scot. et I. den. Item in sec. term. solv. pro toto residuo decime utriusque anni XI. scot. et XVIII. denar. Summa XVI. scot. et XIX. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Cassolecz de XX. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Gregorius Plebanus ecclesie de Xegnicz de XXXI. marc. s. m. solv. I. marcam XX. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. marc. XVII. scot. et VI. den.

Vincentius (Nicolaus) Plebanus ecclesie de Gorchow de VIII. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime medietatis proventuum eiusdem ecclesie primi anni, quo vacavit, qui valuerunt IV. marc. solv. X. scot. cum dimidio et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXI. scot. et IV. den.

Paulus Plebanus ecclesie de Antiquobresko de XXX. marc. s. m. solv. I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Benco Plebanus ecclesie de Vithow de X. marc. pro medietate decime presentis anni solvit XII. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Premacow de XVI. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. XXIII. scot. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. II. marc. V. scot. et XIX. den. Summa III. marc. V. scot. minus V. den.

Sebastianus Plebanus ecclesie de Grobla de V. marcis s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Raphalowicz de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Laurentius Plebanus ecclesie de Novobresko de IX. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime medietatis similium proventuum primi anni, quo ecclesia vacavit, solv. XI. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXIII. scot. et XVIII. den.

Saulus Plebanus ecclesie de Laurenticz de XXV. marc. solv. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte primi annorum I. marc. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa III. marc.

Iacobus Plebanus ecclesie de sancto Prancatio de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro tota decima primi anni solv. IX. scot. cum dimidio et II. denar. Summa I. marc.

Andreas Plebanus ecclesie de sancto Laurentio de IV. marcis s. m. solvit V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tautumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Decanatus de Idzrancino alias Zrancino.

Paulus Plebanus ecclesie de Idzrancino de iv. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. v. scot. et xviii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Rodolphus Plebanus ecclesie de Beyecz de v. marc. solvit viii. scot. et xv. denar. tantum. Summa viii. scot. et xv. den.

Ecclesia de Dominicovicz de viii. scot. est deserta.

Andreas Plebanus ecclesie de Zalanze de ii. marcis cum dimidia s. m. solv. iii. scot. cum dimidio et ii. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa vii. scot. et v. den.

Blasius Plebanus plebis ecclesie de Slavancin de ii. marc. cum dimidia s. m. solv. in utroque termino per omnia sicut predictus Andreas. Summa vii. scot. et v. den.

Stephanus Plebanus ecclesie de Iassel de iv. marc. cum dimidia s. m. solvit vi. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiii. scot.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Antiquo Smigrode de ix. marc. s. m. solv. xiii. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa i. marc. et ii. scot.

Somso Plebanus ecclesie de Seben de i. marc. solv. i. scot. cum dimidio tantum.

Laurentius Plebanus ecclesie de Cleczicze de viii. marcis tam pro medietate decime, quam decima parte decime huiusmodi solv. xi. scot. cum dimidio. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. i. marc. ii. scot. et xxii. den. Summa ii. marc. xiv. scot. et x. den.

Adam Plebanus ecclesie de Bedzeda solv. i. grossum, quia nichil habet. Summa i. grossus.

Bertholdus Plebanus ecclesie de Novo Smigrode de i. marca et xviii. scot. solvit ii. scot. cum dimidio. Summa ii. scot. cum dimidio.

Decanatus de Tarnow.

Miroslaus Pleb. eccl. de Tarnow de iii. marc. cum dimidia tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. v. scot. et i. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solv. vi. scot. et xviii. den. Summa xvi. scot. et xx. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Woynicz de xxviii. marc. simili modo solvit i. marc. cum dimidio iv. scot. et viii. denar. Item in sec. term. simili modo solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime utriusque anni solvit ii. marc. v. scot. et xviii. denar. Summa v. marc. xiv. scot. et x. denar.

Bogumilus Plebanus ecclesie de Wirchoslawicz de ii. marc. cum dimidia solvit iii. scot. cum dimidio et ii. denar. cum dimidio. Item in sec. termino solvit tantumdem. Summa vii. scot. et v. denar.

Sebastianus Plebanus ecclesie de Iurchow de iii. marc. cum dimidia simili modo solvit v. scot. et i. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa x. scot. et ii. denar.

Iacobus Plebanus ecclesie de Thuchow de v. marc. cum dimidia simili modo solvit vii. scot. et xxii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xv. scot. et xx. denar.

Pribislaus Plebanus ecclesie de Opatkowicz de iii. marc. cum dimidia tam pro medietate decime presentis anni, quam decima parte decime anni primi solvit v. scot. et i. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit vi. scot. cum dimidio et v. denar. Summa xvi. scot. et xix. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Libertate Timonis de iii. marc. cum dimidia simili modo solvit v. scot. et i. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa x. scot. et ii. denar.

Stephanus Plebanus ecclesie de Libertate Gotfridi de ii. marc. simili modo solvit ii. scot. et xxi. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa v. scot. et xviii. denar.

Andreas Plebanus ecclesie de Gnoynik de iii. marc. cum dimidia simili modo solvit v. scot. et i. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa x. scot. et ii. denar.

Petrus Plebanus ecclesie de Bessadek de iv. marc. simili modo solvit v. scot. cum dimidio et ii. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xi. scot. et iv. denar.

Paulus Plebanus ecclesie de Usswa (Visla) de iii. marc. et xviii. scot. simili modo solvit v. scot. et ix. denar. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit vii. scot. et v. denar. Summa xviii. scot.

Petrus Plebanus ecclesie de Plessina de novo fundata de II. marc. pro medietate decime presentis anni, quo ecclesia fuit fundata, solvit II. scot. et X. denar. Item in secundo termino simili modo solvit tantumdem. Summa IV. scot. et XX. denar.

Stephanus (Petrus) Plebanus ecclesie de Iassen de II. marc. cum dimidia simili modo solvit III. scot. cum dimidio et II. denar. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa VII. scot. et V. denar.

Petrus Plebanus ecclesie de Dambno de V. marc. simili modo solvit VII. scot. et V. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Paulus Plebanus ecclesie de Radlow de X. marc. simili modo solvit XIV. scot. et X. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit XIX. scot. et IV. denar. Summa II. marc.

Iohannes Plebanus ecclesie de Gora de VI. marc. simili modo solvit VIII. scot. cum dimidio et III. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XVII. scot. et VI. denar.

Andreas Plebanus ecclesie de Czechow de X. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit XIV. scot. et X. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. V. scot. minus IV. denar.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Goszecz de II. marc. simili modo solvit II. scot. et XXI. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. denar.

Falco Plebanus ecclesie de Scepanow de X. marc. et XVIII. scot. simili modo solvit XV. scot. cum dimidio. Item in secundo termino pro toto residuo decime utriusque anni solvit I. marc. cum dimidia et II. denar. cum dimidio. Summa II. marc. III. scot. et XIV. denar. cum dimidio.

Martinus Plebanus ecclesie de Paromba de V. marc. simili modo solvit VII. scot. et V. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Item Symon Plebanus ecclesie de Libertate Yvonis — nova est plantatio.

Decanatus de Idzranza alias Irzadz.

Ulricus Plebanus eccl. de Irzadz de VI. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit VIII. scot. cum dimidio et III. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit XI. scot. cum dimidio et I. den. Summa I. marc. IV. scot. et XIX. den.

Laurentius Plebanus ecclesie de Chromolow de VIII. marc. simili modo solvit XI. scot. cum dimidio et III. denar. Item in secundo termino pro toto residuo decime utriusque anni solvit I. marc. II. scot. et XIX. den. Summa I. marc. XIV. scot. et X. den.

Daniel Plebanus ecclesie de Podlesse de V. marc. simili modo solvit VII. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Augustinus Plebanus ecclesie de Chlobusco de VIII. marc. simili modo solvit IX. scot. cum dimidio et III. den. Item in secuudo termino solvit tantumdem. Summa XIX. scot. et VI. den.

Nicolaus Plebanus plebis ecclesie de Secocin de I. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte decime huiusmodi solvit I. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa III. scot.

Symon Plebanus ecclesie de Potok de II. marc. solvit simili modo II. scot. et XXI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Paulus Plebanus ecclesie de Kidow de I. marc. et XXII. scot. similiter solvit II. scot. et XVIII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. scot. cum dimidio.

Lucianus Plebanus ecclesie de Kebel de I. marc. cum dimidia pro medietate decime presentis solvit I. scot. et XIX. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa III. scot. et XIV. denar.

Bogufalus Plebanus ecclesie de Nakel de VII. marc. solvit pro medietate decime presentis anni VIII. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in sec. ter. solvit tantumdem. Summa XVI. scot. et XIX. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Pribino de II. marc. solvit tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi II. scot. et XXI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. denar.

Laurentius Plebanus ecclesie de Negowa de media marca simili modo solvit XVIII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. scot. cum dimidio.

Bogufalus Plebanus ecclesie de Czanstacowa de I. marc. simili modo solvit I. scot. cum dimidio. Item in secundo termino nihil solvit. Summa I. scot. cum dimidio.

Leonardus Plebanus ecclesie de Dlusecz de II. marc. simili modo solvit II. scot. et XXI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Bertholdus Plebanus ecclesie de Goloczel de XX. marc. simili modo solvit I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Paulus Plebanus ecclesie de Lellow de XX. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime medietatis similium proventuum primi anni, quo ecclesie vacavit, solvit I. marc. II. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. marc. IV. scot. et XIX. denar.

Paulus Plebanus ecclesie de Piltia de XVI. marc. solvit pro medietate decime presentis anni XIX. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro tota decima primi anni solvit I. marc. et XIV. scot. et X. den. Summa III. marc. IV. scot. et XX. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Lesnow de I. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime anni primi solvit I. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa III. scot.

Mathias Plebanus ecclesie de Rokidnow de I. marc. cum dimidia simili modo solvit II. scot. et IV. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa IV. scot. et VIII. den.

Laurentius Plebanus ecclesie de Zarnowecz de X. marc. solvit simili modo XIV. scot. et X. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Decanatus de Plessow.

Hermannus Plebanus ecclesie de Czulicz de V. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit VII. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Ingbertus Plebanus ecclesie de Luboritia de XLVI. marc. cum omnibus utilitatibus simili modo solvit II. marc. XVIII. scot. et VI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa V. marc. et XII. scot. cum dimidio.

Iohannes Plebanus ecclesie de Negardow de VIII. marc. simili modo solvit XI. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni predicti solvit XV. scot. et X. den. Summa I. marc. XIV. scot. et X. den.

Iohannes Plebanus medietatis ecclesie de Comissa de XXIII. marc. solvit simili modo I. marc. IX. scot. et III. den. Item in secundo termino pro toto residuo decime utriusque anni solvit III. marc. V. scot. et VII. den. Summa IV. marc. XIV. scot. et X. den. Hermannus Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de XVIII. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit I. marc. I. scot. et XXII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. marc. III. scot. et XX. den.

Symon Plebanus ecclesie de Proschowicz de IX. marc. simili modo solvit XII. scot. et XXIII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. I. scot. et XXII. den.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Zambocin de IX. marc. solvit simili modo XII. scot. et XXIII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. I. scot. et XXII. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Pobednik de XII. marc. solv. s. m. XVII. scot. et VI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. et X. scot. cum dimidio.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Plessow de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Waltherus Plebanus medietatis ecclesie de Russa de X. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime medietatis proventuum primi anni, quo ecclesie vacavit, qui valuerunt IX. marc. tantum, solv. XIII. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. II. scot. et IV. den. Martinus Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de XIV. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime proventuum anni primi vacationis ecclesie, qui XII. marc. tantum valuerunt, solv. XVIII. scot. et VI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XII. scot. cum dimidio.

Andreas Plebanus ecclesie de Igolomia de XX. marc. s. m. solv. I. marc. IV. scot. et XIX.

den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. II. marc. XIX. scot. et V. den. Summa IV. marc.

DECANATUS SLAUCOVIENSIS.

Rambertus Plebanus ecclesie de Slaucovia de XX. marc. solv. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime anni primi I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Petrus Plebanus ecclesie de Chechel de X. marc. s. m. solv. XIV. scot. cum dimidio. Item in sec. term. tantumdem. Summa I. marc. et V. scot.

Petrus Plebanus ecclesie de Zancowicz de VI. marc. s. m. solv. VIII. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et VI. den.

Tilo Plebanus ecclesie de Sewor de X. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Vinceslaus Plebanus ecclesie de Rept de V. marc. pro medietate decime presentis anni solv. VI. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XII. scot.

Clemens Plebanus ecclesie de Woycecowicz de III. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et VIII. denar. Item in sec. term. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Mathias Plebanus ecclesie de Bandin de VIII. marc. s. m. solv. XI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXIII. scot.

Theodoricus (Iasco) Plebanus ecclesie de Symuna de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Grozecz de III. marc. simili modo solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solvit X. scot. et II. denar. Summa XIV. scot. et X. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Biscupicz nichil solvit.

Franzco Plebanus ecclesie de Camen de IV. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Swentopelco Plebanus ecclesie de Czedladz de XII. marc. et X. scot. s. m. solv. XVII. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XI. scot. et XVIII. den.

Nicolaus Plebanus eccl. S. Margarete de Bitom de XII. marc. cum dimidia s. m. solv. XVIII. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. et XII. scot.

Martinus Pleb. eccl. de Samzhow de II. marc. s. m. solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Prossho Plebanus eccl. S. Marie de Bitom de III. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi anni, quo proventus eiusdem ecclesie valuerunt II. marc. tantum, solv. IV. scot. et II. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solvit VII. scot. et XXII. den. Summa XII. scot.

Mathias Plebanus eccl. de Mislowicz seu Mislimicz de V. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. XVI. scot. et XIX. den. Summa I. marc.

Michael Plebanus ecclesie de Gosseglow nichil solvit.

Frater Henricus, procurator quarumdam decimarum monasterii S. Vincentii prope Wratislaviam, de proventibus earundem decimarum consistentium in terra Bitomiensi Cracoviensis diocesis, extimatis ad II. marc., pro integra utriusque anni solv. IV. scot. et XIX. den. Summa IV. scot. et XIX. den.

Stasco (alias Santko) Plebanus ecclesie de Ilcus, in qua consistit prebenda ecclesie S. Floriani iuxta Cracoviam, cuius est Canonicus, de XI. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. XV. scot. et XX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. VII. scot. et XVI. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Novomonte de III. marc. solv. s. m. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Frater Henco, Magister hospitalis S. Spiritus de Carow iuxta Bitom, de IV. marc. s. m. solv. VI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIII. scot.

Petrus Plebanus eccl. de Pechar de II. marc. pro medietate decime presentis anni, quo incepit percipere fructus, solv. II. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. scot. XIX. den.

Albertus Plebanus eccl. de Panow de XX. scot. s. m. solv. I. scot. et V. den. Item in sec. term. sol. tantumdem. Summa II. scot. et X. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Razcinchow nunquam solvit.

Iacobus Plebanus ecclesie de Plok de VI. marc. pro medietate decime presentis anni solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Venceslaus Plebanus eccl. de Nicolow de VI. marc. pro medietate decime presentis anni solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Item ecclesia de Michalcowicz est deserta.

Adam Plebanus de Carow de I. marca similiter solvit I. scot. et V. denar. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. scot. X. den.

Nicolaus Pleb. eccl. de Niculticz de media marca tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. scot. cum dimidio.

Decanatus Sandecensis.

Iohannes Plebanus eccl. de Sbissicz de X. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Henlinus Plebanus eccl. de Nevoyowa de II. marc. et VIII. scot. s. m. solv. III. scot. et IX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VI. Scot. et XVIII. den.

Nicolaus Pleb. eccl. de Ferreavilla de IV. marc. cum dimidia s. m. solv. VI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. tantumdem. Summa XIII. scot.

Godislaus Plebanus eccl. de Barczicz de I. marc. et XXI. scot. solv. s. m. II. scot. cum dimidio et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa. V. scot. et X. den.

Iohannes Plebanus eccl. de Mantina de IV. marc. et XVIII. scot. solv. s. m. VI. scot. et XX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIII. scot. et XVI. den.

Petrus Plebanus eccl. de Nigrofluvio de II. marc. s. m. solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Nicolaus Pleb. eccl. de Prissowa de I. marc. et VI. scot. solv. s. m. II. scot. minus V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot. et XIV. den.

Bartholomeus Plebanus eccl. de Mogylno de XX. scot. solv. s. m. I. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et X. den.

Philippus Pleb. eccl. de Chomorawicz de II. marc. cum dimidia solv. s. m. III. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et. V. den.

Helias Plebanus eccl. de Longoprato de III. marc. solv. s. m. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. den.

Iacobus Zirik Plebanus eccl. de Pedegrodze de XXXV. marc. solv. s. m. II. scot. et X. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. IV. marc. XXI. scot. et II. denar. Summa VI. marc. XXIII. scot. cum dimidio.

Iasco Pleb. eccl. de Mislicow de III. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Mathias Pleb. eccl. de Wilglow de IX. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XII. scot. et XXIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. mar. I. scot. et XXII. den.

Stanislaus Plebanus eccl. de Sancto Gwerardo de XVIII. marc. solv. s. m. I. marc. I. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. III. scot. et XVIII. den.

Gregorius Plebanus ecclesie de Sidlisicz de V. marc. cum dimidia s. m. solv. VII. scot. et XXII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XV. scot. et XX. den.

Symon Plebanus eccl. de Iacubcowicz de III. marc. s. m. solv. IV. scot. et VIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. cum dimidio et IV. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Tangoborza de IV. marc. cum dimidia solvit s. m. VI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIII. scot.

Albertus Plebanus ecclesie de Iasonsco de II. marc. solv. s. m. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Miroslaus Plebanus ecclesie de Lucowiz de III. marc. et VIII. scot. s. m. solvit IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IX. scot. et XIV. den.

Victor Plebanus ecclesie de Antiquosandecz de V. marc. solv. s. m. VII. scot. et V. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Cristanus Plebanus ecclesie de Moscenitia de II. marc. cum dimidia s. m. solvit III. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Sedlecz de II. marc. cum dimidia s. m. solv. in utroque termino per omnia sicut predictus Cristanus. Summa VII. scot. et V. den.

Clemens Plebanus ecclesie de Beganicz de totidem marcis s. m. solvit in utroque termino tantumdem ut predictus Cristanus. Summa VII. seot. et V. den.

Laurentius Vicarius perpetuus ecclesie de Lanzko de VII. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. X. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XX. scot. et IV. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Novosandecz de XXX. marcis s. m. solvit I. marc. XIX. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. marc. XIV. scot. et X. den.

Decanatus de Pelcinitia.

Tilmannus Pleb. eccl. de Pelcinitia de V. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Iohannes Complebanus eiusdem Tilmanni de I. marc. s. m. solvit I. scot. et XI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et XXII. den.

Primislius Plebanus ecclesie de Wroczimowicz de VII. marc. solv. s. m. X. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XX. scot. et X. den.

Nicik Plebanus ecclesie de Radlawicz de IV. marc. et XVIII. scot. s. m. solvit VI. scot. et XX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIII. scot. et XVI. den.

Symon Plebanus ecclesie de Nasancowicz de IV. marc. s. m. solvit V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Calina de III. marc. cum dimidia s. m. solvit V. scot. et I. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa X. scot. et II. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Slavosow de VIII. marc. s. m. solvit XI. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XXIII. scot.

Iacobus senior Plebanus medietatis ecclesie de Magnoxenze de VIII. marc. solvit in utroque termino sicut predictus Henricus. Summa XXIII. scot. Item Iacobus iunior Plebanus alterius medietatis predicte ecclesie de X. marcis tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Odolanus Plebanus ecclesie de Parvoxenze de VII. marc. s. m. solvit X. scot. et II. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XX. scot. et IV. den.

Petrus Plebanus ecclesie de Misticzow de VI. marcis cum dimidia s. m. solvit IX. scot. et IX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVIII. scot. et XVIII. den. Item Dobreslaus Complebanus eiusdem de totidem marc. solv. in utroque termino per omnia sicut predictus Petrus. Summa XVIII. scot. et XVIII. den. Item Nicolaus Scolasticus eiusdem ecclesie de II. marc. s. m. solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Decanatus de Oswencim.

Nicolaus Plebanus medietatis ecclesie de Oswencim de XXX. marcis tam pro medietate decime, quam decima parte decime huiusmodi solv. I. marc. XIX. scot. et V. den. Item in sec. term.

solv. tantumdem. Summa III. marc. XIV. scot. et X. den. Item Leonardus Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de XXX. marc. solv. in utroque termino per omnia sicut predictus Nicolaus. Summa III. marc. XIV. scot. et X. den.

Mathias Plebanus ecclesie de Paromba solvit I. scot. et III. denar. Deinceps nichil solvit.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Grozecz, de I. marc. et VI. scot. solv. s. m. I. scot. et XIV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot. et IV. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Ossek de VIII. marc. cum dimidia s. m. solv. XII. scot. et VI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. et I. gross.

Gisko Plebanus ecclesie de Mosgront seu Witcowicz de II. marc. cum dimidia tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit III. scot. cum dimidio et II. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Albertus Plebanus ecclesie de Kant de IX. marc. solv. s. m. XII. scot. et XXIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. I. scot. et XXII. den.

Rodulphus Plebanus ecclesie de Gigersdorf seu Gerowicz de I. marc. et XV. scot. nichil.

Bernardus Plebanus ecclesie de Medzwna seu Cuncendorf de V. marc. et XVIII. scot. s. m. solv. VIII. scot. et VI. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa XVI. scot. et XIII. den.

Symon Plebanus ecclesie de Villa Bertholdi de VI. marc. et VIII. scot. s. m. solv. IX. scot. et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVIII. scot. et VI. den.

Theodoricus Plebanus ecclesie de Bestwina de IV. marc. s. m. solv. V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Rudgerus Plebanus ecclesie de Damchowicz de I. marc. solv. s. m. I. scot. et XI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et XXII. den.

Wilhielmus Plebanus ecclesie de Villascriptoris de II. marc. et VI. scot. solv. s. m. III. scot. et VI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VI. scot. cum dimidio.

Henricus Plebanus ecclesie da Antiquovillamowicz de II. marc. cum dimidia s. m. solv. III. scot. et XIV. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Gregorius Plebanus ecclesie de Iawissowicz de XVIII. scot. solv. I. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et IV. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Lensin de VII. marc. et III. gross. s. m. de tota decima presentis anni, que valet XXIII. scot. et VI. den., solv. XIX. scot. cum dimidio tantum.

Franco Plebanus ecclesie de Trebina de I. marc. et XXI. scot. s. m. solv. II. scot. et XVII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et X. den.

Bartholomeus Plebanus ecclesie de Crenovia de VI. marc. et VI. scot. pro sua tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit IX. scot. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa XVIII. scot. Item Iohannes Complebanus eiusdem de VI. marc. et VI. scot. pro medietate decime presentis anni solv. VII. scot. et VI. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa XIV. scot. cum dimidio. Egidius Complebanus ibidem de II. marc. cum dimidia tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit III. scot. et XV. denar. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa VII. scot. et VI. den.

Conradus Plebanus ecclesie de Breze de IV. marc. et II. scot. (excommunicatus) non solvit.

Iohannes Plebanus ecclesie de Visla de I. marc. et XVIII. scot. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. II. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. I. gross. et IV. den. tantum. Summa III. scot. et IV. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Plessina de XVI. marc. solvit s. m. XXIII. scot. et I. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XXII. scot. et II. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie Czuiclitz de IV. marc. et II. scot. pro medietate decime presentis anni solv. IV. scot. cum dimidio et IV. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IX. scot. et IX. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Studna de III. marc. et XVIII. scot. s. m. solv. IV. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. I. scot. cum dimidio et VI. den. tantum. Summa VI. scot. et VI. den.

Wenceslaus Plebanus ecclesie de Susecz de II. marc. cum dimidia solv. tam pro medietate

decime, quam decima parte huiusmodi III. scot. cum dimidio et II. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et V. den.

Gregorius Pleb. eccl. de Woskic de II. marc. cum dimidia (excommunicatus) nunquam solvit.

Engbertus Plebanus ecclesie de Ziwicz de III. marc. pro medietate decime presentis anni solv. III. scot. tantum. Deinceps nichil solvit. Summa III. scot.

Iohannes Plebanus ecclesie de Novovillamowicz de I. marc. et XVI. scot. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. II. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. scot. et XIX. den.

Marcus Plebanus ecclesie de Lipnik de IV. marc. solv. s. m. V. scot. et XVIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Ecclesia de Duabuscapris seu Siffridivilla erat deserta: postea vero Theodoricus Plebanus de I. marc. et XI. scot. pro medietate decime eiusdem anni, quo incepit solvere, solvit IV. scotos.

Ecclesia Wisliciensis.

Magister Franciscus Prepositus de LXXVI. marc. videlicet in certis redditibus de L. et aliis obventionibus de XXVI. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit IV. marc. et XIII. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IX. marc. et III. scot.

Alexander Scolasticus de XV. marc. s. m. solv. XXI. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XIX. scot. et V. den.

Nicolaus Custos eiusdem ecclesie de XX. marc. s. m. solv. I. marc. IV. scot. et XIX. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Iohannes dictus Zarcko Canonicus de VI. marc. pro medietate decime presentis anni solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Florianus Canonicus de prov. prebende sue, de IX. marc. tam pro medietate, quam decima parte decime huiusmodi solv. XIII. scot. Summa XIII. scot.

Wolwramus Canonicus de XI. marc. s. m. solv. XVI. scot. minus IV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. VII. scot. et XVI. den.

Iohannes de Bandin Canonicus de VI. marc. pro prebenda sua, quam obtinuit Nemirza, pro medietate decime presentis anni solv. VII. marc. et V. den. Item in secundo term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den.

Nicolaus de Pelcitia Canonicus gratialis de prov. gratie, ad xv̄. marc. extimatis, simili modo solv. XXI. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XIX. scot. et V. den.

Hermannus, procurator Regis, Canonicus gratialis de XVIII. marc. solvit I. marc. I. scot. et XXII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. III. scot. et XX. den.

Michael Ursus Canonicus gratialis de I. marc. et VI. scot. s. m. solv. I. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot. et XIV. den.

Nemirza Canonicus de VI. marc. solv. s. m. VIII. scot. cum dimidio et III. den. Item in secundo ter. solv. pro toto residuo decime utriusque anni XX. scot. et IV. den. Summa I. marc. IV. scot. et XIX. den.

Ecclesie in Civitate Wisliciensi.

Sulco Rector ecclesie S. Laurentii de II. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Andreas Plebanus ecclesie S. Martini de III. marc. s. m. solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. den.

Dominicus Rector ecclesie S. Nicolai de I. marc. cum dimidia solv. II. scot. et IV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. scot. et VIII. den.

Ecclesie consistentes in Prepositura Wisliciensi.
Decanatus de Corcin seu de Boleslaw.

Stephanus et Abraham Plebani ecclesie de Corcin de XXVI. marc. tam pro medietate decime

presentis, quam decima parte decime primi annorum solverunt communiter i. marc. xiii. scot. et xi. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa iii. marc. ii. scot. et xxii. den.

Franciscus Plebanus ecclesie de Opatowecz de xii. marc. pro medictate decime presentis anni solv. xiv. scot. et ix. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro integra medietatis similium proventuum primi anni, quo ecclesia vacavit, quorum reliqua medietas recepta est pro Camera domini pape, solv. xiv. scot. et x. den. Summa i. marc. xix. scot. et v. den.

Dominicus Plebanus ecclesie de Grabssow de ii. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. ii. scot. et xxi. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa v. scot. et xviii. den.

Waltherus Plebanus ecclesie de Otwnow de vi. marc. solv. similiter viii. scot. cum dimidio et iii. denar. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solvit v. scot. et xix. denar. Summa xiv. scot. et x. den. Iohannes Prebendarius in eadem ecclesia de Otwinow de xx. scot. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. i. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa ii. scot. et x. den.

Bogufalus Plebanus ecclesie de Rubea Ecclesia de v. marc. s. m. solv. viii. scot. cum dimidio et iii. den. Item in sec. term. solv. pro toto residuo decime utriusque anni v. scot. et xix. den. Summa xiv. scot. et x. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Boleslaw de x. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte decime huiusmodi solvit xiv. scot. et x. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa i. marc. iv. scot. et xx. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Sucin de iii. marc. cum dimidia solv. s. m. v. scot. et i. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa x. scot. et ii. den.

Paulus Plebanus ecclesie de Ostrowecz de v. marc. solv. s. m. vii. scot. et v. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Laurentius Plebanus ecclesie de Strozicz de xxii. marcis simili modo solvit i. marcam vii. scotos cum dimidio et iv. denarios Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa ii. marc. xv. scot. et viii. denar.

Henricus Plebanus ecclesie de Novacivitate de iii. marc. cum dimidia s. m. solv. iv. scot. et xxiii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa ix. scot. et xxii. den.

Iacobus Plebanus eccl. de Bzccz de xx. marc. tam pro medietate decime presentis anni, quam decima parte decime anni primi medietatis fructuum eiusdem ecclesie, que tunc vacavit, qui ad vii. marc. que pro sustentatione et onerum supportatione remanserunt penes eum, ascenderunt, solv. i. marc. i. scot. et xiv. denar. cum dimidio. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa ii. marc. iii. scot. et ix. denar.

Petrus Plebanus ecclesie de Solecz de vii. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit x. scot. et ii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xx. scot. et iv. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Swinar nichil habet et nichil solvit.

Decanatus de Czarnocin.

Michael Plebanus ecclesie de Dzeranza de xl. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. ii. marc. ix. scot. et xiv. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa iv. marc. xix. scot. et v. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Stradow de iii. marc. solv. s. m. iv. scot. et viii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa viii. scot. et xvi. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Pelticz de xxvi. marc. cum agriculturis solv. s. m. i. marc. xiii. scot. et xi. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. iii. marc. xv. scot. et viii. den. Summa v. marc. iv. scot. et xix. denar. Ilicus Prebendarius in eadem ecclesia de prov. prebende seu altaris sui, cum agriculturis et aliis utilitatibus ad xv. marc. extimatis, tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. xxi. scot. et xiv. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa i. marc. xix. scot. et v. den.

Dominicus Plebanus ecclesie de Mlodzow de i. marc. xviii. scot. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit ii. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa v. scot.

Oceslaus Plebanus medietatis ecclesie de Chrobrers de x. marc. simili modo solvit xiv. scot. et x. den. Item in secundo termino pro toto residuo decime utriusque anni solvit i. marc. ix. scot. et xiv. denar. Summa ii. marc. Mathias Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de viii. marc. pro medietate decime presentis anni solvit ix. scot. et xiv. den. cum dimidio. Item in secundo termino tam pro medietate decime presentis, quam integra decima primi annorum solvit i. marc. iv. scot. et xix. den. Summa i. marc. xiv. scot. et ix. den. cum dimidio.

Paulus Plebanus ecclesie de Probolawicz de v. marc. cum dimidia solvit simili modo vii. scot. et xxii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xv. scot. et xx. den.

Bogdasius Plebanus ecclesie de Pernacazmiria de xii. marc. pro medietate decime presentis anni solvit xiv. scot. ix. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro tota decima primi anni solvit i. marc. iv. scot. et ix. den. Summa ii. marc. ix. scot. et iv. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Sokolina de x. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit xiv. scot. et x. den. Item in secundo termino pro toto residuo decime utriusque anni solvit i. marc. ix. scot. et xiv. den. Summa ii. marc.

Cechoslaus Plebanus ecclesie de Czalosicz de v. marc. pro medietate decime presentis anni solvit vi. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit ix. scot. et xiv. den. Summa xxi. scot. et xiv. den.

Vincentius Plebanus ecclesie de Czarnocin de iv. marc. solvit v. scot. et viii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa x. scot. et xvi. den.

Decanatus de Kige.

Rathiborius Plebanus ecclesie de Kighe de x. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit xiv. scot. et x. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. iv. scot. et xx. den. Iohannes Prebendarius in eadem ecclesia de iii. marc. cum dimidia solvit simili modo v. scot. et i. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa x. scot. et ii. den.

Goslaus Plebanus ecclesie de Gnoynow de vi. marc. simili modo solvit viii. scot. cum dimidio et iii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xvii. scot. et vi. denar.

Iacobus Plebanus ecclesie de Santia de v. marc. simili modo solvit iv. scot. et viii. den. Item in secundo termino pro toto residuo decime utriusque anni solvit x. scot. et ii. den. Summa xiv. scot. et x. den. Martinus Complebanus eiusdem ecclesie de ii. marc. cum dimidia pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit iii. scot. cum dimidio et ii. den. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa vii. scot. et v. den. Boguda Scolasticus ibidem de ii. marc. cum dimidia solvit simili modo in utroque termino per omnia sicut predictus Martinus. Summa vii. scot. et v. den. Andreas Prebendarius in eadem ecclesia de xii. scot. pro integra decima utriusque anni solvit i. scot. cum dimidio. Summa i. scot. cum dimidio.

David Plebanus ecclesie de Ianina de iv. marc. solvit tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi v. scot. et xviii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Vicko Plebanus ecclesie de Sczavoricz de iii. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit iv. scot. et viii. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa viii. scot. et xvi. den.

Dobreslaus Plebanus ecclesie de Lissow de viii. marc. pro medietate decime presentis anni solvit ix. scot. et xiv. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantum iv. scot. et xvii. den. Summa xiv. scot. et vii. den. cum dimidio.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Wirczizow de iv. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit v. scot. et xviii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Sangiwoyowicz (Sczanzvoiowicz) de v. marc. solvit simili modo vii. scot. et v. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro residuo decime primi anni solvit xii. den. tantum. Summa xiv. scot. et xxii. denar.

Paulus Plebanus ecclesie de Chothel de vii. marc. solvit pro medietate decime presentis anni viii. scot. et ix. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit vii. scot. cum dimidio et ii. den. Summa i. marc. et ix. den.

Decanatus de Xegnicz.

Wenceslaus Plebanus ecclesie de Xegnicz de vii. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit x. scot. et ii. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa xx. scot. et iv. den.

Petrus (Stephanus novus) Plebanus ecclesie de Bansowa militali de xiii. marc. simili modo solvit xviii. scot. et xviii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit i. marc. et i. gross. Summa ii. marc. xiv. scot.

Boguslaus Plebanus ecclesie de Bechow de v. marc. simili modo solvit vii. scot. et v. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte residua decime primi anni solvit xiv. den. tantum. Summa xv. scot.

Iacobus Plebanus ecclesie de Tuczamp de vi. marc. simili modo solvit viii. scot. et xv. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte dicti residui solvit i. scot. et xiii. den. Summa xviii. scot. et xix. denar.

Siffridus Plebanus ecclesie de Conemlot de xx. marc. pro medietate decime presentis anni solvit i. marc. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa ii. marc.

Ioh. Zarko Plebanus eccl. de Bansowa Episcopali de iv. marc. pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. vii. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. denar.

Martinus Plebanus ecclesie de Olesnitia de v. marc. solvit tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi vii. scot. et v. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Paulus Plebanus ecclesie de Cotussow de v. marc. cum dimidia simili modo solvit vii. scot. et xxii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xv. scot. et xx. denar.

Theodericus Plebanus ecclesie de Polancz de xi. marc. simili modo solvit xv. scot. et xx. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. vii. scot. et xvi. denar.

Dobreslaus, Nicolaus et Iohannes Plebani ecclesie de Stobnitia de xviii. marc. similiter solverunt i. marc. i. scot. et xxii. den. Item in secundo termino solverunt tantumdem. Summa ii. marc. iii. scot. et xx. denar.

Petrus Plebanus eccl. de Stassow nunquam comparuit, neque solvit (et est excommunicatus).

Boguslaus Plebanus ecclesie de Cargow de v. marc. solvit simili modo vii. scot. et v. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xiv. scot. et x. denar.

Rodulphus Plebanus ecclesie de Paczanow de xv. marc. simili modo solvit xxi. scot. et xiv. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. xix. scot. et v. denar.

Mathias Plebanus eccl. de Scidlow de ii. marc. s. m. solv. ii. scot. et xxii. den. Item in secundo termino solvit pro toto residuo decime utriusque anni vi. scot. et xviii. den. Summa ix. scot. et xvi. den.

Decanatus de Silvis seu de Dambitia.

Antonius Plebanus ecclesie de Dambitia de vi. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi anni, quo proventus valuerunt v. marc. et ix. scot. solvit viii. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro residuo decime primi anni solvit x. scot. et vii. den. Summa i. marc. iii. scot. et vii. denar.

Iacobus Plebanus ecclesie de Zarecz de i. marc. et vi. scot. pro medietate decime presentis anni solvit i. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro tota decima primi anni solvit iii. scot. Summa vi. scot.

Iohannes Plebanus ecclesie de Lubsina de i. marc. et vi. scot. tam pro medietate decime, quam decima parte decime huiusmodi solvit i. scot. et xviii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iii. scot. cum dimidio.

Michael Plebanus ecclesie de Dambrowa de ii. marc. cum dimidia simili modo solvit iii. scot. cum dimidio et iii. den. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa vii. scot. et vii. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Lank de i. marc. et vi. scot. solvit simili modo i. scot. et xviii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa iii. scot. cum dimidio.

Lubomirus (Augustinus) Plebanus eccl. de Sandissow de xii. marc. pro medietate decime presentis anni solvit xiv. scot. et ix. den. cum dimidio. Item in sec. term. solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit i. marc iv. scot. et xix. den. Summa ii. marc. ix. scot. et xiv. den.

Dominicus Plebanus ecclesie de Czudecz de IV. marc. cum dimidia tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit VI. scot. et XI. den. cum dimidio. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solvit XV. scot. et II. den. Summa XXI. scot. cum dimidio et I. den. cum dimidio.

Gallus Plebanus ecclesie de Debrechow de IV. marc. cum dimidia pro medietate decime presentis anni solvit V. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit I. gross. et I. den. Summa XI. scot. et VIII. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Xagnicz de II. marc. pro medietate decime presentis anni solvit II. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solvit IV. scot. et XIX. den. Summa IX. scot. et XIV. denar.

Martinus Plebanus ecclesie de Strasencin de III. marc. pro medietate decime presentis anni solv. III. scot. et XIV. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro tota decima primi anni solv. VII. scot. et V. den. Summa XIV. scot. et X. den.

Zadar Plebanus medietatis ecclesie de Predzlaw de VIII. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XI. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa XXIII. scot. Andreas Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de III. marc. cum dimidia pro medietate decime presentis anni solv. IV. scot. et V. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et X. den.

Bogumilus Plebanus ecclesie de Galussowicz de II. marc. cum dimidia solv. tantum III. scot. Item in secundo termino solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit VI. scot. Summa XII. scot.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Bresnicza nichil habet et nichil solvit.

Martinus Plebanus ecclesie de Chorzelow de III. marc. et VI. scot. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. IV. scot. cum dimidio et IV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IX. scot. et VIII. den.

Archidiaconatus Zavichostensis.

Dñus Mathias Archidiaconus Zavichostensis de XIV. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XX. scot. et IV. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XVI. scot. et VIII. denar.

Stephanus Plebanus ecclesie de Pkanow (Plicanow) de IX. marc. cum dimidia solv. simili modo XIII. scot. et XVI. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa I. marc. III. scot. et VIII. den.

Petrus Plebanus ecclesie de Scidlow de III. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solvit IV. scot. et VIII. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. den.

Bogumilus Plebanus ecclesie de Pribislawicz de III. marc. pro medietate decime presentis anni solv. III. scot. cum dimidio et III. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa VII. scot. et VI. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Iancowicz de II. marc. cum dimidia s. m. solv. III. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VI. scot.

Paulus Plebanus ecclesie de Lucawa de II. marc. cum dimidia solv. in utroque termino per omnia sicut idem pleb. de Iancowicz VI. scot. Summa VI. scot.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Gora de III. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et VIII. denar. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. denar.

Mathias Plebanus ecclesie de Bidzin de X. marc. similiter solv. XIV. scot. et X. denar. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Vincentius Vicarius perpetuus ecclesie de Zavichost de III. marc. et XVIII. scot. solv. IV. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa IX. scot.

Venceslaus Plebanus ecclesie de S. Mauritio de I. marc. et VI. scot. s. m. solv. I. scot. cum dimidio. Item in secundo termino solv. tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit I. scot. Summa IV. scot.

Falco Plebanus ecclesie de Swecechow de III. marc. pro medietate decime presentis anni solv.

III. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro parte decime primi anni solv. XXII. den. Summa VIII. scot. et III. den.

Ecclesia de Slupp de XX. scotis est deserta.

Vitalis Pleb. eccl. de Patrawin de III. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. den.

Sydislaus Plebanus ecclesie de S. Trinitate de II. marc. pro medietate decime presentis anni solv. II. scot. et IX. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro integra decima primi anni solv. IV. scot. et XX. den. Summa IX. scot. et XV. den.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Balutow de III. marc. et IV. scot. pro medietate decime presentis anni solv. III. scot. et XXII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et XX. den.

Rathiborius Plebanus ecclesie de Ribitwe de I. marc. cum dimidia solv. simili modo I. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro parte decime primi anni solv. I. scot. et IX. den. Summa IV. scot. et XXIII. den.

Mathias Plebanus seu Vicarius perpetuus ecclesie de Scewna de II. marc. pro medietate decime presentis anni, quo ecclesiam est adeptus, solv. II. scot. et IX. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. scot. et XIX. den.

Falco Plebanus ecclesie de Opatow de VII. marc. pro medietate decime presentis anni solv. VIII. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVI. scot. et XX. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Omnibus Sanctis de XI. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XV. scot. et XX. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. VII. scot. et XVI. den.

Swentoslaus Plebanus ecclesie de Bala de XV. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. XXI. scot. et XV. den. Item in secundo termino solv. tantum VIII. scot. et IX. denar. Summa I. marc. et VI. scot.

Iohannes Pleb. eccl. de Potok de III. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Strocza de XVIII. scot. solv. similiter I. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. et IV. den.

Stanislaus (alias Swentoslaus) Plebanus ecclesie de Dyrscowic (Dirzcow) nichil habet.

Iohannes Plebanus ecclesie de Woycechowicz de VI. marc. cum dimidia tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. IX scot. cum dimidio et IX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIX. scot. et XVIII. den.

Ecclesia Sandomiriensis.

Nemicza (postea Petrus Zirik) Prepositus de XXX. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. I. marc. XIX. scot. et V. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. V. marc. IV. scot. et XIX. den. Summa VII. marc.

Guntherus Decanus de XV. marc. s. m. solv. XXI. scot. et XIV. den. cum dimidio. Item in sec. term. de toto residuo decime utriusque anni solv. I. marc. XXI. scot. et XIII. denar. Summa II. marc. XIX. scot. et III. den. cum dimidio.

Ceslaus Custos de prov. custodie sue extimatis ad XX. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. I. marc. IV. scot. et XIX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Petrus Scolasticus de VIII. marc. pro medietate decime presentis anni solv. IX. scot. et XV. den. Item in sec. term pro toto residuo decime utriusque anni solv. I. marc. IV. scot. et XX. denar. Summa I. marc. XIV. scot. et XI. den.

Nassan Cantor de XXX. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. I. marc. XIX. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. marc. XIV. scot. et X. den.

Iaroslaus Canonicus eiusdem ecclesie de XL. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. II. marc. IX. scot. et XIV. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. marc. XIX. scot. et IV. den.

Michael Dyzeray Canonicus de XII. marc. solv. s. m. XVII. scot. et VI. denar. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. X. scot. et XIII. den.

Swentoslaus Canonicus de XV. marc. solvit XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Octo Canonicus de X. marcis tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Iacobus Canonicus de VI. marcis tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. VIII. scot. et XV. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. pro toto residuo decime utriusque anni XX. scot. et III. den. cum dimidio. Summa I. marc. IV. scot. et XIX. den.

Magister Franciscus Canonicus de VI. marcis tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. VIII. scot. et XV. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XVII. scot. et VII. denar.

Miroslaus Canonicus de VII. marc. solv. s. m. X. scot. et II. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XX. scot. et IV. den.

Magister Martinus Canonicus de proventibus prebende sue ad IV. marc. extimatis s. m. solv. V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum. dimidio.

Signcus Canonicus de XVII. marcis tam pro medierate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XXIII. scot. et I. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. XXII. scot. et II. den.

Hermannus Canonicus de X. marc. s. m. solvit XIV. scot. et X. denar. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Martinus Diapenta Canonicus nichil habet.

Magister Wroyninus, Plebanus ecclesie S. Petri Sandomiriensis, de prov. eiusdem ecclesie, ad XLV. marc. cum agriculturis pro presenti et singulis futuris annis extimatis, tam pro medietate decime presentis anni, quam decima parte decimi anni primi, quo proventus valuerunt XXX. marc. tantum, solv. II. marc. XIII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. marc. II. scot. et X. den. Idem Magister Wroyninus Canonicus gratialis de VIII. marc. Attende, quod Dominus Nankerus Episcopus Cracoviensis satisfecit cum proventibus Episcopatus sui de ista prebenda.

Paulus Subcustos eiusdem ecclesie Sandomiriensis de II. marc. et VI. scot. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. III. scot. et VI. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa. VI. scot. cum dimidio.

Frater Nicolaus Magister Hospitalis S. Spiritus de VI. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit VIII. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solv. VIII. scot. cum dimidio. Summa I. marc. I. scot. et XVIII. den.

Ecclesie consistentes in Archidiaconatu Sandomiriensi.

Item Iohannes Iarlaci Archidiaconus Sandomiriensis de XX. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. I. marc. IV. scot. et XIX. denar. Item. in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. marc. IX. scot. et XIV. den.

Bernardus Plebanus ecclesie de Goslicz de XIV. marc. pro medietate decime presentis anni solv. XVI. scot. et XX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IX. scot. et XVI. den.

Iacobus Plebanus ecclesie de Goricz de XVI. marc. s. m. pro medietate decime huius anni solv. XVIII. scot. et V. den. Item in sec. term. pro reliqua medietate decime presentis et tota decima primi annorum solv. II. marc. IX. scot. et XIV. den. Summa III. marc. IV. scot. et XIX. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Ossek (Ossecz) de VIII. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. XI. scotos cum dimidio. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solv. I. marc. III. scot. et XXI. den. Summa I. marc. XV. scot. et IX. den.

Thomas Plebanus ecclesie de Wlostow de XIV. marc. pro medietate decime presentis anni solv. XVI. scot. et XX. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro tota decima primi anni solv. I. marc. IX. scot. et XVI. den. Summa II. marc. XIX. scot. et VIII. den.

Adam Plebanus ecclesie de Michocin de VIII. marc. s. m. solv. IX. scot. et XV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro parte decime primi anni solv. IX. scot. et XV. den. Summa I. marc. IV. scot. et XXI. denar.

Herzko Plebanus ecclesie de Comprovinitia de XII. marc. pro medietate decime presentis anni solvit XIV. scot. et X. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item de decima primi anni solvit I. marc. tantum. Summa II. marc. IV. scot. et XX. denar.

Adam (dein Laurentius) Plebanus ecclesie de Midlow de IV. marc. pro medietate decime presentis anni solvit IV. scot. et XIX. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro decima primi anni solvit IX. scot. et XIV. den. Summa XIX. scot. et IV. denar.

Theodoricus Plebanus ecclesie de Magnavilla de VIII. marc. s. m. solvit IX. scot. et XV. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solvit XVIII. scot. et XIX. den. Summa I. marc. XIV. scot. et I. denar.

Augustinus Plebanus ecclesie de Owersowicz de X. marc. simili modo solvit XII. scot. Item in sec. term. solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solvit I. marc. Summa II. marc.

Petrus Plebanus ecclesie de Wyast de VIII. marc. pro medietate decime presentis anni solvit IX. scot. et XV. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item de decima primi anni solvit VII. scot. Summa I. marc. II. scot. et VI. denar.

Petrus Plebanus ecclesie de Cherzna (alias Ceresna) de VI. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit VIII. scot. et XV. den. Item in secundo termino solvit tantumdem.

Cechoslaus Plebanus ecclesie de Belin de VIII. marc. pro medietate decime presentis anni solvit IX. scot. et XV. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIX. scot. et VI. denar.

Vitus Plebanus ecclesie de Zalesan de V. marc. simili modo solvit VI. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solvit XII. scot. Summa I. marc.

Miroslaus Plebanus ecclesie de Charowicz de V. marc. solvit similiter VI. scot. Item in sec. term. solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solvit XII. scot. Summa I. marc.

Iohannes Plebanus ecclesie de Stregom de II. marc. solvit tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi II. scot. et XXI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit IV. scot. minus III. den. Summa IX. scot. et XV. denar.

Gregorius Plebanus ecclesie de Obrasow de XXVI. marc. pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. I. marc. XIII. scot. et XI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit II. marc. I. scot. et XXI. den. Summa V. marc. IV. scot. et XIX. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Lunow de IX. marc. pro medietate decime presentis anni solvit XI. scot. minus V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte residui decime primi anni solvit II. scot. et II. den. Summa XXIII. scot. cum dimidio et IV. denar.

Benco Pleb. eccl. de Kiltina de V. marc. pro medietate decime presentis anni solvit VI. scot. Item in sec. term. solvit tantumdem. Item pro integra decima primi anni solv. XII. scot. Summa I. marc.

Stephanus Plebanus ecclesie de Modlibosicz de VIII. marc. solvit similiter IX. scot. et XV. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit XVII. scot. et V. den. Summa I. marc. XII. scot. et XI. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Stressowicz de II. marc. cum dimidia similiter solvit III. scot. Item in sec. term. solvit tantumdem. Item pro tota decima primi anni solvit VI. scot. Summa XII. scot.

Barthosius Plebanus ecclesie de Zamborecz de XV. marc. pro medietate decime presentis anni solvit XVIII. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit II. scot. et IV. den. cum dimidio. Item pro toto residuo decime primi anni solvit I. marc. IX. scot. et XX. den. Summa III. marc. cum dimidio denario.

Oceslaus Plebanus ecclesie de Sceglicz de VII. marc. solvit simili modo VIII. scot. IX. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit V. scot. et I. den. Summa XXI. scot. et XX. denar.

Stephanus Plebanus ecclesie de Necrassow de III. marc. et VI. scot. similiter solvit III. scot. et XXI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa VII. scot. et XVIII. denar.

Iacobus Plebanus ecclesie de Dimitrow de I. marc. pro medietate decime presentis anni solvit I. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. scot. et X. denar.

Lambinus Plebanus ecclesie de Sulislawicz de IV. marc. cum dimidia solvit simili modo V. scot. et X. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro tota decima primi anni solvit X. scot. et XIX. den. Summa XXI. scot. et XV. denar.

Theodoricus Plebanus ecclesie de S. Paulo in preurbio Civitatis Sandomiriensis de VII. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit X. scot. et II. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro residuo decima primi anni solvit XIII. scot. et X. den. cum dimidio. Summa I. marc. IX. scot. et XIV. den. cum dimidio.

Guntherus Plebanus (alias Rector) ecclesie de S. Adalberto ibidem de IV. marc. tam pro medietate decime, quam pro decima parte huiusmodi solvit V. scot. et tres quartas. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit VII. scot. cum dimidio et V. den. Summa XIX. scot. et V. denar.

Dominicus Plebanus ecclesie de Malicz de XVI. marc. pro medietate decime presentis anni solvit XIX. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro parte decime primi anni solvit tantum XVIII. scot. et VI. den. Summa II. marc. VIII. scot. et XVI. denar.

Franciscus Plebanus ecclesie de Wrezawe de VII. marc. cum dimidia pro medietate decime presentis anni solvit IX. scot. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XVIII. scot.

Paulus (Florianus) Plebanus ecclesie de Radzlawicz de III. marc. simili modo solvit III. scot. et XIV. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro tota decima primi anni solvit VII. scot. et V. den. Summa XIV. scot. et X. denar.

Ecclesia de Opatow.

Hermanus Decanus ecclesie de Oppatow de X. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit XIV. scot. et X. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. denar.

Dobreslaus Custos de proventibus Custodie sue, ad V. marc. extimatis, solvit simili modo VII. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Item pro toto residuo decime primi anni solvit IX. scot. et XIV. den. Summa I. marc.

Iohannes Cantor de V. marc. simili modo solvit VII. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Marcus Scolasticus de IV. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit V. scot. et XVIII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Dominicus Canonicus de I. marc. cum dimidia solvit simili modo II. scot. et IV. den. Item in sec. term. pro toto residuo decime utriusque anni solvit V. scot. et I. den. Summa VII. scot. et V. denar.

Albertus Canonicus de I. marc. cum dimidia solvit in utroque termino per omnia sicut idem Dominicus. Summa VII. scot. et V. denar.

Adam Canonicus de I. marc. cum dimidia tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit II. scot. et IV. den. Item in secundo termino solvit pro toto residuo decime utriusque anni V. scot. et I. den. Summa VII. scot. et V. denar.

Woyslaus Lanca Canonicus de I. marc. cum dimidia solvit in utroque termino sicut predictus Adam. Summa VII. scot. et V. denar.

Nicolaus de Virtzow (alias Werzizow) Canonicus de I. marc. et XI. scot. similiter solvit II. scot. minus VI. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa III. scot. cum dimidio.

Ecclesia Kiltiensis.

Wirchoslaus Decanus eiusdem eccl. de XVI. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusm. solv. XXIII. scot. et I. den. Item in sec. term. solv. tantumd. Summa I. marc. XXII. scot. et II. den.

Petrus Prepositus de XVIII. marc. simili modo solvit I. marc. I. scot. et XXII. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa II. marc. III. scot. et XX. denar.

Miroslaus Custos de XV. marc. simili modo solvit XXI. scot. et XV. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. XIX. scot. et VI. denar.

Wenceslaus Iaya Scolasticus de V. marc. solvit similiter VII. scot. et V. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa XIV. scot. et X. denar.

Pasco Canonicus (deinceps Magister Cristanus) de XVIII. marc. pro medietate decime presentis anni, quo prebendam ipsam tantum obtinuit, solvit XXI. scot. et II. den. cum dimidio. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa I. marc. XVIII. scot. et V. denar.

Martinus de Omnibus Sanctis (Canonicus) de v. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solvit vii. scot. et v. den. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Pasco Archidiaconus Legnicensis Canonicus de vii. marc. similiter solvit x. scot. et ii. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa xx. scot. et iv. denar.

Anco de Cosle (Thesaurarius Epī) Canonicus de x. marc. similiter solvit xiv. scot. et x. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. iv. scot. et xx. denar.

Petrus Zirik Canonicus eiusdem ecclesie de x. marc. tam pro mediatate decime, quam decima parte huiusmodi solvit xiv. scot. et x. den. Item in secundo termino solvit tantumdem. Summa i. marc. iv. scot. et xx. denar.

Ecclesie consistentes in Prepositura Kiltiensi.

Martinus Plebanus ecclesie de Dambrowa de iv. marc. tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solvit v. scot. et xviii. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Vencel Plebanus ecclesie de Tarzek de iii. marc. et vi. scot. similiter solv. iv. scot. et xvi. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa ix. scot. et viii. den.

Fallimirus Plebanus ecclesie de Islicza de v. marc. solv. similiter vii. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Stephanus Plebanus ecclesie de Mirtia de iii. marc. solv. s. m. iv. scot. et viii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa viii. scot. et xvi. den.

Iohannes Plebanus ecclesie de Dambno de iii. marc. nunquam solvit.

Dobreslaus Plebanus ecclesie de Cunow de v. marc. pro medietate et decima parte huiusmodi solv. vii. scot. et v. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Falco Plebanus ecclesie de S. Maria seu Antiquotarzek de iv. marc. solv. similiter v. scot. et xviii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Wasnow de vii. marc. solv. similiter x. scot. et ii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xx. scot. et iv. den.

Frater Iohannes ordinis sancti Augustini, gubernator bonorum in Wasnow Prepositure Trebessensis de Polonia de iv. marc. solv. similiter v. scot. et xviii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xi. scot. cum dimidio.

Andreas Plebanus ecclesie de Paulow de iii. marc. solv. similiter iv. scot. et viii. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa viii. scot. et xvi. den.

Vincentius Plebanus ecclesie de Manina de vi. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. viii. scot. et xv. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xvii. scot. et vi. den.

Michael Plebanus ecclesie de Sumscow (Sumsco) de v. marc. solv. similiter vii. scot. et v. pen. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xiv. scot. et x. den.

Bartholomeus Plebanus ecclesie de Lagow de iii. marc. solv. similiter iv. scot. et viii. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa viii. scot. et xvi. den.

Pribislaus Plebanus ecclesie de Slupp de iv. marc. solv. similiter viii. scot. et xviii. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa xvii. scot. cum dimidio.

Iohannes Plebanus ecclesie de Michow de ii. marc. solv. similiter ii. scot. et xxi. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa v. scot. et xviii. den.

Groto Plebanus ecclesie de Dlassowicz de xii. marc. solv. similiter xvii. scot. et vi. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa i. marc. x. scot. cum dimidio.

Mathias Plebanus ecclesie de Potok de i. marca nunquam solvit.

Ecclesie consistentes in Archidiaconatu Radomiensi.

Petrus Plebanus ecclesie de Wissoka de ii. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. ii. scot. et xxi. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa v. scot. et xviii. den.

Martinus Plebanus (alias Rector) ecclesie S. Petri de i. marc. cum dimidia tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. ii. scot. et iv. den. Item in secundo termino solv. tantumdem. Summa iv. scot. et viii. den.

Benedictus Pleb. ecclesie de Cepla de II. marc. solv. similiter II. scot. et XXI. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Boyghanus Plebanus ecclesie de Tzossow de I. marc. et II. scot. solv. similiter I. scot. et XIV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa III. scot. et IV. den.

Lassota Plebanus ecclesie de Chelewicz de IV. marc. et II. scot. solvit similiter V. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. IV. scot. et XIX. den. tantum. Summa X. scot. XVI. den.

Martinus Vicarius perpetuus ecclesie de Radom de II. marc. et II. scot. solv. s. m. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Laurentius Plebanus ecclesie de Virbitia de II. marc. solv. similiter II. scot. et XXI. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Chovale de I. marc. et XX. scot. solv. s. m. II. scot. et XV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et VI. den.

Lambertus Plebanus ecclesie de Iaroslawicz de I. marc. solv. I. scot. cum dimidio. Et deinceps nichil solvit. Summa I. scot. cum dimidio.

Frater Iohannes Prepositus ecclesie de Chochow de III. marc. tam pro medietate decime presentis anni, quam decima parte decime primi annorum solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. scot. et XVI. den.

Swentoslaus Plebanus ecclesie de Samogustza de I. marc. cum dimidia s. m. solv. II. scot. et IV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IV. scot. et VIII. den.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Saressow de II. marc. solv. similiter II. scot. et XXI. denar. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Coritnitia de I. marc. et X. scot. s. m. solv. II. scot. deinceps nunquam solvit. Summa II. scot.

Iaroslaus Plebanus ecclesie de Nova Ecclesia de II. marc. solv. similiter II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Dominicus dictus Terrasancta Plebanus ecclesie de Setechow de II. marc. solv. similiter II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Plebanus ecclesie de Swirzowa (vicaria temporalis Custodis Sandomiriensis) non solvit.

Ambrosius Plebanus ecclesie de Stanzitia (vicaria perpetua prebende domini Iacobi Canonici Sandomiriensis) nichil habet.

Plebanus ecclesie de Luchow inobediens (et pauper).

Fabianus Plebanus ecclesie de Zelicow nichil habet.

Bartholomeus Plebanus ecclesie de Chozcow inobediens.

Archidiaconatus Lublinensis.

Philippus Archidiaconus Lublinensis de X. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. XIV. scot. et X. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc. IV. scot. et XX. den.

Barthossius Vicarius perpetuus ecclesie de Lublin de III. marc. simili modo solv. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. nichil. Summa IV. scot. et VIII. den.

Vincentius Prebendarius ecclesie S. Trinitatis in Lublin et Plebanus ecclesie de Cazmirz de proventibus prebende sue, ad III. marc. et ecclesie sue de Cazmirz ad II. marc. cum dimidia iuxta communem et concordem extimationem extimatis, solvit pro medietate decime presentis anni VI. scot. cum dimidio et II. den. cum dimidio. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIII. scot. et V. den.

Debromirus Plebanus ecclesie de Crasnitia de II. marc. tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. II. scot. et XXI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Boguslaus Plebanus ecclesie de Chlodnitia (excommunicatus) nunquam solvit.

Voyslaus Plebanus ecclesie de Opol de II. marc. cum dimidia solv. similiter III. scot. et XIV. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. IV. den.

Albertus Plebanus ecclesie de Vilchow de XX. scot. solv. similiter I. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa II. scot. X. den.

Vitus Plebanus ecclesie de Solecz de X. marc. pro medietate decime presentis anni solv. XII. scot. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa I. marc.

Mathias Plebanus ecclesie de Crampa de III. marc. et VI. scotis tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. IV. scot. et XVI. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa IX. scot. et VIII. den.

Venceslaus Plebanus ecclesie de Chotzha de VIII. marc. pro medietate decime presentis anni solv. IX. scot. et XIV. denar. cum dimidio. Item in sec. term. de simili summa, quam nunc debebat, solvit tantum IV. scot. et XIX. den. Summa XIV. scot. et IX. den. cum dimidio.

Petrus Plebanus ecclesie de Sroconilha deserte nunquam solvit.

Mathias et Petrus Plebani ecclesie de Iarosin de VI. marc. tam pro medietate decime presentis, quam decima parte decime primi annorum solv. VIII. scot. et XV. den. Item in sec. term. solv. tantum VIII. scot. et III. den. Summa XVI. scot. et XVIII. den.

Lambertus Plebanus ecclesie de Olessow de II. marc. cum dimidia s. m. solv. III. scot. cum dimidio et III. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VII. scot. et VI. den.

Petrus Plebanus medietatis ecclesie de Golambe de V. marc. s. m. solv. VII. scot. et V. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XIV. scot. et X. den. Iohannes Plebanus alterius medietatis eiusdem ecclesie de V. marc. s. m. solv. sicut predictus Petrus. Summa XIV. scot. et X. denar.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Wanuelnitia de III. marcis tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. s. m. IV. scot. et VIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa VIII. et XVI. denar.

Bogufalus Plebanus ecclesie de Garbow de II. marc. solv. tantum isto anno II. scot. et XXI. den. Et mortuus est. Summa II. scot. et XXI. den. (Deinceps Wirmbenta plebanus nichil solvit).

Paulus Plebanus ecclesie de Bestritia de II. marcis tam pro medietate, quam decima parte huiusmodi solv. II. scot. et XXI. dec. Item in sec. term. solvit tantumdem. Summa V. scot. et XVIII. den.

Adam Plebanus ecclesie de Novocastro inobediens et excommunicatus nunquam solvit.

Petrus ecclesie de Chemernik de una marca et dimidia ecclesia est descrta.

Iohannes Plebanus ecclesie de Meglewa de IV. marc. simili modo solv. V. scot. et XVIII. den. Item in sec. term. solv. tantumdem. Summa XI. scot. cum dimidio.

Iacobus Plebanus ecclesie de Comernik de dimidia marca de tota decima presentis anni solv. II. scot. et IV. den. tantum. Summa II. scot. et IV. den.

Ecclesia de Golcema deserta non solvit.

Andreas Plebanus ecclesie de Bichewa inobediens et excommunicatus nunquam solvit.

Bernardus Plebanus ecclesie de Banstoborawicz (Czastoborawicz) de una marca solv. II. scot. tantum. Et deinceps nichil solvit et est excommunicatus. Summa II. scot.

Mathias Plebanus ecclesie de Wilcolas de una marca tam pro medietate decime, quam decima parte huiusmodi solv. I. scot. cum dimidio. Item in sec. term. solv tantumdem. Summa III. scot.

Summa summarum omnium suprareceptorum MCXCVII. marc. XI. scot. et XIX. den. cum dimidio.

Collectoria decimae etc. in regno Poloniae An. 1325—1327. Nro. 71. fol. 27—107.

CCCLIX.

Liber rationis eiusdem decimae sexannalis in civitate et dioecesi Wladislaviensi.

Episcopatus Wladislaviensis.

In nomine domini Amen. Infrascripte sunt solutiones decime sexennalis, imposite per felicis recordationis dominum Clementem pp. V. in concilio Viennensi, facte in quatuor terminis secundi et tertii annorum, includendo quolibet termino decimam partem decime proventuum primi anni facte per Rev. patrem dominum Mathiam Episcopum Wladislaviensem, et alias personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Wladislaviensis de proventibus ecclesiasticis eorumdem, solvendo videlicet quolibet termino eiusdem secundi anni medietatem decime proventuum ipsius, et decimam partem decime proventuum anni primi, et similiter in singulis terminis anni tertii supradicti, recepte per me Andream de Verulis Canonicum Wratislaviensem, apostolice sedis nuncium, eiusdem decime Collectorem.

Hec est ratio decime partis decime anni domini M. CCC. XXV. et medietatis decime papalis anni dñi M. CCC. XXVI. in primo termino, videlicet in Octava B. Martini sub eodem anno M. CCC. XXVI. in civitate et diocesi Wladislaviensi.

Solutio decime primi termini secundi anni cum decima parte decime proventuum anni primi.

Et primo Reverendus in Christo pater dominus Mathias Episcopus Wladislaviensis de redditibus, fructibus et proventibus universis Episcopatus sui, ad sexcentas marcas grossorum Pragensium, pro marca qualibet quadraginta octo grossis computatis*), communiter extimatis, pro primo termino presentis anni videlicet anni M. CCC. XXVI. dedit XXX. marcas grossorum.

Item de laboribus eiusdem Episcopatus presentis anni, qui valent quinquaginta marcas grossorum, dedit octo marcas grossorum. Item pro decima parte decime anni domini M. CCC. XXV. redditiuum, fructuum et proventuum eiusdem episcopatus, qui valebant septingentas et quinquaginta marcas, dedit septem marcas cum dimidia grossorum. Summa XLV. marc. cum dimidia.

Dominus Albertus Prepositus eiusdem eccl. de proventibus eiusdem Prepositure, ad XL. marc. et V. scot. communiter extimatis, pro primo termino presentis anni dedit II. marcas et X. parvos denarios. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum, qui valebant XL. marc. et V. scotos, dedit IX. scot. cum dimidio et VI. parvos. Item idem Prepositus de prebenda sua Wladislaviensi, cuius proventus valent XXV. marc. et XX. scotos, pro medietate decime presentis anni dedit XXXI. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum, qui valebant XVI. marc. et XVIII. scotos et tres quartas, dedit IV. scot. XI. den. Summa III. marc. XXI. scot. et VII. den.

Magister Gosco Decanus eiusdem ecclesie de prov. eiusdem Decanatus, ad XXX. marc. et XLII. gros. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XXXVIII. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Decanatus, qui valebant XXXI. marc. et XXXI. scotos, dedit VII. scot. cum dimidio et VI. den. Item de prov. prebende sue Wladislaviensis, qui valent XIV. marc. et XIX. scot. cum dimidio, pro medietate decime presentis anni dedit XVI. scot. cum dimidio et III. den. Item pro decima parte decimi anni preteriti eiusdem prebende, qui valebant XIII. marc. et XVIII. scotos, dedit III. scot. cum dimidio et II. den. Summa II. marc. XVIII. scot. et I. den.

Bogufalus Scolasticus eiusdem ecclesie de prov. eiusdem Scolastrie, ad XXXI. marc. cum dimidia et VI. gross. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit LXV. gross. cum dimidio et VIII. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Scolastrie, qui valebant XXIII. marc. et I. gross. cum dimidio, dedit XI. gross. cum dimidio et I. den. Item de prebende sue Wladislaviensis proventibus, qui valent X. marc. et XII. grossos, dedit XII. gross. et XII. parvos. Item pro decima parte decimi anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant V. marc. et X. gross. dedit II. grossos cum dimidio. Summa I. marc. XXII. scot. et XI. den.

Magister Petrus Cantor ipsius ecclesie de prov. eiusdem Cantorie ad XV. marc. et XLIII. gross. extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIX. scot. et III. parvos. Item pro decima parte decime proventuum eiusdem Cantorie, qui valebant XX. marc. et XX. scotos, dedit X. gross. Item de prebenda sua Wladislaviensi gratiali, cuius proventus valent XV. marc. et XL. grossos, pro medietate decime presentis anni dedit XXXVIII. gross. Item pro decima parte decime proventuum eiusdem prebende anni preteriti, qui valebant X. marc. et XX. grossos, dedit V. gross. Summa I. marca XXI. scot. cum dimidio et III. den.

Sbilutus Custos ipsius ecclesie de prov. eiusdem Custodie, ad XVIII. marcas et XXXVI. gross. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XLV. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Custodie, qui valebant XVIII. marc. et VI. grossos, dedit IX. gross. Summa I. marca et VI. gross.

Bartholomeus Archidiaconus ipsius ecclesie de prov. eiusdem Archidiaconatus nichil, sed de prebenda eiusdem ecclesie, cuius proventus VII. marc. et IV. gross. valent, pro medietate decime presentis anni dedit XVII. gross. Item pro decima parte decime proventuum eiusdem prebende anni preteriti, qui valebant VI. marc. et VII. grossos, dedit III. gross. Summa XX. gross.

Dominus Nicul Decanus Gneznensis, ipsius ecclesie Canonicus, de prov. prebende sue, ad XIII. marc. et VI. gross. extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XXI. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IX. marc. et XVIII. grossos, dedit IV. gross. cum dimidio. Summa XXVI. gross.

Sancko Canonicus eiusdem ecclesie de prov. prebende sue, ad V. marc. et XII. gross. exti-

*) Computantur XX. denarii (parvi) pro grosso, II. grossi pro scoto, et XXIV. scoti pro marca ut supra.

matis, pro medietate decime presentis anni dedit XII. gross. et XII. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant V. marcas XV. gross. et XII. parvos, dedit II. gross. et XII. parvos. Summa XV. gross. et IV. den.

Iohannes Cantor Wratislaviensis, Canonicus, de prov. prebende sue, ad III. marc. extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit VI. gross. et XII. denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum, qui valebant III. marc. et VI. grossos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa VII. gross. cum dimidio et XII. den.

Yvo Cantor Gneznensis, Canonicus, de prov. prebende sue, ad IX. marc. et XXXVI. gross. extimatis, pro medietate decime presentis anni solvit XI. gross. cum dimidio et IV. denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IX. scot. et XXXV. grossos, dedit IV. grossos cum dimidio et III. den. Summa XVI. grossi et VII. den.

Ceslaus Canonicus ecclesie S. Viti de prov. prebende sue, que fuit exposita per IX. marc. et XVIII. scot. pro primo termino presentis anni, dedit XXII. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, que fuit exposita pro eodem pretio, dedit pro primo termino IV. grossos cum dimidio. Summa XXVII. grossi.

Iohannes de Plomicow Canonicus de proventibus prebende sue, ad IV. marc. minus II. grossis extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit IX. gross. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et IV. grossos, dedit II. gross. Summa XI. gross. et X. denar.

Petrus Cancellarius Gneznensis, Canonicus, de proventibus prebende sue, ad IV. marc. et XVIII. gross. extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit X. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et VIII. grossos, dedit II. gross. Summa XII. gross. cum dimidio.

Lambertus eiusdem ecclesie Canonicus de proventibus prebende sue, ad III. marc. et XVIII. gross. extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit VIII. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et VIII. grossos, dedit II grossos.

Magister Franciscus eiusdem ecclesie Canonicus de proventibus prebende sue, ad VIII. marc. et VI. gross. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIX. gross. et X. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum, qui valebant VII. marc. et XIX. grossos, dedit III. gross. cum dimidio et I. den. Summa XXIII. gross. et I. denar.

Borislaus eiusdem ecclesie Canonicus de proventibus prebende sue, ad VI. marc. extimatis, dedit XIV. gross. et VIII. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant VI. marc. et VI. scotos, dedit III. grossos. Summa XVII. gross. et VIII. denar.

Dominus Clemens Prepositus Plocensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad II. marc. cum dimidia et V. gross. communiter extimatis, pro primo termino presentis anni dedit VI. gross. et V. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant III. marc. et V. grossos, dedit I. gross. et V. den. Summa VII. gross. et X. denar.

Michael Prepositus Cruswiciensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad V. marc. et XXXI. gross. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIII. gross. cum dimidio et I. den. Item pro decima parte decime proventuum anni preteriti eiusdem prebende, qui valebant III. marc. et X. grossos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa XV. gross. et I. denar.

Stanislaus Decanus Cruswiciensis, eiusdem ecclesie Wladislaviensis Canonicus, de proventibus prebende sue Wladislaviensis, ad V. marc. et X. gross. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem prebende dedit XII. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime proventuum anni preteriti eiusdem prebende, qui valebant VI. marc. et XII. grossos, dedit III. gross. Summa XV. gross. cum dimidio.

Dominus Paulicus Scolasticus Cruswiciensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad III. marc. et XVI. gross. communiter extimatis, dedit XIII. gross. et II. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum anni preteriti, qui valebant V. marc. et XX. grossos, dedit II. gross. cum dimidio et I. den. Summa XV. gross. et XIII. denar.

Preczslaus Archidiaconus Cruswiciensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de prov. prebende sue, ad III. marc. et XVI. gross. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit VIII. gross.

Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant III. marc. et VI. grossos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa IX. gross. cum dimidio.

Iaroslaus Custos Cruswiciensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad XXI. scot. cum dimidio communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit II. gross. et V. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant XLV. grossos, dedit IX. den. Summa II. gross. et XIV. denar.

Pribislaus Cantor Cruswiciensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad XI. marc. et VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XXVII. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant XI. marc. et XII. grossos, dedit V. gross. et VIII. den. Summa XXXII. gross. et VIII. denar.

Iohannes Prepositus S. Michaelis, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad I. marc. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit I. scot. et VIII. den. Item pro decima parte decime anni preteriti eiusdem prebende, qui valebant I. marc. et I. scotum, dedit X. den. Summa II. gross. et XVIII. denar.

Iohannes Archidiaconus Pomeranie, eiusdem ecclesie Canonicus, de proventibus prebende sue, ad IV. marc. minus VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit IX. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et VIII. grossos, dedit II. gross. Summa XI. grossi.

Ecclesia Cruswiciensis Wladislaviensis diocesis.

Primo Michael Prepositus eiusdem ecclesie Cruswiciensis de proventibus eiusdem Prepositure, ad XXXVII. marc. cum dimidia communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit II. marc. minus IV. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Prepositure, qui valebant XXVIII. marc. et VIII. scot., dedit XIII. gross. cum dimidio et II. den. Item de proventibus prebende sue eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. et XXXVII. grossos, pro medietate decime presentis anni dedit VI. gross. et IX. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et VIII. grossos, dedit II. gross. Summa II. marc. XIV. gross. et I. denar.

Stanislaus Decanus eiusdem ecclesie de proventibus ipsius Decanatus, ad X. marc. et XX. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XXVI. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Decanatus, qui valebant IX. marc. et XVIII. grossos, dedit IV. gross. cum dimidio. Item de proventibus prebende sue eiusdem ecclesie, qui valebant VI. marc. et XVI. grossos, pro medietate presentis anni dedit XVII. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant VII. marc. minus I. grosso, dedit III. gross. et VII. denar. Summa I. marc. II. gross. et XVII. denar.

Paulus Scolasticus eiusdem ecclesie de proventibus ipsius Scolastrie, ad IV. marc. cum dimidia communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit X. gross. et XVI. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Scolastrie, qui valebant IV. marc. cum dimidia minus I. grosso, dedit II. gross. et III. den. Summa XII. gross. et XIX. denar.

Preczlaus Archidiaconus eiusdem ecclesie de proventibus ipsius Archidiaconatus, ad V. marc. cum dimidia et III. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIII. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Archidiaconatus, qui valebant IV. marc. et VIII. grossos, dedit II. gross. Item de proventibus prebende sue eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. cum dimidia et I. grossum, dedit I. gross. et V. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant XXV. grossos, dedit V. den. Item de Theloneo Brestensi, quod valebat VI. marcas, pro medietate decime presentis anni dedit XIV. gross. et VIII. den., et preteriti de VI. marcis et XII. grossis dedit III. gross. Summa XXIII. gross. et XVIII. den.

Iaroslaus Custos eiusdem ecclesie de proventibus eiusdem Custodie, ad VII. marc. cum dimidia communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XVIII. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem Custodie, qui valebant VII. marc. cum dimidia, dedit III. gross. et XII. parvos. Summa XXI. gross. et XII. den.

Pribislaus Cantor eiusdem ecclesie de prov. ipsius Cantorie, ad III. marc. et XVIII. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit IX. gross. Item pro decima parte decime

anni preteriti proventuum eiusdem Cantorie, qui valebant III. marc. et XVIII. scotos, dedit I. gross. et XVI. den. Item de prov. prebende sue eiusdem ecclesie, qui valent XIII. marc. et VI. grossos, dedit pro medietate decime presentis anni XXXI. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant XIII. marc. et VI. grossos, dedit VI. gross. et VI. den. parvos. Summa I. marc. et XII. den.

Albertus Prepositus Wladislaviensis, eiusdem ecclesie Cruswiciensis Canonicus, de prov. prebende sue, ad V. marc. et XVIII. scot. cum dimidio communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIII. gross. et XVII. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant V. marc. et XXXVII. grossos, dedit II. gross. cum dimidio et VI. den. Summa XVI. gross. et XIII. den.

Bogufalus Scolasticus Wladislaviensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de prov. prebende sue, ad VII. marcas cum dimidia communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XVIII. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant VII. marc. cum dimidia, dedit III. gross. et XII. den. Summa XXI. gross. et XII. den.

Petrus Cantor Wladislaviensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de prov. prebende sue, ad VI. marc. et III. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIV. gross. et XIV. den. Item pro decima parte decime proventuum anni preteriti eiusdem prebende, qui valebant VI. marc. et VI. scotos, dedit III. gross. Summa XVII. gross. et XIV. den.

Bartholomeus Archidiaconus Wladislaviensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de prov. prebende sue, ad III. marc. et XX. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit IX. gross. Item pro parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et VIII. grossos, dedit II. gross. Summa XI. gross.

Sandko eiusdem ecclesie Canonicus de prov. prebende sue, ad VII. marc. cum dimidia extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XVIII. gross. Item pro decima parte anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant VII. marc. cum dimidia, dedit III. gross. cum dimidio et II. den. Summa XXI. gross. et XII. den.

Iohannes Cantor Wratislaviensis, eiusdem ecclesie Canonicus, de prov. prebende sue, ad XII. marc. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XXVIII. gross. et XVI. denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant XI. marc. XLII. grossos, dedit V. gross. cum dimidio et IV. den. Summa XXXIV. gross. cum dimidio.

Trebeslaus eiusdem ecclesie Canonicus de prov. prebende sue, ad VI. marc. et I. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XIV. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant X. marc. et XX. grossos, dedit V. gross. Summa XIX. gross. cum dimidio.

Iohannes de Plomicow eiusdem ecclesie Canonicus de prov. prebende sue, ad I. marc. et VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit III. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant I. marc. et XII. grossos, dedit VI. denar. Summa III. gross. et VI. den.

Fritzco eiusdem ecclesie Canonicus de prov. prebende sue, ad I. marc. cum dimidia et VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit IV. gross. et IV. den. Item pro decima parte decime anni preteriti, qui valebant I. marc. et II. grossos, dedit X. parvos den. Summa IV. gross. et XIV. denar.

Michael Prepositus Cruswiciensis de prov. prebende sue S. Viti, ad III. marc. minus II. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit VII. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant II. marc. et IV. grossos, dedit I. gross.

Stephanus Archidiaconus Plocensis, eiusdem ecclesie Cruswiciensis Canonicus, de prov. prebende sue, ad VI. marc. et VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit XV. gross. et preteriti de III. marc. et VI. gross. dedit I. gross. cum dimidio.

Iohannes Archidiaconus Pomoranie, eiusdem ecclesie Cruswiciensis Canonicus, de prov. prebende sue, ad VI. marc. minus I. scoto communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit VIII. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit unum scotum. Summa X. gross. cum dimidio.

Iohannes de Plomicow de prov. prebende sue S. Viti, ad I. marc. et VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit III. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant II. marc. et IV. grossos, dedit I. gross. Summa IV. gross.

Petrus de Iuveni Wladislavia ecclesie ipsius Cruswiciensis Canonicus de prov. prebende sue, ad I. marc. cum dimidia et IV. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit IV. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant I. marc. et II. grossos, dedit X. den. Summa IV. gross. et X. den.

Goslaus de Ostrow eiusdem ecclesie Canonicus de prov. prebende sue, ad I. marc. et VI. scot. communiter extimatis, pro medietate decime presentis anni dedit III. gross. Item pro decima parte anni preteriti proventuum eiusdem prebende, qui valebant II. marc. et IV. grossos, dedit I. gross.

Ecclesie Archidiaconatus Cruswiciensis.

In primis Goslaus Plebanus ecclesie de Ostrow de prov. eiusdem ecclesie, ad VIII. marc. et I. scot. cum dimidio communiter extimatis, dedit XIX. gross. et VII. parvos denar. Item pro decima parte decime proventuum eiusdem ecclesie anni preteriti, qui valebant VIII. marcas et VIII. scotos, dedit III. gross. Summa XXII. gross. et VII. den.

Petrus de Cobelicz de prov. ecclesie sue eiusdem loci, ad VI. marcas et VI. scot. communiter extimatis, dedit XV. grossos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum, qui valebant VIII. marcas et VII. scotos, dedit IV. grossos. Summa XIX. gross.

Iohannes Plebanus ecclesie de Gnewcow de prov. eiusdem ecclesie, ad XX. marc. et XX. scot. communiter extimatis, dedit XXV. scot. Item pro decima parte decime proventuum, qui valebant XII. marc. cum dimidia, dedit VI. gross. Summa I. marc. et IV. scot.

Zisco (Zifridus) Pleb. eccl. de S. Clemente de prov. eiusdem ecclesie, ad IV. marc. cum dimidia et II. scot. communiter extimatis, dedit XX. gross. Item pro decima parte decime proventuum anni preteriti, qui valebant IV. marcas et VIII. grossos, dedit II. gross. Summa XXII. gross.

Panezeslaus Plebanus ecclesie de Parchan de prov. eiusdem ecclesie, ad II. marc. cum dimidia communiter extimatis, dedit VI. gross. Item pro decima parte decime proventuum anni preteriti, qui valebant II. marc. et IV. grossos, dedit I. grossum. Summa VII. gross.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Brocima pro medietate decime presentis anni fructuum eiusdem ecclesie, qui valent VIII. marc. minus I. scoto, dedit IX. scot. cum dimidio et III. denar. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VIII. marc. et VIII. scotos, dedit II. gross. cum dimidio. Summa XXI. gross. et XIII. den.

Henricus Plebanus ecclesie de Brodna pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent V. marc. et VI. scotos, dedit VI. scot. et XII. den. Item pro decima parte decime proventuum eiusdem ecclesie anni preteriti, qui valebant V. marc. et V. scotos, dedit II. gross. cum dimidio. Summa XV. gross. et II. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Liscow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. cum dimidia minus I. grosso, dedit V. scot. et XV. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scotum. Summa XII. gross. et XV. den.

... Plebanus eccl. de Strelna pro medietate decime anni presentis prov. eiusdem ecclesie, qui valent XXX. marcas, dedit XXXVI. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant. XV. marcas, dedit VI. scot. cum dimidio et IV. den. parvos. Summa I. marca XXXVII. gross. et IV. den.

Tomka Plebanus ecclesie de Barczino pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VII. marc. et II. scotos, dedit VIII. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VI. marc. et VI. scotos, dedit I. scot. cum dimidio. Summa XX. grossi.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Lissow pro medietate decime proventuum eiusdem ecclesie presentis anni, qui valent VII. marc. cum dimidia et V. scotos, dedit IX. scot et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VII. marc. et VII. scotos, dedit III. gross. cum dimidio. Summa XXII. grossi.

Petrus Plebanus ecclesie de Casczol pro medietate decime anni presentis proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. et IV. scotos, dedit V. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scot., dedit I. scot. Summa XII. gross.

Helmanus Pleb. eccl. de Caschol pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem eccl. qui valent III. marc. et X. scotos, dedit IV. scot. Item pro decima parte anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. et V. scot., dedit I. gross. cum dimidio. Summa IX. gross. cum dimidio.

Friczco Pleb. eccl. de Cosciol pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VI. marc. et VI. scotos, dedit VII. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant tantumdem, dedit III. gross. Summa XVIII. gross.

Wanceslaus Plebanus ecclesie de Coschol pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. et X. scotos, dedit IV. scotos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et V. scotos, dedit I. gross. cum dimidio.

Paulus Plebanus ecclesie de Awirsna (Dromsna) pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. cum dimidia, dedit III. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. cum dimidia et V. scotos, dedit I. gross. et VI. parvos. Summa VII. gross. et VI. den.

Adam Plebanus ecclesie de Gora pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. et VIII. scotos, dedit IV. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et VIII. scot. cum dimidio, dedit I. gross. et XII. parvos. Summa IX. gross. et XII. den.

Martinus Plebanus ecclesie de Plomicow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. et III. scotos, dedit III. scot. cum dimidio et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa IX. gross.

Iohannes Plebanus ecclesie de Iarsicz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. minus II. scotis, dedit III. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa VII. gross. cum dimidio.

Trebeslaus (Preczslaus) Plebanus ecclesie de Tuczna pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. et III. grossos, dedit III. scot. cum dimidio et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa IX. gross.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Pirane pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. cum dimidia et II. scot. cum dimidio, dedit V. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. cum dimidia et II. scot. cum dimidio, dedit I. scot. et V. den. parvos. Summa VI. scot. et XV. den.

Item Sandivogius de S. Vincentio pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. cum dimidia et VII. scotos, dedit V. scot. cum dimidio et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant V. marc. et V. scotos, dedit II. gross. cum dimidio. Summa VII. scot.

Ecclesie Decanatus Raczowiensis.

Primo Iohannes Plebanus ecclesie de Raczow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. cum dimidia et I. scotum, dedit IV. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marcas et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa V. scot.

Iohannes Plebanus ecclesie de Sadelno pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. cum dimidia et IV. scotos, dedit II. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marcas et II. scotos, dedit I. gross.

Mathias Pleb. eccl. de Montesino pro medietate decime presentis anni prov. eiusdem eccl. qui valent III. marc. cum dimidia et I. scot., dedit IV. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti prov. eiusdem eccl., qui valebant III. marc. et III. scot., dedit I. gross. cum dimidio. Summa V. scot.

Lessota Plebanus ccclesie de Yscbicia pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VIII. marc. et VIII. scotos, dedit X. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VII. marc. cum dimidia, dedit III. gross. cum dimidio et II. parvos. Summa XI. scot. cum dimidio et XII. den.

Michael Plebanus ecclesie de Bronisow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marcas minus IV. grossis, dedit III. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa IV. scot. et X. den.

Octo Plebanus ecclesie de Slausco pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. minus II. scotis, dedit III. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. gross.

Bazadarius Plebanus ecclesie de Kaczow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit II. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti de II. marc. et II. scotis dedit I. gross. Summa III. scot.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Polaninowicz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. cum dimidia et VI. scotos, dedit IV. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime proventuum eiusdem ecclesie anni preteriti, qui valebant III. marc. cum dimidia, dedit I. gross. cum dimidio et VI. parvos. Summa V. scot. et XVI. den.

Vincentius Plebanus ecclesie de Berdow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marcas cum dimidia et VI. scotos, dedit IV. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. cum dimidia et VI. scotos, dedit I. gross. cum dimidio et VI. parvos. Summa V. scot. et XVI. den.

Boguslaus Plebanus ecclesie de Wicow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. et IX. scotos, dedit V. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. minus VI. scotis, dedit I. gross. cum dimidio et VI. parvos. Summa VI. scot. et VI. den.

Michael Plebanus ecclesie de Scudelsco pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. et VI. scotos, dedit III. gross. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. gross. Summa II. scot.

Sulco Plebanus ecclesie de Petercow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. et I. scotum, dedit II. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. et I. scotum, dedit X. parvos den. Summa I. scot. cum dimidio.

Petrus Plebanus ecclesie de Petercow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. cum dimidia et IV. scotos, dedit II. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. et I. scotum, dedit X. denar.

Barthosius Plebanus ecclesie de Nova Ecclesia pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. cum dimidia et IV. scotos, dedit II. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. et I. scotum, dedit X. parvos den. Summa II. scot. et X. den.

Raczslaus Plebanus ecclesie de Lubotina pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. minus III. scotis, dedit IV. scot. cum dimidio et VI. parvos denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scot. Summa V. scot. et XXVI. den.

Stephanus Plebanus ecclesie de Biczino pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. et III. scotos, dedit III. scot. cum dimidio et X. denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa IV. scot. cum dimidio.

Swenteslaus Plebanus ecclesie de Ricicia pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. minus II. scotis, dedit III. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. minus II. scotis, dedit I. gross. et VIII. parvos. Summa IV. scot. et VIII. den.

Andreas Plebanus ecclesie de Cosczesicz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. et VI. scotos, dedit II. scot. cum dimidio et VIII. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et IV. scot. cum dimidio, dedit I. gross. et I. den. Summa III. scot. et IX. denar.

Brictius Plebanus ecclesie de Ludiczcho pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. et IV. scotos, dedit V. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scot. Summa VI. scotos.

Iohannes Plebanus de Bitom pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. et VI. scotos, dedit II. scot. cum dimidio et VIII. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. grossum. Summa III. scot. et VIII. denar.

Lambertus Plebanus de Chelmecz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VII. marc. cum dimidia, dedit IX. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VI. marc. et VI. scotos, dedit III. gross. Summa X. scoti cum dimidio.

Wislaus Plebanus ecclesie de Ostrow pro medietate decime anni presentis proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VI. marc. et VI. scotos, dedit VII. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VI. marc. et VI. scotos, dedit III. grossos. Summa IX. scotos.

Ecclesie Archidiaconatus Wladislaviensis.

Primo Martinus Plebanus ecclesie de Grabe pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent XI. marc. et VI. scotos, dedit XIII. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VIII. marc. et VIII. scotos, dedit II. scotos Summa XV. scoti cum dimidio.

David Plebanus ecclesie de Grossino pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VIII. marc. cum dimidia et IX. scot. cum dimidio, dedit XXI. gross. et XIV. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VIII. marc. et VIII. scotos, dedit II. scotos. Summa XIII. scot. minus VI. denar.

Zupco Plebanus ecclesie de Ludbrancz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VI. marc. cum dimidia et IV. scotos, dedit VIII. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VIII. marc. et VIII. scotos, dedit II. scot.

Bartholomeus Plebanus ecclesie de Conogedscho pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. et VII. scotos, dedit II. scot. cum dimidio et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa III. scot. et XX. denar.

Gosco Plebanus ecclesie de Lubane pro medietate decime presentis anni de proventibus eiusdem ecclesie, qui valent VI. marc. minus IV. scotis, dedit VII. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VI. marc. et XI. scotos, dedit III. gross. et II. parvos. Summa VIII. scot. et XXII. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Pripust pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VI. marc. cum dimidia et IX. scotos, dedit VIII. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VII. marc. et VII. scotos, dedit III. gross. cum dimidio. Summa X. scoti.

Alexander Plebanus ecclesie de S. Iohanne pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. minus III. scot. cum dimidio, dedit IV. scot. cum dimidio et V. parvos denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. cum dimidia et III. scot. cum dimidio, dedit I. gross. et XVII. den. Summa V. scot. et XXII. den.

Albertus Plebanus ecclesie de Coschel pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. et IV. scotos, dedit V. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VII. marc. et IV. scotos, dedit III. gross. et VIII. parvos den. Summa VI. scot. cum dimidio et VIII. denar.

Iohannes Plebanus ecclesie de Cloba domini Regis pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. minus II. scotis, dedit III. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scotum. Summa IV. scoti cum dimidio.

Ditmarus Plebanus ecclesie de Cloba Demetrii pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem eccl., qui valent II. marc. et II. scot., dedit II. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti prov. eiusdem eccl., qui valebant II. marc. et II. scot., dedit I. gross. Summa III. scoti.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Ostrewaus pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. et I. scotum, dedit II. gross. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. gross. Summa I. scot. cum dimidio et X. denar.

Stanislaus Plebanus ecclesie de Strasow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent XX. scotos, dedit I. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant XII. scot. cum dimidio, dedit V. parvos den.

Mathias Plebanus ecclesie de Choczan pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. et V. scotos, dedit V. scot. et II. parvos denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant V. marc. et V. scotos, dedit II. gross. cum dimidio. Summa VI. scot. et XII. denar.

Firminus Plebanus ecclesie de Swirnazow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. minus VI. scotis, dedit IV. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scot.

Petrus Plebanus ecclesie de Lovicz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. cum dimidia et II. scotos, dedit V. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant V. marc. et V. scotos, dedit II. gross. cum dimidio. Summa VI. scot. cum dimidio et X. denar.

Petrus Plebanus de Altoforo pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. et XIII. scot. cum dimidio, dedit III. gross. et VI. parvos denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. et I. scotum, dedit medium grossum. Summa II. scoti minus IV. denariis.

Nicolaus Plebanus ecclesie de Chlevicz pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent XV. marcas, dedit XVIII. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio, quia illo anno fuit occupata pro tanto, ita parum de preterito dedit. Summa XVIII. scot. cum dimidio et X. den.

Begumilus Plebanus ecclesie de Chalino pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IV. marc. minus VI. scotis, dedit IV. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scot. Summa V. scot. cum dimidio.

Constantinus Plebanus ecclesie de Ossenczim pro medietatis decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent III. marc. cum dimidia et VI. scotos, dedit IV. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant IV. marc. et IV. scotos, dedit I. scot. Summa V. scot. cum dimidio.

Frater Iohannes de Hospitali apud antiquam Wladislaviam pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem hospitalis, qui valent I. marc. cum dimidia et III. grossos, dedit III. gross. et XV. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. cum dimidia et III. grossos, dedit XV. parvos den. Summa II. scot. et X. den.

Theodricus Plebanus ecclesie de Grabcow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. cum dimidia et X. grossos, dedit VII. gross. Item de provent. anni preteriti, qui valebant III. marc. et III. scotos, dedit I. gross. cum dimidio. Summa IV. scot. et X. den.

Wenceslaus Plebanus ecclesie de Sbrachlino pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. minus I. grosso, dedit II. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. cum dimidia et III. grossos, dedit XV. parvos denar. Summa II. scot. cum dimidio et V. den.

Gregorius Plebanus de Sgowentka pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. cum dimidia et VI. scot. cum dimidio, dedit II. scot. et V. parvos denar. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant I. marc. cum dimidia et III. grossos, dedit XV. den. Summa II. scot. cum dimidio.

Martinus Plebanus ecclesie de Slusow pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. cum dimidia et VI. scot. cum dimidio, dedit II. scot. et V. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. gross. Summa II. scot. cum dimidio et V. den.

Dominicus Plebanus ecclesie de Chodcza pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent II. marc. minus III. scotis, dedit II. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. gross. Summa II. scot. cum dimidio et X. den.

Censtoborius (alias Costerberius) Plebanus ecclesie de Wincz (Wonicz) pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent IX. marc. et IX. scotos, dedit II. scot. et X. den. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VIII. marc. et VIII. scotos, dedit II. scot. Summa XIII. scot. et X. den.

Abraham Plebanus ecclesie de Raczevs pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent I. marc. cum dimidia et VI. scot. cum dimidio, dedit II. scot. et V. parvos. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant II. marc. et II. scotos, dedit I. gross. Summa II. scot. cum dimidio et V. den.

Hilbrandus Plebanus ecclesie de Covale pro medietate decime presentis anni proventuum eiusdem ecclesie, qui valent VI. marc. et VI. scotos, dedit VII. scot. cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti proventuum eiusdem ecclesie, qui valebant VI. marc. et VI. scotos, dedit III. gross. Summa IX. scot.

Plebanus ecclesie de Bissonia de XV. grossis pro primo termino presentis anni dedit I. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti de I. marca et I. scoto, dedit X. den. parvos.

Laurentius Plebanus ecclesie de Brest de XV. marcis et V. scotis dedit XVII. scot. cum dimidio et X. denar. Item de preterito de XV. marcis cum dimidia et III. scotis dedit III. scot. et X. denar. Summa XXI. scot.

Hec est solutio pecunie eiusdem decime sexenualis a Prelatis, Abbatibus et Rectoribus ecclesiarum de Archidiaconatu Pomoranie diocesis Wladislaviensis collecte confuse et occulte pre timore Cruciferorum.

Primo dominus Iohannes Archidiaconus Pomoranie de eodem Archidiaconatu, qui valent IV. marc. et IV. scotos, pro utroque termino presentis anni dedit X. scot. Item pro decima parte decime anni preteriti pro utroque termino de eodem Archidiaconatu de IV. marc. et IV. scotis dedit II. scot.

Abbas de Paplin ord. Cisterciensis de proventibus eiusdem monasterii pro medietate decime presentis anni et preteriti dedit seu presentavit per famulum III. marc. argenti, quas supplebant XII. sterlingi et I. grossus Boemicalis. Summa III. marc.

Abbas de Bisovia pro medietate decime presentis anni de proventibus eiusdem monasterii presentavit per confratrem suum XXX. scot. cum dimidio, et pro decima parte decime anni preteriti dedit IV. scot. cum dimidio. Summa I. marc. et XI. scot.

Abbas de Oliva pro medietate decime presentis anni, et pro decima parte decime anni preteriti proventus eiusdem monasterii dedit XXXIV. gross. Turonenses, XIV. gross. Pragenses, XXIV. soldos sterlingorum et V. sterlingos. Summa XXXIV. gross. Turonenses, XIV. gross. Pragenses, XXIV. solidos et V. sterlingorum.

Prepositus Zucoviensis pro medietate decime presentis anni dedit LIV. scotos, et preteriti dedit IV. scot. cum dimidio. Summa II. marc. et X. scot. cum dimidio.

Benedictus de prebenda S. Marie de Castro Swocensi pro utroque termino presentis et preteriti annorum dedit XXXV. scot. Summa I. marc. et XI. scot.

Yczow pro utroque termino presentis et preteriti annorum dedit XV. scot. Summa XV. scot. Poledna et de Grozna ambo unum aureum de regno Francie pro utroque termino presentis et preteriti annorum. Summa X. scot. De Scoczscho IX. scot. cum dimidio presentis anni et preteriti pro termino

tantum uno. Summa IX. scot. cum dimidio. De Ybislavia pro medietate presentis et preteriti annorum dedit II. scotos. De Glowna pro medietate decime presentis anni et preteriti dedit II. scot. De Swetza pro medietate presentis anni et preteriti dedit V. gross. De Nove pro medietate decime presentis anni et preteriti dedit III. gross. Summa I. scot. cum dimidio. De Nova Ecclesia pro medietate presentis anni et preteriti dedit XLVIII. Anglienses i. e. sterlingos. Summa XLVIII. sterlingi.

De Libnow de prebenda in Castro Danth pro utroque termino presentis et preteriti annorum dedit XVIII. scot. Henricus de Castro Danth dedit XII. scot. Plebanus S. Catherine in Danth pro utroque termino presentis et preteriti annorum dedit III. scot. cum dimidio.

De Glodiw dedit IV. scot. cum dimidio. De Dorsow medium fertonem. Summa III. scot. De Sobcow dedit X. scot. Item de Gordin dedit III. scot. Item de Garczsin III. scot.

Henricus de Milebancz pro utroque termino presentis anni dedit X. scot. cum dimidio et X. denar. Item pro decima parte decime anni preteriti dedit similiter pro utroque termino IV. gross. cum dimidio. Summa XIII. scot.

Thomas de Thomorsco pro utroque termino presentis anni dedit XXVIII. scotos cum dimidio. Item pro decima parte decime anni preteriti similiter pro utroque termino dedit VII. scot. cum dimidio. Summa I. marc. cum dimidia.

Prior de Oliva per nuntium suum de parrochiis eiusdem Claustri de Oliva presentavit VI. scot. et XXXII. sterlingos. Summa VI. scoti et XXXII. sterlingi.

Stanislaus de Pucch Decanus Gedonensis ex parte sui et Rectoris ecclesie sui Decanatus per nuntium suum presentavit II. marc. et XVIII. scot. cum dimidio. Summa II. marc. XVIII. scot. cum dimidio.

Benedictus Decanus Swerzensis per nuntium suum ex parte sui III. scot. cum dimidio. De Paledva I. scot. De Grazna I. scot. De Sraczscho ambo I. scot. De Sbislavia I. gross. De Presersco pro utroque termino presentis anni et preteriti dedit III. grossos. Friczko de Secochow pro utroque termino presentis anni et preteriti dedit IX. scot. Summa XVII. scot. cum dimidio.

Hec est ratio pecunie decimalis in festo Pentecosten seu termino secundo anni supranotati a Prelatis, Abbatibus et Rectoribus ecclesiarum de Pomorania collecte confuse et occulte ut supra.

Primo Prepositus Zucoviensis pro termino secundo presentis anni et preteriti dedit LVIII. scot. cum dimidio. Item IV. gross. Summa II. marc. et XII. scot. cum dimidio.

Abbas de Oliva pro secundo termino presentis anni et preteriti dedit IV. marc. minus I. scot. Summa III. marc. et XXIII. scot.

Abbas de Poplin pro secundo termino presentis anni et preteriti dedit VIII. florenos auri et V. gross. Turunenses. Summa VIII. floren. et V. gross. Turunenses.

Abbas de Bisovia pro secundo termino presentis et preteriti annorum dedit XXX. scot. minus X. den. Summa I. marc. VI. scot. minus X. den.

Tizko de Garz Decanus Tersoviensis ex parte sui et Rectoris ecclesie sui Decanatus per nuntium suum presentavit LXII. scot. cum dimidio et XLVIII. sterlingos. Summa II. marc. XIV. scot. cum dimidio et XLVIII. sterlingi.

Stanislaus de Puch Decanus Gedonensis ex parte sui et Rectoris ecclesie sui Decanatus dedit V. marc. XIV. scot. et V. gross. Thorunenses et XLII. sterlingos. Summa V. marc. XIV. scot. V. gross. XLII. sterlingi.

Summa summarum omnium receptorum de pecunia decimali Civitatis et diocesis Wladislaviensis pro utroque termino secundi anni, inclusis pecuniis receptis de decima Archidiaconatus Pomaranie est CCXXXI. marc. III. scot. et II. denar. parvorum.

Summa summarum receptorum de decima tercii anni Civitatis et diocesis Wladislaviensis, inclusis pecuniis receptis de dicto Archidiaconatu Pomaranie (quae erant XXVIII. marc. cum dimidio XII. den. inclusis florenis et aliis pecuniis) est CXXVI. marc. cum dimidio, V. scot. et XVIII. den.

Summa summarum omnium receptorum CCCLVII. marc. et XX. scot. cum dimidio.

Item dominus Iohannes Brotka Custos ecclesie Wladislaviensis de proventibus Custodie sue, quam nuper adeptus est, ad XIV. marc. extimatis, pro integra decima futuri quarti anni solv. I. marc. et IX. scotos.

CCCLX.

Liber rationis super denario B. Petri in Vratislaviensi, Gnesnensi, Cracoviensi, Vladislaviensi et Plocensi civitatibus et dioec. anno MCCCXXV. et seqq. per Archiepum Gnesnensem et Epum Vladislaviensem et alios collecto, et assignato Andreae de Verulis collectori.

Solutio census denarii beati Petri.

In nomine domini Amen. Ego Andreas de Verulis Canonicus Wratislaviensis, apostolice sedis Nuntius in Regno Polonie, recepi de censu, qui denarius beati Petri dicitur, in eodem Regno ecclesie Romane debito, collecto anno domini millesimo tricentesimo vicesimo quinto in Civitate ac certa parte diocesis Wratislaviensis per ... Archiepiscopum Gneznensem et ... Episcopum Wladislaviensem, per manus dominorum Petri Gneznensis, Cancellarii eiusdem Archiepiscopi, et Bertoldi de Camen S. Michaelis in Castro Cracoviensi ecclesiarum Canonicorum, assiguantium mihi nomine Archiepiscopi et Episcopi predictorum decem marcas et octo scotos auri in pulvere ad pondus Cracovie (vide infra annotationem), ac triginta unam marcas et decem et octo scotos grossorum Pragensium, computatis in eis septem quartis auri reiecti, XLVIII. grossis pro marca qualibet computatis.

Item recepi per manus domini Petri de Alvernia college mei de summa unius marce auri et centum triginta sex marcarum, et decem scotorum grossorum et sex denariorum, collecta in Civitate et certa parte diocesis supradicte anno domini millesimo CCC. XXVI. pro denario beati Petri duas marcas et quinque scotos cum dimidio, residuum recepit idem collega.

Item recepi de summa XXXVIII. marcarum et IX. scotorum eiusdem census, collecta eodem anno in Archidiaconatu Opoliensi ciusdem diocesis, XX. marcas et IX. scotos, residuum vero recepit collega predictus.

Item die XXI. Aprilis eiusdem anni recepi per manus domini Martiui Canonici ecclesie Lanciciensis Gneznensis diocesis, Vicecancellarii dicti Archiepiscopi, assignautis nomine ipsius, de pecunia dicti census, collecta predicto M.CCC.XXV. anno in Civitate et diocesi Gneznensi, LVII. marcas grossorum nimium precisorum.

Item recepi per manus domini Clementis Scolastici ecclesie Gneznensis, assignantis mihi nomine predictorum Archiepiscopi et Episcopi, pro XI. scotis auri, qui de certa summa auri dicti census presentata per ipsum domino Camerario domini Pape remanserunt penes eum, VI. marcas et XXI. scotos grossorum Pragensium, computando quemlibet scotum auri pro XV. scotis grossorum.

Pecunia dicti census collecta in Civitate et diocesi Cracoviensi.

Die penultimo Ianuarii recepi ab Archiepiscopo et Episcopo predictis, Collectoribus dicti census, per manus Venerabilium virorum dominorum Petri, Cancellarii Gneznensis, et Bertoldi de Camen, sancti Michaelis in Castro Cracoviensi ecclesiarum Canouicorum, de pecunia dicti census collecta anno domini M.CCC.XXV. in Civitate et diocesi Cracoviensi, Quinque marcas auri*) ad pondus Cracovie et LXXV. marcas grossorum Pragensium, XLVIII. grossis pro marca computatis.

Item recepi a domino Adam, Canonico et Vicearchidiacono Cracoviensi, de pecunia supradicti census, collecta per eum in parrochiis ecclesiarum in Archidiaconatu Cracoviensi consistentibus pro anno domini M.CCC.XXVI., centum XXI. marcas et X. scotos cum quarta.

Item recepi ab eodem dño Adam in parrochia Scarbimiriensi I. marcam cum II. scotis.

Item recepi per manus domini Iacobi Subcustodis ecclesie Cracoviensis de pecunia dicti census, collecta in prepositura Wisliciensi pro eodem anno, XXXV. marcas.

Item recepi a domino Mathia, Officiali Cracoviensi et Archidiacono Zavichostensi, per manus Magistri Alberti Notarii sui de dicto censu collecto in Archidiaconatu Zavichostensi X. marcas et XVI. scotos.

Item recepi a domino Philippo Petri, Archidiacono Lublinensi, de pecunia dicti census collecta in Archidiaconatu suo unam marcam et XI. scotos.

Item recepi per manus supradicti domini Iacobi, Subcustodis ecclesie Cracoviensis, de pecunia eiusdem census collecta in Archidiaconatu Sandomiriensi marcas decem et novem.

---

*) Attende diminutionem istius auri propter fusionem, quia XV. marcas et VIII. scotos auri, de quibus supra scripte sunt X. marce et VIII. scoti, et relique V. marce hic continentur, feci fundi, et sic redacte sunt ad XIIII. marcas et V. uncias minus III. denariis ad dictum pondus Cracoviense.

Infrascripta est pecunia denarii beati Petri, collecta in Civitate et diocesi Cracovien. predictis anno domini M.CCC.XXVII., recepta per Magistrum Andream predictum per manus infrascriptarum personarum.

Et primo Iohannes de Lubssicz, Viceplebanus ecclesie sancte Marie Cracoviensis, solvit de pecunia denarii beati Petri, collecta in parrochia eiusdem ecclesie pro eodem anno, quinque marcas et XI. scotos cum dimidio.

Item dominus Nicolaus, Plebanus ecclesie S. Stephani Cracoviensis, solvit de eadem pecunia collecta in parrochia eiusdem ecclesie unam marcam et sex scotos.

Item Florianus et Bogufalus, Plebani ecclesie Omnium Sanctorum Cracoviensis, de eadem pecunia collecta in parrochia eorum solverunt duas marcas et duos scotos cum dimidio. Item de eadem parrochia solverunt sex scotos cum dimidio et quatuor denarios.

Item frater Martinus, Magister hospitalis S. Spiritus seu ecclesie S. Crucis, solvit de eadem pecunia unam marcam, quatuor scotos et octo denarios.

Item Henricus, Plebanus ecclesie S. Nicolai, solvit de dicta pecunia collecta in parrochia sua quinque scotos cum dimidio et sex denarios.

Item Magister Petrus, Plebanus ecclesie S. Stanislai de Rupella, sex scotos et sex denarios solvit de pecunia supradicta, collecta in parrochia eiusdem.

Item Stanislaus, Plebanus ecclesie S. Iacobi, solvit de dicta pecunia collecta in sua parrochia XVI. scotos et IX. denarios.

Item frater Bartholomeus, Canonicus monasterii de Swirincia ordinis Premonstratensis, solvit de eadem pecunia sex scotos.

Parrochia ecclesie Scarbimiriensis.

Nankerus Prepositus ecclesie Scarbimiriensis solvit per manus Zidislai vicarii sui de eadem pecunia, collecta pro eodem anno in parrochia Scarbimiriensi, unam marcam et decem scotos.

Decanatus de Negowecz.

Paulus de Negowecz et Nicolaus de Ciricz ecclesiarum Plebani, subcollectores dicti census, solverunt de eadem pecunia collecta in parrochiis ecclesiarum in Decanatu de Negowecz consistentium XVI. marcas et XIX. scotos.

Decanatus de Prandocin.

Siffridus Decanus decanatus de Prandocin solvit de dicta pecunia, collecta per eum in decanatu suo, decem marcas decem et septem scotos cum dimidio et duos denarios.

Decanatus de Andreow.

Miroslaus Decanus decanatus de Andreow de dicta pecunia, collecta in suo decanatu, solvit III. marcas et XV. scotos.

Decanatus Cazmiriensis.

Gregorius Decanus decanatus de Cazmiria solvit de pecunia dicti census collecta in decanatu suo VII. marcas et VI. scotos cum dimidio.

Decanatus de Izrancino.

Paulus Decanus decanatus de Izrancino solvit de pecunia dicti census tres marcas et VI. scotos. Item dedit VII. scotos.

Decanatus de Tarnow.

Miroslaus Decanus decanatus de Tarnow de pecunia dicti census collecta in decanatu suo duas marcas et sex denarios.

Decanatus de Izdranz.

Ulricus Decanus decanatus de Izdranz solvit de eadem pecunia collecta in decanatu suo duas marcas et VI. denarios.

Decanatus de Plessow.

Nicolaus Decanus decanatus de Plessow solvit de eadem pecunia collecta in decanatu suo VI. marcas XIIII. scotos et XV. denarios.

Decanatus de Slaucovia.

Ramberus Decanus decanatus Slaucoviensis de dicta pecunia solvit IIII. marcas XVIII. scotos et XVI. denarios.

Decanatus de Sandecz.

Iohannes Decanus decanatus de Sandecz solvit de eadem pecunia collecta in decanatu suo XIV. marcas XVI. scotos VII. denarios.

Decanatus de Pelcinitia.

Tilmannus Decanus decanatus de Pelcinitia de dicta pecunia collecta in suo decanatu solvit duas marcas.

Decanatus de Oswencim.

Nicolaus Decanus decanatus de Oswencim de pecunia dicti census collecta in suo decanatu solvit V. marcas et VIII. scotos.

Decanatus de Zator.

Henricus Decanus decanatus de Zator. . . .

Archidiaconus Lublinensis.

Philippus Archidiaconus Lublinensis de pecunia eiusdem census collecta in archidiaconatu suo solvit duas marcas cum dimidia.

Parrochia ecclesie Wisliciensis.

Magister Franciscus Prepositus ecclesie Wisliciensis solvit per manus domini Sulconis vicarii sui de dicta pecunia collecta in parrochia ecclesie Wisliciensis XVI. scotos.

Decanatus de Corcin.

Stefanus Decanus decanatus de Corcin de pecunia predicta coll. per eum in decanatu suo solvit VII. marcas minus uno grosso. Item per manus domini Francisci plebani ecclesie de Opatowecz eiusdem decanatus solvit duas marcas.

Decanatus de Czarnocin.

Vincentius Decanus decanatus de Czarnocin de eadem pecunia collecta in decanatu suo solvit V. marcas.

Decanatus de Kige.

Frater Ulricus Prepositus monasterii de Busco, Subcollector dicti census in decanatu de Kige, solvit de eadem pecunia collecta per eum in dicto decanatu IV. marc. et II. scot. cum dimidio et III. den.

Decanatus de Xegnicz.

Venceslaus Decanus decanatus de Xegnicz de eadem pecunia collecta in decanatu suo solvit VIII. marcas et XIII. scotos.

Decanatus de Dambitia sive de Silvis.

Antonius Decanus decanatus de Dambitia solvit de eadem pecunia collecta in decanatu suo VI. marcas, X. scotos et X. denarios.

Archidiaconatus Sandomiriensis.

Iohannes Iarlaci Archidiaconus Sandomiriensis solvit de eadem pecunia collecta in archidiaconatu suo XVII. marcas cum dimidia.

Prepositura Kiltiensis.

Martinus Decanus decanatus de Dambrowa de supradicta pecunia collecta in prepositura Kiltiensi, seu decanatu de Dambrowa, solvit VIII. marcas et II. scotos.

Archidiaconatus Radomiensis.

Wircheslaus Archidiac. Radomiensis solvit per manus dñi Martini, vicearchidiaconi sui, de dicta pec. coll. per eundem vicearchidiac. in archidiaconatu suo, VI. marcas et XIII. scotos. Boetius plebanus ecclesie de Swirsschowa eiusd. archidiaconatus solvit III. scotos. Item recepit a dño Fabiano plebano eccl. de Zolicow de dicto censu coll. in parroch. eiusd. ecclesie tres grossos. Item de eadem pecunia coll. in parrochia de Vizicz recepit tantumdem. Summa VI. marc. et XIX. scot.

Infrascripta est pecunia denarii beati Petri collecta in Civitate et diocesi Cracovien. pro anno domini M.CCC.XXVIII.

In primis parrochia ecclesie S. Marie Cracoviensis quatuor marcas solvit et quatuor scotos et XX. denarios; S. Stephani solvit unam marcam, VI. scotos et IIII. denarios; Omnium Sanctorum unam marcam; S. Crucis solvit X. scotos minus IIII. denariis; S. Nicolai solvit V. scotos cum dimidio; S. Stanislai de Rupella solv. VI. scotos et X. denarios; S. Iacobi. . . ; parrochia Swiricinensis solv. VI. scotos; parrochia Scarbimiriensis solvit XVIIII. scotos et unam quartam.

Archidiaconatus Cracoviensis — Decanatus de Negowecz.

Primo parrochia ecclesie de Negowecz solvit XII. scotos; de Bocchna solvit I. marcam et VIII. scotos; de Vislizia solvit II. marcas et II. scotos cum dimidio; de Bozanow XII. scotos; de Ciricz IX. scotos; de Decanowicz VII. scotos; de Cossocicz ...; de Lazan solvit III. grossos; de Dobssicz VII. grossos; de Lapanow V. scotos cum dimidio; de Villa Regis VIII. scotos; de Rechembrot solvit IIII. scotos; de Visnice IX. scotos; de Lipnik XIII. scotos; de Sulicowicz solv. IIII. scotos; de Bresnitia XV. scotos; de Breze solv. unum fertonem; de Biscupicz XVI. scotos et VII. denarios; de Mislimicz IIII. scotos; de Lassositia unum scotum; de Chelm IX. scotos; de Mogylan III. scotos; de Glovoczow III. grossos; de Crizanowicz IIII. scotos; de Racechowicz solvit V. scotos; de Drogina VI. scotos; de Lubichowa XII. scotos; de Zaclicino II. scotos; de Lapssitia solvit X. scotos; de Sobolow III. scotos; de Antiquo Rudel seu Cridlna solvit III. grossos; de Tarnowa IV. scotos; de Novo Rudel...; de Crivadambrowa VI. grossos et VIII. denarios; de Iavornik II. scotos cum dimidio et IV. denarios; de Gdow solv. V. scotos cum dimidio; de Sepraw tres quartas (XVIII. denar.); de Villa Conradi IX. scotos minus II. denariis; de Villa Martini...; de Gay solvit IV. scotos.

Decanatus de Prandocin.

Primo parrocchia ecclesie de Prandocin solvit XVIII. scotos; de Dissitia solv. XII. scotos; de Secechowicz solv. VI. scotos cum dimidio; de Uneyow VIII. scotos et tres quartas cum uno denario; de Golza XVII. scotos; de Wisseticz XVI. scotos; de Imramowicz solvit X. scotos; de Vlina s. II. scot. cum dimidio; de Mlinoga XIII. scotos et III. denarios; de Zadroze...; de Belechowicz solv. XIV. scotos cum dimidio minus uno denario; de Racebarawicz XIX. scotos; de Gebelcow III. scotos cum dimidio et V. denarios; de Venceslawicz XIII. scotos; de Samspowa solvit III. scotos et III. quartas; de Solussow VII. scotos et V. denarios; de Radzlawicz solv. V. scotos cum dim. et V. den. cum dimidio; de Pregyna...; de Zelonek solv. XII. scotos et duos denarios; de Scala...; de Ivanowicz IV. scot. et I. quartam, item I. scotum; de Modlitia IV. scotos cum dimidio; de Slawecz solv. II. scotos et VII. denarios; de Alba Ecclesia III. scotos et IV. denarios; de Smarssowicz solv. I. grossum et VIII. denarios; de Muchovia I. marcam, I. grossum et III. denarios; de Srenewa solvit XVII. scotos; de Medwecz solvit IX. scotos.

Decanatus de Zator.

Primo parrochia ecclesie de Zator solvit XXI. scotos et XVI. denarios; de Villahertmanni solvit III. scotos; de Polenca solvit XII. scotos; de Villagerardi solv. V. scotos cum dimidio; de Glambowicz seu Chundorf solvit VI. scotos; de Villazebutonis solvit II. scotos; de Villawriderici solv. VI. scotos; de Weprecz solvit VIII. scotos cum dimidio; de Helwand...; de Spichowicz scotos VII. cum dimidio; de Woznik seu Bachowicz V. scotos cum dimidio; de Zarissow IV. scotos; de Widerichowicz sive Vitanowicz V. scot. cum dimidio; de Berawald IV. scotos cum dimidio; de Villasiffridi...; de Bobedre...; de Regula solvit IV. scotos; de Grabssicz II. scotos; de Muchar VI. scotos; de Nidek...; de Villamathei...; de Antiquoradissow VI. scotos; de Novoradissow seu Vola VI. scotos; de Cirnechow VI. scotos et III. quartas; de Thintia X. scotos; de Moravitia XIV. scotos; de Rudawa IX. scotos et X. denarios; de Pregyna VI. scotos; de Crenzin II. scotos cum dimidio; de Stronow IV. scotos cum dimidio; de Vadowicz III. scotos cum dimidio; de Palcowicz IV. scotos; de Sossca...; de Paromba Zevota...; de Cressowicz VIII. scotos cum dimidio; de Lissek V. scotos; de Zalez V. scotos et VII. denarios; de Petrowicz solvit V. scot. cum dimidio.

Decanatus de Andreow.

Primo parrochia ecclesie de Andreow solvit III. scotos; item parr. eccl. de Mocrescow solvit XIII. scotos; de Gemelnow solv. VI. scotos, item III. scotos; de Wrozizir XIII. scotos; de Lubza VII. scotos; de Petrichowicz IV. scotos cum dimidio; de Mironiwicz IV. scotos cum dimidio; de Sandissow VIII. scotos; de Dyrzcow VI. scotos; de Slupp VI. scotos; de Naglowicz IV. scotos; de Grodzina VIII. scotos cum dimidio; de Obichow IV. scotos; de Chranzicz IV. scotos cum dimidio; de Racosin III. grossos et IV. denarios cum dimidio.

Decanatus Cazmiria.

Primo parrochia ecclesie de Cazmiria solvit XVII. scotos; de Bobin VII. scotos cum dimidio; de Nicalauschowicz IV. scotos; de Coschelecz XVIII. scotos; de Xegnis I. marcam et IV. scotos; de Gorchow XV. scotos cum dimidio; de Antiquobresco X. scotos; de Vichow X. scotos; de Premacow

VIII. scotos; ecclesia de Grobla non habet parrochiam; de Raphalowicz VI. scotos; de Novobresco VII. scot. cum dimidio; de Laurenticz VIII. scot. cum dimidio; de S. Prancatio (sic) non habet parrochiam; de S. Laurentio III. scotos cum dimidio; de Tudinowicz solvit unum scotum.

Decanatus de Zrancino.

Primo parrochia ecclesie de Zrancino solvit XII. scotos; de Beyecz X. scotos; de Demchowicz....; de Zalenz VI. scotos; de Slavancin IX. scotos; de Iassel XII. scotot; de Antiquosmigrod XVIII. scotos; de Clenzincze....; de Bezeda I. grossum; de Novosmigrod VIII. scotos; de Vitarza II. scotos; de Seben V. scotos;

Decanatus de Tarnow.

Primo parrochia ecclesie de Tarnow II. sc. cum dimidio; de Woynicz XVIII. scotos; de Virchoslawicz IV. scotos; de Iurchow VII. sc. cum dimidio; de Thuchow X. scotos; de Opatchowicz VI. scotos cum dimidio; de Bessadek VII. scotos; de Uswa IV. sc. cum dimidio; de Plessina II. scotos; de Iassen V. scot. cum dimidio; de Dambno VI. scot. cum dimidio; de Radlow I. marcam et III. scotos; de Gora IV. sc. cum dimidio; de Czechow VII. sc. cum dimidio; de Goszecz IV. sc. et VI. denarios; de Scepanow V. scotos; de Paromba VII. scotos cum dimidio; de Libertate Timonis VI. scotos; de Libertate Gotfridi V. scotos cum dimidio; et de Gnoynik solvit VI. scotos cum dimidio.

Decanatus de Izandz.

Primo parrochia ecclesie de Irzandz (solvit VIII. scotos); item de Chromolow, Podlesse, Chlobuscow, Secocin, Potok, Kidow, Kebel, Nakel, Pribinow, Nogowa, Czanstachowa, Dlussecz, Glowozow, Lellow, Piltia, Lesnow, Rokidnow, Zarnowecz...

(Decanus solvit de omnibus parrochis decanatus in summa II. marcas et XV. scotos.)

Decanatus de Plessow.

Primo parrochia ecclesie de Plessow, de Czulicz, de Luboritia, Negardow, Conussa, Prosschowicz, Zamlocin, Pobednik, Russa, Igolomia. Summa eiusdem decanatus de Plossow IV. marche et III. scoti cum dimidio, assignata per Decanum.

Decanatus de Slaucovia.

Primo parrochia ecclesie de Slaucovia solvit XIX. scotos; de Chechel III. scotos; de Zancowicz...; de Senor VI. scotos; de Bopt...; de Woycewicz I. scotos cum dimidio et IV. denarios; de Bondin II. scotos cum dimidio; de Simuna III. scotos; de Grozecz...; de Biscupicz...; de Camen...; de Czedlaz...; S. Margherite de Bitom...; S. Marie ibidem...; de Sanosschow...; de Mislowicz III. scotos cum dimidio; de Cosseglow...; de Ilcus XXII. scotos et V. denarios; de Novomonte VIII. scotos; Hospitalis S. Spititus...; de Pechar IV. scotos cum dimidio; de Plok III. scot. cum quarta; de Niculticz...; de Michalowicz...; de Carow V. scotos; de Gorze I. scot. cum dimidio; de Panow...

Decanatus Sandecensis.

Primo parrochia ecclesie de Sandecz solvit III. marc. et V. scotos; item ecclesie de Sbissicz IV. scot. cum dimidio; de Nenoyowi V. scotos; de Ferreavilla XXIV. scot. cum dim. et VII. denarios; de Barzicz II. scotos cum dimidio; de Mancina VII. scotos et VIII. denarios; de Nigrofluvio IV. scot. minus I. quarta; de Prissowa IV. scotos et XIII. denarios; de Mogylnow VI. scotos; de Chomorawicz VIII. scotos cum dimidio; de Longoprato VI. scotos; de Pedegrodze III. marcas minus uno grosso; de Mislicow...; de Wilglow XVI. scotos; de Sanctoswerado V. scotos; item Venceslaus Woyghanconis, Petrus Petreconis et Iacobus Ianconis de Villa Durzcow pro se et fratribus, et patre dicti Iacobi, et uxoribus et familiis ipsorum de dicta parrochia pro presenti et sex annis proxime preteritis, quibus non solverant dictum censum, solverunt IV. scotos cum dimidio; item parrochia ecclesie de Sedliczi solvit XIV. scotos; de Iacubcowicz IX. scot. et IV. denarios; de Tangoboza VIII. scotos; de Iasonnisco IV. scot. et XI. denarios; de Lucowicz scot. VII. et V. denarios; de Antiquosandecz XX. scotos et III. denarios; de Mosczenitia V. scotos cum dimidio; de Sedlecz VI. scotos; de Beganicz VI. scotos et VII. denarios; de Lanzcow I. marcam et XIV. scotos.

Decanatus de Pelcinitia.

Primo parrochia ecclesie de Pelcinitia...; item parr. ecclesie de Wraczimowicz solvit VIII. scotos; de Radzlawicz V. scotos; de Nassancowicz...; de Calina...; de Slavosow...; de Magnoxegnicz VII. scotos; de Parvoxegnicz...; de Misticzow... (Summa XX. scoti).

Decanatus de Oswencim.

Primo parrochia ecclesie de Oswencim solvit unam marcam; item parrochia ecclesie de Paromba . . . ; de Grozecz III. scotos; de Ossek VII. scotos cum dimidio; de Mosgront seu Vitcowicz III. scotos; de Kant XX. scotos; de Duabus Capris seu Siffridi Villa solvit II. scotos cum dimidio; de Quiklicz seu Ianzdorf . . . ; de Villabertholdi V. scotos; de Bestwina III. scot. cum dimidio; de Damcowicz II. scot. cum dimidio; de Villascriptoris III. scotos; de Antiquavillamowicz III. scotos; de Iavissowicz III. scotos; de Lesnow IV. scotos; de Trebina V. scotos, item IV. scotos; de Crenovia XV. scotos; de Bresca . . . ; de Plessina XI. scotos cum dimidio; de Visla II. scotos cum dimidio; de Czuiclicz III. scot. cum dimidio; de Studua . . . ; de Moduna IV. scot. cum dimidio; de Susechz . . . ; de Woysicz . . . ; de Ziwicz . . . ; de Novavillamowicz I. fertonem (VI. scot.); de Lipituk VII. scotos.

Archidiaconus Lublinensis.

Primo parrochia ecclesie Lublinensis; item parr. ecclesie de Crasnitia, de Choczh, Cazmirz, Solecz, Iarosin, Crampa, Bestritia, Cemernik, Woycechow, Garbow, Neglewa, Wanwelnitia, Wilchow, Gostza, Sroconilha, Potek, Olessow, Glednitia, Ratosin, Bithewa, Novocastro, Cansteborawicz, Vilcholas, Golcewa et Lutow. . . . . (Archidiaconus Lublinensis solvit de parrochis Archidiaconatus sui I. marcam et XX. scotos cum dimidio).

Parrochie consistentes in Prepositura Wisliciensi.

Parrochia Wisliciensis solvit XV. sc. cum dimidio; item eccl. S. Laurentii de Wislicia . . . .

Decanatus de Chorcin seu de Boleslawe.

Primo parrochia ecclesie de Chorcin solvit I. marcam et III. scotos; item parrochia ecclesie de Opatowicz I. marcam et XXII. scotos; de Grabassow V. scotos cum dimidio; de Ottwinow XXII. scotos; de Rufa Ecclesia I. marcam; de Boleslawe VI. scotos cum dimidio; de Sucin III. scotos; de Strozicz XV. scotos cum dimidio; de Novacivitate I. marcam III. scotos et II. denarios; de Bzecz XVIII. scotos; de Solecz XII. scotos; de Swinar III. scotos; de Ostrowecz X. scotos et III. denarios.

Decanatus de Czarnocin.

Primo parrochia ecclesie de Czarnocin solvit VI. scotos; item parr. ecclesie de Dzranza XVI. scotos; de Stradow VI. scotos; de Pelticz XX. scotos; de Mlodzow IV. scotos; de Chroberz XVI. scotos; de Probolawicz VI. scotos; de Parva Cazmiria XIV. scotos; de Socelina XVI. scotos, et de Czalosicz solvit XIV. scotos.

Decanatus de Kige.

Item parrocchia eccl. de Kige solvit XVIII. scotos; de Gnoygno X. scotos; de Santia XI. scotos; de Ianina IV. scotos; de Sczanoricz IV. scotos; de Lissow IV. scot. cum dimidio; de Virczow IV. scot. cum diminio; de Sanginoyowicz III. scotos; de Crizanowicz IV. scotos; de Busco XVII. scotos.

Decanatus de Xegnicz.

Primo parrochia ecclesie de Xegnicz solvit VI. scotos; de Bansowa Episcopali VI. scotos; de Bansowa Militali XX. scotos; de Bechow V. scotos; de Tuczamp XII. scotos; de Concraloct XX. scotos; de Olesnicia IIII. scot. cum dimidio; de Cochassow XII. scotos; de Polancz I. marc. et IIII. scotos; de Stelnitia I. marc. et VI. scotos; de Scassow . . . ; de Cargow IIII. scot. cum dimidio; de Paczanow I. marc. et de Scidlow solvit XII. scotos.

Decanatus de Dambitia sive de Silvis.

Primo parrochia ecclesie de Dambitia solvit VIII. scot. et III. quartas; de Zarecz IIII. scot. cum dimidio; de Lubsina VIII. scot. minus II. denariis; de Dombrowa V. scot. cum dimidio; de Lanzka V. scotos; de Sandisschow I. marc. VII. scot. et IX. denarios; de Dobrechow IX. scotos; de Xangnicz XV. scotos; de Strascncin XIV. scotos; de Predeslaw IX. scotos; de Gallussowicz XVIII. scotos; de Bresnitia IIII. scot. et III. denarios; de Cherzelow V. scot. et VII. denarios; de Czadecz VIII. scotos

Archidiaconatus Zavichostensis.

Primo parrochia ecclesie de Zavichost solvit XIIII. scotos; de Pecanow XVIII. scotos; de Scidlow VIII. scotos; de Pribislawicz III. scotos; de Iancowicz IX. scotos; de Lucawa V. scotos; de Gora V. scotos; de Bidzin XVIII. scotos; de Sanctomauricio V. scotos; de Swecechow IX. scotos; de Patrawin . . . ; de Slupp . . . ; Sancte Trinitatis VI. scotos; de Ribitwe II. scotos; de Scewna XV. scotos; de Opatow I. marcam X. scotos; de Omnibus Sanctis XVIII. scotos; de Bela . . . ; de Potok III. scotos; de Strocza III. grossos; de Dirzcowicz V. grossos; de Woycowicz XX. scotos; de Baluchow III. grossos.

Archidiaconatus Sandomiriensis.

Primo parrochia ecclesie Sandomiriensis . . . , S. Pauli iuxta Sandomiriam, de Compronitia, de Goslicz, Goricz, Ossek, Wloscow, Michocin, Midlow, Magnavilla, Olberssowicz, Wyasch, Cerzetia, Bolin, Zalezan, Charowicz, Stregom, Obrasow, Lunow, Kiltina, Modlibosicz, Strosowicz, Samborecz, Scoglicz, Netrasow, Dimitrow, Sulislawicz, Malicz, Wrazaw, Radzlawicz. . . . .

Ecclesia de Opatow.

Item parrochia ecclesie de Opatow. . . . .

Ecclesia Kiltiensis.

Item parrochia ecclesie de Kiltia solvit xx. scotos.

Porrochie consistentes in Prepositura Kiltiensi.

Primo parrochia ecclesie de Dambrowa solvit xii. scotos; de Tarzet xvi. scotos; de Islicza xxiii scotos; de Mirtia ix. scotos; de Dambno iii. grossos; de Cunow v. scotos; de Antiquo Tarzet xvii. scotos; de Wasnow xix. scotos; de Paulow viii. scotos; de Mantia xiiii. scotos; de Sumscow ix. scotos; de Langow x. scotos; de Slupp x. scotos; de Muthow viii. scotos; de Dlassowicz x. scotos; de Potek. . . .

Archidiaconatus Radomiensis.

Primo parrochia ecclesie de Radom solvit ii. marcas et ii. scotos; de Vissoca vii. scotos; de Copla vii. scotos; de Tzessow v. scotos; de Chelovicz i. scotum; de Wirbitia xiiii. scotos; de Cowale vii. scotos cum dimidio; de Iaroslavicz v. grossos; de Chochow iii. scotos; de Samogoscza iii. scot. cum dimidio; de Caressow xiiii. scotos; de Cordthnitia iii. grossos; de Nova Ecclesia xvi. scotos; de Swirssowa v. scotos; de Secechow v. scot. cum dimidio.

Infrascripta est pecunia denarii beati Petri, collecta in Civitate et diocesi Wladislaviensi, assignata per dominum Episcopum mihi predicto Andree.

Et primo anno domini m.ccc.xxvi. die xxvi. Martii apud Racencz Castrum ecclesie Wladislaviensis de Summa xxxiii. marcarum, xvi. scotorum et unius quarta, collecta pro denario beati Petri in eisdem Civitate ac diocesi anno domini m.ccc.xxv. proxime preterito, assignata per dominum Episcopum recepi viii. marcas et viii. scotos. Residuum vero recepit d. Petrus Collega meus.

Item die prima Iunii eiusdem anni m.ccc.xxvi. in Brest eiusdem diocesis recepi ab eodem domino Episcopo per manus Friczconis clerici sui de pecunia dicti denarii beati Petri, collecta in eisdem Civitate ac diocesi eodem m.ccc.xxvi. anno, assignata xxxvi. marcas et xiii. scotos eiusdem monete.

Item die viii. Iunii anni domini m.ccc.xxvii. recepi per manus Magistri Nicolai de Racencz, solventis nomine eiusdem Episcopi, de predicto censu, collecto in eisdem Civitate ac diocesi eodem m.ccc.xxvii. anno, xxxviii. marcas et iii. scotos grossorum nimium precisorum.

Pecunia vero dicti census ibidem collecta anno domini m.ccc.xxviii. propter viarum pericula mihi non extitit assignata.

Census collectus in Civitate et diocesi Plocensi.

Primo recepi die iii. Iunii anni domini m.ccc.xxvi. de pecunia collecta pro m.ccc.xxv. anno in civitate ac dioc. Plocensibus predictis, per manus Friczconis clerici Episcopi Wladislaviensis xviii. marcas grossorum nimium precisorum.

Item xii. die Octobris de dicto censu coll. ibidem anno domini m.ccc.xxvi. qui fuit in summa xv. marca, recepi per manus fratris Iohannis Prioris loci fratrum predicatorum de Brest Wladislaviensis diocesis vii. marcas cum dimidia. Residuum recepit dictus Collega.

Die ii. Iulii anni domini m.ccc.xxvii. de eodem censu, collecto ibidem pro eodem anno, recepi per manus domini Nicolai de Saulow, Canonici Plocensis, xv. marcas et ix. scotos grossorum nimium precisorum.

Die ix. Iunii anni domini m.cccxxviii. de dicto censu collecto ibidem pro eodem anno recepi per manus dicti domini Nicolai xviii. marcas grossorum nimium precisorum.

Summa summarum omnium supra receptorum de denario beati Petri in isto parvo caterno (quarterno) et dccc xxxi. marce xix. scoti grossorum et xx. parvi, et xv. marce et viii. scoti auri.

Collectoria denarii B. Petri in regno Poloniae An. 1325—1328. Nro. 71. fol. 1—24.

CCCLXI.

Apochae de soluto denario B. Petri in Gnesnensi, Cracoviensi, Vratislaviensi, Vladislaviensi, et Posnaniensi ac Plocensi civitatibus et dioecesibus collecto per archiepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem etc. ab anno MCCCXIX. usque ad annum MCCCXXVIII.

In nomine domini Amen. Venerabiles viri Magistri Andreas de Verulis, Canonicus Wratislaviensis, et Petrus de Alvernia, iuris peritus, clericus Lemovicensis diocesis, apostolice sedis nuntii, receperunt cum reverentia debita litteras apostolicas, vera bulla filo canapis bullatas, non abolitas, non abrasas, nec in aliqua sui parte viciatas continentie infrascripte.

IOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Dilectis filiis Magistris Andree de Verulis, Canonico Wratislaviensi, scriptori nostro, et Petro de Alvernia, Iurisperito, clerico Lemovicensis diocesis, apostolice sedis nuntiis, salutem etc. Olim etc. ut supra Nro. CCCXX. pag. 207. Datum Avinione X. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Anno domini M. CCC. XXVII. die XXVI. Iunii Cracovie, in loco fratrum Predicatorum, Reverendi patres domini Ianislaus Archiepiscopus Gneznensis, et Mathias Episcopus Wladislaviensis presentarunt predicto Magistro Andree quasdam litteras patentes prefati Magistri Petri de Alvernia, suo pendenti sigillo sigillatas, tenoris et continentie infrascripte.

Venerabili viro Magistro Andree de Verulis, Canonico Wratislaviensi, nuncio sedis apostolice, Petrus de Alvernia, licentiatus in legibus, Canonicus Noviomensis, ipsius collega, salutem cum sincera in domino caritate. Licet nobis una vobiscum insolidum ad audiendum rationem legitimam de collectione seu perceptione census Curie Romane, qui dicitur denarius beati Petri, in regno Polonie a Venerabilibus patribus dominis ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Episcopo Wladislaviensi a sede apostolica sit concessum, nos tamen multis variis negociis, et arduis aliis negociis ipsius sedis in civitate et diocesi Wratislaviensi adpresens occupati intendere super hoc nequeuntes, vestre discretioni vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, in huiusmodi negocio totaliter et in totum committimus in hiis scriptis, volentes et decernentes, ut predictam rationem a prefatis dominis Archiepiscopo et Episcopo exigatis et recipiatis, seu audiatis, et eosdem, quod receperitis ab ipsis, de hoc quitetis et absolvatis, et omnia et singula in dicto negocio faciatis iuxta traditam nobis formam, absentia nostra aliqualiter non obstante: quicquid autem in hoc feceritis, approbamus presentibus et laudamus. In cuius rei testimonium presentia per Iacobum Notarium subscriptum conscribi iussimus, et nostri sigilli appensione muniri. Actum Wratislavie in domo Episcopali XVII. Kalendas Iunii. Anno dñi M.CCC.XXVII. Indictione decima, hora quasi completorii, presentibus Venerabili viro Magistro Goscone, Decano Wladislaviensis et Canonico Wratislaviensis ecclesiarum, Nicolao scriptore nostro, et Sandcone clerico Wratislavie manente.

Et Ego Iacobus Petrus de Ielyn, clericus Wratislaviensis diocesis, publicus auctoritate Imperiali Notarius, commissioni et aliis omnibus premissis interfui, eaque de mandato prefati Magistri Petri nuntii sedis apostolice conscripsi, et in publicam formam redigens, meo consueto signo et nomine consignavi.

Idem vero Magister Andreas, volens ad executionem litterarum apostolicarum huiusmodi procedere, ut tenetur, auctoritate apostolica sibi in hac parte commissa monuit eosdem Reverendos patres Archiepiscopum et Episcopum tunc presentes, ut ei deberent de predicto censu recepto per eos reddere iustum computum et debitam rationem: ipsi vero domini Archiepiscopus et Episcopus volentes mandatis apostolicis obedire, eorum patentes litteras sub sigillis cum computo et ratione census huiusmodi eidem nuntio presentialiter presentarunt, quarum tenor talis est.

Nos Ianislaus divina et apostolice sedis providentia Gneznensis Archiepiscopus, et Mathias eadem providentia Wladislaviensis Episcopus, olim Collectores census Romane ecclesie, qui denarius beati Petri dicitur, tenore presentium notum facimus universis, et super nostras conscientias iuramenti nomine profitemur, quod de preterito censu in Gneznensi, Cracoviensi, Wratislaviensi, Plocensi, Wladislaviensi et Poznaniensi Civitatibus et diocesibus nos Ianislaus Archiepiscopus predictus, una cum bone memorie domino Gerwardo Wladislaviensi Epo, tunc collega nostro, pro anno domini M.CCC.XIX., et pro duobus annis aliis immediate sequentibus, videlicet M.CCC.XX. et M.CCC.XXI., recepimus et collegimus sexcentas septuaginta quinque marcas grossorum cum dimidia et unum grossum, et quatuordecim marcas auri et tres fertones cum tribus quartis ponderis Cracoviensis, pro qua tota pecunia

prefatus dominus Gervardus Episcopus emit et comparavit duomilia trecentos octuaginta duos florenos auri, quatuor grossos Turonenses argenti, et quindecim denarios parvos cum obulo Viennensi, quos Camere domini pape assignavit, prout in litteris quitationis Venerabilis patris domini Gasberti Massiliensis Episcopi, domini pape Camerarii, super hoc datis clarissime continetur.

Item recognoscimus tenore presentium, quod in predictis diocesibus de anno domini M.CCC.XXII. de predicto censu recollegimus et recepimus ducentas septuaginta septem marcas grossorum, et decem et octo scotorum cum dimidio grossorum, et decem marcas auri cum dimidia, et unum scotum, pro qua pecunia, deductis viginti marcis et quindecim scotis grossorum, que in computo ad numerum predicte Camere domini pape assignari debebant, et duodecim marcis grossorum, que date fuerunt pro expensis nuntiorum, qui pecunias portaverunt, comparavimus viginti duas marcas auri et tres uncias cum dimidia ad pondus Avinionense, quas per manus Venerabilis patris fratris Dominici quondam Metheliensis Episcopi predicte Camere domini pape presentavimus, prout ex litteris quitationis prefati Venerabilis patris domini Gasberti Massiliensis Episcopi, domini pape Camerarii, liquido comperitur. Et quia predicte viginti marce et quindecim scoti grossorum non sunt per dictum fratrem Dominicum Episcopum domini pape Camere assignate, super solutione illarum, an per nos solvende sint, an non, cum eum ad huiusmodi peragenda certum et ydoneum credebamus, domini nostri pape ac domini Camerarii predicti beneplacito nos duximus submictendos.

Item recognoscimus, ut supra, quod pro anno domini M.CCC.XXIII. de predicto censu in diocesibus supradictis percepimus quadringentas quatuordecim marcas et septem scotos cum dimidio grossorum, et quinque marcas cum dimidia auri ponderis Cracoviensis, et unum florenum, pro qua summa pecunie, deductis duodecim marcis grossorum, que nuntiis date sunt, qui pecuniam ad Romanam Curiam deportarunt, et decem marcis grossorum, quas in anno proxime sequenti aliis nuntiis pecuniam deferentibus assignavimus, emimus et comparavimus viginti quatuor marcas auri, quinque uncias et unam quartam unius uncie ad pondus Avinionense, quas per manus Clementis Scolastici Gneznensis predicte Camere domini pape assignavimus, sicut in predicti Venerabilis patris domini pape Camerarii quitationis litteris continetur.

Item recognoscimus, ut supra, quod pro anno domini M.CCC.XXIV. de censu predicto in diocesibus premissis recollegimus ducentas octuaginta duas marcas et quatuor scotos grossorum, quadraginta octo grossis pro marca qualibet computatis in omnibus quantitatibus supradictis, et decem marcas auri cum septem scotis et octuaginta novem florenos auri, pro qua pecunia comparavimus viginti quinque marcas auri et mediam quartam unius uncie ad pondus Avinionense, quas per manus Thomyslai Gneznensis et Nicolai Wysliciensis Custodum, ac Cestoborii Canonici Crusviciensis ecclesiarum assignavimus Camere supradicte, prout continetur in licteris quitationis dicti Venerabilis patris domini pape Camerarii super hoc datis, et etiam concessis. Actum Cracovie VI. Kalendas mensis Iulii. Anno domini M.CCC.XXVII. In testimonium autem predictorum nostra sigilla presentibus sunt appensa.

Eodem die Venerabiles viri domini Nicul Decanus, et Clemens Gneznensis et Bogufalus Wladislaviensis Scolastici, Thomislaus Custos et Petrus Cancellarius eiusdem Gneznensis ecclesiarum, ac Magister Bertoldus de Camen, Canonicus S. Michaelis Cracoviensis ecclesie, Episcopi, et Boguslaus Archiepiscopi predictorum Cancellarii, testes per eosdem Archiepiscopum et Episcopum ad probandum premissa producti, iuraverunt, tactis sacrosanctis evangeliis, se credere predicta omnia esse vera.

Eodem die domini Archiepiscopus et Episcopus supradicti, volentes docere de assignatione dicte pecunie dicti domini pape Camere presentate, exhibuerunt coram eodem Nuntio quasdam domini Camerarii domini pape patentes litteras, cum eiusdem domini Camerarii sigillo pendenti in cera rubea sigillatas, quarum tenor talis est.

Universis presentes litteras inspecturis, Gasbertus permissione divina Massiliensis Episcopus, domini pape Camerarius, salutem in domino. Ad universitatis vestre notitiam presentium tenore deducimus, quod Venerabilis in Christo pater dominus Gervardus Episcopus Wladislaviensis, collector census, qui denarius beati Petri nuncupatur, in regno Polonie una cum Archiepiscopo Gneznensi auctoritate apostolica deputatus, de pecunia dicti census, per ipsum Episcopum in predicto regno Polonie recepta, mille florenorum anni per manus discretorum virorum Magistrorum Iohannis Grotonis Cracoviensis, et Andree de Verulis Wratislaviensis ecclesiarum Canonicorum et procuratorum suorum domini nostri pape Camere assignavit, de quibus mille florenis auri, sicut predicitur, assignatis dictum

Episcopum et successores suos prefate Camere nomine absolvimus et quitamus, has sibi litteras sigillo Camerariatus nostri munitas in premissorum testimonium concedentes. Datum Avinione die XII. mensis Maii anno domini M.CCC.XXII. Indictione quinta. Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri Iohannis divina providencia pape XXII. Anno Sexto.

Universis presentes litteras inspecturis Gasbertus etc. ut in precedenti. Universitati vestre tenore presentium innotescat, quod Venerabilis pater in Christo dominus Gervardus Episcopus Wladislaviensis, collector census, qui denarius beati Petri dicitur, in regno Polonie una cum Archiep̄o Gneznensi auctoritate apostolica deputatus, de pecunia dicti census per ipsum Episcopum in predicto regno recepta mille CCCLXXXII. florenos auri, quatuor Turonen. grossos argenti cum o rotundo, et quindecim denarios cum obulo Viennen. per manus discretorum virorum Magistrorum Bogufali Covale, et Andree de Verulis Canonicorum ecclesie Wratislaviensis, Capellanorum suorum, domini nostri pape Camere integraliter assignavit, de quibus MCCCLXXXII. florenis, quatuor Turonen. grossis argenti et XV. denariis cum obulo Viennen. sic, ut predicitur, assignatis ipsum Ep̄um collectorem predictum et suos (successores) nomine prefate Camere absolvimus et quitamus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli Camerariatus nostri appensione muniri. Datum Avinione die V. mensis Novembris anno domini M.CCC.XXII. Indictione quinta. Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri Iohannis divina providencia pape XXII. Anno Septimo.

Universis presentes litteras inspecturis, Gasbertus etc. Ad universitatis nostre notitiam presentium tenore deducimus, quod Venerabilis in Christo pater dominus Ianislaus Archiepiscopus Gneznensis, collector census Romane ecclesie debiti in regno Polonie, qui census denarius B. Petri nuncupatur, auctoritate apostolica deputatus, per manum Venerabilis patris domini fratris Dominici Episcopi Meteliensis XXII. marcas et tres uncias cum dimidia auri minuti de Palhola, dumtaxat ad pondus Avinionense, Camere domini nostri pape die date presentium assignavit de dicto censu Camere contingente, recepto in regno predicto anno, ut asseruit dictus Episcopus, terminato in festo Circumcisionis domini proxime preterito, et levato per Archiepiscopum supradictum, de quibus viginti duabus marcis et tribus unciis cum dimidia auri sic, ut predicitur, assignatis ipsos duos collectores et Episcopum nomine prefate Camere absolvimus et quitamus, has eisdem litteras sigillo Camerariatus nostri munitas in premissorum testimonium concedentes, ita tamen quod, si de assignatione huiusmodi sub data istarum litterarum per ipsos Archiepiscopum vel Episcopum facta Camere littere alie apparerent, nullius penitus sunt momenti. Datum Avinione die XII. mensis Iulii anno domini M.CCC.XXIII. Indictione sexta. Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Iohannis divina providencia pape XXII. Anno VII.

Universis presentes litteras inspecturis, Gasbertus permissione divina Archiepiscopus Arelatensis, domini pape Camerarius, salutem in domino. Ad universitatis vestre notitiam presentium tenore deducimus, quod Venerabiles in Christo patres dominus Ianislaus Archiepiscopus Gneznensis, et dominus Mathias Episcopus Wladislaviensis, collectores census, qui denarius beati Petri nuncupatur, Romane ecclesie debiti in regno Polonie auctoritate apostolica deputati, de censu predicto, per ipsos recepto pro uno anno in festo Circumcisionis domini proxime preterito terminato, XXV. marcas et medium quartum unius uncie auri minuti de Palhola, ad pondus Avinionense, per manus discretorum virorum Magistrorum Thomislai Gneznensis, Nicolai Visliciensis Craeoviensis diocesis Custodum, et Cestoborii Crusvicicnsis ecclesiarum Canonici procuratorum suorum domini nostri pape Camere die data presentium assignarunt, de quibus XXV. marcis et medio quarto unius uncie auri de Palhola sic, ut premittitur, assignatis dictos dn̄os Archiepiscopum et Episcopum, ac successores suos prefate Camere nomine absolvimus et quitamus, has eisdem litteras sigillo Camerariatus nostri munitas in premissorum testimonium concedentes. Datum Avinione die III. mensis Novembris anno domini M.CCC.XXV. Indictione octava. Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Iohannis divina providencia pape XXII. Anno Decimo.

Eodem die facto computo et ratione per eosdem Archiepiscopum et Episcopum cum dicto Nuntio de supradictis pecuniis per eos de dicto censu in Civitatibus et diocesibus predictis, ut premittitur, per eosdem sex annos receptis, et per eos postmodum dicte Camere, sicut patet per dictas quitationum litteras, assignatis compertum extitit, quod undecim scotos, qui penes prefatum dominum Clementem Scolasticum remanserant, tenentur solvere Camere supradicte. Quos quidem XI. scotos auri dictus Nuntius mandavit sibi nomine dicte Camere presentari. Ipsi vero domini Archiepiscopus et Epi-

scopus petiverunt dictum Scolasticum compelli ad solutionem XI. scotor. huiusmodi, cum penes eum remanserunt, ut prefertur, quod idem Scolasticus tunc presens coram Nuntio supradicto confessus extitit simpliciter ita fore, asserens se esse paratum ad solutionem ipsorum infra competentem terminum, quem ad hoc petiit sibi dari. Eodem die prefatus Nuntius dedit terminum eidem Scolastico ad solvendum XI. scotos auri usque ad Octavas festi beati Michaelis proxime futuri. Eodem anno, die VII. Octobris, prefatus Nuntius recepit a dicto domino Scolastico predictos XI. scot. auri, VII. marcas grossor. Pragensium, computando quemlibet scotum auri pro XV. scot. grossor. iuxta valorem auri predicti. Summa VII. marc. grossorum Pragensium.

Infrascripta est pecunia decime et denarii B. Petri, collecta in Civitate et diocesi Poznaniensi, assignata per Episcopum Poznaniensem prefato Magistro Andree.

Anno domini M.CCC.XXVIII. die primo Octobris prefatus Magister Andreas recepit a Reverendo patre dño Iohanne Episcopo Poznaniensi, per manus domini Miroslai Plebani ecclesie de Provina Poznaniensis diocesis, tam de pecunia dicti census collecta anno presenti, quam decime recepte per eundem Episcopum in civitate et diocesi Poznaniensi et districtu Cirvensi in secundo termino eiusdem anni, videlicet in festo Pentecostes proxime preterito, CLX. florenos auri, ac XVIII. scotos et quartam partem unius scoti auri fusi ad pondus Cracoviense, in presentia dicti Plebani ponderati, valoris X. marcarum et XV. scotorum cum dimidio grossorum Pragensium, computando quemlibet scotum dicti auri iuxta extimationem discreti viri Nicolai de Zavichost, civis Cracoviensis, pro XIV. scotis grossorum Pragensium, sicut in litteris eiusdem Episcopi continetur, quarum tenor talis est.

Iohannes dei gratia Episcopus Poznaniensis honorabili viro fratrique sibi in Christo dilecto, domino Andree de Verulis, sedis apostolice nuntio, cum obsequiosa in beneplacitis voluntate fraternam in domino caritatem. Nuper nobis honorabilis vir dominus Petrus de Alvernia, collega vester, suis certis litteris intimavit, quod si propter viarum pericula pecuniam decime papalis cum denario S. Petri sibi versus Nissam transmittere nequiremus, ipsam vobis versus Cracoviam mitteremus. Cum igitur nobis tutius videatur, vobis per ostensorem presentium tam pro denario S. Petri de anno presenti, quam pro decima papali anni presentis, nuper in festo Pentecostes preterito per nos in nostra diocesi Poznaniensi et districtu Cirvensi collectis, CLX. florenos auri cum XX. scotis minus dimidio scoto auri puri, prout remissius propter comoditatem deferendi potuimus comparare, duximus transmittendos, petentes studiose, quatenus nobis super hiis vestras patentes quitationis litteras remittatis nuntium per eumdem. Datum Sebikow feria tertia infra octavas Nativitatis beate Virginis anno domini M.CCC.XXVIII.

Item in Civitate et diocesi Plocensi assignata per Episcopum Plocensem et Capitulum.

In nomine domini Amen. Anno domini M.CCC.XXVII. die I. Ianuarii predictus Magister Andreas Nuntius recepit per manus dñi Stephani Archidiaconi Plocensis, assignantis nomine Episcopi et Capituli Plocensium, Subcollectorum decime sexannalis, de pecunia ipsius decime collecte in civitate et diocesi Plocensi pro primo termino presentis anni tam pro medietate decime ipsius anni, quam decima parte decime anni preteriti, XXVI. marcas grossorum, XXXVI. grossis pro marca qualibet computatis.

Item secunda die Iulii eiusdem anni pro secundo termino eiusdem anni recepit per manus dñi Nicolai de Smilow Canonici Plocensis, assignantis nomine Ep̄i et Capituli predictorum, de pecunia dicte decime XXXIII. marc. cum dimidia et VII. gross. XXXVI. gross. ut supra pro marca qualibet computatis.

Item recepit die III. Ianuarii anni domini M.CCC.XXVIII. per manus predicti domini Nicolai de pecunia dicte decime pro primo termino presentis tertii anni XVIII. marcas grossorum cum dimidia et quatuor grossos. XXXVI. grossis ut supra pro marca qualibet computatis.

Item die IX. Iunii eiusdem anni recepit dictus Nuntius per manus domini Pauli Plebani ecclesie sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi prope Ploczam, assignantis nomine Episcopi et Capitulo predictorum, de pecunia dicte decime pro secundo termino dicti tertii anni XXVII. marcas, XXXVI. grossis ut supra pro marca qualibet computatis.

Summa summarum CV. marc. XI. gross. ad pondus Plocense, computatis XXXVI. grossis pro qualibet marca, valent LXXVIII. marc. XXIII. scot. cum dimidio ad pondus Cracoviense, computatis pro marca qualibet XLVIII. grossis.

Collectoria decimae etc. in regno Poloniae An. 1325 — 1328. Nro. 71. fol. 121 — 124.

CCCLXII.

Ratio pecuniae receptae ex fructibus beneficiorum vacantium (cf. supra Nro. 223.) et rebus falsariorum, et summa omnium pecuniarum ex decimis sexannalibus, denario B. Petri etc. collectarum, et assignatarum camerae apostolicae per Andream de Verulis collectorem.

Infrascripta est pecunia de fructibus beneficiorum vacantium unius anni in Cracoviensi, Wladislaviensi, Plocensi et Wratislaviensi Civitatibus et diocesibus recepta per me predictum Andream de Verulis Nuntium et Collectorem.

In Civitate et diocesi Cracoviensi.

Et primo recepi a domino Iaroslao Archidiacono Cracoviensi pro medietate proventuum dicti Archidiaconatus, quem nuper extitit assecutus, xx. marcas.

Item rec. a dño Petro Zirik Canonico Cracoviensi pro med. fructuum prebende sue, quam nuper extitit assecutus, x. marcas.

Item recepi per manus dicti domini Iaroslai pro medietate fructuum ecclesie de Bresnitia iv. marcas. Item rec. ab eodem pro med. proventuum medietatis ecclesie de Russa, videlicet pro parte Martini Plebani dicte medietatis ecclesie, cuius proventus xii. marcas valuerunt, vi. marcas. Item recepi a domino Waltero Plebano alterius medietatis eiusdem ecclesie pro medietate proventuum ad eum pertinentium iv. marcas cum dimidia. Item rec. per man. eiusdem Archidiaconi pro med. proventuum ecclesie de Gorchow iv. marcas. Item rec. ab eodem Archidiacono pro med. proventuum ecclesie de Lellovia x. marcas. Item rec. per manus eiusdem Archidiaconi pro med. proventuum ecclesie de Novobresko iv. marcas cum dimidia, et iii. scotos cum dimidio. Item rec. per manus eiusdem pro med. proventuum ecclesie de Uneyow vi. marcas cum dimidia. Item rec. per manus eiusdem Archidiaconi pro med. proventuum ecclesie de Cleczize iv. marcas. Item rec. pro med. proventuum ecclesie de Thissiticza a dicto dño Iaroslao ii. marcas.

Die penultima Ianuarii anni domini m.ccc.xxvi. recepi per manus domini Hermanni plebani de Comissa, solventis nomine domini Francisci plebani ecclesie de Opatowicz, pro med. proventuum ecclesie de Opatowicz vi. marcas. Item rec. per manus eiusdem dñi Hermanni, solventis nomine dñi Iacobi plebani ecclesie de Riczecz, pro med. proventuum eiusdem ecclesie vii. marcas grossorum Pragensium.

In Civitate et diocesi Plocensi.

Die ii. mensis Iulii anni dñi m.ccc.xxviii. recepi per manus dñi Nicolai Canonici Plocensis, assignantis nomine Episcopi Plocensis de fructibus, beneficiorum vacantium unius anni in Civitate et diocesi Plocensi vi. marcas et ix. scotos grossorum Pragensium (ad pondus Cracoviense).

In Civitate et diocesi Wladislaviensi.

Primo recepi pro medietate de fructibus ecclesie Tuczina iv. marcas cum dimidia. Item pro med. proventuum ecclesie de Cosczol ii. marcas et ix. scotos. Item de residuis fructuum beneficiorum, que vacaverunt infra trienniun iam dudum elapsum, quorum dominus Gabriel de Fabriano, domini pape Capellanus, collector extitit, recepi per manus domini Bozete decani ecclesie Cracoviensis, assignantis nomine Episcopi Wladislaviensis, xx. marcas grossorum.

Pecunia proventuum ecclesie Wratislaviensis.

Die viii. Octobris anni domini m.ccc.xxvi. apud Wratislaviam recepi per manus domini Pauli Thera, Canonici ecclesie Wratislaviensis, et Martlini Grasefinger ac Nicolai Zirin, Consulum civitatis Wratislaviensis, de summa trecentarum et septuaginta marcarum, percepta per eundem Canonicum de proventibus Episcopatus Wratislaviensis tempore vacationis ipsius, post obitum bone memorie Henrici Episcopi Wratislaviensis, in procuratione seu territorio Legniccnsi, clxxiii. marcas grossorum Pragensium. Residuum recepit dictus Collega (Petrus de Alvernia).

Pecunia proventuum ecclesie Cracoviensis.

Ego predictus Andreas recepi de proventibus Cantorie ecclesie Wisliciensis, arrestatis per me pro Camera domini pape usque ad satisfactionem cl. marcarum perceptarum per dominum Lassotam,

Cantorem eiusdem Wisliciensis ecclesie, tempore exilii bone memorie domini Iohannis Episcopi Cracoviensis de proventibus Episcopatus Cracoviensis in procuratione seu territorio Wisliciensi, XXXIX. marcas et XVII. scotos grossorum Pragensium.

PECUNIA RECEPTA DE REBUS FALSARIORUM.

Et primo de summa XXIV. marcarum grossorum, quas dudum receperat dominus Nankerus Wratislaviensis, tunc Cracoviensis Episcopus, a quibusdam Custoribus (sic) falsariis, recepi per manus dominorum Iacobi, Subcustodis ecclesie Cracoviensis, et Ilici, Thesaurarii eiusdem Episcopi, XI. marcas et XXI. scotos grossorum precisorum. Item de duobis equis eorundem falsariorum per me venditis recepi X. marcas et XVIII. scotos. Item de quibusdam vestibus et rebus ipsorum venditis rec. IV. marcas.

Summa summarum omnium receptorum tam de denario beati Petri, quam decima et aliis suprascriptis diversis, tam in presenti cartulario, quam in parvo precedenti contentis, est XV. marc. VIII. scotorum auri in pulvere ad pondus Cracoviense, CCLXXX. flor. auri, et IIIMDCCCCLXIV. marc. XVI. scot. grossorum Pragensium et XIII. denariorum parvorum cum dimidio.

Preter premissa ego predictus Andreas receperam per manus Nicolai de Zavichost civis Cracoviensis, seu . . . Nuntii Reverendi patris dñi Ianislai Archiepiscopi Gneznensis, assignantis michi pro parte dicti Archiepiscopi, XXXVI. marcas grossorum Boemicalium, quas dominus Petrus de Alvernia deposuerat penes eundem Archiepiscopum apud Kalis Gneznensis diocesis, nobis vel alteri nostrum in Cracovia presentandas.

In nomine Domini Amen.

Secuntur assignationes facte per me predictum Andream de pecuniis supradictis.

Et primo assignavi Camere die primo Octobris anno domini M.CCC.XX.VIII. per manus domini Guillelmi Lemozini, Capellani reverendi patris domini Camerarii, DL. florenos auri.

Item die XVIII. Ianuarii anno M.CCC.XXIX., assignavi ego ipse Andreas XVII. marcas, duas uncias et tres quartas auri fusi ad pondus Avinionense*), ad pondus vero Cracovie XX. marcas cum dimidia, VII. . . . et . . . .

Item die II. Martii eiusdem anni M.CCC.XXIX. per manus Boni Philippi de societate Bardorum duo milia et octingentos flor. auri.

Item die IX. eiusdem mensis Martii eiusdem anni per manus predicti domini Guillelmi Lomozini, Capellani prefati domini Camerarii, CCCCL. flor. auri.

Item die XXIX. Aprilis eiusdem anni per manus Andree Portinarii et Rogerii Gerardini de dicta societate Bardorum, assignantium in Flandria Ricavo de Gorda, duo milia et septingentos flor.

Item die XXVI. Augusti eiusdem anni per manus Nicolai Bindi Ferruccii de predicta societate Bardorum MCXXV. flor.

Item die VII. Novembris eiusdem anni per manus fratris Petri de Ungula, Prioris Tholosani hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, III. marcas et tres uncias cum dimidia auri fusi ad pondus Avinionense, quod fuit venditum pro CC. florenis et uno agnello auri, IV. solidis et IV. denar. Vienn.

Item die XI. Iulii anno M.CCC.XXX. per manus Alexandri de Bardis mille et sexcentos flor.

Item anno domini M.CCC.XXXVI. die secunda mensis Novembris, assignavi reverendo in Christo patri domino Iohanni Episcopo Avinionensi, domini pape Thesaurario, pro complemento receptorum per me suprascriptorum CXIII. flor. auri et VI. grossos Turonenses de argento.

Item assignaveram die X. mensis Novembris anni M.CCC.XXVI. in Wratislavia domino Petro de Alvernia predicto College meo IV. marcas auri in pulvere et quas emi pro LIX. marc. grossorum, et sicut patet per instrumentum publicum et cedulam scriptam manu dicti Petri seu notarii sui. Magister Nicolaus, notarius dicti Magistri Petri, confessus est se scripsisse dictam cedulam et verum esse, quod continetur in ea.

Expense: Item expendi pro ordinatione loci, in quo pecunias reservabam, II. marcas gros.

*) De predictis XVII. marcis, II. unciis et III. quartis auri fusi ad pondus Avinionense receperam XII. marcas et II. uncias eiusdem ponderis in XV. marcis et VIII. scotis auri in pulvere ad pondus Cracovie de pecunia denarii B. Petri, sicut continetur supra in parvo cartulario, quod feci fundi, et sic redactum est ad predictas XII. marcas et II. uncias. Residuas vero V. marcas et I. unciam minus quarta eiusdem ponderis Avinionensis, que restant de predictis XVII. marcis, II. unciis et III. quarteriis, que sunt ad pondus Cracoviense VI. marce et XVII. denarii, emi pro CCCXI. flor. et III. quartis, computando quamlibet marcam Cracovie pro XVII. marcis grossorum, que valent LI. florenos.

Item pro papiro et pergameno, pro regestris et instrumentis ac litteris necessariis pro officio, unam marcam grossorum.

Item pro supplemento DCCC. marcarum parvorum grossorum, quas assignavi mercatoribus solvendas in partibus Flandrie, XXXV. marcas grossorum.

Item pro expensis et pretio diversorum conductorum meorum in illa patria et in via X. marcas grossorum.

Item perdidi in falsis grossis, quos recepcram inter predictas pecunias, II. marcas grossorum.

Item Notario pro salario suo pro parte me contingente XXV. florenos auri.

Item pro expensis nuntii et equi sui, quem misi de Polonia in Flandriam, et demum de Avinione ibidem, pro expeditione solutionum faciendarum per mercatores, quibus illas concesseram in Polonia pro . . . . . diebus (XIV. septimanis) utriusque itineris, computando V. grossos pro quolibet die, et pro quibusdam ministris LXIV. florenos.

Item pro stipendiis meis MCCLXIII. dierum, quibus fui in servitio Camere pro negotiis supradictis, computando pro quolibet die I. florenum cum dimidio iuxta concessionem domini pape contentam in litteris suis, videlicet a II. die mensis Augusti anni M.CCC.XXV. qua exivi Curia, usque ad XVI. diem mensis Ianuarii anni M.CCC.XXIX. qua redii ad Curiam, MDCCCXCIV. flor. cum dimidio.

Collectoria decimae etc. in regno Poloniae An. 1325 — 1327. Nro. 71. fol. 125 — 129.

CCCLXIII.

Nicolao de Lignitz canonico Vratislaviensi confertur canonicatus in ecclesia Varmiensi.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao quondam Theodrici de Legnicz Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Suffragantia tibi merita probitatis, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, rationabiliter nos inducunt, ut ad personam tuam apostolice provisionis dexteram extendamus. Horum igitur consideracione volentes tibi graciam facere specialem, Canonicatum ecclesie Warmiensis, in qua certus Canonicorum numerus et prebendarum distinctio non habentur, cum plenitudine iuris Canonici et omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus, decernentes ex nunc tibi fore de communibus ipsius ecclesie proventibus sicut uni ex aliis ipsius ecclesie Canonicis integre providendum, ac irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis, iuramento, confirmacione apostolica, vel quacumque alia firmitate vallatis, aut si pro aliis, quibus per hoc nullum preiudicium generetur, in dicta ecclesia scripta forsan apostolica sunt directa, seu si Venerabili fratri nostro . . . Episcopo, et dilectis filiis Capitulo Warmiensibus, vel quibusvis aliis comuniter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de Canonicatibus et proventibus huiusmodi eiusdem ecclesie, aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, vel quamcumque aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli ergo etc. nostre collacionis, provisionis et constitucionis etc. Datum Avinione II. Nonas Marcii. Anno Decimo.

In e. m. Venerabili fratri . . . Episcopo Culmensi, et dilectis filiis . . . Abbati Monasterii sancti Vincencii prope Wratislaviam, ac Magistro Iacobo de Mutina Capellano nostro, ut dictum canonicatum eidem Nicolao conferri etc. curent. Ex Reg. orig. An. X. Part. I. ep. 869. fol. 305.

CCCLXIV.

Gregorio de Hehel consideratione regis Poloniae providetur de canonicatu in ecclesia Opoliensi Vratislaviensis dioecesis.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Gregorio Nicolai de Hehel Canonico ecclesie Opoliensis Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Apostolice sedis circumspecta benignitas ad illos nimirum dexte-

ram sue liberalitatis extendit, quibus ad id propria virtutum merita, necnon personarum sublimium precamina suffragantur. Volentes itaque tibi tuarum virtutum obtentu, quibus personam tuam iuvari percepimus, ac consideratione Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Polonie Regis Illustris, pro te clerico et familiari suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, Canonicatum ecclesie Opoliensis Wratislaviensis diocesis cum plenitudine iuris Canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus. Prebendam vero ac dignitatem, vel personatum seu officium cum cura, vel sine cura, sique, vel siqui, aut siqua in dicta ecclesia vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint, quas vel quos, seu que per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illarum vel illorum innotuerit, duxeris acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas vel conferendos, seu conferenda tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes ... Episcopo Wratislaviensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis Capitulo predicte ecclesie, seu illi vel illis, ad quem, vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum ac dignitatum, vel personatuum seu officiorum collatio, provisio seu quevis alia dispositio pertinet, communiter vel divisim, ne de illis interim etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel idem procurator illas, vel illos seu illa nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus etc. Datum Avinione III. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

In e. m. Michaeli Plebano Plebis de Kasmiramaiori Cracoviensis diocesis, et Petro de Verulis ac Petro dicto Militi Canonicis ecclesie Cracoviensis, ut dictam provisionem exequi curent.

Ex Reg. orig. An. X. Part. II. ep. 1965. fol. 166.

CCCLXV.

Mathiae Brochotae confertur canonicatus in ecclesia S. Michaelis Cracoviensis dioecesis.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Mathie dicto Brochota Canonico ecclesie sancti Michaelis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Ex tue devotionis et probitatis meritis, super quibus apud nos fide dignorum testimonio commendaris, digne provenire conspicimus, ut personam tuam paterna benivolencia prosequentes tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque tibi huiusmodi meritorum tuorum obtentu, nec non et consideratione Carissime in Christo filie nostre Hedvigis regine Polonie Illustris, pro te Capellano suo nobis humiliter super hoc supplicantis, graciam facere specialem Canonicatum ecclesie sancti Michaelis Cracoviensis diocesis cum plenitudine iuris Canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus. Prebendam vero ac personatum, si qui in dicta ecclesia vacant ad presens vel cum vacaverint, quos per te vel procuratorem tuum ad hoc specialiter constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illorum innotuerit, duxeris acceptandos, conferendos tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro ... Episcopo Cracoviensi, et dilectis filiis Capitulo eiusdem ecclesie, seu illi vel illis, ad quem vel ad quos in dicta ecclesia prebendarum ac personatuum collatio vel provisio, seu quevis alia dispositio pertinet, communiter vel divisim, ne de illis interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illos nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus etc. Datum Avinione VI. Nonas Maii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. II. ep. 2140. fol. 236.

CCCLXVI.

Hermanno de Opatow canonicatus in ecclesia Crusviciensi Vladislaviensis dioecesis confertur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Hermanno de Opatow Canonico ecclesie Cruswiciensis Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Probitatis tue merita et virtutum studia, super quibus personam tuam iuvari percepimus, rationabiliter nos inducunt, ut te dono specialis gratie prosequentes tibi reddamur ad gratiam liberales. Horum igitur intuitu, et consideratione carissimi in Christo filii nostri Wladislai Polonie regis illustris, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, volentes tibi gratiam

facere specialem, canonicatum ecclesie Cruswiciensis Wladislaviensis diocesis cum plenitudine iuris canonici etc. ut in proxima superiori usque districtius inhibentes Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Wladislaviensi, et dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie, seu illi vel illis etc. usque illud prestes, aut quod in Opatowiensi decanatum, ac in Wisliciensi ecclesiis Cracoviensis diocesis canonicatum et prebendam nosceris obtinere. Nulli etc. nostre collationis, provisionis, reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione v. Idus Iunii. Anno Decimo

Ex Reg. orig. An. X. Part. II. ep. 1933. fol. 156.

CCCLXVII.

Reginae Poloniae, ut in monasteriis monialium S. Clarae regni sui semel in anno comedere et pernoctare possit.

Iohannes episcopus etc. Carissime in Christo filie Hedwige Polonie Regine Illustri, salutem etc. Eximie devotionis tue sinceritas, per quam tibi apostolice sedis benivolentiam vendicasti, digne mentem nostram excitat et inducit, ut petitiones tuas, quantum cum deo possumus, ad exauditionis graciam admictamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod nos dudum tibi tuisque filiabus per nostras litteras duximus indulgendum, quod monasteria monialium ordinis S. Clare in regno tuo existentia intrare possetis, dummodo non comederetis, nec pernoctaretis ibidem, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus monasteriorum et ordinis predictorum, prout in eisdem litteris plenius dicitur contineri. Nos igitur volentes te favore prosequi ampliori, tuis supplicationibus inclinati, quod cum ad dicta monasteria vel aliquod eorumdem te devotionis seu recreationis causa pervenire contigerit, possis cum duabus matronis, vel saltim unica, infra monasteriorum ipsorum clausuram comedere semel in anno dumtaxat et pernoctare, consuetudinibus ac statutis predictis, et quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, nobilitati tue tenore presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione v. Idus Iunii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Part. II. ep. 1937. fol. 157.

CCCLXVIII.

Nankerus episcopus ab ecclesia Cracoviensi ad Vratislaviensem transfertur, et de more commendatur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter intendat, sic prospiciat diligenter, ut per eius circunspectionem providam et providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et Rector providus deputetur, sicque ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem Wratislaviensi ecclesia per obitum bone memorie Henrici episcopi Wratislaviensis pastoris solutio destituta, due electiones, una videlicet de bone memorie Vito episcopo, tunc Cantore eiusdem Wratislaviensis, reliqua vero de dilecto filio Lutoldo, Scolastico de Glogovia Wratislaviensis diocesis ecclesiarum, fuerunt per formam scrutinii a dilectis filiis Capitulo eiusdem ecclesie Wratislaviensis in discordia celebrate, dictique Lutoldus et Vitus huiusmodi suis electionibus consenserunt. Et licet pro parte dicti Lutoldi et eligentium ipsum ab huiusmodi electione ipsius Viti certis ex causis fuisset ad sedem apostolicam appellatum, dictus tamen Vitus post, et contra appellationem huiusmodi predictam, suam electionem per Venerabilem fratrem nostrum . . . Gneznensem Archiep̃um loci Metropolitanum confirmari, ac deinde sibi munus consecrationis impendi de facto temere procuravit. Huiusmodi siquidem negotio per eandem appellationem ad dictam sedem legitime devoluto, et tam Vito quam Lutoldo predictis pro dicto negotio prosequendo ad prefatam sedem infra tempus debitum personaliter accedentibus, ac eodem negotio coram nobis exposito, nos negotium ipsum bone memorie Berengario Episcopo Tusculano audiendum commisimus et nobis postmodum referendum: coram quo cum fuisset aliquandiu inter partes ipsas in negotio predicto processum, tandem dictus Vitus omni iuri, si quod ei ex electione et confirmatione huiusmodi in prefata Wratislaviensi ecclesia competebat, in nostris manibus sponte cessit. Sed nichilominus dilectis filiis Michaele de Michalonis et Stephano dicto Czolta ecclesie prefate Canonicis, qui dictum Vitum elegerant, ipsorum proprio et procuratorio nomine coelectorum suorum eundem Vitum coeligentium sese predicto Lutoldo

super hoc opponentibus coram dicto episcopo Tusculano, et ad id ab eodem episcopo Tusculano admissis, ac predicto episcopo Tusculano, postquam aliquandiu in causa huiusmodi oppositionis inter Michaelem et Stephanum ex una parte, ac Lutoldum prefatos ex altera coram eo processum fuerat, viam universe carnis ingresso, Nos negotium ipsum bone memorie Raynaldo dicto Ostiensi, et cum in eo coram ipso aliquandiu processum fuisset, ex causa bone memorie Petro tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero cardinali, et eo cognitioni eiusdem negotii commode vacare nequeunte, Venerabili fratri nostro Petro episcopo Penestrino audiendum et examinandum commisimus, et nobis per eum postmodum referendum, coram quo cum fuisset in huiusmodi negotio ad aliquos actus processum, prefatus Lutoldus dictam ecclesiam Wratislaviensem a dispendiis, que ex ulteriori eius vacatione posset incurrere, cupiens preservari, omne ius sibi competens ex electione huiusmodi de se facta sponte et libere in nostris manibus resignavit. Nos igitur precavere volentes, ne ipsa Wratislaviensis ecclesia viduitatis diutine deploraret incommoda in eius, quod exinde posset incurrere, multiplex detrimentum, cum nullus preter nos de ordinatione prefate ecclesie Wratislaviensis se hac vice intromittere possit, pro eo, quod nos diu ante resignationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium per resignationes electorum ipsarum, vel quovis alio modo apud dictam sedem tunc vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, talemque ipsi ecclesie Wratislaviensi affectantes preesse pontificem, quem laudabilia sua merita commendarent, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum consideratis tuarum multiplicibus virtutum meritis, nobis et eisdem fratribus non innotis, quibus personam tuam dominus illustravit, ad te tunc ep̃um Cracoviensem convertimus aciem nostre mentis. Intendentes igitur tam gregi dominico, quam predicte Wratislaviensi ecclesie salubriter ac utiliter providere, ac sperantes, quod tu, qui Cracoviensi ecclesie laudabiliter prefuisti, eandem Wratislaviensem ecclesiam, divina propiciante clementia, feliciter gubernabis, te a vinculo, quo eidem Cracoviensi ecclesie, cui preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis absolvimus, ac te, licet absentem, ad predictam Wratislaviensem ecclesiam transferimus, teque ipsi Wratislaviensi ecclesie preficimus in episcopum et pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tibique liberam tribuendo licentiam ad eandem Wratislaviensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod eadem Wratislaviensis ecclesia per tue provide circumspectionis industriam et providentiam circumspectam defendetur a noxiis, et preservabitur ab adversis, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus, auctore domino, proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad dictam Wratislaviensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, geras solicite curam eius, dictum gregem in ea tue commissum fidei doctrina verbi et operis informando, ita quod prefata Wratislaviensis ecclesia gubernatori provido, ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque laudabili de grege ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum Patris eterni electis suis a mundi origine preparatum accipere merearis, et gregem eundem ad uberis meriti fructum et retributionis maioris cumulum introducas. Datum Avinione Kalendis Octobris. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Wratislaviensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Wratislaviensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie et Archiepiscopo Gneznensi, mutatis mutandis etc.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1363. fol. 145.

CCCLXIX.

Ioannes Grotonis ecclesiae Cracoviensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Grotonis electo Cracoviensi, salutem etc. Summi dispositione rectoris ad regimen universalis ecclesie quamquam immeriti deputati, curis assiduis angimur et successivis insultibus propulsamur, ut prebeamus operam, quantum nobis ex alto conceditur, efficacem, quod orbis ecclesie universe statu prospero floreant et accrescant: quod tunc recte perficitur, cum ecclesiis ipsis suorum pastorum gubernatione carentibus persone preficiantur ydonee, virisque talibus earundem ecclesiarum regimina committantur, qui sciant et possint easdem ecclesias eis commissas circumspecte regere, prudenter dirigere, ac feliciter gubernare. Sane nuper ecclesia Cracoviensi vacante, pro eo, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Nankerum Wratislaviensem, tunc Cra-

coviensem episcopum, licet absentem, a vinculo, quo eidem ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur astrictus, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Wratislaviensem tunc pastore carentem duximus transferendum, eumque illi prefecimus in episcopum et pastorem: Nos attendentes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie Cracoviensis se hac vice intromittere potest, pro eo, quod nos diu ante huiusmodi vacationem dicte Cracoviensis ecclesie provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc vacancium, et vacaturarum in antea per translationes de prelatis earum ubilibet constitutis per nos factas, et imposterum faciendas ad alias ecclesias tunc vacantes et imposterum vacaturas, dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo prefate Cracoviensi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, que ipsam in suis bonis et iuribus manutenere posset, ac etiam defensare, cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem, quam cum eisdem fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te Canonicum ipsius ecclesie Cracoviensis, in Sacerdotio constitutum, cui vite mundicia, morum elegancia, litterarum scientia, circumspectionis industria, et alia grandium virtutum merita, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, laudabiliter suffragantur, intuitum direximus uostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persoua tua, licet absente, eidem ecclesie Cracoviensi de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma in domino concepta fiducia, quod eius omnipotencia tibi assistente propicia, predicta Cracoviensis ecclesia sub studiosi regiminis tui cura votiva honoris et commodi suscipiet incrementa. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus, quam suave, et in ipsius virtute pascendum suscipe gregem suum tue fidei creditum, tueque custodie deputatum, proficiendo inibi tibi per vite meritum et aliis per exemplum, et in eiusdem ecclesie Cracoviensis ampliandis honoribus et profectibus procurandis te redendo solicitum et fidelem, ita quod ipsa Cracoviensis ecclesia sponso utili ac fructuoso administratori per evidenciam et efficaciam tuorum laudabilium operum gaudeat se comissam, tuque proinde post vite presentis exilium, velut fidelis servus et prudens, digna de villicatione tua in districto examine reddita ratione, felicitatis eterne bravium merearis percipere cum electis. Datum Avinione Kal. Octob. Anno XI.

In e. m. Capitulo ecclesie Cracoviensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Cracoviensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie et Archiepiscopo Gneznensi, mutatis mutandis etc.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I. ep. 815. fol. 322.

CCCLXX.

Wladislao regi Poloniae idem Ioannes Grotonis commendatur.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Ad fovendum in caritatis visceribus ecclesiarum Prelatos, ac eos precipue, qui dignitate pontificali preeminent, eo te fiducialius nostris precibus invitamus, quo in bonorum executione operum celsitudinis regalis affectum extimamus magis promptum et facilem invenire, maxime cum apud deum, cuius Prelati huiusmodi obsequiis deputantur, tibi retributiouis eterne premium, et apud homines exinde preconium provenient ample laudis. Sane nuper etc. ut supra usque incrementa. Quia igitur, fili carissime, virtutis opus fore dinoscitur ecclesias et personas ecclesiasticas, prescrtim dignitate poutificali preditas, benigno favore prosequi, ac eas verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, Serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quod eosdem electum et commissam sibi Cracoviensem ecclesiam sic habeas pro nostra et ipsius sedis reverencia in eorum oportunitatibus propensius commendatos, quod dictus electus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit, deo propicio assidue prosperari, ac tibi exinde a retributore bonorum omnium perhenuis vite premium rependatur, et a nobis digna proveniat actio graciarum. Datum Avinione Kal. Octobris. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I. ep. 815. fol. 223.

CCCLXXI.

Nuntiis apostolicis in Polonia, ut contra quaestores quosdam decimarum, qui falsis litteris apostolicis abutebantur, procedant.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Andree de Verulis Wratislaviensis et Petro de Alvernia Noviomensis Canonicis ecclesiarum, nostris et apostolice sedis nuutiis, salutem etc. Graves admodum

et turbatione vehementi non vacui uuper auribus nostris insonuerunt rumores, quod in Alemannie et Polonie partibus nonnulli consistunt maledictionis alumpui, qui in tantam mentis insaniam sunt demersi, quod se questores et fratres militie sancti Lazari Ierosolimitani, licet falso, palam et publice asserentes, quibusdam falsis litteris, sub uostro et quorundam aliorum Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum nominibus nequiter fabricatis, in eorum questibus et sermonibus, etiam sub testimonio litterarum autenticarum quorundam prelatorum illarum partium, asserentium inter alia in eisdem, quod ipse false littere vere existunt et omni suspitione carentes, abuti temere non verentur, quarum tam falsarum, quam eorundem Prelatorum litterarum pretextu huiusmodi scelerati homines sub ovina pelle lupum gestantes rapacem, predicationes suas coram populo faciunt, in quibus non absque gravis et periculose temeritatis excessu in deceptione multiplici animarum simplicium, ut ab eis pecunias et alia bona per questus et sermones huismodi diabolica machinatione subripiant, asserere moliuutur, quod per privilegia ipsis et eorum hospitali ab apostolica sede indulta omnes illi de omnibus votis et penitentiis eis iniunctis seu pretermissis, Terre Sancte et castitatis votis exceptis, necnon de ablatis et male acquisitis, si eorum, quorum fuerint, haberi nequeat certitudo, et de omnibus in testamentis indistincte ad pios usus relictis, et que relinquentur imposterum, sunt plenarie absoluti, qui de bonis a deo sibi collatis eisdem questoribus seu fratribus, prout cum ipsis composuerunt de predictis, caritativa aliqua largientur. Nos igitur tante tamque dampnabilis temeritatis audaciam, per quam utique, nisi celeriter occurratur, non leviter ecclesie clavium auctoritati detrahitur, nolentes, sicut etiam nec debemus, pertransire conniventibus oculis incorrectam, tenores quarundam litterarum falsarum, nobis de partibus ipsis transmissos, vidimus et inspeximus diligenter, et quia per eorum inspectionem manifeste cognovimus, quod littere ipse, si seriem dictorum tenorum habeant, false sunt, et in omnibus et per omnia manifestam in se continent falsitatem. Nos cupientes, quod tante nequitie patratores penis debitis percellantur, discretioni vestre presentium tenore committimus et mandamus, quatinus vos vel alter vestrum in decretis vobis partibus et provinciis una cum ordinario loci, in quo questores huiusmodi reperti fuerint, per vos, vel per alium seu alios, omni qua convenit adhibita solertia et cautela, omnes questores huiusmodi et alios quoscumque, de quibus expedire videritis, ad vestram propter hoc presentiam evocantes, omnes litteras, quas secum habuerint vel alibi forsan deposuerint, vobis faciatis per eos, vel per illos, penes quos deposite forsitan fuerint, integraliter exhiberi, et si per diligentem examinationem de predictis originalibus litteris cum dictis tenoribus, quorum copiam vobis sub bulla nostra remittimus interclusam, per vos habendam ipsas originales litteras, vel aliquam seu aliquas ex eisdem tales vobis esse constiterit, quales sunt ipsi tenores, litteras ipsas pronuntietis et declaretis auctoritate nostra penitus esse falsas, eosdem questores, necnon fabricatores et quoscunque alios abusores earundem litterarum, ac alios conscios et participes huiusmodi tam detestabilis falsitatis capi caute nichilominus facientes, et deinde tam contra eos, quam contra quoscunque alios fabricatores et abusores dictarum litterarum, ac conscios et participes falsitatis eiusdem super premissis inquiratis diligenter veritatem, qua recepta, omnes illos, quos super premissis culpabiles inveneritis, iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentii pape III. predecessoris nostri contra falsarios editam, et alios, prout iustum fuerit, deum habentes pre oculis, appellatione postposita, puniatis, Invocato ad hec omnia, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis et ordinibus, ac nominibus propriis mentionem. Datum Avinione Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I.. ep. 2 fol. 1.

CCCLXXII.

Nankero eṗo Vratislaviensi, ut ad ecclesiam suam Vratislaviensem se conferat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Electo Wratislaviensi, salutem etc. Vacante nuper ecclesia Wratislaviensi, nos eidem volentes de Pastore ydoneo, ne vacationis deploraret amplius incomoda, providere, ac ad te, tunc Episcopum Cracoviensem, dirigentes intuitum mentis nostre, te a vinculo, quo eidem Cracoviensi ecclesie tenebaris astrictus, de fratrum nostrorum consilio et apo-

stolice potestatis plenitudine absolventes, te ad eandem Wratislaviensem ecclesiam de eorundem fratrum consilio duximus transferendum, illi preficiendo in Episcopum et pastorem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad ipsius ecclesie Wratislaviensis administrationem salubrem sic tue solicitudinis studia dirigas et convertas, quod auxiliante tibi divina gratia, sub tuo fructuoso regimine in spiritualibus et temporalibus valeat prosperari, tuque preter mercedis eterne premium nostram et apostolice sedis graciam valeas uberius promereri. Datum Avinione II. Non. Octobris. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Secret. ep. 1027. fol. 68.

CCCLXXIII.

Electo Cracoviensi, ut suos canonicatus in Gnesnensi, Cracoviensi et Posnaniensi ecclesiis viris idoneis conferre possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Cracoviensi, salutem etc. Personam tuam ob tuorum exigentiam meritorum prerogativa specialis benivolentie prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te valeas aliis reddere gratiosum. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus et prebende Gneznensis, Cracoviensis et Poznaniensis ecclesiarum, quos in ipsis ecclesiis tempore promotionis per nos de te facte ad ecclesiam Cracoviensem predictam obtinebas, sicut adhuc obtinere dinosceris, per promotionem huiusmodi et munus consecrationis tibi impendendum vacare sperentur in brevi, de quibus nullus preter nos disponere potest, pro eo, quod nos diu ante promotionem huiusmodi omnes canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica per promotionem quorumcumque prelatorum huiusmodi per nos promotorum, et promovendorum in posterum, et susceptionem muneris consecrationis ubicunque impendendi eisdem tunc vacantia, et in antea vacatura, collationi et provisioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes premissorum meritorum tuorum intuitu tuam honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis gratiam impertiri, Discretioni tue conferendi hac vice auctoritate nostra predictos canonicatus et prebendas, cum ipsos per consecrationem huiusmodi ubicumque vacare contigerit, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis personis ydoneis, etiam plura beneficia obtinentibus, ac inducendi easdem personas, vel procuratores eorum ipsarum nomine per te, vel alium seu alios in corporalem possessionem canonicatuum, prebendarum, iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductas, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac faciendi personas easdem vel dictos procuratores pro eis ad huiusmodi prebendas in eisdem ecclesiis in canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in Capitulo cum plenitudine iuris canonici assignatis, eisque de ipsorum canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores quoque auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis, iuramento, confirmatione sedis apostolice, seu quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eisdem ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in eisdem ecclesiis speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatas personas in assecutione dictorum canonicatuum et prebendarum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum canonicatuum, prebendarum et beneficiorum preiudicium generari, seu si Venerabilibus fratribus nostris ... Archiepiscopo Gneznensi, et ... Poznaniensi ac ... Cracoviensi, qui sunt pro tempore, Episcopis, et Dilectis filiis Capitulis dictarum ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsarum ecclesiarum, aliisque beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem seu quamcunque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si dicte persone presentes

non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absentia earum per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud prestent, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari. Datum Avinione II. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1403. fol. 159.

CCCLXXIV.

Eidem indulgetur, ut a quocunque antistite catholico munus consecrationis recipere possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Cracoviensi, salutem etc. Pridem Cracoviensi ecclesie tunc vacanti de persona tua, licet absente, nobis utique et fratribus nostris tuorum exigentia meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo te eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos itaque volentes te et eandem ecclesiam ab expensarum oneribus, que si pro recipiendo tue consecrationis munere ad apostolicam sedem haberes accedere, te oporteret de necessitate subire, paterna solicitudine preservare, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris catholico antistite, gratiam et communionem apostolice sedis habente, accersitis sibi et in hoc assistentibus duobus vel tribus Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, huiusmodi munus recipere valeas, ac eidem antistiti, ut auctoritate nostra munus predictum impendere tibi possit, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem, quod idem antistes, postquam tibi munus impenderit supradictum, a te nostro et ecclesie Romane nomine iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum, ac formam huiusmodi iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque propter hoc Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Gneznensi, cui eadem ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione Nonis Februarii. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I. ep. 816. fol. 323.

CCCLXXV.

Eidem, ut Brachosio de Swentinc contra violentias quorumdam rusticorum faciat iustitiam.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius Brachosius de Swentinc laicus tue diocesis, quod ipse olim a quibusdam rusticis non liberis dicti loci de Swentinc, servis ecclesie Sandomeriensis dicte tue diocesis, per violenciam captus extitit, ipsumque invitum dicti servi calumpniose sub servitutis iugo eiusdem ecclesie posuerunt, quodque postmodum Tartari et Sarraceni illarum partium terram illam totam, dictamque tuam diocesim per eorum potentiam devastantes, predictum Brachosium et eius uxorem ac quamplures alios capientes et secum abducentes captivos, detinuerunt ipsos per triennium captivatos, tandem sicut domino placuit, per fuge subsidium de manibus hostium libere absque redemptione aliqua evadentes, contulerunt se ad dictam villam de Swentinc, redacti in pristina servitute ibique dicti Brachosius et uxor Gregorium et Iohannem eorum filios procrearunt, et cum in dictis villa et partibus sit consuetudo ab hactenus approbata, quod si servus a gentibus captus absque redemptione aliqua manus ipsorum evaserit, ipso facto beneficio gaudeat libertatis, et propter hoc idem Brachosius, suffragante etiam sibi consuetudine prelibata, pro libero se teneret, licet ut prius per violentiam et metum obsequeretur ut servus, quia tamen aliqui et specialiter eiusdem ecclesie Canonici prebendati dictos filios ipsius Brachosii habere cupiunt et nituntur in servos, nobis humiliter idem Brachosius supplicavit, ut providere sibi super hiis, ac ipsum eiusque filios supradictos, et aliam eius prolem postea genitam pronunciare et declarare liberos et liberam misericorditer dignaremur. Nos itaque de premissis notitiam non habentes, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in domino specialem, presentium tenore committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, facias super predictis auctoritate nostra iustitie complementum summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, ac quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se

gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avinione x. Kal. Marcii. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I. ep. 923. fol. 362.

CCCLXXVI.

Archiepiscopo Gnesneusi, ne Stephanum episcopum Lubucensem per vicinos episcopos molestari permittat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Sua nobis Venerabilis frater noster Stephanus episcopus Lubucensis petitione monstravit, quod sedes episcopalis Lubucensis in partibus minoris Galathe, que Ruscia nuncupatur, in loco videlicet dicto Flandemiria (sic), ab antiquo extitit situata, et adhuc ibidem patent plura episcoporum sepulchra, ac episcopus Lubucensis, qui fuit pro tempore, a clericis et laicis catholicis partium predictarum proprius eorum episcopus recognitus extitit, et adhuc recognoscitur episcopus prelibatus, idemque Stephanus, dum noviter ad sedem apostolicam de mandato nostro se personaliter contulit, in eisdem partibus existebat, et diutius antea extiterat, inibi speciale exercens officium, ecclesias edificando, altaria consecrando, clericos ordinando, pueros baptizando et confirmando, sacerdotes perpetuos in ecclesiis instituendo, et fructum animarum multiplicem faciendo. Cum autem eumdem episcopum, qui fuit pro tempore, se propter multimodam scismaticorum rabiem ab eadem Flademiria et locis circumvicinis sepius oportuerit exulare, et ob hoc aliqui vicini episcopi et ultra fines diocesium eorumdem in clericis et laicis catholicis incolis earumdem parcium circa finem dicte Ruscie, prefato Lubucensi episcopo ab antiquo subiectis, spiritualem iurisdictionem sibi fecerint usurpare, et usurpent, ac huiusmodi pretextu prefatum Lubucensem episcopum contra iusticiam impediverint et impediant, quominus in eosdem sibi subiectos spiritualem iurisdictionem valeat exercere: dictus Stephanus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Quia vero nobis non constitit de premissis, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocandis, qui fuerint evocandi, de finibus parcium et diocesium predictarum de plano sine strepitu et figura iudicii te informans, si tibi constiterit ita esse, eidem Lubucensi episcopo efficacis presidio defensionis assistens, non permittas ipsum in predictis a talibus impediri, nec etiam molestari, impeditores et molestatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus de duabus in concilio generali et felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri de una dietis, et de aliquo extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis casibus in eis expressis, ad iudicium non vocando, et quibuslibet aliis constitutionibus in contrarium editis, dummodo aliquis extra suam civitatem et diocesim ultra duas dietas auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione Kal. Marcii. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1177. fol. 72.

CCCLXXVII.

Regi Poloniae, ut episcopum Lubucensem in recuperandis et defendendis bonis et iuribus ecclesiae suae adiuvet.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. In amore virtutum et illarum operibus, presertim circa ecclesias earumque ministros, favorabiliter exercendis decet celsitudinem Regiam haberi continuo studiosam, maxime cum ex hoc eis procul dubio et benedictionis divine premium et laudis humane preconium acquiratur. Sane venerabilis frater noster Stephanus episcopus Lubucensis nobis significare curavit, quod nonnulli Nobiles milites et laici regni tui et partium vicinarum nonnulla bona mobilia et immobilia, ac iura et iurisdictiones ad episcopalem mensam et ecclesiam Lubucensem pertinentia temere invaserunt et occuparunt, ac invasa et occupata detinent, non curantes ea restituere episcopo et ecclesie prelibatis, in eorumdem episcopi et ecclesie grave preiudicium et gravamen. Cum igitur eidem episcopo in recuperandis bonis eiusdem ac suis et ecclesie predicte iuribus defendendis favor regius sit plurimum oportunus, Celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eumdem episcopum habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatum, sic te sibi reddas in premissis favorabilem et in cunctis suis oportunitatibus gratiosum, quod ipse tue celsitudinis fultus auxilio valeat bona et iura recuperare predicta,

seque et dictam ecclesiam a similibus invasionibus et occupationibus imposterum protegere et tueri, ac tibi exinde a deo perennis vite retributio et a nobis digna proveniat actio graciarum. Datum Avinione Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

In c. m. Dilecto filio Henrico Duci Wratislaviensi.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1175. fol. 71.

CCCLXXVIII.

Iudicibus, ut in quem locum meliorem sedes episcopalis Lubucensis transferri poterit, se informent et referant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Episcopo, ac dilectis filiis Capitulo Lubucensibus, salutem etc. Non sine mentis turbatione, te, frater episcope, significante, percepimus, quod universi incole et habitatores ville Frankenvordensis Lubucensis diocesis perditionis filii, tui, episcope, et ecclesie Lubucensis capitales persecutores et hostes, abolim nonnulla bona prefate ecclesie occupare et invadere, et occupata et invasa detinere presumpserunt propria temeritate, et presumunt, quodque noviter prefati incole, associatis sibi nonnullis aliis perditionis filiis partium vicinarum, ad prefatam Lubucensem ecclesiam ausu nephario accedentes, eamdem ecclesiam eiusque edificia omnia totumque locum, ubi erat predicta ecclesia situata, funditus diruerunt, ut nullus deinceps inibi moraretur, sicque tu, frater episcope, et prefata ecclesia a solo proprio profugi compellimini exulare. Cum autem, sicut asseritur, in predicta diocesi preter prefatam villam Frankenvordensem, cuius incole, ut prefertur, sunt tui, episcope, et prefate ecclesie capitales persecutores et hostes, et fuerunt etiam ab antiquo, non sit aliquis locus aptus et tutus, ad quem predicta ecclesia et episcopalis sedes Lubucensis tute veleat transferri, et in eo commode situari, quin predictorum hostium aliorumque predonum continuo incursui et dissipationi paterent, tu, predicte episcope, humiliter supplicasti tibi et eidem ecclesie super hoc per apostolice sedis providenciam de oportuno remedio subveniri. Nos itaque cupientes tibi, frater episcope, et eidem ecclesie de eo in hac parte remedio providere, per quod securitati et paci tui et statui eiusdem ecclesie salubriter consulatur, discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus utrum in prefata diocesi locus aliquis valeat inveniri, ad quem ecclesia et episcopalis sedes predicte valeant transferri, et inibi tute locari, et de qualitate dampni et incommodi huiusmodi et de restauratione propter hoc diocesani loci eiusdem facienda et de aliis circumstanciis, que fuerint super hiis attendende, vos diligentius informantes, de hiis omnibus et singulis nos per vestras litteras studeatis reddere certiores, ut plene super hiis per vestram informationem instructi, que circa hoc facienda fuerint, securius agere valeamus. Datum Avinione Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1178. fol. 72.

CCCLXXIX.

Stephano episcopo Lubucensi denuo confirmato licentia ad suam ecclesiam redeundi datur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo Lubucensi, salutem etc. Dudum ecclesia Lubucensi per obitum bone memorie Frederici Episcopi Lubucensis pastoris solatio destituta, duas electiones in ea, unam videlicet de te, tunc Decano eiusdem in sacerdotio constituto, et alteram de quondam Nicolao Cantore sancte Crucis Wratislaviensis ecclesiarum, a Dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie Lubucensis contigit celebrari, ac huiusmodi electionis negotio ad examen Dilectorum filiorum Capituli ecclesie Gneznensis loci Metropolitane tunc vacantis deducto, iidem Capitulum huiusmodi electione ipsius Nicolai cassata, dictam electionem de te factam auctoritate metropolitica confirmarunt, tibique fecerunt munus consecrationis impendi. Deinde vero huiusmodi electionis, confirmationis et consecrationis omniumque aliorum exinde secutorum negotio ex parte dicti Nicolai exposito coram nobis, nos in dicto negotio nonnullos sancte Romane ecclesie Cardinales successive deputavimus auditores, et demum, postquam coram eis super hoc diucius extitit litigatum, nos tam ad instanciam quondam Conradi Scolastici et quondam Tamonis de Watzeurode Canonici eiusdem ecclesie Lubucensis, quam ex officio nostro te, necnon Andream Gneznensis, Petrum Poznaniensis Decanos et Philippum Archidiaconum eiusdem Poznaniensis ecclesiarum, qui huiusmodi electionem tuam dicebantur tamquam Vicarii eiusdem Gneznensis Capituli confirmasse, per nostras litteras in illis partibus peremptorie citari fecimus, ut tu et ipsi curaretis conspectui apostolico vos personaliter presentare, facturi et recepturi super pre-

dictis, quod ordo exigeret rationis. Te itaque ac eisdem aliis citatis ex una parte, ac prefato Tamone, cum iam dictus Scolasticus de curia recessisset, coram bone memorie Berengario Episcopo Tusculano deputato a nobis in hac parte auditore in iudicio comparentibus, cum super hiis coram eo processum aliquandiu extitisset, demum dicto Episcopo Tusculano sublato de medio, nos ad instanciam tuam et dictorum citatorum causam eandem Dilecto filio Bertrando sancte Marie in Aquiro Diacono Cardinali in statu, in quo remanserat coram Episcopo antedicto, resumendam et audiendam commisimus, ac nobis postmodum referendam: qui quidem Bertrandus postquam nobis super premissis omnibus relationem fecit plenariam et fidelem. Tu vero deinde non propter persone tue vicium, sed ne dictam ecclesiam Lubucensem litigiosis involverent anfractibus, et tam proinde quam propter ulteriorem eius vacationem incurreret detrimenta, omni iuri tibi competenti ex dicta electione tua et confirmatione huiusmodi de te facta in nostris cessisti manibus tua sponte. Nos igitur huiusmodi cessione recepta precavere volentes, ne predicta ecclesia Lubucensis prolixioris vacationis dispendio subiaceret, post deliberationem, quam de preficiendo illi personam utilem cum fratribus nostris habuimus diligentem, nos ad personam tuam, claris virtutum titulis insignitam, nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictentes, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam Lubucensem ecclesiam tue cure commissam cum nostre benedictionis gracia te personaliter conferre procures, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite habiturus, ut utilis administrationis industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolentie graciam et favorem exinde plenius consequaris. Datum Avinione x. Kal. Aprilis. Anno XI.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1271. fol. 110.

CCCLXXX.

Praelatis Poloniae fratres ord. Praedicatorum in eodem regno haereticae pravitatis inquisitores commendantur.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi et eius Suffraganeis, ac . . . Episcopo Caminensi, ac Universis aliis ecclesiarum prelatis in Regno Polonie constitutis, salutem etc. Pre cunctis nostre mentis desiderabilibus catholice incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos vel sentimus ad illius depressionem qualicunque malignitate satagere, vel dampnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, ac commentis eandem mordacibus pervertendo, ad quorum iniqua consternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem pernitiosius eos agnoscimus conspirare. Cum igitur, sicut accepimus, in regno Polonie hostes crucis de remotis partibus Alamannie et Boemie, et circumpositis regionibus frequenter et latenter invadant simplices et catholicos dicti regni, eosque inficere, et a veritatis limine deviare fallacium argumentationum impulsibus moliantur: Nos volentes contra talium dolosam astuciam, ne diffusius in regno predicto huiusmodi serpat morbus, oportunum remedium per sedis apostolice diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negotium fidei iugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius invalescat, dilecto filio . . . Priori Provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Polonia aliquos de fratribus dicti ordinis sue provintie ydoneos, in lege domini eruditos, quorum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis, et doctrinam fundant erudita labia salutarem, ad huiusmodi opus dominicum exequendum auctoritate apostolica deputandi per partes ipsius regni, et alias partes sibi per ordinem suum limitatas, ipsosque amovendi, eisque amotis vel de hac luce subtractis alios similiter ydoneos instituendi, quotiens sibi visum fuerit, plenam et liberam concessimus per nostras litteras facultatem. Qui quidem fratres cum per ipsum Priorem ad hoc deputati seu instituti fuerint, ut prefertur, iuxta et secundum instituta canonica super hiis promulgata, auctoritate predicta, clero et populo convocatis, generalem predicationem in dicto regno, ubi et quotiens expedire viderint, facientes, Inquisitionis officium contra labem heretice pravitatis diligenter et solicite, prout deus eis dederit, exequantur, contra hereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum iuxta et secundum eadem statuta auctoritate prefata nichilominus processuri, et si aliqui, heretica labe penitus abiurata, ad ecclesie redire voluerint unitatem, ipsis iuxta formam ecclesie ac secundum prefata statuta beneficium absolutionis impendant, et iniungant eis, quod talibus est secundum statuta huiusmodi in-

iungendum. Ideoque Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus eosdem Inquisitores pro reverencia divina et apostolice sedis ac nostra benigne recipientes et honeste tractantes, eis in hiis et aliis consilium, auxilium et favorem taliter impendatis, quod ipsi commissum sibi officium exequi valeant inoffense, et nos sinceritatis vestre zelum possimus in domino merito commendare. Datum Avinione Kalendis Aprilis. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I. ep. 25. fol. 6.

CCCLXXXI.

Wladislao regi Poloniae, ut haereticos ex regno suo amoveat et fratres ord. Praedicatorum commendatos habeat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Quantum honoris et laudis deo et universali ecclesie, quantumque unitatis et exultationis Christianitati provenerit de multis innumerisque solicitudinibus et laboribus indefessis, quos tu ad expiandas de regno tuo abhominationes heretice pravitatis dudum exhibuisti, ac incessanter exhibere dinosceris, tua magnifica opera, prout fide dignorum testimonio percepimus, manifestant: tu namque veluti victoriosus pugil eiusdem ecclesie, ac fidei christiane zelator eximius ad hoc semper tua vota feliciter direxisti, ut exterminares inimicos crucis, et tam fidei quam fidelium terminos dilatares. Cum igitur, sicut accepimus, in regno tuo Polonie hostes crucis de remotis partibus Alamannie et Boemie, et circumpositis regionibus frequenter et latenter invadant simplices et catholicos dicti regni, eosque inficere et a veritatis limine deviare, fallacium argumentationum impulsibus moliantur: Nos volentes contra talium dolosam astutiam, ne diffusius in regno predicto huiusmodi serpat morbus, oportunum remedium per sedis apostolice diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negotium fidei iugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius invalescat, dilecto filio ... Priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Polonia aliquos de fratribus sui ordinis sue provincie ydoneos, in lege domini eruditos, quorum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis, et doctrinam fundant erudita labia salutarem, ad huiusmodi opus dominicum exequendum auctoritate apostolica deputandi per partes ipsius regni, sibi per ordinem suum limitatas, ipsosque amovendi, eisque amotis vel de hac luce subtractis, alios similiter ydoneos instituendi, quotiens sibi visum fuerit, plenam et liberam concessimus per nostras litteras facultatem. Qui quidem fratres, cum per eundem Priorem ad hoc deputati seu instituti fuerint, ut prefertur, iuxta et secundum instituta canonica super hiis promulgata autoritate predicta Clero et populo convocatis, generalem predicationem in dicto regno, ubi et quotiens expedire viderint, facientes, inquisitionis officium contra labem heretice pravitatis diligenter et solicite, prout deus eis dederit, exequantur, contra hereticos, credentes, fautores, defensores et receptatores eorum iuxta et secundum statuta eadem auctoritate prefata nichilominus processuri, et si aliqui, heretica labe penitus abiurata, ad ecclesie redire voluerint unitatem, iuxta formam ipsius ecclesie ac secundum prefata statuta beneficium absolutionis impendant, et iniungant eis, quod talibus est secundum statuta huiusmodi iniungendum. Ideoque magnificentiam Regiam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus eosdem Inquisitores pro reverentia divina et apostolice sedis ac nostra benigne recipias, et honeste pertractes, eis in hiis et aliis consilium, auxilium et favorem taliter impendendo, quod ipsi commissum sibi officium exequi valeant inoffense, et nos sinceritatis tue zelum possimus in domino merito commendare, tuque exinde perhenne bonum, quod suis fidelibus divina clementia pollicetur, ad divini nominis laudem, anime tue salutem, dictique regni exaltationem consequi merearis. Datum Avinione Kalendis Aprilis. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. I. ep. 26. fol. 6.

CCCLXXXII.

Ep̄o Vratislaviensi, ut cum Boleslao duce Opoliensi et Elisabetha nata ducis Silesiae de matrimonio inito in gradu prohibito dispenset.

Ioannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Vratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis nobilis viri Boleslai ducis Opoliensis, et nobilis mulieris Elizabeth nate quondam Bernardi ducis Slesie ac domini de Furstenbert tue diocesis peticio continebat, quod olim ipsi ad pacificandum et sedandum graves inimicitias inter ipsum Boleslaum et eundem Bernardum, dum viveret, procurante hoste humani generis, suscitatas de Carissimi in Christo filii nostri Wladislai regis Polonie Illustris ac quo-

rundam ordinatione et consilio, licet dicti Boleslaus et Elizabeth tertio et quarto consanguinitatis gradibus invicem se contingant, pro bono statu terrarum illarum parcium, et communi utilitate solidationis regni Polonie matrimonium publice, consanguinitatis huiusmodi non ignari, de facto insimul contraxerunt, carnali inter eos postmodum copula subsecuta, propter quod excommunicationis sentenciam in contrahentes taliter per constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi generaliter promulgatam incurrisse noscuutur. Quare prefati Boleslaus et Elizabeth nobis humiliter supplicarunt, ut cum ex eorum separatione, si fieret, inter utriusque ipsorum consanguineos et amicos possent gravia scandala et pericula suboriri, providere ipsis de absolutionis ac oportune dispensatiouis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christi fidelibus quietis et pacis commoda procuramus, predictorum Boleslai et Elisabeth animarum saluti consulere, ac predictis scandalis et periculis obviare salubriter intendentes, gerentes quoque de tue circumspectionis industria in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, ipsorum Boleslai et Elisabeth supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, prefatos Boleslaum et Elizabeth a predicta excommunicationis sentencia iuxta ecclesie formam absolvas, iniuncto eis, quod de iure fuerit iniungendum, et uichilominus cum eis, quod premissis nequaquam obstantibus possint in huiusmodi matrimonio licite remauere, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nunciando. Datum Avinione x. Kalendas Iunii. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. II. ep. 1720. fol. 285.

CCCLXXXIII.

Wladislao regi Poloniae, ut ducem Russiae a schismate graeco ad ecclesiae unitatem reducat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Fame gloria crescis et merito, fili Carissime, multipliciter profuturus tibi et aliis apud deum, si ad incrementum fidei catholice niteris, ad quod tanquam princeps catholicus piis considerationibus innitaris. Cum itaque, sicut exaltatione pergrandi uuper audivimus, nobilis vir Roleslaus dux Rusie, pronepos tuus, qui ex ritus imitatione grecorum ab universalis sancte Romane matris ecclesie unione dividitur, spiritum, domino aspirante, conceperit ad unitatem ipsius ecclesie redeundi, nec bene conveniat, ut ex tue, quod absit, degeneratione prosapie arbor discrepet a radice: rogamus excellentiam Regiam, quantum affectuose possumus, et hortamur, te nichilominus in remissionem peccaminum obsecrantes, quatinus prefatum ducem, cui super hoc per alias nostras litteras scribimus, quod relicto huiusmodi ritu erroneo, redeat seu veniat in sue salutis premium ad ipsius ecclesie unitatem, paternis et salubribus inducere monitis non ommittas. Datum Avinione xvi. Kal. Iulii. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Secret. ep. 918. fol. 52.

CCCLXXXIV.

Roleslaus duci Russiae, ut ad fidem catholicam sese convertat.

Iohannes episcopus etc.... Duci Rusie, Spiritum consilii sanioris. Ineffabili exultatione cordis audito, quod sic iam spiritum tuum spiritus sanctus lumine sue revelationis accendit, quod a grecorum ritu scismatico, qui ab universali saucta Romana matre ecclesia dampnabiliter prohdolor te divisit ab hactenus, ad ipsius ecclesie veuire desideras unitatem: rogamus nobilitatem tuam, hortamur et in virtute altissimi obsecramus attente, quatinus ut erroris pristiui tenebras effusi noviter luminis illustratione cognoscas, et in veritatis lucem salubriter dirigas, duce domino, pedes tuos, accensum taliter spiritum penitudine animi vel sinistra occasione aliqua non extingas. Datum Avinione xvi. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Secret. ep. 919. fol. 52.

CCCLXXXV.

Exsecutoribus, ut quemdam intrusum in monasterio S. Mariae in Arena apud Vratislaviam amoveant, et abbatem et monachos expulsos eo reducant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Wratislaviensi, et dilectis filiis Magistro Petro de Alvernia Noviomensis et Andree de Verulis Wratislaviensis ecclesiarum Canonicis, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius Conradus Peryser, Canonicus mo-

nasterii sancte Marie in Arena apud Wratislaviam ordinis sancti Augustini, quod ipse in dicto monasterio, in quo dudum in Canonicum fuit receptus, professionem eiusdem ordinis fecit expresse, et in ipso decem et octo annos regulariter extitit conversatus, et quod dudum ante sex annos preteritos quidam Canonici eiusdem monasterii, maligno spiritu ducti, contra dilectum filium Henricum Abbatem dicti monasterii rebellibus animis insurgentes, manibus in eum violenter iniectis, ausu sacrilego ipsum carceri manciparunt, eumque ad resignandam Abbatiam dicti monasterii per exquisita tormenta nequiter coegerunt invitum, eumque possessione abbatie dicti monasterii spoliarunt, cui dictus Conradus ut filius spirituali patri compaciens, eundem abbatem de ipsorum capiencium carcere liberavit, quem dicti Canonici una cum quodam alio Canonico eiusdem monasterii, eiusdem Conradi socio, in carcere posuerunt: et licet pro parte eiusdem abbatis per eosdem sacrilegos possessione dicti monasterii, ut predicitur, spoliati fuisset ab huiusmodi gravaminibus ad sedem apostolicam appellatum, iidem tamen sacrilegi Michaelem Canonicum ipsius monasterii, eorum complicem in premissis, in abbatiam dicti monasterii dampnabiliter intruserunt, dictusque intrusus pro abbate se gerens, eundem Conradum per quinque annos gravissime persequens, et ad viliora ipsius monasterii loca transmittens, nullis suis demeritis exigentibus, sed ob id dumtaxat, quod dictum abbatem de dictorum sacrilegorum carcere liberavit, gravibus sibi iniuriis irrogatis afflixit, vocem sibi in Capitulo et stallum in choro ipsius monasterii auferendo, sibique ultimum locum post omnes ipsius monasterii presbiteros assignando, ipsumque contra consuetudinem dicti ordinis cogendo ad prestandum sibi corporaliter iuramentum, quod ei obedienciam exhiberet: quodque dictus intrusus ad alia mala extendens illicite manus suas, bona dicti monasterii dilapidat nequiter et consumit, alienationem dictorum bonorum ipsius monasterii mobilium et immobilium dampnabiliter faciendo, probosque fratres ipsius monasterii destruendo, propter que dilectus filius Iohannes de Chmelao, Canonicus et Cantor dicti monasterii, pro statu dictorum monasterii atque fratrum ad sedem apostolicam appellavit, cui appellationi dictus Conradus et sex Canonici eiusdem monasterii presbiteri adheserunt, que dictus intrusus presentiens timensque, ne eius excessus eidem sedi per dictum Conradum et dictum eius Concanonicum panderentur, ipsos eiecit de monasterio prelibato, reliquorum vero, qui appellacioni adheserunt predicte, tres incarceravit, et duos per quosdam laicos in ecclesia dicti monasterii usque ad effusionem sanguinis fecit enormiter verberari, in contemptum sedis eiusdem et dictorum appellantium preiudicium et gravamen. Quare prefatus Conradus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse paupertate gravatus et alias iusto impedimento detentus appellationem huiusmodi per prefatum Iohannem Cantorem ad dictam sedem, ut premittitur, interiectam non fuerit infra tempus debitum prosecutus, ac causa principalis, videlicet super spoliatione Henrici et intrusione Michelis predictorum, ex speciali commissione nostra in Romana Curia agitetur, ne medio tempore idem Conradus una cum aliis prefatis Canonicis sibi adherentibus in sue religionis opprobrium, et proprie salutis dispendium per seculum evagetur, sibi et aliis collegiis exulantibus de monasterio prelibato paterno compacientes affectu, eum a iuramento predicto, et ab excommunicacionis sentencia occasione premissorum per eum scienter vel ignoranter contracta absolvere, et super irregularitate, si quam sic ligatus divina celebrando officia vel se ingerendo eisdem contraxisset, dispensare misericorditer curaremus, eundem Conradum et alios Canonicos eius per dictum intrusum expulsos de monasterio memorato reponi, et reduci in dictum monasterium et restitui in statum pristinum faceremus, eo non obstante, quod idem Iohannes et adherentes eidem paupertate gravati, et alias iusto impedimento detenti appellacionem huiusmodi ad eandem sedem emissam non fuerint infra tempus debitum prosecuti. Quia igitur de premissis notitiam non habemus, discretioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de premissis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii vos curetis plenius informari, et si inveneritis ita esse, dicto lapsu temporis non obstante, dictum Michaelem intrusum a regimine dicti monasterii amoventes, eundem Henricum, ut premittitur, spoliatum in possessione abbatie seu regiminis dicti monasterii reducatis et defendatis inductum, eundem Conradum ab excommunicacionis sentencia, si quam premissorum occasione incurrerit, iuxta formam ecclesie absolventes, et secum supra irregularitate predicta misericorditer dispensantes, ipsum nichilominus et alios Concanonicos expulsos seu deiectos de eodem monasterio per intrusum prefatum auctoritate nostra restituentes in statum pristinum, et in dictum monasterium reducentes, facientes eisdem de communibus ipsius monasterii proventibus, sicut aliis eiusdem monasterii Canonicis, provideri, eidem Conrado facientes nichilominus, prout iustum fuerit, expen-

sas necessarias pro huiusmodi prosecutione negocii ministrari. Ceterum prefatum Michaelem intrusum et alios Canonicos dicti Monasterii adherentes eidem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut dictus Michael personaliter, dicti vero adherentes per procuratorem sufficienter instructum, cum omnibus actis, iuribus et munimentis eorum infra trium mensium spacium post citacionem vestram huiusmodi apostolico se conspectui representent, facturi super hiis et recepturi, quod iusticia suadebit: diem vero citacionis huiusmodi et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater Epe, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Avinione III. Kal. Augusti. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. III. ep. 2650. fol. 245.

CCCLXXXVI.

Iordanus ecclesiae Varmiensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iordano Electo Warmiensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio sollicitudine pulsamur assidua, ut ecclesias omnes, quarum cura nobis est summi pastoris dispositione commissa, spiritualibus commodis augeamus, et eis presertim, que pastorum sunt regimine destitute, per debite provisionis ministerium consulamus. Dudum siquidem ecclesia Warmiensi per obitum bone memorie Ebirhardi Episcopi Warmiensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, te ipsius ecclesie Prepositum in sacerdotio constitutum per viam compromissi in eorum Epum concorditer elegerunt, et tam tu post consensum huiusmodi electioni de te facte, illius tibi presentato decreto, ad ipsorum Capituli instantiam a te legitime prestitum, quam Capitulum supradicti per certos procuratores et nuncios ydoneos eorumdem, a dilecto filio . . . Vicario generali Venerabilis fratris nostri Frederici Archiepiscopi Rigensis eiusdem ecclesie Metropolitani, tunc et nunc apud sedem apostolicam constituti, et etiam a dilectis filiis Capitulo ecclesie Regiensis infra tempus debitum electionem de te, ut premittitur, celebratam petiistis auctoritate metropolitica confirmari, et ab eisdem Capitulo Rigensi, quod ipsi protestatem confirmandi electionem huiusmodi non habebant, nec credebant esse aliquem in provincia Rigensi, qui huiusmodi potestatem haberet, sed eam sibi dumtaxat dictus Archiepiscopus reserverat, ac etiam ab eodem Vicario, quod virtute commissionis sui Vicariatus per dictum Archiepiscopum sibi facte confirmare electionem huiusmodi non valebat: responsione recepta, tu et procuratores ac nuncii supradicti propter hoc ad sedem eandem personaliter accessistis, et exposito nobis huiusmodi electionis negotio, confirmari electionem eamdem a nobis suppliciter postulastis, nosque Archiepiscopo predicto licentiam dedimus, ut apud dictam sedem, de modo electionis iam dicte, eligentium studiis, tueque persone meritis inquisita diligentius veritate, electionem eandem auctoritate metropolitica confirmare vel infirmare valeret, prout ordo exposceret rationis. Et licet idem Archiepiscopus post diligentem examinationem super hoc habitam, prout ipse in nostra constitutus presentia fideliter retulit, electionem eandem invenisset de te persona ydonea alias canonice celebratam, eam tamen nisi prius proposito in dicta ecclesia Warmiensi iuxta morem proclamationis edicto, nequibat iuxta iuris exigentiam confirmare: tu vero considerans, quod dicta Warmiensis ecclesia tam ex vacatione longeva, quam etiam ex propositione predicti edicti in eadem Warmiensi ecclesia facienda propter nimiam loci distantiam verisimiliter pati poterat detrimenta, et volens eam a detrimentis huiusmodi preservare, omni iuri, quod tibi ex electione huiusmodi quomodolibet competebat, pure ac libere in manibus dilecti filii nostri Neapoleonis sancti Adriani Diaconi Cardinalis tua sponte cessisti, idemque Cardinalis de mandato nostro facto sibi oraculo vive vocis huiusmodi cessionem admisit. Nos itaque de provisione celeri ipsius ecclesie Warmiensis solicite cogitantes, cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius ecclesie Warmiensis se intromittere posset, pro eo, quod nos diu ante cessionem huiusmodi omnes ecclesias Cathedrales tunc vacantes, et vacaturas inantea per cessiones quorumlibet Electorum ad eas de mandato nostro receptas, et recipiendas imposterum apud sedem eandem vacare volentes, provisiones earum dispositioni et ordinationi nostre specialiter duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et considerantes, quod eadem Warmiensis ecclesia per te virum utique, prout fidedignorum habet assertio, vite laudabilis et morum honestate decorum, literarum scientia insignitum, in spiritualibus providum et tempo-

ralibus circumspectum poterit, divina favente gratia, salubriter gubernari, ad te, in quem dictorum Capituli vota tam concorditer, ut premittitur, concurrerunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Warmiensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Warmiensis ecclesie tibi in spititualibus et temporalibus plenarie committendo. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione supportans, super credito tibi grege taliter invigilare procures, extirpando vicia et plantando virtutes, quod in extremo dictricti examinis die coram tremendo iudice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Avinione II. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

In e. m. Capitulo et Vassallis ecclesie Warmiensis, Clero et populo civitatis et diocesis Warmiensis, Archiepiscopo Rigensi, verbis competenter mutatis etc.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. III. ep. 2648. fol. 244.

CCCLXXXVII.

Iordano episcopo Varmiensi munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam redeundi datur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iordano Episcopo Warmiensi, salutem etc. Pridem Warmiensi ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam, claris virtutum titulis insignitam, mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Archiepiscopum Toletanum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam Warmiensem cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et sollicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione II. Kal. Septembris. Anno XI.

Ex reg. orig. An. XI. Part. III. ep. 2649. fol. 245.

CCCLXXXVIII.

Arbitrium seu compositio facta inter episcopos Vladislaviensem et Plocensem super dioecesium limitibus confirmatur.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ea, que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata consistere, et ne in recidive questionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Sane petitio Venerabilis fratris nostri Mathie Episcopi Wladislaviensis nobis exhibita continebat, quod dudum inter bone memorie Gerwardum Episcopum Wladislaviensem, predecessorem suum, ex una parte, et Venerabilem fratrem nostrum Florianum Episcopum Plocensem super limitibus diocesium utriusque ipsorum, et super decimis quarumdam villarum iuxta limites ipsos consistencium ex altera questionis materia suscitata, tandem Episcopus Plocensis et predecessor predicti ad evitandum anfractus litium, et ut inter ipsos fraterna concordia perpetuo remaneret, in Venerabiles fratres nostros Ianislaum Archiepiscopum Gneznensem et Domaratum Ep̄um Poznaniensem tanquam in arbitros, arbitratores et amicabiles compositores, laudatores et diffinitores super omnibus litibus, questionibus et controversiis, que super hiis inter eos vertebantur, et verti sperabantur, de consensu et voluntate dilectorum filiorum Wladislaviensis et Plocensis ecclesiarum Capitulorum unanimiter et concorditer compromittere curaverunt, promittentes sub certis penis, quod ipsi et quilibet eorum et successores ipsorum Gerwardi predecessoris et episcopi Plocensis, qui pro tempore forent, firma, rata et grata perpetuo haberent, tenerent et inviolabiliter observarent omnia et singula, que super hiis prefati Archiepiscopus et episcopus Poznaniensis arbitrarentur, componerent, laudarent, et eciam diffinirent, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur: dictique archiepiscopus et ep̄us huiusmodi compromisso recepto, et auditis, visis et plenius intellectis iuribus, probacionibus et allegacionibus partium predictarum, ipsisque plene discussis, ac inter eos et cum peritis deliberacione prehabita diligenti, super limitibus et decimis ipsis certum laudum, et pronunciacionem seu sentenciam, ordinacionem et diffinicionem inter dictos Wladislaviensem et Plocensem episcopos perpetuo duratura, prefatis Plocensi episcopo et predecessore presentibus, ac huiusmodi laudum, pro-

nunciacionem et sentenciam, ordinacionem et diffinicionem acceptantibus, et rata ac grata habentibus, finaliter protulerunt, prout in patentibus litteris inde publica manu perfectis, ac ipsorum archiepiscopi et Poznaniensis episcopi sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare predictus Mathias Wladislaviensis episcopus nobis humiliter supplicavit, ut laudum, pronunciacionem seu sentenciam, ordinacionem et diffinicionem huiusmodi apostolico fulcire presidio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, laudum, pronunciacionem seu sentenciam, ordinacionem et diffinicionem huiusmodi rata et grata habentes, ipsa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes nichilominus omnem defectum, si quis forsan in eis quomodolibet habitus extitit, de apostolice plenitudine potestatis. Tenor autem dictarum litterarum talis est. In nomine domini Amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo vicesimo primo, Tercio nonas Septembris in Rava Gnezdnensis diocesis, in ecclesia parrochiali, in presencia mei notarii infrascripti, et testium subscriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum, Reverendi ac venerabiles patres domini Ianislaus sancte Gnezdnensis ecclesie Archiepiscopus, et Domarathus Poznaniensis Episcopus, arbitri et amicabiles compositores per venerabiles patres et dños Gervardum Wladislaviensis, et Florianum Plocensis ecclesiarum Episcopos suo et ecclesiarum suarum nomine assumpti communiter et electi, in causis subscriptis protulerunt in scriptis sentenciam in hec verba. In nomine domini Amen. Nos Ianislaus divina et apostolice sedis providencia sancte Gnezdnensis ecclesie Archiepiscopus et Domarathus dei gracia Poznaniensis Episcopus, arbitri, arbitratores, amicabiles compositores, laudatores et diffinitores per venerabiles fratres nostros dominos Gervardum Wladislaviensis, et Florianum Plocensis ecclesiarum Episcopos communiter electi et assumpti suo et ecclesiarum eorum nomine, de consensu et voluntate Capitulorum ecclesiarum ipsorum, in causis, litibus et controversiis, que vertuntur, seu verti sperantur inter ipsos super limitibus diocesium ecclesiarum ipsorum, qui sunt trans Vislam versus terram Dobrinensem, et super decimis villarum iacentium in vicino iuxta eosdem limites, quarum villarum nomina sunt hec: Hospitale sive ecclesia sancti Gothardi ordinis fratrum Cisterciensium, Sansyti, Culyno, Curpirszyti, Zarzetzewiti, Ceslyno, Bogutzino, Pabyianonici, Lustowo, Popowo, Lochocyno, Ostrovicho, Radomity, Vithosyno, Rachcyno, Bachcyno Iacobi, item Nasegnew, Storzyno, Scorzyno Potrasii, Chelmnicza, Trustino Vithowo, Curowo, Glusicy, Zadusnicy, Croniczyno, Chinelyno, Crampa, Olesno, Malesewo, Brezno, Patane et Bobrovniki, item Ryvithwy, Podstola et Zamuewo, ac iure Episcopali, quoad legem iurisdictionis et diocesanam in predictis villis et ecclesiis in eis iacentibus, prout in litteris compromissi super hoc confectis plenius continetur, visis, auditis et intellectis probacionibus, rationibus, iuribus et allegacionibus utriusque partis, prehabita nobiscum, et cum peritis et sapientibus deliberatione sufficienti, et omnibus plene discussis, presentibus dictis dominis fratribus nostris, dei nomine invocato, pronunciamus, laudamus, sentenciamus, ordinamus et diffinimus, quod termini villarum iacentium in parrochiis ecclesie seu hospitalis S. Gothardi, et ecclesie de Brobovnyk, ac ecclesie de Przypust, quarum villarum nomina sunt hec: Zarzeczewicze, Crampa, Crowicyno, Lewcze, Olesno, Ostrovice et Radomice, item ville pertinentes ad ecclesiam de Bobrovnyk, Malesewo, Bresno Patane, item ville ad ecclesiam in Pripust pertinentes Ribythwy, Podstola et Zannewo versus terram Dobrinensem sunt et esse debent perpetuis temporibus limites inter dioceses Wladislaviensem et Plocensem; Item pronunciamus, dicimus, sentenciamus et diffiuimus, quod omne ius Episcopale quoad legem iurisdictionis et dyocesanam, et expresse decime in omnibus et singulis villis predictis inter prefatum limitem et fluvium Wislam iacentibus ad prelibatum dominum Epūm Wladislaviensem et suam ecclesiam similiter debeant pertinere: hec dicimus, laudamus et diffinimus, reservata nobis, si opus fuerit et expediens videbitur, nostrum arbitrium, laudum, pronunciacionem ac diffinicionem interpretandi, corrigendi et emendandi plena et omnimoda potestate: que omnia et singula supradicta dicimus et precipimus sub pena in compromisso contenta per utramque partium predictarum debere perpetuo firmiter et inviolabiliter observari. In cuius rei testimonium presentes litteras scribi fecimus, et sigillorum nostrorum appensione muniri. Actum et datum in Rava opido Mazovie Gnezdnensis diocesis, in ecclesia parrochiali, Tercio Nonas Septembris Anno domini M.CCC.XXI. Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Nicolao Gnezdnensi et Mathia Wladislaviensi Decanis, Iohanne magnifici domini Wladislai Regis Polonie Cancellario, Lanciensi Preposito sancti Michaelis ecclesie apud Cracoviam, Alberto Scolastico, Bartholomeo Archidiacono, Magistro Petro Cantore Wladislaviensibus, Scarbimiro Custode Crusviciensi, Gotkymo, Sbylutho Canonicis Wladislaviensibus, Alberto Custode, Magistro Andrea, Gabriele,

Dyrscone ac Nicolao Canonicis Plocensibus, et aliis fidedignis. Et ego Thomas quondam Gregorii de Gnedzna auctoritate, apostolica Notarius publicus predictis omnibus interfui, et de mandato predictorum dominorum Archiepiscopi Gnezdnensis et Episcopi Poznaniensis scripsi, et in publicam hanc formam redegi, et sigilla eorum de mandato ipsorum apposui, et signo meo consueto rogatus signavi. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis et supplecionis infringere etc. Datum Avinione Kalendis Septembris. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Part. III. ep. 2883. fol. 338.

CCCLXXXIX.

Episcopo Vratislaviensi, ut in Vratislaviensi et Cracoviensi ecclesiis duobus viris idoneis canonicatus conferre possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Tuam volentes honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis gratiam impertiri, fraternitati tue conferendi ex nunc auctoritate apostolica duabus personis ydoneis, sive consanguinei sive familiares tui existant, quas ad hoc duxeris eligendas, in tua Wratislaviensi et in Cracoviensi ecclesiis, earum videlicet singulis singulos Canonicatus cum plenitudine iuris Canonici, et providendi eis eciam de eisdem, ac faciendi recipi singulas personas ipsas in dictis ecclesiis in Canonicos et in fratres, stallo eis in choro et loco in Capitulo assignatis, reservandi quoque in predictis ecclesiis singulas prebendas et dignitates vel personatus cum cura vel sine cura, nulli alii de iure debitas vel debitos, dummodo huiusmodi dignitates maiores nequaquam existant post Episcopales dignitates, sique vel siqui in dictis ecclesiis vacabunt tunc, vel quamcito simul vel successive vacaverint, quas vel quos predicte persone per se vel procuratores earum ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam eis vel dictis procuratoribus vacatio illarum seu illorum innotuerit, duxerint acceptandas vel acceptandos, Inhibendi quoque Wratislaviensi, qui est pro tempore, et Venerabili fratri nostro ... Cracoviensi Episcopis, et dilectis filiis Capitulis earumdem ecclesiarum, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eisdem ecclesiis prebendarum et dignitatum seu personatuum collacio, provisio, seu quevis alia disposicio pertinet communiter vel divisim, ne de dictis prebendis et dignitatibus vel personatibus interim et ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod dicte persone vel procuratores earum illas vel illos noluerint acceptare, disponere quoquo modo presumant, ac conferendi per te vel alium seu alios eisdem personis post acceptationem huiusmodi, videlicet earum singulis singulas prebendas et dignitates vel personatus huiusmodi taliter reservatas vel reservatos, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, ac providendi eciam de eisdem, ac inducendi personas easdem vel dictos procuratores ipsarum in dictarum prebendarum et dignitatum vel personatuum, ac iurium et pertinenciarum ipsorum corporalem possessionem, et defendendi inductas, eisque faciendi de ipsorum Canonicatuum, prebendarum et dignitatuum vel personatuum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores eciam auctoritate predicta, appellacione postposita, compescendi, non obstantibus de certo Canonicorum numero, et quibuslibet aliis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis, iuramento, confirmacione apostolica vel alia quacumque firmitate vallatis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dictis ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus vel personatibus in dictis ecclesiis speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales sedis apostolice vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis, seu prebendas et dignitates vel personatus expectantibus in eisdem, dictas personas in assecutione dictarum prebendarum et dignitatum vel personatuum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prebendarum et dignitatum, et beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si eisdem Cracoviensi et Wratislaviensi, qui sunt pro tempore, Episcopis, ac Decanis, Prepositis et Capitulis supradictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede sit indultum, quod ad receptionem et provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus predictis et dignitatibus et personatibus ipsarum ecclesiarum, et aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem et quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis dicte

sedis indulgenciis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mencio specialis, seu si quelibet personarum ipsarum unum, duo, tria vel plura beneficia ecclesiastica obtineant, vel ad ea sint auctoritate apostolica expectantes, aut si eedem persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absencia earum per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud prestent, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Nos insuper decernimus irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Part. II. ep. 136. fol. 53.

CCCXC.

Pontifex bona mensae episcopalis Vratislaviensis alienata revocat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. De statu ecclesiarum omnium paterne solicitudinis studio cogitantes, opem libenter impertimur et operam, ut ea, que in ipsarum ecclesiarum grave redundant dispendium, per nostram solerciam in statum debitum revocentur. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Nankeri Episcopi Wratislaviensis fuit expositum coram nobis, quod multe concessiones et alienaciones per bone memorie Henricum Wratislaviensem Episcopum, ipsius Nankeri predecessorem, facte reperiuntur de bonis ad mensam suam Episcopalem Wratislaviensem spectantibus, eciam cum assensu Capituli Wratislaviensis ecclesie, que in grave dampnum ipsius mense redundare noscuntur. Nos itaque indempnitatibus eiusdem mense volentes paterna diligencia precavere, dicti Nankeri supplicacionibus inclinati, omnes concessiones et alienaciones factas de dictis bonis quomodocumque, et in quascumque personas ecclesiasticas, eciam Canonicos seu Prelatos ipsius ecclesie, vel eciam seculares, dummodo sint contra statuta Canonum attemptata, auctoritate apostolica ex certa sciencia revocamus. Nulli ergo etc. nostre revocacionis infringere etc. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Part. II. Com. ep. 88. fol. 38.

CCCXCI.

Nankero episcopo Vratislaviensi conceditur, ut quamdiu episcopus Vratislaviensis remanebit, inter alios illarum partium episcopos primum in congregationibus locum habeat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, promeretur, ut personam tuam paterna benivolencia prosequentes, peticionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane peticio tua nobis exhibita continebat, quod tu olim Cracoviensis existens Episcopus, antequam per nos ad Wratislaviensem ecclesiam translatus existeres, in congregacionibus et aliis locis obtinere consuevisti inter Episcopos illarum parcium primum locum: quare nobis humiliter supplicasti, ut ad tuam consolacionem, quod eundem locum, quamdiu Wratislaviensis Episcopus remanebis, obtinere valeres, tibi de benignitate apostolica concedere dignaremur. Nos itaque tuis supplicacionibus inclinati, tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut quamdiu Wratislaviensi ecclesie presidebis, illum locum in congregacionibus obtinere valeas inter Episcopos supradictos, quem obtinebas in eisdem congregacionibus, dum predicte Cracoviensi ecclesie presidebas. Per hoc autem tuum cessum vel decessum predicte Cracoviensi ecclesie vel alicui nullum volumus preiudicium generari. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Part. II. ep. 135. fol. 58.

CCCXCII.

Petro dicto Militi canonico Cracoviensi reservatur scholastria eiusdem ecclesiae, si per contractum matrimonium vel resignationem Ioannis nati ducis Ladislai vacaverit.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro dicto Militi Canonico Cracoviensi, salutem etc. Suffragantia tibi dona virtutum, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt,

ut personam tuam paterna benivolencia prosequentes, tibi reddamur in exhibitione gratie liberales. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat, quod dudum pro parte tua nobis exposito, quod dilectus filius Iohannes natus dilecti filii nobilis viri ducis Ladislay, Scolasticus ecclesie Cracoviensis, ad statum se transferre desiderans laycalem, erat tunc in proximo matrimonium contracturus, et propterea Scolastria eiusdem ecclesie vacare sperabatur in brevi: Nos volentes personam tuam huiusmodi tuorum meritorum obtentu, et consideratione Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, in eadem ecclesia, cuius tunc eras et adhuc existis Canonicus, amplius honorare, Scolastriam ipsam conferendam tibi, cum premisso modo, vel per liberam resignationem per dictum Iohannem faciendam de ipsa in partibus illis vacaret, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice per nostras certi tenoris litteras specialiter duximus reservandam, prout in eisdem litteris plenius continetur, certis tibi super hoc per alias nostras litteras executoribus deputatis. Verum quia, sicut postmodum ex tua insinuacione didicimus, tu circa vacacionem dicte Scolastrie per viam fraudolente permutacionis, seu alias intervenire dolum et fraudem, prout iam attemptatum extitit, verisimiliter dubitas, presertim cum idem Iohannes tonsuram clericalem non deferat, sed vitam ducat potius laicalem: Nos volentes dolo et fraudi huiusmodi obviare, ac personam tuam premissorum obtentu gracia prosequi ampliori, tuis supplicationibus inclinati, dictam Scolastriam, cum eam altero premissorum modorum seu per viam permutationis, vel quovis alio modo, preterquam per obitum dicti Iohannis, vacare contigerit, conferendam tibi cum omnibus iuribus et pertinenciis prelibatis donationi apostolice specialiter reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro . . . Episcopo, et dilectis filiis Capitulo Cracoviensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia dignitatum, personatuum et officiorum ac beneficiorum collacio, provisio, seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de Scolastria ipsa per nos taliter reservata disponere contra reservacionem nostram huiusmodi quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis etc. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II. Kalend. Decembris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Part. I. ep. 611. fol. 216.

CCCXCIII.

Exsecutoribus, ut decano Posnaniensi contra quosdam detentores castrorum et bonorum suorum iustitiam faciant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Misnensi et . . . Plocensi ac . . . Wladislaviensi Episcopis, salutem etc. Peticio dilecti filii Petri decani ecclesie Poznaniensis, decretorum doctoris, nobis exhibita continebat, quod ipso de mandato nostro in Romana Curia existente, Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus et Bouguchwalus Canonicus Poznanienses, Henricus de Luterbergh terre Thoronensis, Lutoldus in Thorim commendatores domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum, nobilis vir Boleslaus dux de Brega, Henricus de Wirbna miles, Wysacus quondam Petri Drogoslai laicus, ac de Berlyn et Rathnow castrorum universitates, ac nonnulli alii clerici et laici Culmensis, Wratislaviensis, Lubucensis, Poznaniensis et Brandeburgensis diocesium, castra eiusdem Petri propria, videlicet Bezow, Bithin et Puewo, cum suis iuribus et pertinenciis, villas quoque Stosbowo, Werenizam, nec non molendina, census, redditus et alia sua bona mobilia et immobilia, ecclesiastica et mundana, in eisdem diocesibus consistentia occuparunt et occupata detinent minus iuste: quare dictus decanus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eidem decano super premissis de oportuno remedio providere, ipsius supplicationibus inclinati fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, vocatis, qui fuerint evocandi, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii de premissis vos plenius informantes, si ea inveneritis ita esse, prefatos occupatores et detentores ad restituendum eidem Petro memorata castra et iura ac pertinencias, necnon villas, molendina, census, redditus et alia bona predicta, ut premittitur, occupata cum fructibus medio tempore ex eis perceptis, prout iustum fuerit, compellatis, Non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem seu diocesim, in qui-

bus deputati fuerint, citent partes, aut aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fine suarum diocesium trahere presumant, dummodo ultra duas dietas extra suam civitatem seu dioecesim eorum aliquis auctoritate presencium non trahatur, seu si eisdem occupatoribus seu detentoribus, aut eorum aliquibus seu quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Part. I. ep. 283. fol. 105.

CCCXCIV.

Hedvigi reginae Poloniae de eius filii convalescentia pontifex congaudet.

Iohannes episcopus etc. Hedvigi Regine Polonie, salutem etc. Litteris magnificencie Regie solita benignitate receptis, et seriose perspecta continencia earundem, gaudemus ex ipsa, illud... accessisse nobis ad gaudium, tibi... carissima filia, congaudentes, quod dilectus... nobilis vir Casimirus natus tuus, gra.... dine sanitati pristine fuerit, actore domino, restitutus. Sane cum intercessione vir... gloriose per merita beati Ludovici confes... et id a deo misericorditer extimes eterna et salutari tibi affectione.... super hoc utrisque devotas gracias... s.... illis placide studeas, et inquantum... humana fragilitas ipsas offendere non... Datum Avinione... Decembris. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Secret. ep. 1676. fol. 171.

CCCXCV.

Andreae de Verulis canonico Vratislaviensi, ut ad curiam Romanam veniat.

Iohannes episcopus etc.... Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, apostolicis sedis nuncio, salutem etc.... tibi et... college tuo in partibus... Polonie per nos dudum commissis et... fratres ordinis Cruciferorum attemp... eisdem partibus audivimus, per te, qui super... debes veritatis seriem plenius informa..... ntes, discretioni tue presentium tenore man..... pecuniis per te in eis partibus litterarum nostrarum auctoritate collectis tute depositis et secure Camere... fideliter assignandis, ad nostram te conferre quantocius presenciam cum instructione premissorum plenaria, ut inde nos certiores particulariter et distincte efficere valeas, non postponas. Datum Avinione x. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Secret. ep. 1677. fol. 171.

CCCXCVI.

Praepositura ecclesiae S. Michaelis de castro Cracoviensi mensae episcopali Vladislaviensi unitur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Etsi ex iniuncto nobis apostolatus officio solicitudo ecclesiarum omnium nobis immineat generalis, circa illas tamen diligentius vigilare nos convenit, que dignitate predite pastorali ad suorum sustentationem presulum sufficientes non habent iuxta eorum decenciam facultates. Sane dudum pro parte tua nobis exposito, quod redditus mense tue episcopalis erant adeo tenues et exiles, quod statu tuo Episcopali et aliis oneribus, que in partibus illis pro defensione iurium et bonorum ecclesie tue Wladislaviensis, ac alias pro manutenendo episcopali onere tibi incumbunt, consideratis attente, vix sufficiebant ad illa onera supportanda, ac pro parte tua nobis humiliter supplicato, ut tibi tueque mense Episcopali predicte de benignitate apostolica providentes, Preposituram ecclesie sancti Michaelis de castro Cracoviensi ad tuam presentationem spectantem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis unire, annectere et incorporare perpetuo pro dictis oneribus facilius supportandis eidem mense de speciali gracia dignaremur: Nos de premissis volentes habere notitiam pleniorem, dilectis filiis Petro de Alvernia Turonensis et Andree de Verulis Wratislaviensis ecclesiarum Canonicis, nostris in regno Polonie nunciis, dedimus nostris litteris in mandatis, ut de conditionibus Prepositure predicte eiusque redditibus, an dicta unio, annexio et incorporatio valeat fieri absque gravi dicte Prepositure iactura, aliisque circumstanciis universis se diligentius informare, et quecumque super hiis invenirent, fideliter in scriptis redacta nobis per suas lit-

teras earundem litterarum nostrarum seriem continentes quantocius fideliter referre, ac intimare studerent, ut eorum super hiis relatione et informatione instructi, quicquid in hac parte fieri expediret, consultius et utilius videremus. Cum autem ex relatione dictorum nunciorum nostrorum, qui de premissis iuxta mandatum nostrum huiusmodi se diligentius informarunt, fideliter nobis facta, compertum existat, quod prefata Prepositura ad presentationem Episcopi Wladislaviensis, qui est pro tempore, pertinet, et quod dicta unio, annexio seu incorporatio fieri potest absque gravi dicte Prepositure iactura: nos volentes tuis et mense predicte necessitatibus benignius providere, dictam Preposituram cum omnibus iuribus et pertinenciis suis mense tue episcopali usque ad apostolice sedis beneplacitum incorporamus, annectimus et unimus, ita quod cedente vel decedente Preposito eiusdem ecclesie sancti Michaelis, qui nunc est, liceat tibi, vel Wladislaviensi Episcopo, qui tunc erit, possessionem eiusdem Prepositure auctoritate propria per vos, vel per alium seu alios apprehendere, et etiam retinere, diocesani loci et cuiuslibet alterius licencia seu assensu minime requisitis, fructusque, redditus et proventus dicte Prepositure recipere in usus proprios, ac utilitatem earundem mense et Prepositure usque ad dictum beneplacitum convertendos, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie sancti Michaelis contrariis, iuramento, confirmatione apostolica, seu quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, personatibus vel officiis in eadem sancti Michaelis ecclesia speciales, vel de beneficis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus habitos per easdem ad eandem Preposituram volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem dignitatum, personatuum vel officiorum, aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu quibuslibet privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso, quod dicta Prepositura, debitis interim obsequiis non fraudetur. Nos insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli etc. nostre incorporationis, annexionis, unionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione II. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

In e. m.... Archiepiscopo Gneznensi, Decano Gneznensis ac Archidiacono Wratislaviensis ecclesiarum, ut praedictas litteras exequantur. (Eaedem litterae anno sequenti denuo confimatae sunt sub Dat. Avinione XVI. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.)

Ex Reg. orig. An. XII. Part. III. ep. 2651. fol. 246.

CCCXCVII.

Petro de Alvernia mandatur, ut in absentia socii sui mandata apostolica exsequatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum nos dilecto filio Magistro Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, Scriptori nostro, in partibus Regni Poloniensis college tuo per nostras pridem dederimus litteras in mandatis, ut ad nostram curet presenciam absque cunctatione qualibet se conferre, discretioni tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, (ut) omnia et singula negocia tibi et prefato Magistro Andree simul, aut eidem solum per quascunque litteras nostras in partibus supradictis commissa, tam incepta quam etiam inchoanda per te solum prosequi, expedire et complere valeas, ac si tibi soli dicte fuissent littere destinate, plenam concedimus auctoritate presencium facultatem. Datum Avinione Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Decimotercio.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 481. fol. 110.

CCCXCVIII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut episcopo Vratislaviensi contra duces Silesiae et cives Vratislavienses praesto sit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Molesta deo et nobis infesta Venerabilis fratris nostri Nankeri Wratislaviensis Episcopi querela perstrepuit, quod nobilis vir Henricus dux et Cives Wratislavienses in reprobum sensum dati, postquam suam Wratislaviensem ecclesiam suorum effractione murorum, et eorum, quos de familia Episcopi predicti ibi occi-

derant, madentem sanguine ausu sacrilego violarunt, cedes intulerunt reliquis familiaribus suis et vulnera, postquam insuper quasdam ecclesie predicte Canonicos violenter de ipsorum domibus in exilium profugarunt, ac rerum ipsius Episcopi rapinas et invasiones hostiles dampnabiliter commiserunt, concitati maioris nequicie spiritu ipsum Episcopum, ac dilectum filium Magistrum Petrum de Alvernia, nostrum et apostolice sedis nuncium, sibi tunc temporis assistentem, multifarie multisque modis occidere sunt conati. Premissis quoque illud non minus adicitur exorrendum, quod prefatus dux et nobilis vir Bolco dux de Munstirberg, ac nonnulli alii parcium vicinarum non timentes deum, nec suos a tantis dicti Episcopi persecutionibus impios oculos avertentes, sua et eiusdem ecclesie bona, iura et redditus intra fines eorum dominii posita usurpant illicite, iniuste diripiunt, et execrabiliter destruunt incendii vastitate in divine magestatis contemptum, nostrum et sedis eiusdem ac dicti Episcopi et ipsius ecclesie nimis grave dispendium, iniuriam valde magnam ordinis clericalis, opprobrium et derogationem ecclesiastice libertatis. Quia vero prefatus Episcopus commode exercere nequit, ut expedit, contra tantos talesque maleficos et persecutores spiritualis sue iurisdictionis officium, eorumque proterviam perhorrescens, nostrum in hac parte ac sedis predicte presidium suppliciter imploravit: Nos attendentes, quod potestas spiritualis officii ex imminentibus maxime iustis causis et casibus est mutuis hinc inde presidiis fulcienda, fraternitatem tuam rogamus, requirimus et hortamur attente, tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus memorato Episcopo seu ministris eiusdem circa recuperationem et manutentionem ac defensionem bonorum, iurium atque redditiuum suorum et ecclesie sue predicte, ac exercicium propterea spiritualis iurisdictionis eiusdem contra maleficos et persecutores prefatos, ipsorum remota formidine, ad requisitionem suam pro nostra et sedis predicte reverencia assistas auxiliis, consiliis et favoribus oportunis, ita quod sic tua idem Episcopus in hac parte assistencia gaudeat, quod preter divine retributionis premium fraternitatem tuam dignis propterea valeamus in domino laudibus commendare. Datum Avinione Kal. Octobris. Anno Terciodecimo.

In e. m. . . . Ep̄o Olomucensi. **Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 483. fol. 110.**

CCCXCIX.

Nankero episcopo Vratislaviensi super eodem argumento respondetur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Fraternitatis tue litteris solita benignitate receptis, compacientes tibi, frater, quam plurimum super hiis, que infestis molestisque relatibus ipsarum nobis series explicavit: ecce super illis, quas petiisti, litteras mittimus oportunas. Tu itaque illi te de illatis persecutionibus et iniuriis recommendans, qui constantem virum et iustum in tribulationibus experitur, pro hiis, que tibi et ecclesie tue ad favorem expedire putaveris, ad nos recurrere fiducialiter non omittas. Datum Avinione Kalendis Octobris. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 521. fol. 120.

CD.

Petro de Alvernia, ut episcopum Vratislaviensem a ducibus Silesiae oppressum benigne in exactione decimae tractet.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Dura nimis et molesta non minus Venerabilis fratris nostri Nankeri Wratislaviensis Episcopi querela perstrepuit, quod nobilis vir Henricus dux et cives Wratislavienses in reprobum sensum dati, postquam suam Wratislaviensem ecclesiam suorum efractione murorum, et eorum, quos de familia Episcopi predicti ibidem occiderant, madentem sanguine ausu sacrilego violarunt, cedes intulerunt reliquis familiarihus suis et vulnera, postquam insuper quosdam ecclesie predicte Canonicos violenter de ipsorum domibus in exilium profugarunt, ac rerum ipsius Episcopi rapinas et invasiones hostiles dampnabiliter commiserunt, concitati maioris nequicie spiritu ipsum Episcopum ac te, sicut predictus Episcopus asserit, sibi tunc temporis assistentem, multifarie multisque modis occidere sunt conati. Premissis quoque illud non minus adicitur exorrendum, quod prefatus dux et nobilis vir Bolco dux Munstirberg, ac nonnulli alii parcium vicinarum, non timentes deum, nec suos a tantis dicti Episcopi persecutionibus impios oculos avertentes, sua et eiusdem ecclesie bona, iura et redditus intra fines eorum dominii posita usurpant illicite, iniuste diripiunt, et execrabiliter destruunt incendii vastitate in magestatis divine contemptum, nostrum et sedis eiusdem ac dicti Episcopi et ipsius ecclesie nimis grave dispendium, iniuriam valde magnam ordinis clericalis, opprobrium et derogationem ecclesiastice

libertatis. Quia igitur ipsi Episcopo et ecclesie sue iam dicte pie mentis affectibus in tanta persecutione compatimur, ipsos propterea reputantes benivola supportatione condignos, discretioni tuc per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsum in exactione decime, ad quam Camere nostre tenetur, super cuius exactione pergravi ad apostolicam sedem se asserit appellasse, tractes humanius, donec huiusmodi persecutione durante talitcr fuerit pertraetandus. Datum Avinione Kal. Octobris. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 480. fol. 110.

CDI.

Regi Poloniae, ut episcopum Vratislaviensem contra duces Silesiae et cives Vratislavienses protegat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Meditantes, fili carissime, quod tu regali solio presidens, et recognoscens a domino, quam in terris regnandi obtines potestatem, super omnia deum timeas, colas pure iusticiam, et ecclesias ac ministros ipsarum tanquam devotus et pius in reverencia pariter habeas et honore, confidenter in hiis te ad illa requirimus, que divinis grata sint oculis, et tibi, auctore domino, premium glorie conferant et salutis. Sane Venerabilis fratris nostri Nankeri Wratislaviensis Episcopi molesta deo et valde nobis infesta querela perstrepuit, quod nobilis vir Henricus Dux et Cives Wratislavienses in reprobum sensum dati, postquam eandem ecclesiam suorum effractione murorum, et eorum, quos de familia Episcopi predicti ibi occiderant, madentem sanguine, ausu sacrilego violarunt, cedes intulerunt reliquis familiaribus suis et vulnera, postquam insuper quosdam ecclesie predicte Canonicos violenter de ipsorum domibus in exilium profugarunt, ac rerum ipsius Ep̃i rapinas et invasiones hostiles dampnabiliter commiserunt, concitati maioris nequicie spiritu ipsum Episcopum ac dilectum filium Magistrum Petrum de Alvernia, nostrum et apostolice sedis nuncium, sibi tunc temporis assistentem, multifarie multisque modis occidere sunt conati. Premissis quoque illud non minus adicitur exhorrendum, quod prefatus Dux et nobilis vir Bolco Dux de Munstirberg, ac nonnulli alii parcium vicinarum non timentes deum, nec suos a tantis dicti Episcopi persecutionibus impios oculos avertentes, sua et eiusdem ecclesie bona, iura, redditus intra fines eorum dominii posita usurpant illicite, iniuste diripiunt, et execrabiliter destruunt incendii vastitate in magestatis divine contemptum, nostrum et sedis eiusdem ac dicti Episcopi et ipsius ecclesie nimis grave dispendium, iniuriam valde magnam ordinis clericalis, opprobrium et derogacionem ecclesiastice libertatis. Quia vero prefatus Episcopus commode exercere nequit, ut expedit, contra tantos talesque maleficos et persecutores infestos spiritualis sue iurisdictionis officium, protervam eorum potenciam perhorrescens, nostrum in hac parte ac sedis predicte presidium suppliciter imploravit. Nos attendentes, quod potestas spiritualis officii ex imminentibus maxime iustis causis et casibus fulciri debet presidio temporali, excellenciam regiam rogamus, requirimus et hortamur, ac nichilominus in remissionem peccaminum obsecramus attente, quatenus memorato Episcopo seu ministris eiusdem circa recuperationem et manutentionem ac defensionem bonorum, iurium atque redditiuum suorum et ecclesie sue predicte, ac exercicium sue propterea spiritualis iurisdictionis eiusdem contra maleficos et persecutores prefatos ipsorum, remota formidine, ad requisitionem suam pro nostra et predicte sedis reverencia impendas sibi auxilium brachii secularis, aliasque regalis vigore presidii assistas auxiliis, consiliis et favoribus oportunis, ita quod sic tua idem Episcopus in hac parte assistencia gaudeat, quod preter divine retributionis premium devotionem regiam dignis propterea valeamus in domino laudibus commendare. Datum Avinione Kalendis Octobris. Anno Decimotercio.

In e. m. Iohanni Regi Boemie et Carolo Regi Ungarie. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 520. fol. 120.

CDII.

Cum Sbygneo diacono Cracoviensis dioecesis dispensatur, quod non promotus ad presbyteratum quasdam ecclesias tenuerit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Sbygneo de Cyricz diacono Cracoviensis diocesis, salutem etc. Matris ecclesie benignitas merita personarum diligenter attendens, se illis libenter propiciam exhibet et benignam, pro quibus laudabilium virtutum donis adiutis apud eam sublimium personarum devota precamina interpellant. Exhibite siquidem nobis pro parte tua petitionis series continebat, quod tu olim infra etatem legitimam et in minoribus tantum ordinibus constitutus (parrochialem ecclesiam) in Costeletz, quam ad subdiaconatus et diaconatus ordines dumtaxat statutis temporibus a iure promo-

tus annis pluribus tenuisti, et demum ea dimissa in Comissa parrochiales ecclesias dicte diocesis, quam per aliquos annos eciam tenuisti ad sacerdocium non promotus, fructus percipiens ex eisdem, et tandem eadem ecclesia in Comissa dimissa, Prepositurarn sine cura in Cracoviensi, ac in ipsa et Wladislaviensi ecclesiis Canonicatus et prebendas, quos per annos aliquot tenuisti similiter, sicut adhuc tenes et possides pacifice et quiete, percipiendo fructus ex eis, fuisti alias tamen canonice assecutus, super hiis dispensatione aliqua non obtenta: quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere statui tuo super hiis misericorditer dignaremur. Nos igitur probitatis et aliarum laudabilium virtutum merita, super quibus apud nos fide digno testimonio commendaris, diligencius attendentes, ac volentes tecum propter ea, nec non et consideratione carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, qui pro te familiari suo super hoc nobis cum instaucia supplicavit, agere gratiose, tecum super premissis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Volumus autem, quod Prepositurarn et Cauonicatus ac prebendas predictos ex nuuc realiter omnino dimittas. Nulli ergo etc. nostre dispensatiouis etc. Datum Avinione III. Idus Octobris. Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. IV. ep. 3366. fol. 207.

CDIII.

Exsecutoribus, ut eidem Sbygneo canonicatum et praspositurarn ecclesiae Cracoviensis conferant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Rigensi, et dilectis filiis ... de Claratumba ac ... de Cyricz Cracoviensis diocesis monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Laudabilia dilecti filii Sbygnei de Cyricz diaconi Cracoviensis diocesis merita probitatis, super quibus apud nos fidedignorum testimonio multipliciter commendatur, rationabiliter nos inducunt, ut personam suam prerogativa favoris et gratie prosequamur. Nuper siquidem pro parte ipsius Sbygnei nobis exposito, quod ipse dudum infra etatem legitimam et in minoribus tantum ordinibus constitutus (parrochialem ecclesiam) in Cosceletz, quam ad subdiaconatus et diaconatus ordines dumtaxat statutis temporibus a iure promotus annis pluribus tenuit, et demum ea dimissa in Comissa parrochiales ecclesias dicte diocesis, quam per aliquos annos eciam tenuit ad sacerdocium non promotus, fructus percipiens ex eisdem, et tandem eadem ecclesia in Comissa dimissa, Prepositurarn sine cura in Cracoviensi, ac in ipsa et Wladislaviensi ecclesiis Canonicatus et prebendas, quos per annos aliquot tenuit similiter, sicut adhuc tenet et possidet pacifice et quiete, percipiendo fructus ex eis, fuit alias tamen canonice assecutus, super hiis dispensatione apostolica non obtenta, ac pro parte ipsius Sbygnei nobis humiliter supplicato, ut providere statui suo super hiis misericorditer dignaremur. Nos cum eodem Sbygneo super premissis hodie per alias nostras litteras de speciali gratia duximus dispensandum, voluimus tamen, quod ipse Prepositurarn Canonicatus ac prebendas predictos ex tunc realiter omnino dimitteret, sicut in eisdem litteris plenius continetur, et insuper volentes eidem Sbygneo premissorum meritorum suorum obtentu, nec non consideratione Carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, pro ipso familiari suo super hoc nobis cum iustancia supplicantis, facere gratiam ampliorem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quateuus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios eosdem Canonicatum et prebendas ac prepositurarn eiusdem Cracoviensis ecclesie propter premissa de iure vacantes, dummodo in eis tempore date presentium non sit alicui alteri specialiter ius quesitum, eidem Sbygneo vel procuratori suo eius nomine cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, Inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem Canonicatus et prebende ac prepositure predictorum, ac iurium et pertinentiarum ipsorum, et defendentes iuductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, et facientes ipsum vel dictum procuratorem nomine suo in dicta ecclesia Cracoviensi ad eandem prebendam in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo eiusdem ecclesie cum plenitudine iuris Canonici assignatis, ac ipsum vel predictum procuratorem pro eo ad eandem prepositurarn, ut est moris, admitti, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende, ac prepositure fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem Cracoviensis ecclesie contrariis etc. seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus etc. Datum Avinione III. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. IV. ep. 3367. fol. 607.

CDIV.

Episcopo Vladislaviensi, praepositis et aliis praelatis ecclesiarum Vladislaviensis et Crusviciensis privilegia et libertates olim ipsis concessae per Zemomislium ducem Cuiaviae, insertis eiusdem ducis litteris, confirmantur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, et dilectis filiis Prepositis, Decanis ceterasque dignitates vel personatus seu officia obtinentibus, ac singulis Canonicis Wladislaviensis et Crusviciensis Wladislaviensis diocesis ecclesiarum, salutem etc. Hiis, que pro ecclesiastica libertate ac utilitate ecclesiarum provide conceduntur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, que nostro fuerint presidio communita. Sane petitio vestra nuper nobis exhibita continebat, quod quondam Zemomislius Dux Cuyavie, cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici comercio commutare, ob reverentiam dei et beate virginis matris eius bone memorie Wolymiro Episcopo Wladislaviensi, ac Prepositis, Decanis et aliis prelatis, omnibusque Canonicis vestrarum ecclesiarum, qui tunc erant, propter grata servicia, que Duci prefato multociens et utiliter impenderant, successoribusque eorum in perpetuum gratiose concessit, ut omnes villas antiquas et novas cum suis pertinentiis, quas infra ducatum suum obtinebant, iure theotonico sive polonico pro voluntate sua locarent, ita quod omnes incole et habitatores earumdem villarum ab omnibus collectis et exactionibus ac servitutibus, quocumque nomine censerentur, liberi essent penitus et immunes, quodque per eundem Ducem, seu per Iudices deputatos ab eo non citarentur, nec etiam iudicarentur, et si forsitan citarentur per eos, comparere minime tenerentur, sed omnino dominorum suorum, et Scolthetorum seu procuratorum ipsorum parerent in omnibus causis tam capitalibus, quam minutis iudiciis et mandatis. Concessit etiam Episcopo, Prelatis et Canonicis supradictis, quod in omnibus et singulis fundis predictarum villarum et possessionum civitates et alias munitiones edificare libere possent, et sine contraditione quacunque, ubi et quando eis expediens videretur, ac omne ius, quod sibi competebat, vel suis successoribus imposterum posset competere in villis, possessionibus et fundis prefatis, que tunc sub eiusdem ducis dominio, quod tunc habebat, vel haberet in futurum, obtinebant vel obtinerent imposterum, eis pia deliberatione donavit, et etiam resignavit, nichil iuris penitus in eis sibi imposterum reservato, eo dumtaxat excepto, quod de viginti mansis Flammingis unum hominem armatum ad defensionem terre Cuyavie tantum sibi mittere tenerentur. Voluit insuper, quod in sepedictis locis moneta sua curreret usualis, quodque monetarius ipsius Ducis nullam ibidem cohertionem haberet, sed qui inveniretur falsam habere monetam, ad querelam nuncii eiusdem Ducis per Scolthetum loci illius, ubi repertus existeret, causa diffiniretur huiusmodi, et iudicatum divideretur per medium inter Episcopum et Ducem prefatos. Concessit etiam Episcopo, Prelatis et Canonicis supradictis, quod homines, qui ad beneplacitum eorum in supradictis locis et villis locati forent, transeuntes per terras et aquas dicti Ducis cum mercimoniis eorumdem ab omni thelonei exactione essent liberi penitus et immunes, prout libertates et immunitates predicte in patentibus eiusdem ducis litteris inde confectis, et ipsius sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut omnia et singula in litteris ipsis contenta apostolico fulcire munimine dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, omnia et singula in dictis litteris pie per eundem Ducem concessa, rata et grata habentes, ea apostolica auctoritate ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis est. Zemomislius dei gratia Dux Cuyavie Universis sancte matris ecclesie fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Universitati vestre tenore presentium notum esse volumus, quod nos ob reverentiam dei et beate Marie Virginis Venerabili patri dño Wolymiro Wladislaviensi ep̃o, necnon honorabilibus viris Prepositis, Decanis et aliis prelatis, omnibusque Canonicis predicte et Crusviciensis ecclesiarum, ac eorum successoribus, eorumdem servicia, que nobis multotiens et utiliter impenderunt, respicientes, talem imperpetuum pure et liberaliter dedimus libertatem, videlicet quod omnes villas antiquas et novas cum suis pertinentiis pro voluntate sua locent iure Theutonico sive Polonico, ita quod omnes incole et inhabitatores villarum et locorum predictorum liberi sint penitus et immunes ab omnibus collectis, et exactionibus et servitutibus, quocumque nomine censeantur, nec per nos et per nostros iudices citabuntur, vel iudicabuntur, et si citati fuerint, minime comparebunt, sed omnino dominorum suorum, et Scolthetorum seu procuratorum eorum in omnibus causis capitalibus et minutis parebunt iudiciis et mandatis. Predicti etiam Episcopus, Prelati et Canonici in omnibus et singulis

fundis predictarum villarum et possessionum civitates, et alias munitiones edificabunt libere sine qualibet contradictione, ubi et quando eis videbitur expedire, et ut breviter in hiis omnibus deo et beate Marie virgini purum obsequium prestare valeamus, memoratis dominis Episcopo, Prelatis et Canonicis in prefatis villis, possessionibus et fundis, quos nunc in nostro dominio, quod in presenti habemus, et imposterum, domino concedente, habebimus, possident vel possidebunt in futuro, omne ius, quod nobis competit in presenti, et competere nostris successoribus posset imposterum, damus et resignamus, nichil in eisdem nobis iuris reservantes, eo solo excepto, quod de viginti mansis Flammingis unum hominem armatum ad defensionem terre Cuyaviensis tantum nobis mittere tenebuntur, qui si venire neglexerit, marcam argenti usualis nobis solvet, si sue absentie sufficientem non ostenderit causam, quam Scolthetus loci illius, si fuerit, et si non fuerit Scolthetus, discutiet procurator. In sepedictis vero locis moneta nostra curret usualis: veruntamen monetarius noster nullam ibidem cohertionem habebit, sed quis inventus fuerit falsam habens monetam, per Scolthetum loci illius causa iudicabitur ad querelam nostri nuncii, iudicatum quoque inter nos et dominum Episcopum per medium dividetur. Homines etiam, qui ad beneplacitum domini Episcopi, Prelatorum et Canonicorum in sepedictis locis et villis fuerint locati, per nostras terras et aquas cum mercimoniis transeuntes ab omni thelonei exactione liberi erunt penitus et immunes, non obstantibus privilegiis omnibus et instrumentis patris nostri, et aliorum progenitorum nostrorum, sub eorum sugellis confectis, que omnia et singula in presentibus revocamus, et decernimus non obtinere roboris firmitatem, non obstantibus etiam statutis et constitutionibus factis, vel per nos et nostros successores imposterum faciendis, et non obstantibus omnibus auxiliis iuris canonici et legalis, per que presentis facti donatio et renunciatio valeat impediri. Actum in Crusvicia anno domini millesimo cc. LX.octavo, presentibus domino Scamborio duce Pomeranie, Matheo Palatino, Wynchoslao Iudice Curie nostre, Petro Thesaurario, Pribislao et Paulo fratribus dictis Wisselicz, Raphaele nostre Curie Cancellario, Vito Preposito, Albero Decano, Stephano Archidiacono, Sandislao Custode Wladislaviensibus, Iohanne Preposito, Coslao Decano, Liphardo Archidiacono, Alberto Cantore, Wenceslao, Michaele, Alberto, Iohanne Crusviciensibus, et aliis quampluribus fidedignis. Ut autem hec omnia et singula imperpetuum roboris obtineant firmitatem, presentem litteram nostri sigilli munimine duximus roborandam. Nulli etc. nostre confirmationis infrigere etc. Si quis autem etc. Datum Avinione III. Idus Decembris. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. II. ep. 1418. fol. 153.

CDV.

Nankero episcopo Vratislaviensi, ut officium iuxta consuetudinem ecclesiae Cracoviensis dicere possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Meruit tue devotionis sinceritas, ut te paterno prosequentes affectu petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut tua nobis exhibita petitio continebat, tu, qui a pueritia tua nutritus fuisti in ecclesia Cracoviensi, et horas canonicas secundum consuetudinem ipsius ecclesie didicisti, et etiam dicere consuevisti, nequeas a modo in senectute tua officium discere secundum modum, qui in tua Wratislaviensi ecclesia observatur: Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, quod dicendo officium iuxta predictam consuetudinem ipsius Cracoviensis ecclesie ad dicendum aliud officium, nisi haberes horis canonicis in dicta Wratislaviensi ecclesia interesse, minime tenearis, auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis etc. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Anno Decimotertio.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. II. ep. 1140. fol. 52.

CDVI.

Eidem conceditur, ut a subditis suis moderatum subsidium exigere possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus, et petitiones tuas, in hiis presertim, que tuorum et ecclesie tue onerum relevationem respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod nonnulla castra, ville, iura, iurisdictiones et possessiones, ac bona ad mensam tuam Episcopalem et ecclesiam Wratislaviensem spectantia, aliqua videlicet eorundem per bone memorie Henricum Wratislaviensem Episcopum proximum predecessorem

tuum titulo pignoris diversis creditoribus, ut dicitur, obligata, aliqua vero per nonnullos laicos et potentes ex permissione ipsius predecessoris occupata, nonnulla etiam castra in feudo ipsius ecclesie constituta existere dinoscuntur, de quibus nedum, quod velint subesse Episcopo Wratislaviensi aut sibi in aliquo respondere, immo etiam alia castra, terram et bona ipsius ecclesie impugnant hostiliter et invadunt, illa gravissime depredando et immaniter destruendo, quodque tenendo gentes tam pro recuperatione castrorum et aliorum bonorum huiusmodi taliter occupatorum, quam ad custodiam aliorum residuorum castrorum ipsius ecclesie, que possides, ne per dictos laicos vel alios potentes et violentos capiantur et etiam occupentur, ac etiam pro redemptione quam plurium ipsius ecclesie privilegiorum regum, ducum et aliorum principum sigillis munitorum, qui dictam Wratislaviensem ecclesiam multis honoribus et libertatibus decorarunt, que pro magnis pecuniarum quantitatibus in grave dampnum et preiudicium ipsius ecclesie sunt pignori obligata, magna te subire oportet expensarum onera, magnasque pecuniarum solvere quantitates, et quod dicta ecclesia occasione locationum et pignorationum huiusmodi adeo est in redditibus diminuta, quod ad recuperationem predictorum, ad quam, ut asseris, intendis omnino, et solutionem stipendiorum faciendam gentibus supradictis, et alia onera supportanda redditus ipsius ecclesie sufficere minime dinoscuntur: quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et eidem ecclesie de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tam pro recuperatione, quam pro defensione castrorum, villarum, iurium et iurisdictionum et possessionum ac bonorum huiusmodi, necnon pro redemptione dictorum privilegiorum volentes tibi et eidem ecclesie in hac parte de oportuno remedio providere, attendentes quoque fore conveniens atque dignum, quod membra congrua capiti, cum expedit, indigenti subventione respondeant, fraternitati tue petendi, exigendi et recipiendi auctoritate apostolica ab omnibus ecclesiis, monasteriis atque locis, et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, quorumcunque existant ordinum, tuarum civitatis et diocesis Wratislaviensis hac vice subsidium moderatum, Non obstantibus quibuscunque privilegiis ac indulgenciis, seu litteris apostolicis, generalibus vel specialibus eis vel eorum aliquibus sub quacunque verborum forma vel expressione concessis, etiam si de illis de verbo ad verbum plenam et expressam in presentibus oporteat fieri mentionem, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. II. ep. 1141. fol. 53.

CDVII.

Eidem, ut sex clerici eius obsequiis insistentes usque ad triennium fructus beneficiorum suorum percipere possint.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam obsequentibus tibi personis reddere te valeas gratiosum. Hinc est, quod tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut sex clerici, tui familiares domestici commensales, tuis obsequiis insistentes, quos duxeris eligendos, fructus, redditus et proventus Canonicatuum et prebendarum, dignitatum, personatuum, officiorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, que nunc obtinent, vel eos imposterum obtinere contigerit, cum ea integritate usque ad triennium libere percipere valeant, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis, in quibus illa obtinent vel obtinebunt imposterum, personaliter residerent, nec interim ad residendum in eisdem ecclesiis teneantur, neque ad id a quoquam valeant cohartari, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus etc. contrariis etc. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. II. ep. 1142. fol. 53.

CDVIII.

Eidem, ut idoneis viris ecclesiasticis canonicatus et praebendas in sua ecclesia conferre possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te aliis reddere valeas gratiosum. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue conferendi semel dumtaxat auctoritate nostra in tua Wratislaviensi et quinque, si sint, collegiatis ecclesiis tuarum civitatis et diocesis, quas duxeris eligendas, singulis per-

sonis ydoneis, quas similiter elegeris, singulos canonicatus ipsarum ecclesiarum cum plenitudine iuris canonici, ac faciendi personas easdem in prefatis ecclesiis in Canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo in dictis ecclesiis cum plenitudine iuris canonici assignatis, reservandi quoque singulas prebendas nulli alii de iure debitas, si in dictis ecclesiis tunc vacabunt vel cum vacaverint, quas dicte persone per se vel procuratores suos ad hoc specialiter constitutos infra unum mensis spatium, postquam eis vel dictis procuratoribus vacatio illarum innotuerit, duxerint accceptandas, conferendas eisdem singulis personis post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis earundem, ac inhibendi successoribus tuis Episcopis Wratislaviensibus, qui erunt pro tempore, et dilectis filiis Capitulis earundem ecclesiarum, seu illi vel illis, ad quem vel ad quos in eisdem ecclesiis predictarum collatio, provisio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de dictis prebendis ipsarum ecclesiarum interim, etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod dicte persone vel procuratores ipsarum illas noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, conferendi etiam prefatis personis vel dictis procuratoribus ipsarum nomine prebendas easdem post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis, ac providendi de illis, inducendi quoque easdem personas vel dictos procuratores earum nomine per te vel alium seu alios in corporalem possessionem prebendarum iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductas, ac faciendi earum singulis de singulis dictorum canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iurisdictionibus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis statutis etc. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. II. ep. 1143. fol. 53.

CDIX.

Archiepus Gnesnensis et episcopi Posnaniensis et Olomucensis conservatores episcopo Vratislaviensi constituuntur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Gnesnensi et ... Poznaniensi et ... Olomucensi Episcopis, salutem etc. Militanti ecclesie, ut in forma solita etc. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 497. fol. 86.

CDX.

Reginae Bohemiae pontifex fratrem eius ad Vratislaviensem vel Bambergensem episcopatum promovere non posse nuntiat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecte in Christo filie Regine Boemie Illustri, salutem etc. Sublimitatis regie litteras, per quas supplicavit de persona fratris sui ... Bambergensi vel Wratislaviensi ecclesie provideri, benigne recepimus, et earum intelleximus seriem diligenter. Sane, filia Carissima, quia Wratislaviensis non vacat ecclesia, et de Bambergensi predicta duxeramus, antequam ad nos pervenissent predicte littere, aliter ordinandum, votis annuere in hac parte regiis non valemus, quare regia prudentia habeat nos, quos super hiis, que cum deo et nostra decencia poterimus, propitios et benignos reperiet, excusatos. Datum Avinione XV. Kalendas Februarii. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 557. fol. 97.

CDXI.

Episcopo Vratislaviensi, ut causam praepositi Visliciensis Cracoviensis dioecesis audiat et pontifici referat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Petitio dilecti filii Rudgeri de Polonia, Prepositi ecclesie Visliciensis Cracoviensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod dudum volentes eidem Rudgero gratiam facere specialem, Canonicatum eiusdem ecclesie cum plenitudine iuris Canonici apostolica sibi auctoritate contulimus et providimus de eodem. Prebendam vero ac dignitatem vel personatum aut officium cum cura vel sine cura, si que vel qui, aut si qua in dicta ecclesia tunc vacabant aut quam primum vacarent, quas vel quos seu que idem Rudgerus per se vel procuratorem suum ad hoc legittime constitutum infra unius mensis spatium, postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illorum vel illarum innotesceret, acceptaret, conferendas vel conferendos seu conferenda eidem donationi apostolice per nostras certi tenoris litteras reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel igno-

ranter contingeret attemptari, . . . Decano ecclesie Gneznensis una cum quibusdam aliis eidem Rudgero per alias nostras litteras executoribus deputatis, prout in eisdem litteris plenius continetur, quarum litterarum auctoritate idem Rudgerus receptus extitit in dicta ecclesia Visliciensi in Canonicum et in fratrem: quodque deinde vacante prepositura ipsius ecclesie Visliciensis per obitum quondam Francisci de Cracovia olim prepositi eiusdem ecclesie, qui in illis partibus diem clausit extremum, Nicolaus dictus de Polonia decanus eiusdem ecclesie Gneznensis eandem prepositurarn tunc, ut premittitur, vacantem et per dictum Rudgerum infra tempus legittimum acceptatam, eidem Rudgero vigore dictarum litterarum contulit et providit de illa, ipsumque in corporalem possessionem dicte prepositure induxit, faciendo super hoc processus in talibus fieri consuetos, excommunicationis, suspensionis et interdicti sentencias continentes, quos quidem processus idem executor fecit in Cracoviensi et dicta Visliciensi et nonnullis aliis ecclesiis solemniter publicari, ac Nasan eiusdem loci de Cracovia cantorem ecclesie Sandomiriensis eiusdem diocesis, qui dictam prepositurarn pretextu cuiusdam collationis sibi facte de illa per Venerabilem fratrem nostrum . . . Episcopum Cracoviensem de facto post dictam collationem eiusdem Rudgeri, et post habitam pacificam possessionem ipsius temere occupavit, prefatum Rudgerum possessione dicte prepositure nequiter spoliando, excommunicatum auctoritate litterarum et processuum huiusmodi publice nuntiari, et quod idem Nicolaus executor, mutata postmodum incontrarium voluntate, dicto Rudgero non vocato nec citato, immo id penitus ignorante, sentencias suspendit easdem, ac prefatum Nasan declaravit de facto predictam excommunicationis sentenciam minime incurrisse, et demum prefatum Rudgerum citari fecit, ut coram eo infra certum terminum compareret. Idem vero Rudgerus, quamprimum huiusmodi suspensio ac declaratio ad suam noticiam pervenerunt, ad sedem apostolicam appellavit: quare dictus Rudgerus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Cum autem dictus Rudgerus, sicut asserit, dicti Nasan potenciam merito perhorrescens, eum infra civitatem seu diocesim Cracovienses nequeat convenire secure, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, si tibi simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura iudicii constiterit eidem Rudgero fuisse provisum de prepositura predicta, et ipsum in illius corporalem possessionem inductum, ac per dictum Nasan eadem prepositura postea spoliatum, prefatum Rudgerum ad corporalem possessionem dicte prepositure ac iurium et pertinentiarum ipsius, prout iustum fuerit, auctoritate nostra restituas et redducas, dicto Nasan amoto penitus ab eadem, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, quod dictus Nasan ab eadem collatione facta eidem Rudgero ad dictam sedem, ut dicitur, appellavit, et super appellatione huiusmodi litteras nostras ad certos iudices impetravit, aut si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione XII. Kal. Februarii. Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. I. ep. 703. fol. 271.

CDXII.

Episcopo Plocensi, ut vigore canonum procedat contra Crivosandium militem Cracoviensem, eumque compellat, ut Ioannem clericum Vratislaviensem a se captum libertati pristinae restituat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Plocensi, salutem etc. Gravem dilecti filii Iohannis dicti de Polonia clerici Wratislaviensis diocesis querelam recepimus continentem, quod cum ipse pro quibusdam nostris et apostolice sedis ac nonnullis aliis negotiis ad sedem accederet memoratam, Crivosandius de Cracovia, miles Cracoviensis, eundem Iohannem in itinere constitutum cepit et carceri mancipavit, ipsumque spoliavit litteris et instrumentis ac pecunia, que secum tunc temporis deferebat, et extunc eundem Iohannem detinuit et adhuc detinet carceri mancipatum in anime sue periculum, ac ipsius Iohannis non modicum preiudicium et iacturam. Cum igitur predicta, si veritate nitantur, nequeamus absque dei offensa conniventibus oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii constiterit de premissis, eundem Criwosandium tam diu auctoritate nostra denuntiet in excommunicationis sententiam incidisse, quousque dictum clericum a dicto carcere relaxarit, sibique bona huiusmodi, quibus ipsum, ut premittitur, spoliavit, restituerit integraliter cum effectu, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem ipsam venerit absolvendus. Dat. Avin. v. Kal. Febr. Anno XIII. Ex Reg. orig. An. XIII. Part. I. ep. 704. fol. 271.

CDXIII.

Episcopo Cracoviensi, ut abbatissam et monasterium S. Andreae Cracovien. ord. S. Clarae super decimis non molestet.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Oblate nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et conventus monasterii sancti Andree Cracoviensis ordinis sancte Clare petitionis series continebat, quod tu ipsas super decimis quorundam novalium ad monasterium ipsum spectantibus de facto molestas contra tenorem privilegiorum ipsis et eidem ordini per sedem apostolicam concessorum, propter quod cedem Abbatissa et conventus eo minus circa divina obsequia, ad que se spretis mundialibus dedicarunt, possunt intendere, quo ipse in earum iuribus indebite perturbantur. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et in domino attentius exhortamur, tibique per apostolica scripta mandantes, quatinus Abbatissam et conventum eosdem super dictis decimis contra tenorem privilegiorum huiusmodi aliqualiter non molestes. Datum Avinione III. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. IV. ep. 3365. fol. 207.

CDXIV.

Nankero episcopo Vratislaviensi conceditur, ut ad ecclesiam Cracoviensem redire possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, sal. etc. Quando fraternitatem tuam de Cracoviensi ecclesia, cui tunc temporis presidebas, ad Wratislaviensem ecelesiam te consulta provisione transtulimus, translationem huiusmodi subditis tuis gratam esse putavimus, et tam ad pacem tibi cessisse credidimus quam salutem. Verum quia fraternitatis tue litteris diligenter inspectis, intolerabile asseris, tot personarum et rerum sufferre dispendia, quot et tibi et eidem Wratislaviensi ecclesie inferuntur, ut super hiis, prout suppliciter postulas, consulamus, noveris nobis existere placidum, quod si de voluntate venerabilis fratris nostri ... Cracoviensis episcopi de Wratislaviensi predicta ad Cracoviensem ecclesiam tunc translati processerit, pro consolationis tue remedio ad eandem Cracoviensem ecclesiam revertaris. Datum Avinione III. Idus Februarii. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 549· fol. 124.

CDXV.

Archiep̃us Gnesnensis et abbates de Claratumba et Andreov conservatores (pro decretali Bonifacii VIII. Super catbedram) plebanis et rectoribus civitatis et dioec. Cracov. contra fratres Praedicatores et Minores, et his contra illos constituuntur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiep̃o Gneznensi, et dilectis filiis ... de Claratumba ac ... de Andreow monasteriorum abbatibus Cracoviensis diocesis, sal. etc. Frequentes hactenus, immo innumerose quodammodo de diversis mundi partibus venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum aliorumque superiorum prelatorum, necnon dilectorum filiorum rectorum, curatorum et sacerdotum parrochialium querele contra dilectos filios fratres predicatorum et minorum ordinum nostrum et sedis apostolice excitarunt auditum, et clamosis insinuationibus excitare et fatigare non cessant, quod iidem fratres decretalem dudum editam a felicis recordationis Bonifacio papa VIII. predecessore nostro, que incipit: Super cathedram, ac deinde per pie memorie Clementem papam V. predecessorem nostrum in Viennensi concilio innovatam temere observare non curant, sed ipsam transgredi non verentur in eiusdem sedis contemptum, animarum suarum periculum et eorundem conquerentium et ecclesiarum parrochialium preiudicium et gravamen. Intelleximus quoque, quod plerumque prefatis dictorum predicatorum et minorum, necnon heremitarum sancti Augustini et Carmelitarum ordinum fratribus, in cuius ordinis dictorum heremitarum personis idem predecessor Bonifacius constitutionem predictam, in qua tantum de ipsis predicatorum et minorum cavetur ordinibus, per omnia voluit postmodum integraliter et inconcusse servari, et ad quem dictorum Carmelitarum fratrum ordinem nos subsequenter constitutionem eandem, quoad omnia in ea contenta, duximus extendendam, a predictis Episcopis, plebanis, rectoribus, curatis et sacerdotibus contra tenorem constitutionis predicte graves iniurie atque molestie in diversis partibus inferuntur. Nuper etiam pro parte dilectorum filiorum plebanorum, rectorum, sacerdotum et vicariorum parrochialium, tam regularium, quam secularium ecclesiarum civitatis et diocesis Cracovien. nobis extitit intimatum, quod predicti eorundem predicatorum (et) minorum ordinum fratres contra tenorem decretalis eiusdem multa eisdem et eorum singulis gravamina et iniurias inferunt et

iacturas. Quia igitur parum esset iura condere, nisi qui eadem tueatur, existat: Nos volentes de fratrum nostrorum consilio decretalem super Cathedram integraliter observari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus existitis conservatores seu iudices deputati, tam eisdem rectoribus, plebanis, curatis, sacerdotibus et vicariis parrochialibus civitatis et diocesis predictarum, et eorum cuilibet adversus fratres predictos, quam e converso eisdem fratribus adversus plebanos, rectores, sacerdotes et vicarios prefatos et singulos eorundem efficacis defensionis presidio assistentes, ac facientes decretalem predictam, quoad omnia eius capitula, prout iacet, firmiter observari, Non permittatis contra tenorem ipsius per memoratos fratres dictorum ordinum eisdem plebanis, rectoribus, sacerdotibus et vicariis, vel alicui seu aliquibus eorundem, nec etiam per dictos plebanos, rectores, sacerdotes et vicarios seu aliquem vel aliquos ipsorum eisdem fratribus gravamina aut iniurias irrogari, facturi ipsis hinc inde de quibuscunque iniuriis, gravaminibus, molestationibus et dampnis illatis hactenus, et etiam imposterum inferendis eisdem contra tenorem constitutionis eiusdem, in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter, de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, quandocunque et quotienscunque expedierit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscunque exemptionibus specialibus vel generalibus tam fratribus et ordinibus predictis, vel alicui seu aliquibus fratrum et ordinum eorundem, quam prefatis plebanis, rectoribus, curatis, sacerdotibus et vicariis, seu ipsorum alicui vel aliquibus communiter vel divisim sub quacunque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, ac eiusdem Bonifacii, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam civitatem et diocesim auctoritate presentium non trahatur, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et molestiis et aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum per litteras apostolicas ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si tam eisdem fratribus vel eorum ordinibus, aut alicui seu aliquibus fratrum et ordinum predictorum, quam plebanis, rectoribus, curatis, sacerdotibus et vicariis predictis, vel aliquibus ipsorum, seu quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca, vel alio quocunque modo ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis seu privilegiis dicte sedis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Ceterum iudicibus seu conservatoribus quibuscunque per litteras apostolicas sub quacunque alia, quam prefata verborum forma vel expressione confectas, eisdem dictorum predicatorum et minorum ordinum fratribus, seu ipsis ordinibus communiter vel divisim super dampnis et iniuriis, et aliis quibuscunque rebus seu negotiis alias deputatis, et subdelegatis eorum, presentibus et futuris auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliquem seu aliquos auctoritate litterarum ipsarum, seu occasione quorumcunque dampnorum vel iniuriarum, seu gravaminum contra tenorem predicte constitutionis super Cathedram ipsis fratribus, seu eorum ordinibus antedictis communiter vel divisim a quibuscunque personis illatorum hactenus, et etiam inferendorum imposterum, coram se alicubi deinceps ad iudicium vel alias quomodolibet vocare, seu in causam aliquatenus trahere presumant, Inhibitionem huiusmodi non solum ad futurum, sed etiam ad quovismodo adhuc pendentia et iam cepta negocia volentes extendi, ac decernentes prefatas litteras et processus earum auctoritate quomodocumque habitos et habendos, ad dampna, gravamina et iniurias huiusmodi contra tenorem dicte constitutionis illata et inferenda, ut dictum est, deinceps aliquatenus

non extendi, ac etiam irritum et inane, si secus super premissis per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attemptari, vobis nichilominus iniungentes, ut inhibitionem nostram huiusmodi ad dictorum iudicum seu conservatorum et subdelegatorum noticiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Insuper volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem et modum alium perpetuata legittimum extitisset, Constitutione predicta super conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Avinione Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. II. ep. 1372. fol. 136.

CDXVI.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum suspensio interdicti ob non solutum denarium B. Petri promulgati prorogatur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Magistro generali Hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, necnon Commendatoribus et fratribus eiusdem ordinis per Prusciam constitutis, salutem etc. Pridem pro parte vestra nobis humiliter supplicato, quod cum pretextu exactionis census, qui denarius sancti Petri dicitur, requisiti, prout et requiritur a personis Culmensis diocesis et illius partis terre Pomeranie, que ordini vestro quoad temporale dominium est subiecta, in ecclesias interdicti, in Universitates vero et Conventus ac singulares personas eiusdem ordinis, diocesis et partium predictarum suspensionis sententie fuisse dicerentur auctoritate apost. promulgate, ac per novem annos vel circiter observate, quodque ex observatione huiusmodi propter divinorum carentiam animabus periculum et propagationi fidei christiane in illis partibus detrimentum non modicum immineret, providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos supplicationibus huiusmodi benigne inclinati, predictas sentencias usque ad instans festum resurrectionis dominice per alias nostras litteras duximus auctoritate apostolica de speciali gratia suspendendas. Volentes itaque vobis in hac parte facere gratiam ampliorem, vestris supplicationibus inclinati, suspensionem predictam ab eodem instanti festo resurrectionis dominice usque ad Kalendas Septembris proxime futuras eadem auctoritate tenore presencium prorogamus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostre prorogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et bb. Petri et Pauli apost. eius se noverit incursurum. Datum Avinione x. Kal. Aprilis. Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 492. fol. 113.

CDXVII.

Regi Poloniae, ut episcopo Vratislaviensi ad ulciscendas iniurias Petro de Alvernia a duce Silesiae illatas praesto sit.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Eam de sinceritate regali fiduciam gerimus in domino specialem, quod adeo moleste perferat illatas ecclesie Romane iniurias et offensas, quod ad ulciscendas easdem potencie regie dexteram promptis et devotis affectibus extendere non omittat. Sane pridem ad nostri apostolatus auditum infesta relatione deducto, quod dum nuper dilectus filius Petrus de Alvernia Canonicus Noviomensis, apostolice sedis nuncius, per diocesim Wratislaviensem transitum faceret pro certis nostris et eiusdem sedis sibi commissis negociis exequendis, quidam iniquitatis filii, complices nobilis viri Bolconis ducis Slesie domini de Munstirbergh eiusdem diocesis, ipso mandante et ratum habente, dei timore postposito, et eiusdem ecclesie reverencia, quod dolenter referimus, retroiecta, in prefatum nuncium temerariis ausibus irruentes et manus suas inicientes temere violentas, tam ipsum nuncium, quam illos, qui secum erant, litteris apostolicis, ac sacris sacerdotalibus vestibus et aliis ornamentis et paramentis, que secum deferebant, more predonico manibusque sacrilegis spoliarunt, querentes eundem nuncium morti tradere vel carceri mancipare, nisi per fuge subsidium evasisset. Nos non volentes, sicut nec debemus, tam nefandos excessus, si eis veritas suffragetur, ommittere conniventibus oculis impunitos, Venerabili fratri nostro ... Episcopo Wratislaviensi damus per alias nostras in mandatis, ut si premissa repererit veri-

tate fulciri, contra ducem et complices predictos, ac omnes et singulos alios, qui super hiis eis dederunt consilium, auxilium vel favorem, procedat iuxta predictarum nostrarum continentiam litterarum, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quocirca serenitatem Regiam rogamus et hortamur attencius, quatinus super premissis filiali zelo compaciens eidem ecclesie, matri tue, si prefatus Episcopus regie potestatis auxilium super illis duxerit postulandum, tu, fili carissime, prompta magnanimitate consurgens ad eiusdem ecclesie tantas offensas et iniurias ulciscendas, adeo favorabiliter assistas eidem Episcopo super ipsis ope, auxilio et opere oportunis, quo regio suffultus iuvamine mandatum nostrum huiusmodi efficaciter exequi valeat, et eorundem maleficorum reprimatur audacia, tuque preter eterne mercedis premium, quod inde mereberis, dictam sedem, que tuis profectibus libenter intendit, ad beneplacita regia reperias promptiorem. Datum Avinione II. Idus Aprilis. Anno Terciodecimo.

In e. m. Iohanni Regi Boemie et Carolo Regi Ungarie.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 544. fol. 123.

CDXVIII.

Episcopo Vratislaviensi, ut contra ducem Slesiae et complices, qui spoliarunt Petrum de Alvernia, procedat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Etsi sedes apostolica quorumlibet excessibus delinquencium provocetur, illis tamen irritatur vehemencius et maioris materiam indignationis assumit, qui contra officiales non sine dei et ipsius sedis contumelia committuntur. Nuper siquidem ad nostri apostolatus pervenit auditum, quod cum dilectus filius Petrus de Alvernia Canonicus Noviomensis, apostolice sedis nuncius, dudum pro certis nostris et ecclesie Romane negociis ad partes Regni Polonie destinatus, per partes ipsas dicta negocia prosequendo transiret, quidam iniquitatis filii, complices nobilis viri Bolconis ducis Slesie, domini de Mistinbergh Wratislaviensis diocesis, mandante eodem duce et ratum habente, divino timore postposito et eiusdem ecclesie reverentia, quod dolenter referimus, retroiecta, in prefatum nuncium temerariis ausibus irruentes, et manus suas inicientes temere violentas, tam ipsum nuncium, quam illos, qui secum erant, litteris apostolicis ac sacris sacerdotalibus vestibus et aliis ornamentis et paramentis, ad cultum deputatis divinum, ac equitaturis et bonis aliis, que secum deferebat, more predonico manibusque sacrilegis spoliarunt, et deinde prefato nuncio cum suis familiaribus de predonum ipsorum manibus per fuge subsidium liberato, seque ad opidum Opol eiusdem diocesis recollecto, prefatus dux diabolico exagitatus spiritu, premissis sic detestandis ac atrocibus non contentus, mala malis accumulans, et excessus excessibus addere non formidans, per suos complices ipsum fecit diebus pluribus, ne posset inde libere recedere, custodiri, mortem sibi terribiliter comminando: ex quibus, si eis veritas suffragetur, tam prefatum ducem, quam omnes alios et singulos, qui predictos excessus commiserunt, aut in eis committendis prestiterunt quomodolibet auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis a canone latam sentenciam, preter penas alias statutas contra presumentes talia, non est dubium incurrisse. Nolentes itaque, sicut etiam nec debemus, tot enormes et detestandos excessus in divine magestatis offensam, et apostolice sedis contumeliam redundantes sub dissimulationis pertransire neglectu, fraternitati tue mandamus, quatenus, si summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii tibi constiterit de predictis, eundem ducem suosque in hac parte complices, ac omnes illos et singulos, qui super dictis excessibus prestiterunt auxilium, consilium vel favorem, facias in ecclesiis et locis earum parcium excommunicatos publice nunciari, et ab omnibus arcius evitari, moneas ipsos ex parte nostra nichilominos et efficaciter inducens, ut infra certum peremptorium terminum, quem eis iuxta tue discretionis arbitrium duxeris prefigendum, eisdem nuncio et familiaribus suis de predictis bonis raptis et asportatis, si extant, alias de valore ipsorum restitutionem integram, ac de irrogatis eisdem iniuriis et violenciis debitam satisfactionem impendant: Alioquin contra ipsos et eorum singulos tam per aggravationem sentencie huiusmodi, quam interdicti appositionem in terris et locis ipsorum, aliarumque inflictionem penarum spiritualium et temporalium, de quibus expedire videris, exacta diligentia procedere studeas, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione II. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 495. fol. 113.

CDXIX.

Exsecutoribus, ut iudicem et consules oppidi Usce ablatam pecuniam episcopo Cracoviensi restituere compellant.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Olomucensi, et dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Oblata nobis Venerabilis fratris nostris Iohannis Episcopi Cracoviensis querulosa peticione percepimus, quod licet iudex et consules seu iurati opidi Usce Pragensis diocesis dudum quemdam familiarem suum, qui viginti marchas auri ad pondus Polonie vel circa, quas idem Episcopus per eum et ecclesiam suam Cracoviensem pro parte communis servicii debitas nobis, et fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus per eundem familiarem mittebat, secum nocturno tempore asportarat furtive, pro parte ipsius Episcopi requisiti carceri mancipassent, dictasque marchas ab eodem familiari integraliter, ut dicitur, recepissent, tamen iidem iudex et consules seu iurati cum instancia pluries requisiti prefatas marchas auri recusarunt, et adhuc recusant indebite restituere Episcopo memorato in animarum suarum periculum, nostrumque et dictorum fratrum ac Episcopi non modicum detrimentum. Quocirca mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios, si simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii constiterit ita esse, iudices et consules seu iuratos eosdem et quosvis alios, ad quos dicte marche auri in toto vel in parte quomodolibet pervenissent, ad restituendum prefato Episcopo marchas easdem, vel illud, quod ad eos ex eisdem marchis pervenit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, invocato ad hoc etc. Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione xv. Kalendas Maii. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 496. fol. 114.

CDXX.

Cestoborio de Meczidlincza canonico Crusviciensi de quadam villa capituli ipsius ecclesiae providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Cestoborio de Meczidlincza Canonico ecclesie Crusviciensis Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Attributa tibi merita probitatis, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut personam tuam prerogativa specialis favoris et gratie prosequamur. Cum itaque nonnulle ville dilectorum filiorum Capituli ecclesie Crusviciensis Wladislaviensis diocesis, solite per dilectum filium ... Prepositum ipsius ecclesie de prescripta consuetudine Canonicis eiusdem ecclesie in perpetuum beneficium ecclesiasticum assignari, existant: nos volentes tibi Canonico prefate ecclesie, nullam de villis dictis, ut asseris, obtinenti, gratiam facere specialem, unam de prefatis villis, nulli alii de iure debitam, si qua vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eidem Preposito, ne de dicta villa interim, etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam ei constiterit, quod tu vel procurator predictus illam nolueritis acceptare, disponere quomodocumque presumat, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. seu quod in dicta Crusviciensi et Glussinensi ecclesiis Canonicatus et prebendas, ac parrochialem ecclesiam in Winerz Wladislaviensis et Poznaniensis diocesium obtines, et quod dudum Cracoviensis et Wladislaviensis ecclesiarum Canonicatus cum plenitudine iuris canonici tibi successive contulimus, prebendas, si que in eisdem, nec non dignitatem, personatum, vel officium cum cura vel sine cura, si qua, si quis, vel si quod in dictis Cracoviensi et Wladislaviensi ecclesiis tunc vacabant, vel cum vacarent, quas, quos, vel que per te vel procuratorem tuum acceptares, conferendas, vel conferendos seu conferenda tibi donationi apostolice per diversas nostras certorum tenorum litteras reservando, et quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura in Civitate vel diocesi Wratislaviensi ad collationem Venerabilis fratris nostri ... Epi Wratislaviensis spectans auctoritate apostolica nosceris expectare. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione II. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

In e. m. Dilectis filiis . . . Poznaniensis et . . . Wratislaviensis Decanis, et Busolo de Parma, Cappellano nostro, Canonico Tornacensis ecclesiarum, ut predictas litteras exequi curent.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. III. ep. 2280. fol. 102.

CDXXI.

Wladislao regi Poloniae, ut Nankerum episcopum Vratislaviensem contra ducis Silesiae violentias defendat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Meditantes, fili Carissime, quod tu regali solio presidens, et recognoscens a domino quam regnandi obtines potestatem, deum super omnia timeas, colas pure iusticiam, et ecclesias ac ministros ipsarum tanquam devotus et pius in reverencia pariter habeas et honores, confidenter te ad illa requirimus, que divinis grata sint oculis, et tibi, actore domino, premium gloric conferant et salutis. Sane Venerabilis fratris nostri Nankeri Episcopi Wratislaviensis molesta deo et valde nobis infesta quercla perstrepuit, quod nobilis vir Bolko dux Slesie, dominus de Munstirberg, et nonnulli alii earum parcium, non timentes deum, nec suos ab ipsius Episcopi persecutionibus impiis oculos avertentes, sua et Wratislaviensis ecclesie, eiusque Canonicorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, secularium et regularium, Wratislaviensium civitatis et diocesis bona, iura et redditus usurpant illicite, iniuste diripiunt et execrabiliter destruunt in maiestatis divine contemptum, nostrum et apostolice sedis ac Episcopi, ecclesie, Canonicorum et personarum predictorum nimis grave dispendium, valde magnam iniuriam ordinis clericalis, opprobrium et derogationem ecclesiastice libertatis. Quia vero prefatus Episcopus commode exercere nequit, ut expedit, contra tantos talesque maleficos et persecutores infestos sue spiritualis iurisdictionis officium, protervam eorum potenciam perhorrescens, nostrum in hac parte ac sedis predicte presidium specialiter imploravit. Nos igitur attendentes, quod potestas spiritualis officii ex imminentibus maxime iustis causis et casibus fulciri debet presidio temporali, excellenciam Regiam rogamus, requirimus et hortamur, ac nichilominus in remissionem peccaminum obsecramus attente, quatenus memorato Episcopo seu ministris eiusdem circa recuperationem et manutentionem ac defensionem bonorum, iurium atque redditum predictorum, ac exercicium sue propterea spiritualis iurisdictionis eiusdem contra maleficos et persecutores prefatos, ipsorum remota formidine, ad requisitionem eiusdem Episcopi pro nostra et eiusdem sedis reverencia impendas auxilium brachii secularis, aliasque regii vigore presidii eidem assistas auxiliis, consiliis et favoribus oportunis, ita quod tua idem Episcopus assistencia gaudeat, tuque preter divine retributionis premium, quod inde mereberis, dignis propterea valeas in domino laudibus commendari. Datum Avinione Kal. Iunii. Anno Terciodecimo.

In e. m. Iohanni Regi Boemie et Carolo Regi Ungarie, et mutatis mutandis Archiepo Gneznensi, Episcopo Olomucensi, nobili viro Boleslao duci Slesie et domino Legnicensi, Heynkoni duci Slesie et domino de Iavor fratri dicti Bolkonis, Boleslao de Ńemodlim et Bolkoni de Opol fratri suo ducibus, Leskoni duci Ratisboriensi, Wlodislao duci Ceslensi et Richem, Henrico Saganensi, Cunrado Olesvicensi, Premkoni Glogoviensi et Iohanni Stynaviensi fratribus ducibus. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 563. fol. 126.

CDXXII.

Archiepiscopo Gneznensi, ut episcopum Vratislaviensem ad solvendam quamdam decimam compellat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Nuper ad nostri apostolatus auditum veridica relatione pervenit, quod licet dudum dilectus filius Magister Andreas de Verulis Canonicus Wratislaviensis, Scriptor noster, tunc in regno Polonie collector decime sexennalis una cum dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi per litteras nostras deputatus, solus in huiusmodi negocio procedens, prout ex forma litterarum poterat earundem, Nankerum Wratislaviensem, dudum Cracoviensem Episcopum, priusquam translatio de ipso ad ecclesiam Wratislaviensem per nos facta in illis partibus nota esset, iuxta tenorem processuum excommunicationis, suspensionis et alias penas et sententias continentium, per ipsum et dictum collegam super hoc rite factorum, canonice monuisset, ut de decima pro primo termino secundi anni sex annorum decimalium, et deinde habita dicte translationis noticia, ut de centum et quinquaginta octo marchis grossorum Pragensium, debitis pro toto residuo decime primi et eiusdem secundi annorum de omnibus proventibus Cracoviensis ecclesie, per eundem Episcopum iam perceptis, sub penis et sentenciis in eisdem contentis proces-

sibus infra certos terminos competentes sibi Camere nostre nomine integre satisfacere procuraret, et subsequenter per ipsum Episcopum dumtaxat pro primo termino satisfacto, idem Episcopus obtinuisset ad solutionem dicti residui sibi per eundem Magistrum Andream certum iamdiu elapsum terminum prorogari, infra quem solvere promisit prefatum residuum, ad hoc se sub eisdem penis et sentenciis specialiter obligando: tamen memoratus Episcopus diu post satisfactionem per ipsum, ut premittitur, factam, et lapso iam dicto termino in elusionem dicte Camere pretendens, se quasdam licet frivolas recusationum causas contra dictum Magistrum Andream coram eodem collega propositas, et ab eodem collega indebite, cum ad ipsum hoc non pertinuerit, et de facto admissas legitime probavisse, de huiusmodi residuo dicto Magistro Andree prefato nomine in dicto termino, et post ipsum satisfacere non curavit, propter quod excommunicationis et suspensionis, et alias penas et sentencias supradictas noscitur incurrisse, easque extunc sustinuit, et adhuc sustinet in anime sue periculum et dicte Camere preiudicium et iacturam. Nos igitur volentes indempnitati eiusdem Camere providere, fraternitati tue tenore presentium committimus et mandamus, quatenus eundem Episcopum, ut infra competentem terminum tuo prefigendum arbitrio prefatas CLVIII. marchas dicto Petro nomine eiusdem Camere cum integritate persolvat, auctoritate nostra compellas, invocato etc. Quod si in dicto termino de prefatis marchis satisfacere non curarit, eundem Episcopum in dictas incidisse sentencias, et ipsis ligatum fore tamdiu, appellatione remota, in ecclesiis tue provincie, de quibus tibi videbitur, facias singulis diebus dominicis et festivis publice nunciari, donec de eisdem marchis satisfecerit cum effectu, ad aggravationem earundem sentenciarum nichilominus processurus, si et prout protervia dicti Episcopi exegerit, et tibi videbitur expedire, Non obstantibus, si eidem Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit, et quibuscumque privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per que effectus presencium impediri possit quomodolibet vel differri, etiam si de illis in presentibus esset de verbo ad verbum specialis mentio facienda. Volumus autem, quod eundem Episcopum, postquam tibi constiterit, quod eidem Petro de marchis satisfecerit memoratis, absolvere valeas a sententiis supradictis, et super irregularitate, si quam dictis ligatus sentenciis forte contraxit, secum etiam dispensare. Datum Avinione Nonis Iunii. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 503. fol. 126.

CDXXIII.

Reginae Poloniae, ut in monasterio S. Clarae in antiquo Sandecz Cracoviensis dioecesis semel in anno pernoctare possit.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Carissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie Illustri, salutem etc. Eximie devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, promeretur, ut ea, que suppliciter a nobis postulas, tibi, quantum cum Deo possumus, affectu benevolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut in Monasterio monialium ordinis sancte Clare sito in antiquo Sandecz Cracoviensis diocesis, associatis tibi duabus honestis provecte etatis matronis, quas ad hoc duxeris eligendas, semel in anno libere valeas pernoctare, quibuscumque privilegiis, indulgentiis, constitutionibus, statutis et consuetudinibus Monasterii et ordinis predictorum contrariis nequaquam obstantibus, devocioni tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione II. Idus Iunii. Anno Terciodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. III. ep. 2128. fol. 51.

CDXXIV.

Archiepiscopo Bremensi, ut episcopum Caminensem contra canonicos rebelles foveat atque defendat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Bremensi, salutem etc. Oblata nobis Venerabilis fratris nostri Arnoldi Episcopi Caminensis petitio continebat, quod licet ipsum dudum Caminensi ecclesie, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio prefecissemus auctoritate apostolica in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: tamen quia Fredericus de Stalberch Prepositus, Fredericus de Eyestede Iunior, Nicolaus Swanebeke, Witzlaus de Carvitz, Hinricus Wisbeke olim Canonici dicte ecclesie Caminensis, Geraldus Bokeman, Iohannes Rogghe et Arnoldus Trost clerici Caminensis diocesis, qui in Canonicos eiusdem Caminensis ecclesie de facto intrusi fuerant, maligno spi-

ritu concitati, eundem Episcopum contempserant recipere, sibique rebellionem notoriam prepararant, Venerabilis frater noster Archiepiscopus Coloniensis primo, et deinde tu ac Venerabilis frater noster .... Episcopus Lubicensis auctoritate nostra suffulti in prenotatos, et quoslibet alios prefato Episcopo Caminensi rebelles curastis auctoritate nostra huiusmodi, prout per formam litterarum super hiis tibi et illis directarum poteratis, successive censuram ecclesiasticam exercere, tuque, ipsorum Canonicorum rebellium contumacia excrescente, contra eos censuram huiusmodi aggravasti, et prout per easdem litteras poteras, contra eos auxilium secularis brachii invocasti, quodque prefati Canonici et clerici propterea durius obstinati in occupatione tam spiritualitatis, quam temporalitatis ecclesie Caminensis prefatum Arnoldum Episcopum quasi penitus supplantarunt, ac bona et iura ad mensam episcopalem Caminensem spectantia alienarunt et distraxerunt, et occupanda tirannis etiam tradiderunt, sediciones in Clero et populo Civitatis et diocesis Caminensium commoverunt, et multos ad se in eorum devium attraxerunt, et fere innumera homicidia et strages, ac alia enormia scismatica et heretica commiserunt, in prolapsum linguosum contra nos et predictum Caminensem Episcopum non absque labe hereseos publice prorumpendo: et quod licet hec essent adeo notoria in illis partibus, quod aliquatenus celari non poterant, idem tamen Episcopus Caminensis auctoritate ordinaria contra prenominatos Canonicos et dictos rebelles, Preposito et Frederico de Eystede Iuniori prefatis dumtaxat exceptis, contra quos tunc procedere ex dictis causis omisit, eis vocatis, legittime premissorum occasione processit, et de iuris peritorum consilio et dilectorum filiorum Canonicorum dicte ecclesie prefato Arnoldo Episcopo obedientium, et Capituli in dicta ecclesia facientium consensum Nicolaum Witzlaum et Hinricum Canonicos predictos per suam diffinitivam sententiam Canonicatibus et prebendis, quos olim in dicta ecclesia obtinebant, iustitia exigente, privavit, ac Gherardum, Iohannem et Arnoldum Trost clericos prefatos, qui ab eisdem rebellibus in Canonicos eiusdem ecclesie de facto intrusi fuerant, denuntiavit privatos Canonicatibus et prebendis, quos detinebant in ipsa ecclesia occupatos, et nichilominus ad cautelam illis privavit eosdem, ac de quibusdam perpetuis Vicariis et Cappellaniis in eadem ecclesia consistentibus, quibus quosdam perpetuos Vicarios seu Cappellanos in eadem ecclesia prefatis rebellibus adherentes, et cum eis in huiusmodi obstinata contumacia perdurantes, ex causis premissis eadem ordinaria auctoritate privavit, duas prebendas de novo ipsorum Capituli et Canonicorum obedientium consilio et assensu in ecclesia ipsa constituit, duobus assumendis in eadem ecclesia in Canonicos imposterum perpetuis futuris temporibus assignandas, idemque Episcopus Caminensis Christiano Verdelandensis, Hinrico Calisiensis Prepositis, Thiderico Sachelnitzen in Wtrozeke, Waltero Gunthersberch in Drewenborch, Bernardo Urso in Guttzecowe Rectoribus ecclesiarum Havelbergensis, Poznaniensis et Caminensis diocesium, eorum videlicet singulis singulos Canonicatus et prebendas huiusmodi per dictam privationem vacantes de dictorum Capituli et Canonicorum obedientium, ad quos de antiqua et approbata consuetudine electio Canonicorum ad prebendas, que pro tempore in ipsa ecclesia vacant, noscitur pertinere, consilio et assensu contulit, et ad predictas duas prebendas in eadem ecclesia de novo creatas Syfridum Ghiscleri magistrum in artibus et licentiatum in legibus, Clericum Caminensem diocesis supradicte, et Hinricum de Dartzowe Canonicum Lubicensem de predicto consensu in Canonicos eiusdem ecclesie Caminensis assumpsit, ac de Scolastria eiusdem ecclesie tunc vacante, et ad electionem dictorum Capituli de simili consuetudine pertinente dicto Syfrido de consensu predicto providit, prout in legittimis documentis super premissis confectis plenius asseritur contineri. Quare prefatus Arnoldus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut privationes, collationes, constitutiones, assumptiones ac processus huiusmodi per eum habitos, et alia supradicta rata et grata habere, ipsaque confirmare ex certa scientia auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis plenam notitiam non habentes, ac volentes statui eiusdem ecclesie in hac parte salubriter providere, gerentes quoque de tue circumspectionis industria in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, facias super premissis auctoritate apostolica simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, quod iustitia suadebit, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne aliquis extra suas civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, ac de duabus dietis in concilio generali, et aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que tue possent

iurisdictioni eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, Seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et eorum personis, locis et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Datum Avinione VIII. Kal. Septembris. Anno Tertiodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIII. Part. IV. ep. 3082. fol. 98.

CDXXV.

Providetur quibusdam viris de beneficiis ecclesiasticis.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Trebeslao de Tirlang Canonico Gnesnensi, salutem etc. Absolvit eum a macula infamie, quam contraxerat ex eo, quod ecclesiam parrochialem in Rus Plocensis diocesis per multos annos tenuerat et fructus perceperat nondum promotus ad sacros ordines, indulgetque, ut in Gnesnensi, Plocensi et Crusviciensi ecclesiis Canonicatus et prebendas retinere possit. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris. Anno XIII.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni, nato dilecti filii Gysconis de Reste civis Wratislaviensis, Canonico ecclesie Wysegradensis extra muros Pragenses, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione VIII. Kal. Octobris. Anno XIII.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis... Preposito et... Scolastico ac... Cantori ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Constituuntur Conservatores Trebislao de Tirlang Canonico Gnesnensi. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris. Anno XIII.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Engelberto episcopo Tarbatensi, salutem etc. Indulget ipsi, ut Scolastriam ecclesie Tarbatensis cum Canonicatu et prebenda annexis, vacantes per obitum Iohannis de Quinquedomibus, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, cuilibet persone idonee conferre possit. Datum Avinione XII. Kal. Ianuarii. Anno XIII.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecte filio Heydenrico de Brakele Canonico Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione XV. Kal. Aprilis. Anno XIII.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Martino de Sindato Rectori parrochialis ecclesie in Wenda Rigensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum vacaturum ad collationem ep̄i Wratislaviensis pertinens. Datum Avinione VI. Kal. Aprilis. Anno XIII.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Leskoni duci Ratisboriensi Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Conceditur eidem, ut confessor semel in mortis articulo possit ipsi dare plenam peccatorum absolutionem. Datum Avinione II. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno XIII.

Ex Reg. orig. An. XIII. Com. ep. 249, 462, 521, 798, 1260, 1652, 2162.

CDXXVI.

Episcopo Vratislaviensi, ut quasdam villas et decimas, quas subtraxerit Andreae de Verulis, restituat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Dilectus filius Magister Andreas de Verulis, Scriptor noster, nobis exposuit conquerendo, quod licet ipse quasdam villas et decimas in Wratislaviensi diocesi consistentes, quas quondam Vitus Cantor et Canonicus ecclesie Wratislaviensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, ex concessione apostolica, dum viveret, obtinebat, auctoritate litterarum nostrarum foret adeptus, ipsosque aliquamdiu possedisset, et tunc etiam possideret pacifice et quiete: tu tamen, nescimus quo ductus spiritu, eundem Andream nostris et sedis eiusdem negociis insistentem sine cause cognitione predictis villis et decimis in nostrum et eiusdem sedis contemptum contra iusticiam spoliasti, fructus, redditus et proventus provenientes ex eis in usus proprios pro tue voluntatis libito convertendo, in eiusdem Andree grave dampnum et preiudicium manifestum, de quo miramur plurimum, si est ita. Quocirca fraternitatem tuam requirimus attencius sano tibi nichilominus consilio suadendo, quatinus eundem Andream vel procuratorem suum eius nomine ad possessionem suam villarum et decimarum huiusmodi, in qua erat tempore spoliationis predicte, restituens indilate, alia, que circa premissa fuerint attemptata, sic

prompte corrigere studeas, quod limam correctionis debite adhibere contra te non sit opus, nobis, que super predictis egeris, quantocius rescripturus. Datum Avinione Kal. Novembris. Anno XIV.

Ex reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1905. fol. 364.

CDXXVII.

Ioannes episcopus Cracoviensis a iuramento de visitandis liminibus apostolorum praestito absolvitur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Ex parte tua fuit expositum coram nobis, quod tu, de quo dudum Ecclesie Cracoviensi tunc vacanti de fratrum uostrorum consilio duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, post consecrationis munus, quod tibi de mandato nostro in partibus ipsis impensum extitit, de visitando per te vel per nuntium tuum apostolorum limina singulis bienniis prestitisti, prout moris est fieri, corporaliter iuramentum, quamvis ecclesia ipsa privilegium exemptionis non habeat, sed Venerabili fratri nostro... Archiepiscopo Gneznensi sit metropolitico iure subiecta. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque volentes tuis et eiusdem ecclesie in hac parte commoditatibus providere, ac illa tibi concedere, que tue persone quietem dicteque ecclesie commodum respicere dinoscantur, tuis supplicationibus inclinati, te ab huiusmodi iuramento, quoad personalem visitationem huiusmodi dumtaxat, dummodo ad eam realiter minime tenearis, apostolica auctoritate absolvimus, volentes iuramentum ipsum quoad alia omnia et singula inviolabiliter observari. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione Nonis Novembris. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. Part. III. ep. 3206. fol. 50.

CDXXVIII.

Regi Poloniae, ut episcopum Cracoviensem ad recuperanda decimas et alia iura sibi debita adiuvet.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, sal. etc. Habet Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Cracoviensis nobis oblata petitio, quod nonnulli nobiles et alii laici Cracoviensis diocesis decimas tam de novalibus, quam aliis possessionibus, que ipsi excolunt et faciunt excoli, ac census annuos et alia iura eidem Episcopo ratione sue Cracoviensis ecclesie debita, excommunicationis in personas et in terras ipsorum interdicti sententiis latis propterea vilipensis, quas nonnulli ex eis iam per plures annos substinuerunt, et adhuc sustinent induratis animis, ipsi Ep̄o dare ac solvere indebite contradicunt, et nonnulla alia dampna et iniurias sibi inferunt ac iacturas in animarum suarum dispendium, ac Episcopi et Ecclesie predictorum dampnum non modicum et preiudicium manifestum. Cum igitur affectemus ab intimis, prout ex debito pastoralis tenemur officii, quod iidem Episcopus et Ecclesia, quos speciali affectione prosequimur, ab huiusmodi et aliis dampnis et iniuriis relevati, decimas, census et iura recuperare valeant supradicta, circa que favorem regium, quem presertim regni tui ecclesiis et personis ecclesiasticis ob reverentiam divine magestatis teneris impendere, necessarium et utile admodum reputamus: Regalem excellentiam rogamus et in domino attentius exhortamur, quatinus ob divinam et apostolice sedis ac nostram reverentiam Ep̄o et ecclesie predictis super hiis et aliis assistas favorabiliter auxiliis opportunis, ita quod ipsi tuo fulti iuvamine in suis iuribus non ledantur, tuque proinde divinam benedictionem et gratiam uberius merearis Datum Avinione Nonis Novembris. Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. Part. III. ep. 3205. fol. 50.

CDXXIX.

Episcopo Praenestino, ut episcopum Vratislaviensem, qui Audream de Verulis beneficio suo spoliaverit, citet.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Penestrino, salutem etc. Nuper dilectus filius Andreas de Verulis Canonicus Wratislaviensis, scriptor noster, nobis exposuit cum querela, quod licet ipse dudum auctoritate litterarum nostrarum quasdam villas et decimas in Wratislaviensi diocesi consistentes, quas quondam Vitus Cantor et Canonicus eiusdem ecclesie, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, ex concessione apostolica, dum viveret, obtinebat, foret adeptus, ipsasque aliquandiu possedisset, et tunc etiam possideret pacifice et quiete: tamen Venerabilis frater noster Nankerus Episcopus Wratislaviensis eundem Andream, tunc in regno Polonie apostolice sedis nuncium, no-

stra et ipsius sedis negocia prosequentem, villis et decimis ipsis in nostrum et eiusdem sedis contemptum contra iusticiam spoliavit, fructus, redditus et proventus provenientes ex eis in usus proprios pro sue voluntatis libito convertendo, in eiusdem Andree grande dampnum et preiudicium manifestum. Cum igitur tam propter potenciam eiusdem Episcopi, tam etiam quia propter executionem officii sui personaliter habet apud dictam sedem continue residere, difficile nimis redderetur eidem in partibus illis posse consequi super hiis iusticie complementum, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna diligencia dignaremur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus eundem Episcopum auctoritate nostra moneas, ut infra certum peremptorium terminum competentem, quem sibi ad hoc duxeris prefigendum, dictas villas et decimas eidem Andree libere restituat et dimittat, ac de fructibus, redditibus et proventibus ex ipsis per eum minus iuste perceptis, ac de dampnis eidem Andree illatis, expensis per eum propterea factis, dicto Andree plenam satisfactionem impendat. Quod si premissa dictus Episcopus non adimpleverit cum effectu, ipsum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra certum alium terminum competentem, ad hoc per te prefigendum eidem, per procuratorem ydoneum ad hoc sufficienter instructum cum omnibus iuribus et munimentis huiusmodi negocium contingentibus apostolico se conspectui representet, in negocio seu causa huiusmodi processurus ac facturus et recepturus, quod iusticia suadebit. Datum Avinione xv. Kalendas Decembris. Anno Quartodecimo. Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1864. fol. 353.

CDXXX.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum suspensio interdicti denuo prorogatur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro generali hospitalis sancte Marie Theotonicorum, nec non Commendatoribus et fratribus eiusdem hospitalis per Pruciam constitutis, salutem etc. Pro parte vestra dudum exposito coram nobis, quod quia pretextu exactionis census, qui denarius beati Petri dicitur, requisiti, sicut et requiritur a personis Culmensis diocesis et illius partis terre Pomeranie, que ordini vestro quo ad temporale dominium est subiecta, in ecclesias interdicti, in Universitates vero et Conventus ac singulares personas eiusdem ordinis, diocesis et parcium predictarum suspensionis sentencie promulgate auctoritat apostolica fuisse dicuntur, et longo tempore observate, ex observatione huiusmodi propter divinorum carenciam animabus periculum et propagationi fidei christiane detrimentum non modicum imminebat. Nos vestris supplicationibus inclinati easdem sentencias usque ad certi temporis iam elapsi spacium duximus de gracia speciali per nostras litteras suspendendas. Nunc igitur volentes vobis facere graciam ampliorem, usque ad instans festum resurrectionis dominice tenore presentium suspendimus antedictas. Nulli etc. Datum (Avinione) II. Nonas Decembris. Anno XIV.
Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1857. fol. 352.

CDXXXI.

Nuncio apostolico, ut suspensionem interdicti in terra Culmensi sub quibusdam conditionibus proroget.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum nos dilectorum filiorum ... Magistri generalis hospitalis beate Marie Theotonicorum, nec non Commendatorum et fratrum eiusdem ordinis per Pruciam consistentium supplicationibus inclinati, sententias interdicti in ecclesias ac suspensionis in universitates, et conventus ac singulares personas eiusdem ordinis in Culmensi diocesi et parte illius terre Pomeranie, que ordini fratrum ipsorum quo ad temporale dominium est subiecta, promulgatas auctoritate apostolica ratione cessationis solutionis census, qui denarius beati Petri dicitur, a personis diocesis et partis predictarum ecclesie Romane debiti, usque ad instans festum resurrectionis dominice per alias nostras litteras duxerimus suspendendas: discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si hinc ad dictum terminum illi, qui de dictis diocesi et parte tenentur solvere dictum censum, eum pro presenti tempore tibi solverint, et ad eundem annis singulis imposterum se obligaverint efficaciter inde confectis instrumentis publicis exolvendum, ab eodem instanti festo resurrectionis dominice usque ad festum Omnium Sanctorum proxime futurum suspensionem dictarum sententiarum per nos factam, sicut premittitur, ut interim ad nos mittere valeant pro relaxatione obtinenda sententiarum huiusmodi, prorogare procures, redditurus nos de hiis, que circa premissa quomodolibet egeris, per instrumenta publica nichilominus certiores. Datum VII. Idus Decembris. Anno XIV. Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1858. fol. 352.

CDXXXII.

Episcopis Vratislaviensi et Lubucensi, ut de iure, quod Henrico duci Silesiae super marchionatu Brandeburgensi occupato per Ludovicum Bavarum competit, pontifici referant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Wratislaviensi et ... Lubicensi Episcopis, salutem etc. Exhibite nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici Ducis Slesie, domini Saganensis, petitionis series continebat, quod licet marchionatus Brandeburgensis ad dilectum filium nobilem virum Henricum primogenitum suum ratione et iure successionis quondam Mathildis, filie ac heredis legittime quondam Hermanni veri Marchionis et domini eiusdem Marchionatus, uxoris dicti ducis, matris primogeniti supradicti, pertinere noscatur tam de consuetudine, quam de iure: tamen Ludovicus olim dux Bavarie hereticus et scismaticus, hostis dei et ecclesie manifestus, ac publicus iusticie inimicus, per Ludovicum filium suum violenter et nequiter Marchionatum ipsum fecit contra deum et iusticiam, ac in gravem dei iniuriam et offensam, ac predicti primogeniti manifestum preiudicium occupari, et non sine oppressione ac destructione comitatuum et universitatum, castrorum, opidorum, villarum et aliorum locorum ac singularium personarum eiusdem Marchionatus detineri contra iusticiam occupatum. Quare prefatus dux nobis humiliter supplicavit, quod cum ad nos de iure divino et humano pertineat quoslibet compescere a peccato, nec ad alium quam ad nos, Imperio vacante, sicut nunc vacare dinoscitur, possit super hiis haberi recursus, aliquibus discretis dare dignaremur per nostras litteras in mandatis, ut communitates ac universitates et singulares personas civitatum, castrorum, opidorum, villarum et aliorum quorumlibet locorum dicti Marchionatus ex parte nostra monerent et inducerent, quod expulso de dicto Marchionatu predicto eiusdem Ludovici filio utpote dicti Marchionatus violento et notorio invasore, prefatum eiusdem Henrici ducis primogenitum in eorum verum dominum et Marchionem reciperent, sibique ut vero domino et Marchioni dicti Marchionatus parerent in omnibus ac etiam obedirent, Contradictores etc. quodque nichilominus iidem discreti omnes et singulos de Marchionatu predicto ad obedienciam et mandata prefati Henrici primogeniti redeuntes, et in devotione sancte matris ecclesie volentes persistere, personas videlicet singulares ab excommunicationis, comitatus vero ac universitates civitatum, castrorum, opidorum, villarum et aliorum locorum predictorum ab interdicti et aliis sentenciis atque penis, in omnes dicto Ludovico eiusdem Ludovici de Bavaria filio tamquam Marchioni dicti Marchionatus obedientes ac etiam adherentes, per processus nostros inflictis, auctoritate nostra absolvere procurarent. Nos itaque de premissis plenam noticiam non habentes, et volentes informari plenius super eis, ac eidem primogenito in iusticia, in qua ex apostolice servitutis officio debitores sumus omnibus, non deesse, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum super hiis summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii vos plenius informantes, quicquid per informationem huiusmodi vos super premissis et ea tangentibus reperire continget, nobis per vestras litteras patentes harum seriem continentes fideliter intimare curetis, ut per vos taliter informati plenius videre possimus, quid iuxta iuris et rationis exigentiam expediat fieri super hiis. Testes autem etc. Datum Avinione IIII. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1871. fol. 355.

CDXXXIII.

Societati Bardorum recipiendi pecunias pro camera apostolica ab episcopis Cracoviensi et Vratislaviensi facultas datur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Andree Portinarii, Francisco Balduini, Thome Thedaldi et Iohanni Guiciardini Mercatoribus et sociis societatis Bardorum de Florencia, in partibus Flandrie commorantibus, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Iohannes Ep̄us et dilectus filius Iaroslaus Archidiaconus, et Heymusius de Nissa et Hauco Hedel, et nonnulli alii cives Cracovienses, dudum a dilecto filio Magistro Andrea de Verulis Canonico Wratislaviensi, Scriptore nostro, tunc in partibus regni Polonie apostolice sedis nuncio, nonnullas pecuniarum de certis proventibus ad nos et Romanam ecclesiam spectantibus per eundem nuncium in partibus illis collectas receperint quantitates, illasque seu valorem earum se promiserint, et efficaciter obligarint certis ad hoc prefixis terminis in partibus Flandrie soluturos, sicut in instrumentis publicis inde confectis plenius continetur: Nos de vestra et societatis vestre fidelitate plenius confidentes, recipiendi nostro et Camere nostre nomine pecuniarum

quantitates huiusmodi, et earum singulas seu valorem earum ab episcopo, archidiacono ac civibus memoratis, aut eorum aliquo vel quibusvis aliis solventibus pro eisdem, necnon quitandi et absolvendi plenius Episcopum et alios predictos obligatos, et quosvis alios ipsorum nomine pecuniarum quantitates huiusmodi persolventes, de hiis, que inde recipere vos continget, vobis et cuilibet vestrum plenam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod super solutione huiusmodi vobis seu vestrum alicui faciende duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, quorum altero penes solventes eosdem dimisso, reliquum ad predictam Cameram transmittatis. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

In e. m. Eisdem mercatoribus. Cum Venerabiles fratres nostri Nankerus Wratislaviensis et Iohannes Cracoviensis Episcopi, et dilecti filii cives seu homines Cracovienses et opidi Nizensis Wratislaviensis diocesis, dudum a dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, nounullas pecuniarum summas etc. ut supra mutatis mutandis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1561. fol. 307.

CDXXXIV.

Instrumentum recognitionis societatis Bardorum de Florentia de certis marcis argenti, quas pro camera apostolica de pecunia collectoriae Poloniae receperunt

In nomine domini amen. Hoc est exemplum litterarum non rasarum, non abolitarum, nulla macula conspersarum, omnique vicio et suspicione carencium, ac in sui prima figura manencium, scriptarum manu Iohannis dicti Cramme publici Notarii, quas ego Notarius subscriptus auctoritate, et de mandato venerabilis viri domini Conradi Canonici et Officialis Wratislaviensis de verbo ad verbum fideliter transumpsi: quarum tenor dignoscitur esse talis. In nomine domini amen. Uniuersis et singulis hoc presens publicum instrumentum visuris et audituris pateat evidenter, quod anno a nativitate eiusdem MCCCXXX. Indictione XIII. mensis Maii die septima, Pontificatus sanctissimi patris ac domini nostri, domini Iohannis digna dei providentia pape XXII. anno XIV. in mei Notarii publici ac testium subscriptorum ad infrascripta vocatorum specialiter, et rogatorum presentia propter hoc personaliter comparentes, discreti viri Andreas Portinarius aliique socii et mercatores societatis Bardorum de Florentia in Flandria commorantes exhibuerunt, osteuderunt et assignaverunt discreto viro Iohanni de Dresdem Nuncio civitatis Wratislaviensis, ut dicebat, litteras apostolicas patentes, vera bulla plumbea in pendenti cum filo canapis bullatas, ut prima facie earundem apparebat, sanas et integras, omnique suspicione carentes: quarum tenor sequitur in hec verba. Iohannes Episcopus etc. Dilectis filiis Andree Portinario et Rogerio Gerardi Iohannis, ac Lothoringo de Collina mercatoribus et sociis societatis Bardorum de Florentia in partibus Flandrie commorantibus, salutem etc. Dudum dilectus filius Petrus de Alvernia Canonicus Noviomensis, in partibus Regni Polonie apostolice sedis nuncius, sexcentas marchas argenti ad pondus civitatis Wratislaviensis de proventibus cameram nostram contingentibus in partibus supradictis collectas, penes dilectos filios Hermannum dictum Scriptorem, Iohannem Lubek, Thylonem Nigrum, Iohannem Schilczan, Iohannem de Resta, Nicolaum de Leguicz, Arnaldum Kusuest et Conradum Baran, cives et consules civitatis predicte nostro, et camere nostre predicte nomine deposuit, per ipsos cives vel eorum alterum procuratori eiusdem nuncii, aut illi vel illis, qui a nobis vel camera nostra predicta recipiendi predictas marchas haberent potestatem, in partibus Flandrie certo iam elapso termino sub obligationibus assignandas. Volentes itaque sexcentas marchas predictas vobis nostro et eiusdem camere nomine assignari, eas dicto nomine a prefatis civibus vel eorum altero, aut alio vel aliis pro ipsis solventibus, seu a procuratore dicti nuntii, si forsan iam recepisset easdem, ac ipsos et eorum singulos et alios quoslibet vobis dictas marchas solventes quitandi et absolvendi plenarie de hiis, que inde receperitis ab eisdem, vobis et cuilibet vestrum insolidum plenam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod marchas huiusmodi fideliter, cum ipsas receperitis, conservetis illi vel illis, cui vel quibus mandabimus per vos integraliter postmodum assignandas, quodque super solutione vel assignatione vobis facienda de illis duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, quorum altero penes assignantes ipsos dimisso, reliquum ad prefatam cameram transmittatis. Datum Avinione VII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Terciodecimo. Quibus litteris apostolicis per dictum Iohannem de Dresdem, procuratorem et nuncium honorabilium virorum Hermanni dicti Scriptoris, Iohannis Lubek, Thiloni Nigri, Iohannis Schilczan, Iohannis de Resta, Nycolai de Lenigcz, Arnoldi Kusuest et Conradi

Baran civium Wratislaviensium, dominorum et magistrorum suorum, humiliter et devote receptis, ut decuit, idem Iohannes ex speciali mandato per dictum dominum papam facto, prout in dicta littera apostolica superius continetur, numerando tradidit dicto Andree Portinarii, habenti super hiis recipiendi speciale mandatum ab eodem domino nostro papa, ipsosque debitores ac pro ipsis solventes quitandi et absolvendi, cccc. lxxx. marchas argenti trogani ponderis de signo Brugensi, Item ex parte et pro parte Nicolai Mosnarii de Ranconia Notarii et clerici dicti domini Petri Legati xii. marchas argenti trogani ponderis et signi Brugensis, quibus marchis argenti, ut predicitur, in mei Notarii publici et testium infrascriptorum presencia numeratis, assignatis, et eidem Andree et sociis suis traditis: Memoratus Andreas confessus fuit et publice recognovit, se dictas marchas argenti habuisse et recepisse integre, ut sepius est expressum, et eosdem debitores vigore mandati supradicti eidem Andree facti quitavit penitus et absolvit. Acta fuerunt hec in domino Scabinorum ville Brugensis, que vulgariter dicitur Ghiselhuz, sita in Burgo Brugensi, hora tertia vel circiter, presentibus honorabilibus viris dominis Iohanne Cortstoef, Iacobo Scentelacer Scabinis dicte ville Brugensis ad hoc pro corpore dicti Scabinarii deputatis, Petro Notario Ducis Bolconis de Furstenberch, Nicolao de Sitim, Paulo Rutheni, Iohanne de Opavia, Nicolao plebano de Wiazd civibus Wratislaviensibus, Henrico de Gandavo, Godefrido Kelreman, Francisco Brant, et aliis Tornacensis diocesis testibus, ad premissa vocatis in testimonium specialiter et rogatis. In quorum omnium testimonium et munimen prefatus Andreas Portinarii antedicto Iohanni presentes litteras sive instrumentum contulit, sigillo dicte societatis Bardorum, ac sigillo dicte ville Brugensis ad causas una cum mei Notarii publici infrascripti subscriptione et signo ad moris roboris firmitatem concorditer roboratum. Et ego Iohannes dictus Cramme, clericus Morinensis diocesis, publicus sacrosancta apostolica et imperiali auctoritate notarius, premissis litterarum apostolicarum assignationi, dictarum marcharum deliberationi et traditioni ac receptioni, quitationi et absolucioni, omnibusque aliis suprascriptis una cum prenominatis testibus presens interfui, Ideoque hic me subscripsi, et huic publico instrumento ex causa duplicato una cum sigillis predictarum societatis Bardorum et ville Brugensis signum meum consuetum apposui, requisitus specialiter et rogatus in testimonium et memoriam omnium et singulorum premissorum. Huic publico instrumento erant duo sigilla ad pressulas pergameni appensa orbicularis figure, quorum unum ex una parte sui in medio continebat clipeum, et in ipso clipeo quatuor lineas, et super easdem lineas ymaginem leonis, et ipsum leonem tres dracones circumiacentes, et in circumferentia ipsius sigilli ex eadem parte tales littere cum cruce erant sculpte: S. Scabinorum Brugensium ville Brugensis ad causas. Item ex alia parte eiusdem sigilli erat sigillum minus etiam orbicularis figure impressum, in medio sui eciam super lineas in clipeo leonem continens, in cuius circumferentia littere legi non poterant. Aliud vero sigillum minus ibidem appendens in medio sui clipeum, et in clipeo tria puncta oblonga quasi filo colligata continebat, in circumferentia cuius tales littere cum cruce erant expresse: S. Andree Portinarii de Florentia. Nos autem Officialis supradictus presens transumptum infrascripto Notario legente, et altero originales litteras auscultante, utrumque in omnibus et per omnia concordare invenimus, vidimus et audivimus, idcirco presens exemplum per ipsum infrascriptum Notarium conscribi et publicari mandavimus, et nostri sigilli munimine roborari, pro tribunali sedentes, decernimus et volumus auctoritate nostra ordinaria, ut ipsi transumpto plena et indubitata fides adhibeatur in iudiciis et extra, sicut ipsis originalibus litteris, ipsumque transumptum fidem faciat in agendis, ac si eedem littere originales apparerent: quibus omnibus et singulis auctoritatem nostram interponimus et decretum. Actum ante ecclesiam sancti Egidii prope ecclesiam Wratislaviensem, Kalendis Iunii, Anno domini Millesimo ccc. tricesimo, Indictione terciadecima, hora quasi sexta, presentibus viris discretis Thamone Qwas, Henrico de Bancz Canonicis, Petro de Semyrow presbitero, Vicario, Nycolao de Watzerode, Iohanne de Dresden civibus Wratislaviensibus, et aliis testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Iacobus Petri de Ielyn clericus Wratislaviensis dyocesis, publicus auctoritate imperiali Notarius, predictas litteras de dictis originalibus litteris auctoritate et mandato predicti domini officialis, et ad peticionem magistri Frantzconis de Golthberg, procuratoris civitatis Wratislaviensis, ibidem presentis, nil addens vel minuens, quod sensum mutet vel viciet intellectum, preter forte litteram vel sillabam, que sensum mutare vel intellectum viciare minime possunt, fideliter transcripsi, factaque collatione cum originalibus litteris, utrumque concordare inveni, et omnibus factis per predictum dominum officialem premissis interfui, ideoque hoc transumptum in formam hanc publicam redegi, meo

consueto signo et nomine consignando. Constat michi de interlineari dictione ,,socii", quam manu mea ante publicationem per oblivionem obmissam posui hoc in publico instrumento propter iusticiam adimplendam.

Ex Instrum. miscell. Caps. 201. Nro. 5.

CDXXXV.

Custodi et Nicolao canonico Cracoviensi facultas datur absolvendi episcopum Cracoviensem ab excommunicatione, quam ob non solutas pecunias in termino constituto incurrerat.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Custodi et Nicolao de Miloslavitz Canonico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Nuper pro parte Iohannis Episcopi Cracoviensis expositum extitit coram nobis, quod ipse decem marchas auri de Palhola, et quadringentas marchas argenti ad pondus Cracovie, quas a dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, in partibus regni Polonie apostolice sedis nuncio, de pecunia per eundem nuncium in eisdem partibus nomine Camere nostre collecta recepit, easdemque auri et argenti marchas predicte Camere vel eius certo nuncio, videlicet decem de dicto auro de Palhola et quadringentas marchas predictas de argento Romane Curie ad pondus Cracovie, assignare certis loco et termino iam elapso promisit, se ac ecclesiam suam Cracoviensem, et sua et ipsius ecclesie bona propter hoc efficaciter obligando, et nichilominus in se sponte suscipiendo excommunicationis et alias penas et sententias per prefatum nuncium promulgatas, si deficeret in assignatione marcharum huiusmodi statutis loco et termino facienda, sicut in instrumentis publicis inde confectis plenius dicitur contineri. Sane cum dictus Episcopus pro eo, quod de dictis marchis eisdem statutis loco et termino, ut debebat, minime satisfecerit, licet postmodum certam partem dictarum marcharum eidem Camere solverit, et residuam partem ipsarum certo sibi per nos statuto et assignato de speciali gratia termino solvere debeat, prout hec in aliis nostris litteris plenius continentur sub data presencium, in penas et sentencias inciderit supradictas, fecit nobis humiliter supplicari, ut de absolutionis beneficio ab eisdem penis et sentenciis providere sibi de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationi huiusmodi benignius inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum memoratum Episcopum ab eisdem penis et sentenciis auctoritate nostra iuxta formam ecclesie absolvatis, cum eo super irreguralitate, si quam ligatus eisdem penis et sentenciis celebrando divina vel immiscendo se illis contraxit forsitan, nichilominus dispensando. Volumus autem, quod dictus Episcopus, nisi de residuo dictarum marcharum argenti memorate Camere, vel eius certo nuncio in loco in instrumentis predictis expresso in huiusmodi termino satisfecerit, eo ipso relabatur in penas et sentencias supradictas, et eadem obligatio, quo ad summam dictarum marcharum argenti residuam, suum effectum debitum nichilominus sorciatur. Datum Idibus Iunii. Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1888. fol. 360.

CDXXXVI.

Iohannes episcopus Cracoviensis de solutis pecuniis praedictis absolvitur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Ex tue fraternitatis insinuatione nuper accepimus, quod tu decem marchas argenti ad pondus Cracovie, quas a dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, in partibus Regni Polonie apostolice sedis nuncio, de pecunia per ipsum in cisdem partibus nomine Camere nostre collecta manualiter recepisti, eidem Camere vel eius certo nuncio certis termino iam elapso et loco statutis, dictas videlicet decem marchas de eodem auro de Palhola et quadringentas marchas de argento Romane Curie ad pondus Cracovie, vel earumdem cccc. marcharum valorem assignare integraliter promisisti, te ac ecclesiam tuam Cracoviensem, nec non tua et eiusdem ecclesie bona propterea sub certis penis et sententiis, per eundem nuncium in te volentem et sponte suscipientem, si deficeres in facienda solutione huiusmodi, promulgatis, propterea obligando, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius dicitur contineri. Cum itaque die date presencium decem marchas dicti auri de Palhola dicti ponderis in octo marchis, duabus unciis et sedecim denariis eiusdem auri ad pondus Avinionense, et de predictis cccc. marchis argenti clx. marchas tantum de dicto argento Curie ad dictum pondus Cracovie in quingentis et quinquaginta sex florenis auri et sex solidis monete Viennensis per manus dilectorum filiorum Bozathe

Decani et Andree de Verulis Canonici eiusdem ecclesie Cracoviensis procuratorum tuorum prefate Camere duxeris assignandas: Nos volentes tuis et eiusdem ecclesie Cracoviensis indempnitatibus precavere, assignationem huiusmodi gratam habentes et ratam, te ac predictam tuam ecclesiam, nec non tua et ipsius bona de dictis decem marchis auri ac CLX. marchis argenti dicte Camere, sicut superius exprimitur, tuo nomine persolutis, tenore presencium absolvimus totaliter et quitamus, ac nichilominus ad solvendum eidem Camere vel eius certo nuncio in loco in dictis instrumentis expresso residuum dictarum cccc. marcharum argenti, videlicet CCXL. marchas de argento et pondere supradictis, tibi usque ad instans festum beati Martini confessoris de speciali gratia statuimus, ac etiam assignamus. Nulli ergo etc. Datum Avinione Idibus Iunii. Anno Quartodecimo.

Ex Reg. orig. An. XIV. Secret. ep. 1889. fol. 361.

CDXXXVII.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum sententiae interdicti latae in eorum terram pro eo, quod denarium S. Petri non solverunt, usque ad instans festum paschae suspenduntur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Magistro generali hospitalis beate Marie Theutonicorum, ac Commendatoribus et fratribus eiusdem hospitalis per Pruciam constitutis, salutem etc. Dudum pro parte vestra proposito coram nobis, quod ex eo, quia ratione cessationis solutionis census, qui denarius beati Petri nuncupatur, requisiti, sicut et requiritur a personis Culmensis diocesis et illius partis terre Pomeranie, quam ordini vestro asseritis quo ad temporale dominium esse subiectam, in ecclesias interdicti, et in personas singulares eiusdem ordinis, diocesis et partis predictarum suspensionis sententie auctoritate apostolica promulgate fuerant, et longo tempore observate, animabus periculum et propagationi fidei christiane detrimentum non modicum propter divinorum ibidem carentiam imminebat: nos vestris supplicationibus inclinati, easdem sententias duximus diversis temporibus sub certis modis et formis usque ad certos terminos per nostras diversas litteras speciali gratia supportandas, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem populus et universitas diocesis et partium predictarum se ad nostram et eiusdem Romane ecclesie in hac parte obedientiam coaptantes, iam pro uno anno censum predictum, ut ex parte vestra proponitur, solverint nobis et eidem ecclesie assignandum, illumque se obtulerint, ut tenentur, futuris annis singulis nobis et eidem ecclesie soluturos, fecistis nobis humiliter supplicari, ut easdem interdicti et suspensionis sententias usque ad alium terminum competentem, infra quem nos de hiis reddere valeatis certiores plenius, suspendere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationi vestre huiusmodi benignius inclinati, easdem sententias usque ad instans festum resurrectionis dominice tenore presentium suspendimus de gratia speciali. Nulli ergo etc. Datum Avinione Nonis Octobris. Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Secret. ep. 312. fol. 92.

CDXXXVIII.

Nassano Similonis clericus Cracoviensis ad beneficia ecclesiastica denuo recipienda aptus redditur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nassanoni Similonis clerico Cracoviensis diocesis, salutem etc. Apostolice sedis consueta benignitas se cunctis exhibens propitiam et benignam, illorum votis consuevit libenter annuere, qui nobilitate generis et laudabilium virtutum meritis redimiti, gratiam eius devotis supplicationibus interpellant. Porrecte siquidem nobis pro parte tua petitionis series continebat, quod tu olim in anno etatis tue sextodecimo constitutus in Sandomiriensi Cracoviensis diocesis Cantoriam, que personatus sine cura fore dinoscitur, ad presentationem carissimi in Christo filii nostri ... Regis Polonie, ut dicitur, pertinentem, et demum tricesimum etatis tue annum attingens in Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi et Plocensi, ac deinde Cantoria predicta dimissa, in eadem Sandomiriensi canonicatus et prebendas, ac Wisliciensi dicte diocesis ecclesiis prepositurum fuisti tamen alias canonice assequutus, illosque insimul tenuisti, ac etiam possedisti, sicut adhuc tenes et possides pacifice et quiete, fructus percipiens ex eisdem, dispensatione super hiis apostolica non obtenta, quodque dudum in minoribus existens ordinibus per ignorantiam et simplicitatem, vestibus seu paramentis subdiaconalibus indutus, manipulum deferendo epistolam legisti solempniter, dum missarum solempnia agerentur: Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hiis statui et fame tuis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes circa personam tuam, cui de nobilitate ge-

neris, et quampluribus virtutum meritis apud nos laudabile testimonium perhibetur, dicte sedis benignitatem solitam exercere, huiusmodi supplicationibus inclinati, predictis non obstantibus, te de apostolice plenitudine potestatis habilitamus, ita quod ad omnes ordines promoveri, et quecunque beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates existant, citra tamen episcopalem dignitatem, si ad illa canonice assumaris, licite recipere valeas, ac etiam retinere, tibique fructus predictos per te, ut prefertur, perceptos remittimus et donamus de gratia speciali. Volumus autem, quod predictos canonicatus et prebendas, ac preposituram realiter et cum effectu dimittas exnunc, ita quod ipsos non possis resumere, nisi de novo ipsa tibi canonice conferantur. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostre habilitationis, remissionis, donationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit etc. Datum Avinione II. Kalendas Decembris. Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Part. IV. ep. 497. fol. 70.

CDXXXIX.

Praeposito S. Severini Coloniensis, ut commendatorem domus Teutonicorum Coloniensis, qui nomine episcopi Cracoviensis de CCCC. florenis camerae apostolicae debitis satisfecerit, absolvat.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio . . . Preposito ecclesie sancti Severini Coloniensis, salutem etc. Dudum tibi et dilecto filio . . . Scolastico ecclesie Bunnensis Coloniensis diocesis per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis, ut Walramum Commendatorem domus hospitalis beate Marie Theutonicorum Coloniensis ex parte nostra monere, ac eidem mandare curaretis expresse, ut undecim marchas cum dimidia auri ad pondus Coloniense ad nostram Cameram pertinentes, quas idem Commendator a Theoderico de Pollonia, se faciente Iohannem communiter nominari, cui Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Cracoviensis aurum ipsum cum alia certi auri quantitate assignaverat presentandam Camere supradicte, receperat, deberet eidem Camere infra certi termini spacium integraliter assignare, alias citaretis ipsum peremptorie, ut certa die coram nobis specialiter comparerct, Alioquin procederemus contra ipsum prout suaderet iusticia, et nobis expediens videretur. Demum vero huiusmodi mandato nostro executioni debite per te dictumque Scolasticum fideliter demandato, dictoque Commendatore monitionibus et mandatis huiusmodi parere penitus contempnente, nos ipsum post huiusmodi terminos diutius expectatum pronunciantes merito contumacem, ipsumque propterea excommunicationis vinculo innodantes, tibi et dilectis filiis Preposito ecclesie sancti Gereonis Coloniensis ac Scolastico supradicto, tuis in hac parte collegis, per alias nostras litteras duximus committendum, ut eundem Commendatorem sic excommunicatum curaretis per vos et alios in ecclesiis et locis illarum partium publice nunciari, et ab omnibus arcius facere evitari, et nichilominus de redditibus et proventibus dicte domus usque ad valorem dicti auri arrestaretis pro Camera supradicta, sicut in predictis litteris plenius continetur. Cum autem dictus Commendator usus consilio saniori quadringentos triginta quinque florenos auri, quorum valorem tam in auro quam rebus aliis a dicto Theoderico se asseruit recepisse, nuper nostre Camere per manus dilecti filii Iohannis de Porta Martis ordinis dicti hospitalis magistri censuum fecerit assignari, nobisque humiliter supplicari, ut cum ipse a dicto Theoderico tam in auro quam rebus aliis nichil plus receperit quam ad valorem predictorum CCCC.XXXV. florenorum, providere sibi super sententiis et processibus antedictis de oportuno remedio dignaremur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus super hiis fideliter et diligenter inquirens, super quo tuam conscientiam oneramus, si tibi constiterit dictum Commendatorem vel alium pro eo a prefato Theoderico seu quovis alio de auro predicto, seu quibusvis rebus aliis ultra valorem dictorum CCCC.XXXV. florenorum quomodolibet percepisse, ipsum ad assignandum illud integraliter certo termino competente sibi per te prefigendo Camere supradicte auctoritate nostra compellas, alioquin ad denunciationem ipsius et arrestationem fructuum dicte domus iuxta predictarum litterarum nostrarum tibi et dictis collegis tuis ultimo directarum tenorem procedere non omittas: Si vero per huiusmodi inquisitionem non repereris Commendatorem ipsum, vel alium eius nomine de auro vel rebus predictis ultra dicte florenorum quantitatis valorem aliquid recepisse, ipsum auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas ab excommunicationis sententia et processibus antedictis, rescripturus nobis per tuas patentes litteras vel instrumentum publicum cum tenore presentium, quicquid super premissis duxeris faciendum. Datum Avinione Id. Decembris. Anno XV.

Ex Reg. orig. An. XV. Secret. ep. 319. fol. 95.

CDXL.

Episcopus Cracoviensis de solutione decem marcarum auri receptarum a collectore, quas Brugis solvere promiserat, absolvitur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Exhibita nobis tua petitio continebat, quod tu dudum a dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, in regno Polonie apostolice sedis nuncio, de pecunia ad Cameram nostram spectante decem marchas auri in gravis seu pulvere, et quadringentas marchas argenti ad pondus Cracoviense recipiens, illas vel debitam extimationem ipsarum assignare in Flandria, videlicet in nundinis ville Brugensis Tornacensis diocesis, que immediate post festum resurrectionis dominice proxime iam elapsum fuerunt, ibidem, quantum in eisdem nundinis idem valebat argentum ad predictum pondus Cracoviense, prefato nuncio vel eius certo mandatario, aut cuicumque alii a dicta Camera nostra recipiendi dictas auri et argenti marchas potestatem habenti, a te iuramento corporali super hoc prestito assignare integraliter promisisti, te tuosque successores Episcopos et ecclesiam Cracoviensem ac tua et ipsorum bona sub excommunicationis sententia, quam in te volentem et sponte recipientem tunc dictus nuncius, si in huiusmodi assignatione dictarum auri et argenti marcharum deficeres, promulgavit solemniter et efficaciter obligando, sicut in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Demum vero tibi statuto elapso termino, videlicet idus proximo preteriti, predictis decem marchis eiusdem auri, et in certis pecuniis centum et sexaginta marchis argenti iuxta valorem argenti curie Romane pro parte tua predicte Camere assignatis, nos tibi ab excommunicationis sententia, quam non solvendo predictas decem auri et quadringenta argenti marchas iuxta formam obligationis predicte in termino prelibato incurreras, munus absolutionis impendi, ac tecum super irregularitate, si quam sententia predicta ligatus contraxeras forsitan, dispensari mandantes, teque ac predictam ecclesiam et successores tuos de predictis decem auri, et centum et lx. argenti marchis in dictis certis pecuniis prefate Camere, ut premittitur, assignatis quitantes plenius, ac etiam absolventes, tibi ad solvendum integraliter residuas ducentas et quadraginta marchas argenti usque ad festum beati Martini confessoris proxime preteriti duximus terminum prefigendum: voluimus tamen, quod si in solutione dictarum ducentarum et quadraginta marcharum in eodem per nos tibi prefixo termino facienda forte deficeres, in easdem penas et sententias, quibus prius ligatus extiteras, reincideres ipso facto, sicut in diversis litteris nostris super hiis sub data Idus Iunii predicti confectis plenius continetur. Cum autem super solutione dictarum centum et lx. marcharum argenti Romane Camere, ut premittitur, facta, id quod plus valebat tunc argentum Flandrie, secundum quod illarum solutio fieri debebat, quam argentum Romane Curie, sit supplendum, nuperque pro huiusmodi supplemento, secundum quod argentum tunc valebat in Flandria, nec non pro integra satisfactione predictarum ducentarum et quadraginta marcharum argenti, que de dictis quadringentis marchis restabant, ut premittitur, persolvende, sicut in dicta Flandria argentum valet ad presens die xxi. mensis Novembris proxime preteriti, in quadringentis et triginta florenis auri assignatis per manus dilecti filii Iohannis de Portamartis ordinis beate Marie Theotonicorum, Magistri censuum domus Coloniensis eiusdem ordinis, nuncii dilecti filii Walrami Commendatoris eiusdem domus, ad quem dicti quadringenti et triginta quinque floreni seu valor ipsorum de certa quantitate auri, quam tu dudum per certos nuncios tuos mittebas ad Cameram predictam, pervenerunt, et deinde die date presentium in quadringentis et nonaginta quatuor florenis auri, et quatuor turonensibus grossis et dimidio argenti cum O rotundo per manus dilecti filii Bozache Decani ecclesie Cracoviensis assignatis Camere supradicte, que quidem pecunia, videlicet per eosdem Iohannem et Decanum assignata, ad summam nongentorum et viginti novem florenorum auri et quatuor et dimidii turonensium grossorum argenti ascendit, sit nomine tuo iuxta verum valorem argenti de dicta Flandria, sicut habet forma obligationis predicte, eidem Camere integraliter satisfactum: Nos volentes super hiis tuis et ecclesie ac successorum tuorum predictorum indempnitatibus precavere, solutionem, assignationem et satisfactionem huiusmodi ratas habentes, et gratas, te ac ecclesiam et successores tuos predictos, nec non tua et ipsorum bona presentia et futura de predictis nongentis et viginti novem florenis auri et quatuor turonensibus grossis et dimidio argentis pro ducentis et quadraginta marchis et supplemento predictis, ut premittitur, persolutis, tenore presentium absolvimus totaliter et quitamus. Rursus, quia pro eo, quod dictas ducentas et quadraginta marchas argenti statuto tibi, ut premittitur, ad hoc per nos termino non solvisti, excommunicationis innodatus sententia, et nichilominus reatu periurii tam ex eo, quam etiam dictas decem auri et centum et sexaginta argenti marcas

predicto termino non solvendo irretitus existis, nos tue supplicationi benignius inclinati, te in personam dicti Decani procuratoris tui, ad hoc a te sufficiens mandatum habentis, ab eadem excommunicationis sententia et a predicto reatu periurii absolvimus auctoritate apostolica per presentes, tecum nichilominus super irregularitate, si quam dicta ligatus sententia celebrando divina vel immiscendo te illis forsitan contraxisti, misericorditer dispensantes. Nulli ergo etc. Datum Avinione II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Secret. ep. 817. fol. 195.

CDXLI.

Wladislao regi Poloniae, ut a molestandis episcopo et ecclesia Cracoviensi suas gentes arceat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie, salutem etc. Ad ea te, fili carissime, apostolicis exhortationibus libenter inducimus, que honori tuo convenire conspicimus et saluti. Sane per litteras Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Cracoviensis nostro nuper apostolatui presentatas accepimus, quod gentes et officiales regii eidem Episcopo et sue ecclesie Cracoviensi ad instigationem quorundam emulorum ipsius Episcopi varia intulerunt hactenus gravamina, et inferre sepius non verentur. Quocirca regalem excellenciam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus consideranter attendens, quod deo, a quo recepisse innumera nosceris beneficia, placere nequaquam potes, si eius sponsam ecclesiam inhonores, seu ab aliis, quantum in te fuerit, inhonorari permittas, gentes et officiales regios, et quosvis alios a gravaminibus et molestationibus quibuscumque predictorum Episcopi et ecclesie indebitis faciens penitus abstinere, memoratos Episcopum et ecclesiam pro divina et apostolice sedis reverencia sueque salutis obtentu velit Regia providentia in suis iuribus et libertatibus confovere benignius, et habere propicius commendatos, ita quod divinam mereatur propter hoc uberius benedictionem et gratiam, et apud sedem eandem condignis laudibus attollatur. Datum Avinione XI. Kalend. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Secret. ep. 357. fol. 106.

CDXLII.

Iudicibus, ut rigore canonum contra incendiarios ecclesiarum episcopatus Vladislaviensis procedant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Gneznensi, et ... Cracoviensi ac ... Poznaniensi episcopis, salutem etc. Grave non immerito gerimus et molestum, cum persone iugo observancie regularis astricte, ac plantate in orto militantis ecclesie, ut se defensionis murum pro domo domini exhibentes resistant viriliter hostibus fidei venientibus ex adverso, convertunt in contrarium vias suas adversus ecclesias et personas ecclesiasticas, quibus prestare deberent defensionis presidium, per hostiles et violentos incursus predas, rapinas et spolia exercentes. Sane venerabilis fratris nostri Mathie episcopi Wladislaviensis lacrimabili proposita in consistorio coram nobis conquestione percepimus, quod nonnulli fratres domus sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane in partibus seu prope partes Polonie commorantes, non attendentes, quod eadem domus ad dei laudem et gloriam atque defensionem fidelium et liberandam dei ecclesiam extitit per sedem apostolicam ordinata, et quidam alii eorum ministri, auctoritate et mandato ... Magistri generalis eiusdem domus, sicut asseritur, necnon Provincialis terre Culmensis ac ... de Nexonia, et de ... Golub ac de ... Swetze et ... de Capizino sive Enghelberch Wladislaviensis et Culmensis diocesium Comendatores ordinis domus eiusdem, contra prefatum episcopum ex eo odii rancore concepto, quod idem episcopus diversas excommunicationum sententias in eosdem magistrum, necnon provincialem, et commendatores pro quadam contumacia eorundem, per dilectos filios Petrum de Alvernia Noviomensis et Andream de Verulis Wratislaviensis ecclesiarum canonicos, in partibus illis apostolice sedis nuncios, et etiam tam in eos, quam in nonnullos clericos et personas ecclesiasticas civitatum, castrorum et villarum predictarum propter denarium sancti Petri ecclesie Romane debitum non solutum, exigente iusticia, auctoritate apostolica promulgatas, tanquam devotionis filius de mandato dictorum nunciorum pluries et sollenniter publicavit, ac etiam pro eo, quod in terra Pomaranie Wladislaviensis diocesis predicte, quam dicti magister, provincialis, commendatores et fratres contra iusticiam per violentiam occuparunt et detinent occupatam, decimas prediales ad ipsum episcopum et dictam ecclesiam suam Wladislaviensem de iure spectantes, eisdem magistro et fratribus et habitatoribus dicte terre remittere, vel in ius aliud pro voluntate ipsorum magistri

et commendatorum in dampnum et preiudicium maximum ipsius episcopi, et dicte ecclesie sue Wladislaviensis voluit commutare, prout etiam de iure non poterat, nec debebat, episcopatum suum Wladislaviensem cum maximo exercitu, et pene viginti vexillis uigra cruce signatis, quam contra sarracenos et paganos, et infideles alios se asserunt assumpsisse, hostiliter intraverunt, cremando ecclesias, villas et bona episcopatus eiusdem, et alia eidem episcopatui dampna maxima inferentes: quibus etiam non contenti, post anni spacium revolutum vel circa, peiora cumulando prioribus, episcopatum eundem iterum hostiliter invaserunt, omnes fere villas campestres, grangias, aliasque possessiones ad mensam suam episcopalem spectantes, necnon opidum Razens ad dictam mensam pertinens dicte Wladislaviensis diocesis cum pluribus villis circumadiacentibus, ac civitatem suam Wladislaviensem depredationibus, spoliis et rapiuis quasi totaliter devastarunt, et quod gravius est, ecclesias ac edificia omnia in dicta civitate ac in ipsis villis, grangiis et possessionibus dictarum villarum consistencia, et quod est auditu horribile, ecclesiam Cathedralem Wladislaviensem, cui pagani sepius pepercerunt, sanctorumque reliquias, que servabantur in ea, novo quinimo nephando sacrilegii genere cum omni decore et ornatu eorum, et nonnullos homines ignis incendio concremarunt, et quamplures alios etiam in cimiterio eiusdem ecclesie crudeliter occiderunt, eidem episcopo ac canonicis eiusdem ecclesie, aliisque clericis et laicis et habitatoribus dicte civitatis post combustionem ipsius sub pena capitis et mutilatione membrorum prohibentes expresse, ne domos seu quodvis aliud edificium ibi edificare presumerent quovis modo, qui eorum inhumanitatem et seviciam formidantes, non audent ipsorum iussionibus contraire: ac demum dicti magister, provincialis, commendatores et fratres omnibus habitatoribus cuiusdam territorii, quod dicitur Cechochin, ad dictos episcopum et ecclesiam pleno iure spectantis expresse mandarunt sub pena corporum et bonorum suorum, ut de proventibus, censibus et redditibus eorundem ad dictos cp̃um et ecclesiam pertinentibus, non eidem episcopo, sed magistro, commendatoribus et fratribus ipsis tantummodo responderent, ac intenderent, et totaliter obedirent, nec adhuc finem predictis enormitatibus imponentes, nuper dicti magister, commendatores et fratres, exercitu valido congregato, dictum episcopatum hostiliter invaserunt, et castrum Razens dicte diocesis ad eosdem ep̃um et ecclesiam pertinens pleno iure, in quo thesaurus ac nonnulle res et bona alia, necnon victualia residua ep̃i et ecclesie predictorum, aliarumque ecclesiarum eiusdem episcopatus et personarum ecclesiasticarum, que nondum occupata fuerunt per manus sacrilegas eorundem, queque pro maiori securitate et tuicione ipsorum in castro reposita fuerant memorato, circumvallare hostiliter presumpserunt, illudque cum machinis per quinque dies et ultra durissime impetentes, et tandem suffodientes fontem seu puteum, de cuius aqua bibebant custodes dicti castri, et nonnulli nobiles et quamplures alii utriusque sexus iuvenes et infantes, qui dictorum persecutorum faciem et seviciam fugientes, ad dictum castrum cum bonis et rebus suis, que ipsis remanserant, tanquam ad locum securum pro tuitione personarum et rerum suarum duxerant recurrendum, totaliter destruxerunt, sicque prefatis custodibus et nobilibus, iuvenibus et pueris site periclitantibus, et per hoc dictum castrum non valentibus ulterius defensare, dicti magister, commendatores et fratres illud crudeliter occuparunt, ac thesaurum, res et bona omnia supradicta, sicut eis libuit, disperserunt totaliter, et etiam asportarunt, ac villas circumiacentes, que post primum et secundum incendium pauce remanserant, ac alias, que aliqualiter fuerant reformate, cum rebus et bonis existentibus in eisdem, animalibus tamen secum deductis in predam, ignis incendio combusserunt, multis hominibus per eos in ore gladii interemptis, non parcendo sexui vel etati: denique episcopatum et eius ecclesias pro maiori parte destruxerunt et quasi ad nichilum redegerunt, ita quod nisi eisdem episcopo ecclesiis, et personis ecclesiasticis civitatis et diocesis predictarum de oportuno remedio celeriter occurratur, eosdem episcopum et personas in episcopalis dignitatis et ordinis clericalis opprobrium oportebit necessario mendicare, ac dictis ecclesiasticis sine culpa ipsorum dicta subtrahentur obsequia, et per consequens in episcopatu prefato crescet indevotio populi, et infinita pericula animarum insurgent. Quare prefatus episcopus pro se et ecclesiis et personis ecclesiasticis supradictis super premissis ad nos devote recurrens, nobis humiliter supplicavit, ut providere super hiis paterna diligencia curaremus. Nos igitur premissa, si cis veritas suffragetur, nolentes nec valentes conniventibus oculis, salva conscientia, pertransire, quin contra incendiarios, sacrilegos et malefactores huiusmodi, prout predictorum excessuum enormitates exposcunt, ne ipsorum impunitas aliis transeat in exemplum, directe procedamus, fraternitati vestre de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios incendiarios ecclesiarum predictarum, cuiuscunque status,

ordinis et conditionis existant, auctoritate nostra in ecclesiis et locis aliis, ubi expedire videritis, generaliter excommunicatos publice nuncietis, et faciatis per alios nunciari, quorum absolutionem sedi apostolice duximus specialiter reservandam: ac deinde de predictis incendiis, necnon invasionibus, depredacionibus, iniuriis atque dampnis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis, qui fuerint evocandi, informari curetis, et si vobis legitime constiterit de invasione seu violenciis et incendiis supradictis, et personis, que talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuncietis diebus dominicis et festivis, et per alios in locis, ubi expedire videritis, nunciari faciatis, et ab omnibus artius evitari, et tam eos, quam alios invasores, necnon violenciarum, rapinarum et dampnorum huiusmodi illatores ad rehedificationem ecclesiarum, domorum et aliorum edificiorum per eos, vel occasione ipsorum, ut premittitur, destructorum, et satisfactionem et emendationem aliorum bonorum immobillium predictorum, necnon ad restitutionem rerum mobilium ablatarum seu amissarum, vel solutionem extimationis ipsarum, seu emendationem dampnorum supradictis rebus mobilibus illatorum, taxatione per vos prius facta de dictis bonis mobilibus pro personarum et negocii qualitate ac valore, seu extimatione ipsorum mobilium ablatorum, raptorum seu incensorum et deperditorum, ubi ipsorum mobilium valor seu extimatio alias probari non poterit, iuramento eiusdem episcopi et aliorum, qui pertulerunt dampna huiusmodi, declaranda, eisdem episcopo et aliis dampna passis integraliter faciendam, nullo super hoc eisdem invasoribus, incendiariis et violenciarum illatoribus appellationis suffragante remedio, sentencialiter condampnetis, huiusmodi sententiam, quam super premissis proferri contigerit, executioni debite demandantes, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis extiterint, per excommunicationis et suspensionis in personas, et interdicti in terras seu ecclesias eorundem, ac universitates seu communitates dictarum terrarum, ac alia iuris remedia, prout expedire videritis, compescendo, invocato ad hoc, si opus, fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suc diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas commictere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, ac de duabus dietis in concilio generali, et aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si eisdem magistro, provinciali, commendatoribus et fratribus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, qũod excommunicari, suspendi, vel eorum ecclesie, civitates, castra et loca ecclesiastico subici interdicto, seu quod ultra vel extra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, eorumque locis, personis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdictionis explicatio in parte qualibet valeat impediri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque vobis et unicuique vestrum a data presentium sint in premissis omnibus et eorum singulis perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus et singulis et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram nobis cepta fuissent, et iurisdictio nostra super premissis omnibus et eorum singulis per citationem vel modum alium perpetua legitimum extitisset, quacunque constitutione contraria non obstante. Quod si prefati magister, provincialis, commendatores et fratres in hac parte processibus vestris efficaciter parere non curaverint, et etiam obedire, eos ex parte nostra peremptorie citetis, ut infra semestris temporis spacium post citationem vestram cum omnibus eorum et dicte domus exemptionum privilegiis, si qua habent iidem, videlicet provincialis, commendatores et fratres, quos per informationem huiusmodi principales et precipuos repereritis predictorum excessuum patratores, personaliter, dictus vero magister per procuratorem seu procuratores ydoneos, plenum et sufficiens mandatum ac plenam et liberam potestatem habentem seu habentes ad obedien-

dum, et parendum eius nomine et pro parte sua super premissis apostolicis ordinationibus, beneplacitis et mandatis, apostolico conspectui se presentent, hiis, que super premissis iudicio vel concordia facienda iniungenda et statuenda duxerimus, plenarie parituri, et alias facturi et recepturi, quod de sedis eiusdem processerit beneplacito voluntatis: alioquin nisi comparuerint et dicta privilegia portaverint, illa dicte sedi apostolice ostensuri, extunc privilegia ipsa suspendimus, et ipsos interim suis ordinariis volumus esse subiectos, ac nichilominus contra eos, prout iustum fuerit et expedire viderimus, procedemus, eorum absentia non obstante. Ceterum si forte prefatos magistrum, provincialem, commendatores et fratres per vos vel per alium seu alios ausi non fueritis in domibus seu domiciliis eorundem citare, vel ipsi impedimentum prestiterint, ne citari valeant in eisdem: volumus et decernimus vobis et cuilibet vestrum presentium auctoritate licere, ut ipsos diebus aliquibus dominicis vel festivis, cum populus convenerit ad divina, ut sic facta citatio ad eos pervenire verisimiliter presumatur, citare vel citari facere publice in ecclesiis civitatum vel locorum insignium magis vicinorum, in quibus possitis tute morari, et deinde procedere contra illos, sive citati taliter statuto ipsis peremptorio termino competenti coram vobis comparent sive comparere contemnant, iuxta formam presentium, ac si citati alias legittime extitissent: quem quidem citationis modum vobis sit licitum observare etiam in aliis citationibus faciendis de illis, seu contra eos, ut coram nobis debeant, ut premittitur, comparere: quas quidem citationes ita volumus et decernimus eosdem artare citatos, ac si eos personaliter comprehendissent et in eorum provincia facte essent, quacunque constitutione contraria non obstante: diem vero citationis illius, per quam predicti magister, provincialis, commendatores et fratres citati fuerint, ut coram nobis debeant, ut premittitur, comparere, ac formam et quicquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras vel instrumentum publicum harum seriem continentia fideliter intimare curetis. Datum Avinione x. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Part. IV. ep. 672. pag. 150.

CDXLIII.

Ioannes episcopus Cracoviensis et alii ecclesiastici dictae diocesis de quibusdam pecuniis solutis absolvuntur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Epo, et dilectis filiis Iaroslao Petri Archidiacono Cracoviensis ac Nassanoni Simlonis Visliciensis Cracoviensis diocesis, et Prandoche Prandothe S. Floriani iuxta Cracoviam Prepositis, ac Iacobo Zirik Cracoviensis et Dirzconi Pacoslai sancti Floriani Custodibus, et Nicolao de Miloslavitz de Pedgroze, ac Anconi de Cosle de Luboricia Plebanis ecclesiarum, ac Nobili viro Iacobo Grotonis militi dicte Cracoviensis diocesis, salutem etc. Ex parte vestra proposita coram nobis petitio continebat, quod vos duodecim auri in granis ad pondus Cracoviense, et trecentas viginti grossorum Pragensium argenti marchas, per vos dudum a dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis in partibus regni Polonie nuncio, assignante nostro nomine, de pecunia Camere nostre receptas, in proximo preterito festo pentecostes eidem solvere et assignare camere, videlicet dictas duodecim marchas auri in granis, et pro dictis trecentis viginti marchis grossorum Pragensium argenti nongentos et sexaginta florenos boni et puri auri et legalis ponderis, sub excommunicationis pena in vos per eundem nuncium, cuius iurisdictionem super hoc expresse ac voluntarie prorogastis, promulgata, si defeceretis in solutione et assignatione huiusmodi, ac sub certis obligationibus aliis et iuramento proprio debuistis, vos et successores vestros, ac vestra et eorum, ac ecclesie tue Cracoviensis, frater Episcope, bona mobilia et immobilia propterea specialiter et sollempniter obligando, sicut in diversis instrumentis publicis inde confectis plenius continetur. Cumque solutionem et assignationem huiusmodi certis impedimentis vobis occurrentibus in eodem termino nequiveritis adimplere, licet die date presentium decem marchas auri in pulvere seu granis ad pondus Avinionense, valentes dictas duodecim marchas auri ad pondus Cracoviense, et de supradicta nongentorum et sexaginta florenorum auri summa quadringentos et sexaginta florenos auri prefate Camere, per manus dilectorum filiorum Bozathe Decani Cracoviensis et Gregorii Barchosii Rectoris sancti Benedicti iuxta Cracoviam ecclesiarum procuratorum vestrorum, solvendos duxeritis, ac eciam assignandos, nobis humiliter supplicastis, ut super solutione et assignatione dictarum duodecim marcharum auri ad dictum pondus Cracoviense, et quadringentorum sexaginta florenorum auri, factis, ut premittitur, Camere supradicte, vobis de cautele sufficientis remedio, et a predicta excommunicationis sententia, quam incurrisse, ac a reatu periurii, quo irretiti noscimini propter duodecim marcharum auri quantitatem et non-

gentorum sexaginta florenorum summam predictas in statuto termino iuxta tenores obligationum huiusmodi non solutas, de absolutionis beneficio auctoritate apostolica providere, nec non et de residuis quingentis florenis de summa nongentorum sexaginta florenorum predicta remanentibus ad solvendum usque ad aliquem competentem terminum dilationem concedere dignaremur. Nos autem supplicationi vestre huiusmodi benignius inclinati, predictam solutionem et assignationem de duodecim marchis auri in granis ad dictum pondus Cracoviense, et quadrigentis sexaginta florenis auri dicte Camere factam, ut premittitur, ratam habentes et gratam, vos ac vestrum quemlibet, et successores vestros ac predictam Cracoviensem ecclesiam, omniaque vestra et ipsorum bona mobilia et immobilia de dictis duodecim marchis auri, et quadringentis sexaginta florenis, ut premittitur, nomine vestro dicte Camere solutis absolvimus tenore presentium et quitamus, vos et vestrum quemlibet ab excommunicationis sententia, quam non solvendo predictam auri in granis et florenorum summam superius expressatam in predicto elapso termino Pentecostes incurristis, et a reatu predicti periurii in personas dictorum procuratorum vestrorum ad hoc speciale mandatum habentium iuxta formam ecclesie absolvimus, vobiscum, frater Episcope, ac filii Archidiacone, Prepositi, Custodes et Plebani, super irregularitate, si quam celebrando divina vel immiscendo vos illis dicta ligati sentencia forsitan contraxistis, ex uberioris dono gratie nichilominus dispensantes. Rursus ad solvendum dictos quingentos florenos auri de summa superius expressata restantes usque ad instans festum Nativitatis dominice terminum vobis prefigimus, ac eciam assignamus, volentes, ac etiam decernentes, quod obligatio facta super totali debito supradicto quo ad dictos quingentos florenos auri in sui roboris firmitate persistat, quodque vos in eandem excommunicationis sentenciam ipso facto, si in solutione dictorum quingentorum florenorum auri facienda in dicto festo Nativitatis dominice defeceritis, recidatis. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, quitationis, dispensationis, prefixionis, assignationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione v. Idus Iunii. Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Secret. ep. 1283. fol. 203.

CDXLIV.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Prussia solutio denarii S. Petri in Culmensi dioecesi etc. per annum prorogatur.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro generalis hospitalis beate Marie Theutonicorum, ac Commendatoribus et fratribus eiusdem hospitalis per Pruciam constitutis, salutem etc. Olim pro parte vestra proposito coram nobis, quod ex eo, quia census, qui denarius beati Petri nuncupatur, per personas Culmensis diocesis et illius partis terre Pomeranie, quam hospitali vestro asseritis esse subiectam, nobis et ecclesie Romane annis singulis debitus nobis et ipsi ecclesie minime solvebatur, in ecclesias interdicti et in personas eiusdem hospitalis singulares, diocesis et partis predictarum suspensionis sentencie iam dudum auctoritate apostolica promulgate fuerunt, et longo tempore observate, quodque propter hoc et divinorum ibidem carentiam animabus periculum, et propagationi fidei christiane detrimentum maximum imminebant: Nos vestris supplicationibus inclinati, predictas interdicti sententias diversis temporibus duximus sub certis modis et formis usque ad certos terminos per diversas nostras litteras suspendendas, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem ultime suspensionis huiusmodi terminus sit elapsus, et populus ac Universitas diocesis et partis predictarum ad solutionem dicti census nobis et ecclesie memorate prestandam de cetero, sicut accepimus, se disponant, nobis humiliter supplicastis, ut easdem interdicti sententias usque ad aliquem alium terminum competentem, infra quem nos de hiis certificare possitis, plenius suspendere dignaremur. Nos itaque supplicationi huiusmodi benignius annuentes, usque ad instans festum omnium Sanctorum, et ab inde usque ad unum annum extunc immediate de gratia speciali sententias interdicti suspendimus antedictas. Nulli ergo etc. Datum Avinione III. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

Ex Reg. orig. An. XV. Secret. ep. 329. fol. 98.

CDXLV.

Ioannes episcopus Cracoviensis redarguitur, quod collectorem apostolicum in decimarum exactione non adiuvat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. De te, frater, non sufficimus admirari, quod sicut infesta insinuatio nostris auribus instillavit, tu dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis in eis partibus nuncio, super hiis, que utilitatem nostram et ecclesie Romane respiciunt, presertim in recipiendis pecuniarum in ipsis partibus

per prefatum nuntium collectarum depositis, nedum omittis instanter per eum requisitus assistere, quin immo dilectos filios Capitulum ecclesie tue ac alias ecclesiasticas personas ab inde, ac aliis suis oportunitatibus retrahis, ingratitudinis vicium erga nos et eandem ecclesiam super hiis non vitando. Quocirca fraternitatem tuam requirimus et rogamus attentius, eidem nichilominus iniungendo, quatinus actus reprehensibiles huiusmodi celeriter corrigens et prudenter, tam super dictis recipiendis depositis et ad sedem apostolicam tute ac fideliter transmittendis, quam aliis eidem assistas nuncio et per dictum Capitulum et alios, qui per eum requirentur super hiis, assisti fideliter et prompte procures, eum in hiis et aliis etiam taliter dirigendo, quod commendari potius de gratitudine, ac nostram et eiusdem sedis uberiorem gratiam promereri valeas, quam de ingratitudine reprehendi. Datum Avinione VI. Nonas Octobris. Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. Secret. ep. 1333. fol. 287.

CDXLVI.

Idem episcopus et ecclesiastici dioecesis Cracoviensis de decima soluta absolvuntur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Ep̄o, et dilectis filiis Iarislao Petri Archidiacono Cracoviensi et Nassanoni Samilonis Visliciensis Cracoviensis diocesis, et Prandoche Prandothe sancti Floriani iuxta Cracoviam Prepositis, ac Iacobo Zirik Cracoviensis et Dirzconi Pacoslai sancti Floriani Custodibus, et Nicolao de Miloslaviz de Pedgroze ac Anconi de Cosle de Luboricia Plebanis ecclesiarum, et nobili viro Iacobo Grotonis militi dicte Cracoviensis diocesis, salutem etc. Cum vos quingentos florenos auri ad solvendum restantes de nongentorum sexaginta florenorum auri summa, in qua pro trecentis viginti marchis grossorum Pragensium argenti per vos a dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis in partibus regni Polonie nuntio, de pecunia ad Cameram nostram pertinente receptis, eidem Camere dudum eratis astricti, super quorum quingentorum florenorum solutione memorate Camere facienda vobis per alias litteras nostras, sub data V. Idus Iunii proxime preteriti confectas, terminum usque ad iustans festum Nativitatis dominice tunc prefiximus et assignavimus, sicut in eisdem litteris plenius continetur, die date presentium per manus dilecti filii Petri Rimboldi, Canonici ecclesie sancti Egidii Cracoviensis, persolvendos supradicte Camere duxeritis et etiam assignandos: Nos vestris supplicationibus inclinati, solutionem et assignationem huiusmodi gratam et ratam habentes, de predictis quingentis florenis auri vos et vestrum quemlibet et successores vestros ac ecclesiam Cracoviensem, omniaque vestra et ipsorum bona perpetuo absolvimus et quitamus. Datum Avinione II. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. Part. I. ep. 223. fol. 60.

CDXLVII.

Nuncio apostolico, ut inter regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum pacem reconciliet.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Petro de Alvernia in Regno Polonie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Attendentes, quod ex periculosis dissidiis, que inter Carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Regem Polonie Illustrem ex parte una, et dilectos filios . . . Magistrum et fratres domus beate Marie Theutonicorum ex altera suscitare hostis humani generis studuit, invicem per guerrarum et vastationum hostilium fremitus non absque rerum dispendiis, personarum excidiis et animarum amarius deplorandis periculis multipliciter, sicut rei manifestat evidentia, commonendo tam eisdem Regi, Magistro et fratribus, quam aliis christicolis earum partium meritis (?), utique crucis hostibus blasphemis christiani nominis (?), provenerunt hactenus et proveniunt incessanter innumerabilia nocumenta, ac cupientes inter ipsos pacis et unitatis federa, ut sic uniti ad defensionem fidei et fidelium ac dictorum expugnationem hostium fortiores et promptiores reperiantur, suffragante gratia divina, continue reformari, eos ad mutuam pacem et concordiam per alias litteras nostras diversas, quas super hoc eis dirigimus, inducendos providimus et hortandos eosdem per dictas litteras, nos promptos ad hec adhibere partes solicitudinis apostolice, quando et quotiens oportunum extiterit, nichilominus offerendo. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus prenominatis Regi, Magistro et fratribus per te vel alium seu alios predictas litteras nostras presentans, ipsos ad pacem et concordiam huiusmodi efficaciter inducere iuxta datam a deo tibi prudentiam non postponas, rescripturus nobis, quicquid actum extiterit, et per nos agi ad dei laudem et gloriam poterit in hac parte. Datum Idibus Aprilis. Anno Sextodecimo.

Secret. Ex Reg. orig. An. XVI. ep. 1320. fol. 283.

CDXLVIII.

Regi Poloniae, ut cum fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum pacem et concordiam ineat.

Iohannes episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Wladislao Regi Polonie Illustri, salutem etc. Divinis acceptum crederemus beneplacitis, ac fidelibus et fidei catholice multipliciter expedire, quod principes et potentes, illi presertim, qui vicini crucis hostibus sanguinem christianorum sitientibus existentes, habent interdum cum eisdem infidelibus pro eiusdem defensione fidei confligere, sic pacis et unitatis federe iungerentur, quod voluntate unanimes et caritate concordes reperirentur continue circa hoc fortiores. Sane cum inter te, fili carissime, et dilectos filios Magistrum et fratres domus beate Marie Theutonicorum gravis dissensionis invicem vigeat et viguerit hactenus, humani generis inimico procurante, materia, que per guerrarum et hostilium vastationum fremitus non solum utrique parti, quinimo partium earum christicolis hostium voracitati predictorum expositis, dampna rerum ac corporum et animarum amarius deploranda pericula, sicut rei manifestat evidentia, ministravit, hostibusque predictis exultandi modum prohdolor tribuit, et eis dampnatam adauxit audaciam in eosdem christicolas crudelius seviendi, Magnificentiam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus premissa in examine regie considerationis adducens, et nichilominus quam graviter ex malis predictis et periculis, que ipsa preteritis parturivit temporibus dissensio, deus offendi potuerit et posset, si duraret, imposterum gravius provocari, merito consideranter attendens, circa pacis et unitatis federa cum eisdem fratribus reformanda, ut tu, dilectissime fili, et ipsi vinculo pacis et caritatis coniuncti possitis, utriusque subditis in pacis ipsius pulcritudine quiescentibus, magis gratum et fructuosum obsequium prestare in hac parte altissimo, animum Regium habilites et inclines: nos autem pro pace et concordia huiusmodi paratos nos offerimus apostolice solicitudinis partes, quando et quotiens oportunum extiterit, adhibere, et ne reformationi pacis huiusmodi possit obstaculum interponi, nos ex nunc quascumque colligationes, pactiones et ligas inter te, fili amantissime, et quosvis alios, seu quascumque personas ecclesiasticas vel seculares invicem inter se, vel tecum etiam, aut tu cum illis, factas, vel quomodocumque initas, etiam si essent iuramentis, penarum adiectionibus vel quavis alia firmitate vallate, quantum ad hoc dissolvimus, iuramenta et penas huiusmodi totaliter auctoritate apostolica de potestatis plenitudine nichilominus relaxantes. Datum Avinione Idus Aprilis. Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. Secret. ep. 1354. fol. 289.

CDXLIX.

Iacobo episcopo Osiliensi conceditur, ut Curoniensi, Sambiensi, Culmensi et Pomesanensi Rigensis provinciae ecclesiis, si vacarent, de pastoribus provideat, iisque munus consecrationis impertiat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Osiliensi, salutem etc. In specula domini quanquam immeriti divinitus constituti, recte vigilis speculatoris officium exercemus, cum attente omnium ecclesiarum regularium et secularium, presertim Cathedralium statum regendum salubriter et feliciter dirigendum diligenter attendimus, ac personarum, locorum, temporum et causarum qualitatibus et circumstantiis prudenter attentis, opem et operam, quantum nobis desuper conceditur, efficaciter impertimur, qualiter ecclesiarum ipsarum, precipue cum eas propriis pastoribus vacare contingit, status huiusmodi prospere ac utiliter, summotis obstaculis iuri obviis, valeat reparari, ut eedem ecclesie sub ducatu pastorum utilium fore (sic) gubernate atque directe, cum eis dominica dextera faciente virtutem, in prosperitatis amenitate refloreant, salutis, honoris et commodi fructus uberes pariture. Sane ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod cum Curoniensem, Sambiensem, Culmensem et Pomezaniensem ecclesias Rigensis provincie contingit propriis vacare pastoribus, et apud eas electiones de futuris presulibus celebrari, electiones huiusmodi . . . Vicario in spiritualibus generali Venerabilis fratris nostri Frederici Archiepiscopi Rigensis, cui ecclesie ipse iure metropolitico subsunt, quique dudum fuit, prout est, apud sedem apostolicam personaliter constitutus, in Civitate vel diocesi Rigensibus existenti et reperto pro tempore presentantur, et ab hiis, quibus hec de iure competunt, electiones easdem instanter petitur per eundem Vicarium, exigente iustitia, confirmari. Verum quia dictus Vicarius respondere consuevit, se confimrandi electiones prefatas potestatem a dicto Archiep̄o minime recepisse, oportuit ecclesias predictas subire gravia onera expensarum, recurrendo super premissis ad Archiepiscopum prefatum apud dictam sedem, ut predicitur, constitutum, et ad eum propterea transmittendo personas,

arduis laboribus inutiliter fatigatas, pro eo, quod idem Archiepiscopus se nimis difficilem reddiderat, et demum se inexpedibilem ostenderat in hac parte. Quia igitur equitatis ratio exigit, et pietatis consideratio persuadet, ut ad evitandum imposterum expensas et labores huiusmodi, et ecclesiarum ipsarum indempnitatibus precavendum, ne occasione huiusmodi ecclesie prefate vacent diutius, et incurrant propter vacationem huiusmodi non levia detrimenta, super predictis oportune provisionis adhibeatur remedium per providentiam dicte sedis: nos auctoritati metropolitice deferre volentes, super hiis intentionem exquisivimus dicti Archiepi apud dictam sedem et tunc coram nobis presentialiter existentis. Et quia dictus Archiepiscopus nobis respondit, se non posse electiones huiusmodi confirmare, sed quod potestas confirmandi eas in nostris manibus existebat, nos supradictis et singulis pia et provida consideratione pensatis, attendentes, quod in remotis existunt partibus ecclesie antedicte, et tam ex hoc, quam etiam ex aliis rationabilibus causis volentes super premissis salubriter et utiliter providere, auctoritate apostolica ordinamus et volumus, tueque fraternitati per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si Curoniensis, Sambiensis, Culmensis et Pomezaniensis ecclesie supradicte suis pastoribus vacant ad presens, et de futuris pastoribus celebrate sunt electiones in illis, tu electiones ipsas, alioquin quamprimum Curoniensem, Sambiensem, Culmensem et Pomezaniensem ecclesias memoratas, et quamvis earum imposterum suis pastoribus vacare contigerit, ac celebrari electiones in illis, electiones huiusmodi celebrandas, si eas, vocatis, qui fuerint evocandi, ac inquisita de modis electionum huiusmodi, studiis eligentium et electorum meritis diligentius veritate, invencris canonice ac de personis ydoneis celebratas, illas auctoritate apostolica predicta, quamdiu dictum Fredericum Archiepiscopum in Romana Curia residere contingat, confirmare, alioquin eas rite et sententialiter infirmare procures, et si electiones huiusmodi per te confirmari contigerit, curam et administrationem cuiuscunque ipsarum ecclesiarum in spiritualibus et temporalibus earumdem electis auctoritate apostolica iam dicta tu plene committas, et subsequenter dictis electis, ascitis et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis gratiam et communionem prefate sedis habentibus, munus consecrationis auctoritate apostolica impendas eadem, vel huiumodi munus eisdem electis impendi facias per alium antistitem similiter catholicum, similem gratiam et communionem habentem, ascitis et in hoc assistentibus sibi duobus vel tribus catholicis Episcopis huiusmodi gratiam et communionem habentibus, ut prefertur, faciens, prout de iure fuerit, prefatis electis ab eorum subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Nec non tu, si dictis electis munus predictum impenderis, vel antistes, per quem illud eis fuerit impensum, recipiatis postmodum ab eisdem electis et consecratis nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam presentibus annotatam, ac formam iuramenti etc. per proprium nuntium quamtocius destinare curetis: per hoc autem dicto Archiepiscopo nullum imposterum preiuditium generetur. Forma autem iuramenti prefati, quod dicti electi et consecrati prestabunt, talis est. Ego ... Episcopus ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque apostolice Romane ecclesie, et domino meo, domino Iohanni pape XXII. suisque Successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione: Consilium vero, quod michi crediturí sunt per se aut per nuntios suos sive per litteras, ad eorum dampnum me seiente nemini pandam, papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem: Legatum apostolice sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo: Vocatus ad synodum veniam, nisi propeditus fuero canonica prepeditione: apostolorum limina singulis trienniis visitabo per me aut per meum nuntium, nisi apostolica absolvar licentia: possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano pontifice: sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia. Datum Avinione II. Kalendas Maii. Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. Part. I. ep. 921. fol. 252.

CDL.

Friderico archiepiscopo Rigensi conceditur, ut de libris suis disponere possit.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Friderico Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Sinceritas tue devotionis exposcit, amor scientie litteralis, quem tuis affectibus diuturnis prosequeris, exigit, tueque pure intentionis soliditas promeretur, ut tuis desideriis meritoriis et honestis pro tue mentis

solamine favorabiliter annuamus. Presentate siquidem nobis petitionis tue series continebat, quod dudum cum de ordine Minorum, cuius professor existis, assumptus fuisti et ad tuam Rigensem ecclesiam promotus, libros, quos in ordine ipso habueras, tecum portasti et hucusque retinuisti, sicut per prelatos de ordine prefato assumptos communiter fieri consuevit, quodque postea multos libros alios acquisisti: unde cum huiusmodi primos libros restituere intendas ordini prelibato, et alios acquisitos pie distribuere et donare disponas, usu tamen tibi, quoad vixeris, retento librorum omnium predictorum, nobis humiliter supplicasti, ut impertiri tibi super premissis gratiosum iuxta nostrum beneplacitum licentiam dignaremur. Nos igitur in hac parte zeli tui propositum laudabile attendentes et gratificari volentes liberaliter votis tuis huiusmodi, super hoc tuis devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tue, restitutis predictis primis libris, quos in ordine ipso habuisti et tecum portasti, ut prefertur, ordini antedicto, et de aliis iam dictis libris, per te, ut premittitur, acquisitis, parte, de qua tibi conveniens visum fuerit, cuius in hoc conscientiam oneramus, eidem tue ecclesie assignata, ut reliquos ex eisdem libris acquisitis infra dictum ordinem tuum distribuere valeas, tenore presentium licentiam indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione VII. Kalendas Iulii. Anno Sextodecimo.

Ex Reg. orig. An. XVI. Part. II. ep. 1182. fol. 30.

CDLI.

Ioanni de Haynonia in ecclesia Vratislaviensi de beneficio allodiali providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Haynonia Cancellario ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Laudabilia tue probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque in diocesi Wratislaviensi sint nonnulla perpetua beneficia ecclesiastica sine cura, que Allodia vulgariter nuncupantur, consueta per Venerabilem fratrem nostrum . . . Episcopum Wratislaviensem ecclesie Wratislaviensis Canonicis, vel dignitates obtinentibus in eadem conferri: Nos volentes tibi premissorum intuitu et consideratione carissime in Christo filie nostre Hedwigis Regine Polonie Illustris, pro te Cappellano suo nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, unum de dictis perpetuis beneficiis, cuius fructus, redditus et proventus quindecim marcharum argenti valorem annuum secundum taxationem decime non excedant, si quod in dicta diocesi vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris accceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolicé reservamus, districtius inhibentes eidem Ep̄o etc. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione IV. Nonas Aug. Anno XVI.

Ex Reg. orig. An. XVI. Part. II. ep. 1300. fol. 60.

CDLII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Schellndorf Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Caroli Regis Ungarie Canonicatum et prebendam in dicta ecclesia. Datum Avinione IX. Kal. Augusti. Anno Sextodecimo.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Iaroslao, nato dilecti filii Spiekonis Castellani Cracoviensis, Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam in dicta ecclesia, indulgetque, ut in ecclesia Cracoviensi Canonicatum et prebendam retinere possit. Datum Avinione IV. Nonas Augusti. Anno Sextodecimo.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Andree de Mazovia Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam in dicta ecclesia, indulgetque, ut in Wladislaviensi ac Poznaniensi et S. Floriani in suburbio Cracoviensi ecclesiis Canonicatus et prebendas retinere possit. Datum Avinione IV. Non. Aug. Anno XVI.

Ex Reg. orig. An. XVI. Com. ep. 1211, 1212 et 1630.

CDLIII.

Episcopo Vratislaviensi, ut cum Lestkone duce Ratiboriensi et Agnete nata ducis Silesiae de matrimonio inito dispenset.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Romanus pontifex, collatis sibi in persona beati Petri clavibus regni celestis, ligandi obtinens pontificium et sol-

vendi, nonnunquam supra ius dispensando de iure necessitatis vinculum, quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de sue potestatis plenitudine circa quosdam, et precipue circa personas generis nobilitate sublimes, erga deum et sedem apostolicam devotione precipua refulgentes. Ex tenore siquidem petitionis pro parte nobilis viri Lestkonis ducis Ratiboriensis porrecte nobis nuper accepimus, quod ipse, qui unicus heres ducatus sui Ratiboriensis infra regnum consistentis Polonie Romane ecclesie censuale fore dinoscitur, cupiens previa dei gratia precavere, quod dictus ducatus et alia bona sua ad alienos minime devenirent, et attente considerans, quod inter filias ducum et principum dicti regni nullam sibi matrimonialiter copulandam poterat reperire, que sibi non esset linea consanguinitatis coniuncta, et quod suo non competebat statui et honori, aliquam inferioris status ducere in uxorem, cum nec etiam dicti ducatus et subditorum suorum statui expediret, quod ipse dux ulterius absque coniuge remaneret, tandem de aliquorum ducum predictorum consilio ipse Lestko et nobilis mulier Agnes, nata dilecti filii Nobilis viri Henrici ducis Slesie, non ignorantes, quod ipsa Agnes eundem Lestkonem ex utroque parente ipsius Lestkonis quarto consanguinitatis gradu contingit, sub spe gratiose dispensationis a nobis obtinende matrimonium invicem contraxerunt, inter eos demum post traditionem eiusdem Agnetis ad domum ipsius Lestkonis ut eius coniugis carnali copula subsecuta: Quare pro parte Lestkonis et Agnetis predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi, impedimento consanguinitatis huiusmodi obsistente, nequeant in huiusmodi matrimonio licite remanere, ac ex separatione ipsorum, si fieret, inimicitie capitales et alia multa mala inter Lestkonem et Henricum duces predictos et ipsorum consanguineos possent verimiliter suboriri, nos non eorumdem Lestkonis et Agnetis culpam, sed apostolice miserationis plenitudinem attendentes, eis de absolutionis ab excommunicationis sentencia, quam propterea incurrerunt, et oportune dispensationis beneficio providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, eorumdem Lestkonis et Agnetis supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si tibi videatur expediens, quod dicta dispensatio concedatur, super quo tuam conscientiam oneramus, ipsis Lestkone et Agnete separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, ipsos ab excommunicationis sentencia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas, iniuncto eis inter alia sub virtute iuramenti prestandi, quod similia non committant, nec facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, iniunctis ipsis etiam penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et demum cum eisdem Lestkone et Agnete, ut impedimento huiusmodi non obstante matrimonium de novo invicem contrahere, ac in ea, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate predicta dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legittimam decernendo. Datum Avinione III. Nonas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 1098. fol. 350.

CDLIV.

Iacobus episcopus Osiliensis a liminum apostolorum visitatione absolvitur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Osiliensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam precipua benevolencia prosequentes votis tuis, quantum cum deo possumus, libenter annuimus, in hiis presertim, que tui status quietem et commoda respicere dinoscuntur, ut quanto magis sedem ipsam, que se in tui honoris augmento propitiam exhibuit, favorabiliorem inveneris et benignam, tanto cam studeas devotius venerari. Sane pro parte tua nobis oblata petitio continebat, quod te Osiliensi ecclesie tunc vacanti in Episcopum prefecimus et pastorem, iuramento, ut moris est, prestito promisisti, quod apostolorum limina singulis quadrienniis per te vel alium visitares, quamquam ecclesia ipsa privilegium exemptionis non habeat, sed iurisdictioni Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Regensis iure metropolitico sit subiecta: quare nobis humiliter supplicasti, ut cum dicta ecclesia a Romana curia distat per spacia octuaginta vel circiter dietarum, habentia in se pericula gravissima maris et terre, et etiam continuum Sarracenorum insultum, et in itinere veniendo ad dictam curiam sepe quinque vel sex mensibus laboretur, in huiusmodi sumptuosis difficultatibus et periculis itinerum pio tibi compacientes affectu, tecum in hac parte gratiosius agere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tue huiusmodi devotionis exigentibus meritis volentes te et eandem tuam Osiliensem ecclesiam ab expensis et laboribus ac oneribus, que vos oporteret subire, propterea pater-

nis studiis relevare, tuis supplicationibus inclinati, te a iuramento predicto, quo ad huiusmodi visitationem dumtaxat, dummodo ad eam faciendam alias realiter minime tenearis, apostolica auctoritate usque ad apostolice sedis beneplacitum absolvimus, volentes iuramentum ipsum in ceteris aliis inviolabiliter observari. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione VIII. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 1149. fol. 350.

CDLV.

Petrus de Alvernia episcopum Cracoviensem requirit, ut sibi investituram canonicatus et praebendae in ecclesia S. Floriani prope Cracoviam ab Wladislao rege collatorum impertiatur.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo tricesimo tertio, Indictione prima, die sexta mensis Martii, hora vesperarum, in Cracovia in domo habitationis Venerabilis patris in Christo et domini, domini Iohannis dei et apostolice sedis gratia Cracoviensis Episcopi, prope aquam Visle in civitate Cracoviensi, in presentia mei notarii subscripti et testium subscriptorum discretus vir dominus Petrus Alhandi, capellanus et procurator in hac parte Venerabilis et discreti viri dñi Petri de Alvernia, licenciati in legibus, Noviomensis canonici et apostolice sedis nuncii in regno Polonie, requisivit predictum dominum Episcopum Cracoviensem super Institutione et Investitione quorumdam canonicatus et prebende vacantium in ecclesia sancti Floriani prope Cracoviam per mortem Dzrisconis, prout in quadam papiri sedula ibidem exhibita et lecta seriosius continetur: cuius quidem sedule tenor sequitur in hec verba. Reverende pater, domine Iohannes Cracoviensis Episcope, Ego Petrus Alhandi presbiter, procurator in hac parte Venerabilis viri domini Petri de Alvernia Canonici Cracoviensis, nuncii sedis apostolice, requiro vos instancia, qua possum et debeo, quo supra nomine, quatinus instituatis me et investiatis canonice nomine quo supra de canonicatu et prebenda ecclesie sancti Floriani prope Cracoviam, vacantibus ibidem per mortem Dzrisconis ultimi canonici in eisdem canonicatu et prebenda, cum dictus dominus Petrus de Alvernia fuerit per beate memorie serenissimum principem dominum Wladislaum regem Polonie per suas patentes litteras vobis, dum viveret, presentatus, ad quem dominum regem ius patronatus et presentatio memoratorum canonicatus et prebende noscitur pertinere, et adhuc vivente dicto domino rege, per procuratores legitimos ad hoc dicti domini Petri de Alvernia investitio a vobis petita extitit certa die in Kilcia vestre Cracoviensis diocesis, quam facere minus debite recusastis: et cum dictus dominus Episcopus respondisset et dixisset, quod, antequam littere ex parte domini Petri de Alvernia predicti sibi fuissent in Kilcia super hoc presentate, investiterat de dictis canonicatu et prebenda Nicholaum filium Eustachii subdapiferi domini regis Polonie, sibi per dictum dominum regem, ut asserebat, primitus presentatum, et sic nec tunc, nec modo dictum dominum Petrum vel suum procuratorem poterat, nec debebat de eisdem canonicatu et prebenda aliquatenus investire: unde a dictis denegatoribus idem Petrus procurator dicti domini Petri de Alvernia, et pro ipso ibidem a dicto domino Episcopo et contra ipsum appellavit et provocavit in scriptis, et appellationem legit et intimavit, ut inferius continetur. Cum appellationis remedium fuerit a sanctis patribus rationabiliter adinventum, idcirco Ego Petrus Alhandi presbiter, procurator legitimus in hac parte Venerabilis viri domini Petri de Alvernia, licenciati in legibus, canonici Cracoviensis, et apostolice sedis nuncii, sentiens me gravatum quo supra nomine a vobis Venerabili patre in Christo et domino Iohanne dei et apostolice sedis gratia Episcopo Cracoviensi, ex eo et pro eo, quia cum vacassent et vacant canonicatus et prebenda in ecclesia sancti Floriani prope Cracoviam per mortem Dzrisconis ultimi ibidem canonici, spectantes ad collationem et presentationem serenissimi principis domini Regis Polonie Illustris, sancte memorie dominus Wladislaus rex Polonie tempore, quo vivebat, predictum dominum Petrum de Alvernia, cuius procurator sum in hac parte, ad dictos canonicatum et prebendam vobis per suas patentes litteras legitime presentavit, requirens vos, ut memoratum dominum Petrum in dictis canonicatu et prebenda institueretis canonice, prout in dictis litteris regiis, quas vobis exhibere paratus sum, plenius continetur: quarum quidem litterarum tenor sub manu publica fuit vobis septimana proxime preterita videlicet XXV. die Februarii in Kilcia vestre diocesis per Petslaum, procuratorem dicti domini Petri, et nonnullos alios suos procuratores ad hoc legitimos, vivente dicto domino Rege, presentatus, et petiverunt vos iidem procuratores ad hoc, ut eos vel eorum aliquem quo supra nomine investiretis de memoratis canonicatu et prebenda, quod facere aliquibus indebitis ratio-

nibus denegastis, sicut mihi nunc in simili casu denegatis, dicendo, quod Nicholaum filium Eustachii subdapiferi dicti domini Regis dicte vestre Cracoviensis diocesis, laycum et illiteratum, et alias inhabilem ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, consanguineum vestrum, investiveratis de dictis canonicatu et prebenda, qui vobis prius per dictum dominum Regem fuerat, ut asseritis, presentatus: que presentatio et institutio, si ita dici debeant, si que fuerint, quod non credo, penitus nulle fuerunt de persona minus ydonea, ut premittitur, et affectione consanguinitatis per vos, si ita est, minus canonice instituta, quam presentationem dicti Nicolay idem dominus rex reprobavit in litteris suis predictis, concessis eidem domino Petro, prout in eisdem litteris plenius continetur: idcirco ex memoratis denegationibus iuris et gravaminibus et institutione, quam factam esse dicitis, que nulla est, si facta fuerit, ipso iure, predictis rationibus et nonnullis aliis a vobis dicto domino Episcopo ad sanctam sedem apostolicam infra tempus debitum computandum a nostra scientia in hiis scriptis provoco et appello, petens a vobis dicto domino Episcopo instanter, frequenter et pluries in huiusmodi appellatione per vos apostolos hic in Cracovia mihi dari, cum vos per terram sequi non valeam, timore ductus, qui cadit in constantem, ponens nos et memoratos canonicatum et prebendam in protectione et custodia dicte sedis: et ibidem dictus dominus Episcopus promisit dare apostolos in huiusmodi appellatione dicto procuratori infra iuris terminum, si copia huiusmodi appellationis sub manu publica interim sibi detur. Datum et actum anno, die, loco, hora, indictione, quibus supra, presentibus spectabili principe domino Letchone duce Cuaviensi, domino Clemente Scolastico Gneznensi, magistro Petro Cantore Villiciensi, Petro Amici clerico Lemovicensis diocesis, et pluribus aliis fidedignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Post hec vero decima nona die mensis Martii immediate sequenti in Cracovia in memorata domo episcopali, hora vesperarum, dictus procurator dedit et assignavit dicto domino Episcopo copiam predicte appellationis in quodam publico instrumento, confecto per manum Petri Amici auctoritate apostolica publici notarii, petens iterum idem procurator in dicta appellatione frequenter et pluries apostolos sibi dari, et idem dominus Episcopus, recepta copia dicte appellationis, promisit dare dictos apostolos eidem procuratori hic in Cracovia in sequenti proximo die festivitatis Pasche, que dies erit tricesima ab interpositione appellationis sive provocationis predicte, testibus presentibus venerabilibus viris dominis Prandotte preposito Scarbimiriensi, et magistro Petro Cantore Wisliciensi, Alberto Capellano sancti Nicolay prope Cracoviam, et Petro Amici clerico Lemovicensis diocesis, ad hoc vocatis specialiter et rogatis. Rursus vero predicta die Paschc hora tercia memoratus procurator accessit ad dictam domum dicti domini Episcopi, interrogans, si dictus dominus Episcopus presens erat ibidem, et responsum extitit eidem procuratori per quendam vocatum Bosguslaum manentem in dicta domo, quod idem dominus Episcopus non erat in dicta domo sua, nec in civitate Cracoviensi, immo absens erat et fuerat per plures dies de dicta civitate, et sic dari non poterant dicti apostoli a predicto domino Episcopo illa die, et dicta absentia publice erat nota in dicta civitate: Quare dicti apostoli haberi non potuerunt, ut premittitur, a domino Episcopo memorato, presentibus testibus dicto Petro Amici clerico Lemovicensis diocesis, et Symone filio Nicholay manentis de Ianua civis Cracoviensis ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et ego Guillermus de Platea, clericus Lemovicensis diocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, requisitioni, responsioni, lectioni, dicte appellationis interpositioni, et apostolorum petitioni, et predictis omnibus universis et singulis una cum prenominatis testibus presens fui, et predicta omnia universa et singula rogatus scripsi, et in hanc publicam formam redegi, meumque signum consuetum huic presenti publico instrumento duplicato per me ex causa apposui in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 204. Nro. 30.

CDLVI.

Petrus de Alvernia quosdam constituit procuratores, qui nomine suo canonicatum et praebendam ecclesiae S. Floriani prope Cracoviam ab Wladislao rege collatos recipiant.

In nomine domini amen. Anno eiusdem millesimo ccc.tricesimo tercio, Indictione prima, XXVIII. die mensis Aprilis in Cracovia hora completorii, in domo habitationis venerabilis viri domini Petri de Alvernia, licenciati in legibus, Novimensis canonici et apostolice sedis nuncii in regno Polonie, in presentia mei notarii subscripti et testium subscriptorum predictus venerabilis vir dominus Petrus de Alvernia fecit, constituit et ordinavit suos veros et legitimos procuratores et nuncios speciales, absentes

tamquam presentes, videlicet venerabiles et discretos viros dñum Dominicum Cracoviensis et Petrum Angolimensis et Iohannem sancti Iuniani de Alvernia, fratres suos, ecclesiarum canonicos, dominum Laurentium de Linars subcamerarium dñi Cardinalis Anticiodorensis, magistrum Petro de Bonaco, Iohannem Peyrussandi uotarium curie officialis Avinionensis, et eorum quemlibet insolidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per unum inceptum fuerit, per alium mediare valeat et finire (sic), scilicet ad petendam et repetendam institutionem seu investituram canonicatus et prebende ecclesie sancti Floriani prope Cracoviam, ad quos canonicatum et prebeudam exstitit idem constituens per beate memorie Wladislaum Regem Polonie, patronum dictorum canouicatus et prebende, legitime presentatus, a sanctissimo in Christo patre domiuo uostro summo pontiffice, vel a quocumque alio habente vel habituro super hoc potestatem, uec non et ad impetraudum et contradicendum quascunque litteras super premissis, vel in curia contradictarum, vel alibi apostolicas vel alias, secundum quod dictis procuratoribus vel alicui eorumdem visum fuerit expedire, dans et concedens idem constituens memoratis suis procuratoribus et cuilibet eorumdem generalem et liberam potestatem, dictas institutionem seu investituram petendi et recipiendi, et quascunque litteras impetrandi et contradicendi, ut premittitur, et iurandi in quocumque genere iuramenti, crimiua et defectus opponendi, beneficium in integrum restitutionis, si uccesse fuerit, petendi et recipiendi, beneficium absolutionis a quibuscunque excommunicationibus, et a quibuscumque dictum beneficium posset concedere (?), si opus fuerit, petendi et recipiendi, et omnia alia et singula faciendi, que ipse constituens posset facere, si personaliter presens interesset, que iu premissis vel aliquo premissorum fuerint necessaria, vel etiam oportuna, etiam si mandatum exhigant speciale, licet maior actus occurrerit, quam superius in casibus specialibus sit expressum, ratum et gratum habens idem constitueus, quidquid per dictos procuratores suos vel aliquem eorumdem petitum, receptum, iuratum, apositum, impetratum, contradictum circa premissa vel aliquod premissorum fuerit, vel etiam procuratum, protestaus idem constituens, quod alios suos procuratores et premissos etiam, quos super premissis nuper constituerat, non intelligit propter hoc revocare, sed potius confirmare, promittens dictus constituens michi notario iufrascripto dictos procuratores et eorum quemlibet ab omni satisdationis onere relevare, et promisit vice et nomine omnium, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, iudicio sisti et iudicatum solvi cum omuibus suis clausulis oportunis sub ipotheca et obligatione omnium bouorum suorum. Datum et actum Anno, die, loco, hora, indictione, quibus supra, preseutibus dilecto in Christo dño Petro Alhandi Lemovicensis diocesis, Iohanne Rodomioritz de Wratislavia, et Boguimiro de Cuyavia testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et ego Guillermus de Platea, clericus Lemovicensis diocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, predictis omnibus et singulis una cum prenominatis testibus presens fui, rogatus scripsi et in hanc publicam formam redegi, meisque signo et nomiue consuetis signavi in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 204.

CDLVII.

In terra Gothiae locus Cersona vocatus civitas et sedes episcopalis constituitur.

Iohannes episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Quam gaudiosa sit deo et angelis eius conversio peccatorum, quam grata et accepta lucrifactio animarum, quamque ipsarum utraque meritoria laborantibus pro eisdem humane devotionis sinceritas recenseat diligenter, causam tribuat, viam preparet opusque laboriose prosecutionis, transitoriis periculis calcatis, impendat, qualiter hec divina cooperante virtute valeant salubriter provenire. O felix comercium, per quod acquiritur perempnis gloria supernorum! O fructuosi laboris commoditas studiis procurauda ferventibus et totis precordiis amplecteuda! Sane diebus novissimis in nostram et fratrum uostrorum uoticiam fidediguorum relatio veritate suffragante perduxit, quod in terra Gotthie diffusa et populosa, que consistit in partibus orientis, antiquis temporibus lex viguit celebriter christiana, sed ex crescente malicia temporis cessavit prohdolor ibidem observancia dicte legis, ipsiusque terre incole iu iufidelitatis cece tenebris deviantes sese diversorum errorum nexibus involverunt, effecti scismatici communiter et patenter; quodque in diversis locis et partibus circumposite regionis, vaste quidem et diffuse multisque illam colentibus copiose, pio, devoto et laborioso ministerio fratrum Predicatorum et Miuorum ordinum, qui circa conversionem hominum tam scismaticorum, quam aliorum infidelium ipsarum partium iudefesse laborarunt, et ferventer insistere non desistunt, multitudo dictorum hominum ad veram lucem, que Christus est, conversa fore

dignoscitur, et devine miserationis opitulante gratia, iugiter succedit conversio eorundem. Unde cum in prelibata terra Gotthie, prout asseverat relatio supradicta, locus existat vocatus Cersona, qui fuisse dicitur civitas ab antiquo, quamquam super hoc dubia credulitas habeatur, esseque prohibetur populosus, aptus, accommodus ac rerum temporalium ubertate fecundus, speique devote verisimilitudo promittat, quod multitudo aliorum, turbe innumere dicti loci Cersone ac partium earundem, tactis eorum oculis tenebrosis predicationis verbi dominici sputo salubri, splendorem videbunt, propiciante domino, fidei orthodoxe, qui nunc in obscuritatibus tenebrizant, nostra et dictorum fratrum nostrorum deliberatio residit, quod idem locus ex apostolice sedis providentia, excluso huiusmodi dubio, an videlicet locus ipse ab antiquo civitas extitisset, sub spe tanti boni honore desoraretur Cathedre presularis. Eapropter ad superne maiestatis laudem et gloriam, ac decorem ecclesie generalis, delatationem eiusdem fidei, ut funiculos suos efficiat longiores, statumque prosperum amplius ac uberius salutaribus fructibus prosperandum partium prefatarum, de fratrum eorundem consilio et apostolice plenitudine potestatis eundem locum Cersone de novo in civitatem erigimus, et civitatis vocabulo insignimus, auctoritate apostolica ordinantes, ut in dicta civitate sub vocabulo beati Clementis fundari et construi debeat ecclesia cathedralis, quodque locus ipse civitas Cersonensis et dicta ecclesia cathedralis perpetuis futuris temporibus censeantur, nuncupentur et etiam habeantur. Nos autem, coadiuvante omnipotentia Ihesu Christi, eidem ecclesie de pastore ydoneo atque apto infra brevis tempo is spatium curabimus providere. Et quoniam predicta civitas a metropoli Vosprensi, nuper etiam per nos de consilio et plenitudine predictis erecta et insignita ex causis rationabilibus tunc expressis, non multo locorum interstitio semota nequaquam existit, sed ei competenti locali spatio vicinatur, de consilio et plenitudine prelibatis disponimus, ordinamus atque decernimus, quod dicta ecclesia Cersonensis exnunc perpetuis futuris temporibus ecclesie Vosprensi tamquam metropolitane iure metropolitico subsit, et inter alias suffraganeas suas suffraganea sit eiusdem. Nulli ergo etc. nostre erectionis, insignitionis, ordinationis, dispositionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione III. Nonas Iulii. Anno Decimoseptimo.

Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 1234. fol. 360.

CDLVIII.

Erectio ecclesiae metropolitanae Vosprensis, cui ecclesiae Cersonensis, Sevastopolensis etc. suffragneae subduntur.

Iohannes episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Refulsit nostris temporibus divini amoris radius in certis orientalibus partibus infidelium nationum, reverberans oculos cecosnatos, ut gloriam viderent altissimi, visam agnoscerent et agnitam custodirent. Fidedignorum sane relatio, veritatis communita suffragiis, nostris frequenter auribus inculcata, in nostram et fratrum nostrorum noticiam celebri iocunditate perduxit, quod in terra Gazarie, que in terre Tartarorum vastitate consistit, multi scysmaticorum et infidelium nationum indigenarum fratrum Predicatorum et Minorum ordinum partes illas peragrantium, ut ipsorum indigenarum deo lucrifaciant animas degentes in tenebris umbre mortis, predicationis verbo salubris fidem Christi, quod letabunde referrimus, susceperunt, et eorum aliqui sunt in ea competenter instructi, quidam vero lac ipsius fidei dulciter suggunt, et quamplurimi eorum panem solidum edunt prefate fidei iam adulti, et prout spes verisimilis pollicetur et credulitas devota supponit, multi alii ad veram lucem, que Christus est, inibi salubriter convertentur. Unde summo sacerdoti et Pontifici Regique uncto Christo Ihesu devote laudis ex hiis vitulum exolventes, et cupientes paternis affectibus tam inibi, quam ubique tanti boni proventus concrescere, pululare diffuse ac multiplicitatis numeris innumeris ampliari, Attendentes quoque, quod sicut habet premisse relationis affatus, in dicta terra Gazarie locus vocatus Vosprum, populosus, insignis, aptus et accomodus, rerumque temporalium ubertate fecundus fore dignoscitur, dignum duximus, ut per apostolice sedis providentiam in eodem loco sedes pontificii collocetur, et propter eius dispositionem prorogantem amplius extollatur. Ad divini ergo nominis laudem et gloriam gratificantes per hoc ecclesie triumphanti, ad honorem ecclesie militantis, exaltationem catholice fidei, et statum saliutiferum partium predictarum de dictorum fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis predictum locum in metropolim erigimus, et etiam metropolis vocabulo insignimus, auctoritate apostolica ordinantes, ut in dicta metropoli sub vocabulo beati Michaelis Archangeli fundari et construi debeat ecclesia cathedralis, quodque metropolis ipsa civitas Vosprensis, et dicta ecclesia metropolitana perpetuis futuris temporibus censeantur, nuncupentur et etiam habeantur. Nos enim, cooperante domino, ipsi ecclesie metropolitane de archi-

presule ydoneo ac etiam efficaci infra succincti temporis spacium curabimus providere. Et quia decet ac expedit sedem motropoliticam Coepiscoporum circumstantia veneranda in circumpositis regionibus fore decoranter circumdatam et celebriter decoratam, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate predicta statuimus, et etiam ordinamus, quod ecclesie cathedrales, que subsequuntur, videlicet Cersonensis, Trapesondensis, Sevastopolensis, Caphensis et Peyrensis, dummodo alicui alteri ecclesie metropolitico iure non subsint, suffraganee sint Vosprensis ecclesie memorate, et tamquam sidera micantia usquequoque dictam sedem metropoliticam insigniant et illustrent, ac velud candelabra luminosa longe lateque fulgentia subiectis eis populis doctrine veritatis et iusticie lumen fundant. Nos, inquam, auctoritate predicta decernimus, quod Archiep̄us Vosprensis et futuri Ep̄i aliarum civitatum prefatarum suffraganei sui, qui pro tempore fuerint in civitatibus et dyocesibus, eorundem ordinarie iurisdictionis principatum, ipsoque Archiep̄us sicut metropolitanus iure metropolitico in eosdem suffraganeos, eorumque subditos in casibus a iure premissis dominium et potestatem plene ac libere possint et debeant exercere, prout est in sacris canonibus diffinitum, et subsequenter limitarunt canonica instituta. Nulli ergo etc. Dat. Avinione III. Nonas Iulii. Anno XVII. Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 1235. fol. 361.

CDLIX.

Petro de Alvernia nuntio apostolico, ut pecunias ad Cameram mittet, et ad Curiam veniat.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Magistro Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum pro negociis ecclesie Romane urgentibus pecuniis, quas collegisse debes in partibus Regni Polonie, ad quod te dudum misimus, egere nostra Camera plurimum dinoscatur, discretioni tue iniungimus tenore presentium districtius et mandamus, quatinus omnes pecunias predictas destinare fideliter ad eandem Cameram, sublata cunctatione qualibet, non postponas, ipsam de pecuniis ipsis, et de quibus proventibus eas collegeris, redditurus cerciorem clare, particulariter et distincte. Datum (Avinione) V. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Iohannes etc. Eidem etc. Volentes de statu Regni Polonie ac negociis, pro quibus te dudum ad illud misimus, plenius informari, discretioni tue tenore presencium mandamus, quatinus instructus plenarie super hiis studeas ad nostram presenciam te conferre. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XVII. Sec. ep. 642 et 645. fol. 126.

CDLX.

Societati Bardorum in Flandria, ut pecunias pro camera a Petro de Alvernia recipere et de receptis absolvere possint.

Iohannes episcopus etc. Dilectis filiis Francisco Grandonis, Petro Bini, Lucho Francisci et Iacobo Gerardi, ceterisque mercatoribus et factoribus societatis Bardorum de Florencia in Flandrie ac Brabancie partibus commorantibus, salutem etc. Cum mercatores et socii societatis vestre Bardorum in Romana Curia commorantes solvere ac restituere Camere nostre pecunias et bona, que vobis vel vestrum aliquibus aut alicui nostro et eiusdem Camere nomine assignabuntur, promiserunt ac se dictamque societatem prelibate Camere sub certis modis et formis efficaciter duxerint obligandos, ut omnes et singulas auri et argenti, et alias quascunque pecunias, nec non aurum et argentum in massa vel alias, que per dilectum filium Petrum de Alvernia Canonicum Noviomensem, in partibus Polonie apostolice sedis nuntium, vel alios aut alium pro ipso vobis vel vestrum alicui nomine nostro et Camere prelibate assignabuntur seu tradentur, recipere, et de hiis, que inde receperitis, eundem Petrum et alios assignantes seu tradentes de hiis, que inde receperitis, quitare et absolvere valeatis, ita tamen quod super tradicione et assignacione predicta confici faciatis duo consimilia publica Instrumenta, quorum altero penes eundem Petrum vel assignantes eosdem dimisso, reliquum mittatis ad eandem Cameram, vobis et singulis vestrum concedimus tenore presencium facultatem. Datum XII. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno XVII. Ex Reg. orig. An. XVII. Secret. ep. 620. fol. 122.

CDLXI.

Richardus Anglicus ecclesiae Cersonensi in episcopum praeficitur.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri Ricardo Anglico Episcopo Cersonensi, salutem etc. Cum sit ars artium regimen animarum, ad illud Romanus pontifex beati Petri successor et vicarius Ihesu Christi personas assumere consuevit et de fidei sinceritate preclaras, innocentia vite probatas,

litterarum scientia preditas, et aliis virtutum titulis insignitas, ut nedum suis subditis recte vivendi normam tribuant ac veritatis et iusticie lumen spargant, sed sibi ipsis per vite meritum ac eisdem etiam subditis proficiant per exemplum. Nuper siquidem ex certis rationabilibus causis locum Cersone, situm in terra Gothie consistente in partibus orientis, populosum quidem, insignem, aptum, accommodum rerumque temporalium ubertate fecundum, ad superne maiestatis laudem et gloriam, decorem ecclesie generalis et dilatationem fidei orthodoxe de fratrum nostrorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis de novo in civitatem ereximus et vocabulo insignivimus, auctoritate apostolica ordinantes, ut in dicta civitate sub vocabulo beati Clementis fundari et construi deberet ecclesia cathedralis, quodque locus ipse civitas Cersonensis et dicta ecclesia cathedralis perpetuis futuris temporibus nuncuparentur, et etiam haberentur, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut habet relatio fidedigna nobis et eisdem fratribus facta, in dicta terra lex viguisset antiquis temporibus celebriter christiana, sed excrescente malicia temporis cessasset ibidem observancia dicte legis, supponatque devota credulitas et asseveret relatio prelibata, et spei devote verisimilitudo promittat, quod multitudo in numero incolarum terre prefate predicatione verbi dominici ad fidem predictam salubriter convertetur, multorumque aliorum ad fidem ipsam habita est conversio in partibus memoratis: Nos attendentes fore necessarium ac salubre de persona idonea, in sacra pagina erudita et experta in predicatione prefati verbi, eidem ecclesie providere, in te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdocio constitutum, qui, sicut ex relatione predicta nobis et fratribus ipsis innotuit, in predictis partibus una cum aliis fratribus eiusdem Predicatorum et Minorum ordinum in conversione Cismaticorum et aliorum infidelium earundem partium diu fideliter et solicite laborasti, ac in eorum conversione huiusmodi laudabiliter proficisti, quique partes peragrasti predictas, mores indigenarum ipsius palpasti, necnon qualitates et condiciones dictarum partium non ignoras, et quem didicimus in sacra theologia sufficienter edoctum et evidenter expertum, oculos defiximus nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et dictis fratribus nostris, consideratis premissis, accepta, prefate Cersonensi ecclesie de fratrum nostrorum eorundem consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, ac subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecimus munus consecrationis impendi, in virtute domini, a quo universorum carismatum dona proveniunt, confidentes, quod gratia tibi suffragante divina, cuius negocium precipue agitur in hac parte, in conversione subditorum tuorum et aliarum partium predictarum indefessis studiis laborabis, eulogioque predicationis eiusdem verbi linies illorum oculos cecosnatos, ut Ihesu Christi gloriam videant atque colant, lactabis neophitos lacte predicte fidei, et processu temporis adultos in ea ipsius fidei pane solido saturabis, eisque acquires salutis eterne premium, tueque proinde letabunde ac glorianter laureatus letaberis in gloria supernorum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam Cersonensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, prosecutionem tanti boni devote suscipias, et in ea totis precordiis diligenter intendas, curam et administrationem predictas more pastoris pastorum omnium gerendo fideliter et solerter, ut cum grege tibi divinitus credito merearis eterne felicitatis bravium, et a nobis et sede apostolica iugiter fluat ad te benedictionis et gratie rivus uber. Datum Avinione XVII. Kalendas Augusti. Anno Decimoseptimo.

Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 34. fol. 15.

CDLXII.

Francisco archiep̄o Vosprensi et Richardo ep̄o Cersonensi, ut clerum et populum Graecorum earum regionum ad suscipiendam catholicae fidei puritatem inducant.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus Francisco Archiepiscopo Vosprensi et Ricardo Episcopo Cersonensi, salutem etc. Arduis mens nostra iugiter occupata negotiis, curisque distracta diversis inter cunctas solicitudines nostris humeris incumbentes ad illud suspirat ardentius, illudque insolide caritatis ardore orationibus devotis exposcit, ut lapis ille angularis, qui fecit utraque unum suam sanctam et universalem ecclesiam toto terrarum orbe diffusam, omnium scismatum scissura semota, misericorditer integrans in unitate fidei orthodoxe adunare dignetur, et presertim ut Grecorum ecclesia tam longis et deflendis temporibus ab eiusdem universalis ecclesie corpore mutilata, antiquati iam scismatis seminariis penitus amputatis, ad unionem eiusdem corporis tanquam magnum et nobile membrum eius,

auctore domino, reducatur. Sane dum in mente revolvimus innumerabilia animarum pericula, cunctis defflenda fidelibus incommoda personarum rerumque dispendia, oppressiones innumeras et depressiones immensas, que dicti Greci, ex quo ab unione sancte Romane ecclesie matris omnium et magistre prohdolor diverterunt, hactenus usque ad hec tempora sunt perpessi, et que, sicut facti evidencia notum reddit, non utinam augmentata! fera paganitas et severitas sarracenica in magnam et execrabilem christiani nominis contumeliam ipsis noviter intulerunt, et inferre sevius machinantur, statui eorum depresso et afflicto compatimur, et erga eos pietatis viscera, prout ex iniuncto nobis apostolatus incumbit officio, misericorditer aperimus, sperantes in misericordia Ihesu Christi, ut ipse, cuius iudicia sunt abissus, tempus reductionis eorum per vexationem huiusmodi advenisse, ac Grecis ipsis per hoc cognoscendi suam omnipotenciam, et ad unitatem catholice fidei ac obedienciam eiusdem sancte Romane ecclesie firmo et constanti proposito redeundum rectum intellectum prebuisse, ac prebere demonstret. Cupientes igitur oves dominicas, que sic spiritualiter et temporaliter pereunt, ad ovile domini revocare, ut secundum divinam sentenciam sit unum ovile et unus pastor Latinorum et Grecorum, populis in unitate orthodoxe fidei congregatis et in caritatis ardore coniunctis, utilitates etiam innumeras, animarum salutem nec non bonum publicum, que ex reintegratione Grecorum ipsorum unitati eiusdem sancte Romane ecclesie speramus indubie, deo auspice, provenire, debita meditatione pensantes, credentes quoque firmissime, quod vos tamquam viri probate vite, facundi eloquencia et lingua diserti circa huiusmodi nostrum desiderium exequendum vestros labores et studia oportuna diligentia fideliter convertetis: Quocirca fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis gerimus confidenciam in domino specialem, per apostolica scripta in virtute sancte obedientie districte precipimus et mandamus, quatenus ad partes illas vos personaliter conferentes, in illius virtute, qui neminem vult perire, tam clero quam populo Grecorum ipsorum premissa animarum dispendia, personarum, rerum et bonorum incommoda, que ipsis ex separatione huiusmodi iusto dei iudicio contigerunt, nec non et graviora dispendia, que eis, nisi reintegerentur unitati eiusdem Romane ecclesie, a predictis infidelibus preparantur, animarumque salutem et profectus immensos, ac publica comoda, que non solum eis, sed catholice fidei ac toti universali ecclesie ex membrorum suorum restitutione firmate, auctore domino, sunt firmiter proventura, exponere, iuxta quod vobis dominus, cuius negocium agitur, ministrabit, prudenter et solicite studeatis, ipsosque viis et modis salubribus, ac inductionibus et exortationibus oportunis iuducere, ut catholice fidei puritatem, quam dicta sancta Romana mater ecclesia, cuius dominus noster Ihesus Christus capud est et solidum fundamentum, firmiter tenet, fideliter docet et predicat, velint sincero et humili corde suscipere, eamque publice et firmiter profiteri, dicteque sancte Romane ecclesie primatum agnoscere, et ad eius unionem et salutarem obedienciam properare. Que si, ut speramus, domino inspirante, perfecerint, ipsa mater ecclesia filiis redeuntibus sinum largissime pietatis aperiet, consolationem et caritatem ipsis impendet, et in eorum oportunitatibus ipsos sicut carissimos filios generose ac favorabiliter pertractabit. Datum Avinione II. Nonas Augusti. Anno Decimoseptimo.

Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 1339. fol. 380.

CDLXIII.

Cum Engelberto de Tissenhusen et Elizabetha Tarbatensis dioecesis de matrimonio ineundo dispensatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Engelberto, nato dilecti filii nobilis viri Iohannis de Tizenhusen, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Elizabeth, relicte quondam Nicholai de Rope militis vidue Tarbatensis diocesis, salutem etc. Licet coniunctio copule coniugalis quarto consaguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, sedis tamen apostolice circonspecta benignitas indulta sibi desuper utens plenitudine potestatis, nonnumquam eorundem rigorem canonum mansuetudine temperans, super hiis provide dispensat interdum, et quod negat iuris severitas, de gratia pietatis indulget, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, id in deo conspicit salubriter expedire. Porrecte siquidem nobis pro parte vestra petitionis series continebat, quod cum tibi, filia Elyzabet, ex eo, quod in finibus christianitatis apud cysmaticos in terra, quam pagani, per quos quondam Nicholaus de Rope miles, vir tuus, extitit interemptus, intrarunt pluries, commoraris, tam pro te, quam liberis et bonis ac viribus tuis multum expediat, quod bonum et ydoneum habeas defensorem, et in partibus illis nullum talem virum parem tibi, cum quo matrimonium contrahere possis legitime, qui tibi non sit consanguinitate vel affinitate coniunctus, valeas reperire, tuque, fili Engelberte, ad defensionem huiusmodi potens

esse noscaris, desideratis invicem matrimonialiter copulari. Verum quia id ex eo absque dispensatione apostolica legitime provenire non potest, quod tam vos invicem quarto contingitis, quam tu, Engelberte, predicto eodem gradibus consanguinitatum prefato Nicholao, dum viveret, attinebas, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui cunctis christifidelibus libenter quietis commoda procuramus, premissis et aliis certis rationabilibus causis nobis expositis diligenter attentis, huiusmodi vestris supplicationibus benignius inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex consanguinitatibus huiusmodi provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere ac in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de specialis dono gratie dispensamus, prolem ex matrimonio suscipiendam huiusmodi legitimám decernentes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et confirmationis infringere etc. Datum Avinione IV. Idus Septembris. Anno Decimoseptimo.

Ex Reg. orig. An. XVII. Part. II. ep. 1044. fol. 310.

CDLXIV.

Episcopo Vratislaviensi, ut Boleslao duci Silesiae fundandi de novo in oppido Brigae monasterium fratrum Predicatorum et eisdem fratribus licentiam ipsum recipiendi det.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem dilectus filius Nobilis vir Boleslaus Dux Slezie erga nos et apostolicam sedem garere noscitur, promeretur, ut votis suis in hiis potissime libenter annuamus, per que reddatur conspectui divine maiestatis acceptus, sibique preter humane laudis preconium apud altissimum salutis anime proveniat incrementum. Exhibita siquidem nobis ipsius Ducis peticionis series continebat, quod ipse in votis suis gerit novum Conventum fratrum ordinis Predicatorum in opido suo Brega vulgariter nuncupato tue diocesis ad laudem divini nominis de novo fundare, in quo quidem opido fratres ordinis Minorum etiam domum obtinent et Conventum: quare idem Dux nobis humiliter supplicavit, ut sibi super hoc iuxta votum suum, quo se deo devovit, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsius Ducis laudabile desiderium eiusque salubre propositum dignis in domino laudibus commendantes, ac de tua circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue, ut eidem Boleslao Duci fundandi et construendi in eodem opido novum locum pro eisdem fratribus dicti ordinis Predicatorum cum omnibus officinis et aliis Conventui dicti ordinis, qui fuerit in eodem loco, necessariis iuxta morem dicti ordinis, dummodo ipsum opidum sit sufficiens pro decenti sustentatione duorum Conventuum predictorum, in quorum quolibet sint duodecim fratres adminus, et aliud canonicum non obsistat, ac eisdem fratribus dicti ordinis Predicatorum dicte provintie recipiendi prefatum locum in opido prelibato, et ibidem ad perpetuum dei obsequium immorandi largiri licenciam hac vice auctoritate apostolica valeas, non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne loca de novo a fratribus ordinum mendicantium recipiantur absque licencia sedis apostolica speciali faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et quolibet alia contraria constitutionibus non obstantibus, iureque parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum Avinione IX. Kal. Octobris. Anno Decimooctavo.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Part. I. ep. 59. fol. 20.

CDLXV.

Episcopo Culmensi, ut cives suae et Vladislaviensis diocesium, qui propter non solutum denarium B. Petri excommunicati fuerant, absolvat.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Culmensi, salutem etc. Dudum pro eo, quod cives, habitatores et incole tuarum civitatis et diocesis Culmensis ac terre Pomeranie Wladislaviensis diocesis, in qua dilecti filii . . . Magister et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum temporale dominium exercere dicuntur, per processus auctoritate apostolica dudum factos moniti et requisiti legitime censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in eis partibus per ipsos ecclesie Romane debitum solvere, deductis in contemptum dictis processibus dampnabiliter, non curarunt, persone singulares civitatis, diocesis et terre predictarum excommunicationis innodate vinculo, civitas vero Culmensis ac castra, ville et opida diocesis et terre predictarum, necnon communitates

et universitates eorum supposita interdicto ecclesiastico extiterunt. Cum autem dicti cives, habitatores et incole ad cor reducti, de dicto censu per eos pro retroactis temporibus usque ad annum a nativitate domini M. CCC. tricesimum inclusive prefate Romane ecclesie debito certo modo iuxta voluntatem et ordinationem nostram cum Camera nostra per dilectum filium Theodoricum de Aureocapite, fratrem et procuratorem ordinis dicti hospitalis in Romana curia generalem, duxerint componendum, et intendant et velint nichilominus, sicut pro parte dictorum Magistri et fratrum nobis nuper expositum extitit, de dicto censu pro aliis tribus annis sequentibus, et terminandis in festo nativitatis dominice instanti proximo debito nobis et ecclesie supradicte satisfacere, dictumque censum deinceps solvere perpetuis temporibus annuatim, ac humiliter petierint atque petant, sibi de absolutionis et relaxationis beneficio ab eisdem excommunicationis et interdicti penis et sententiis per sedem apostolicam provideri: Nos compositionem huiusmodi, per quam prefatam Cameram de huiusmodi censu pro toto efluxo, antedictos tres annos in eodem proximo instanti festo Nativitatis domini terminandos, tempore volumus contentari, ratam et gratam habentes ac etiam aprobantes, et nichilominus nostris et eiusdem ecclesie Romane super hiis indempnitatibus, prefatorumque civium, habitatorum et incolarum animarum saluti providere salubriter cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus postquam prelibati cives, habitatores et incole, ac communitates et universitates tuarum civitatis et diocesis predictarum de dicto censu pro tribus annis predictis ab eis nobis et ecclesie memorate debito, ut prefertur, tibi nostro et eiusdem ecclesie nomine recipienti satisfactionem integram duxerint impendendam, et de solvendo integraliter censum ipsum imposterum annis singulis infra quadragesimam nobis et ipsi ecclesie, seu Collectoribus per sedem deputatis seu deputandis eandem, se per sufficientes suos procuratores et sindicos ad hoc legitime constitutos obligaverunt solemniter et efficaciter, iuramento ab eis prestito nichilominus corporali, et confectis exinde instrumentis publicis seriem presentium continentibus, que tuo ac Magistri et Conventus hospitalis predicti, necnon Communitatum ipsarum communita sigillis, nobis per te una cum hiis, que de dicto censu collegeris, quantocius fideliter transmittantur; Eisdem civibus, habitatoribus et incolis predictarum tuarum civitatis et diocesis, videlicet singularibus personis per te vel alium, seu alios de absolutionis beneficio iuxta formam ecclesie ab eisdem excommunicationis sententiis providere auctoritate nostra, et interdicti predicti in civitatem prefatam, castra et villas et opida eiusdem tue diocesis, eorumque communitates et universitates propter hoc apposita relaxare procures, cum personis ecclesiasticis civitatis et diocesis earumdem, que propter premissa vel eorum aliqua irregularitatis maculam contraxerint, eadem auctoritate hac vice nichilominus dispensando: Adiecto tamen specialiter et expresse, quod nos ex nunc prout extunc haberi volumus pro adiecto, quod si prefati cives, habitatores et incole ac universitates et communitates iamdicte in solutione dicti census singulis annis imposterum infra quamlibet quadragesimam Collectoribus, per nos et eamdem Romanam ecclesiam super hoc deputatis vel deputandis, deficerent, facienda compositio ac rati et grati habitio et aprobatio supradicte eo ipso extunc habeantur pro non factis, et nullius existant roboris vel momenti, dictique cives, habitatores et incole, ac universitates et communitates ad totalem et integram solutionem dicti census pro eisdem retroactis temporibus teneantur et astricti maneant, sicut prius, et nichilominus in predictas excommunicationis et interdicti penas et sententias recidant ipso facto, a quibus penis et sententiis absolutionem vel relaxationem obtinere nequeant, quousque plene de censu satisfecerint supradicto. Quod si secus forsan presumptum extiterit, id ex nunc irritum decernimus et inane. Datum Avinione Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1087. fol. 215.

CDLXVI.

Episcopo Vladislaviensi super eodem argumento.

Iohannes episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Dudum pro eo, quod cives, habitatores et incole civitatis et diocesis Culmensis ac terre Pomeranie tue Wladislaviensis diocesis, in qua dilecti filii etc. ut supra usque committimus et mandamus, quatinus postquam prelibati habitatores et incole terre predicte in tua Wladislaviensi diocesi consistentes de dicto censu etc. ut supra verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gnesnensi.

Ex Reg. orig. An. XIII. Secret. ep. 1088. fol. 215.

CDLXVII.

Galhardus de Carceribus collector denarii B. Petri in partibus Poloniae constituitur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus clerico Caturcensis diocesis, licentiato in legibus, apostolice sedis nuucio, salutem etc. Cum cives civitatis Culmensis ac habitatores et incole Culmensis diocesis et terre Pomeranie pro illa parte, in qua dilecti filii Magister et fratres domus beate Marie Theutonicorum temporale dominium exercere dicuntur, censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus nobis et ecclesie Romane annis singulis infra quamlibet Quadragesimam solvere teneantur: Nos de tue circumspectionis et fidelitatis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, exigendi, colligendi et recipiendi per te, vel alium seu alios subcollectores fide ac facultatibus ydoneos a te, quotiens oportunum extiterit, super hoc deputandos, usque ad apostolice sedis beneplacitum dictum censum, necnon illos, qui censum predictum tibi aut predictis Collectoribus solverint, quitandi et absolvendi de hiis, que inde receperitis ab cisdem, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod sic certitudinaliter et fideliter te gerere studeas in hac parte, quod nos et Cameram nostram de censu huiusmodi valeas annis singulis clare, particulariter et distincte reddere certiores. Datum Avinione Kal. Februarii. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1091. fol. 215.

CDLXVIII.

Eidem in terra Culmensi et Pomerania terminum ad solvendum denarium B. Petri prorogandi datur facultas.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus clerico Caturcensis diocesis, licentiato in legibus, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Licet cives civitatis Culmensis, ac habitatores et incole Culmensis diocesis et terre Pomeranie pro illa parte, in qua dilecti filii Magister et fratres domus beate Marie Theutonicorum temporale dominium exercere dicuntur, nobis et ecclesie Romane censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus solvere infra quamlibet Quadragesimam teneantur: quia tamen tu, cui exactionem dicti denarii per alias nostras litteras duximus usque ad apostolice sedis beneplacitum committendum, nequires forsan infra proximo instantem Quadragesimam commode illic personaliter interesse, ut solutionem dicti census, quam predicti cives, habitatores et incole infra eandem instantem Quadragesimam prestare, ut prefertur, nobis et ecclesie memorate tenentur, possis usque ad aliquem competentem terminum, de quo tibi expedire videbitur, prorogare, ita tamen quod ad solutionem dicti census faciendam iufra terminum prorogaudum huiusmodi sub eisdem formis et condicionibus, quibus illam facere teuebantur iufra eandem instantem Quadragesimam, sint astricti, et propter hoc nichil in aliis futuris ciusdem census solutionibus immutetur, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1092. fol. 216.

CDLXIX.

Idem Galhardus Petro de Alvernia nuncio apostolico in partibus Poloniae adiungitur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio magistro Galhardo de Carceribus clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Dudum dilectos filios magistros Andream de Verulis, Scriptorem nostrum, Wratislaviensis, et Petrum de Alvernia, Noviomensis ecclesiarum Canonicos, tunc apostolice sedis nuncios, ad partes regni Polonie, diversis ibidem negociis nos et ecclesiam Romanam tangentibus eisdem per diversas litteras commissis, duximus destinandos. Saue cum ipsi postmodum super nonnullis negociis huiusmodi tam insimul, quam etiam separatim, prout ex tenoribus litterarum ipsarum poterant, ad diversos actus processerint, idemque magister Andreas ad nostram presentiam de beneplacito nostro redierit, dicto magistro Petro in eisdem partibus pro executione negociorum huiusmodi remanente: Nos attendentes, quod idem Petrus, sicut accepimus, sarcina negociorum ipsorum nimium pregravatur, et propterea eorundem negociorum, ne ipsa inexpedita remanere contingat, indempnitatibus providere volentes, te, de cuius fidelitate ac circumspectione plene confidimus, eidem Petro tenore presentium in predictis negociis providimus adiungendum, tibi, ut super omnibus et singulis negociis memoratis, Andree et Petro per quascumque litteras nostras hactenus simul vel

divisim sub quacumque forma vel expressione verborum in partibus illis commissis, tam ceptis per eos vel ipsorum alterum, quam non ceptis, possis cum eodem Petro, vel sine ipso etiam per te solum procedere, ac contenta in predictis litteris adeo plene iuxta continenciam ipsarum exequi et complere, ac si tibi et eidem Petro, ac cuilibet vestrum insolidum eedem litere directe fuissent, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Avinione Kalendis Februarii. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1090. fol. 215.

CDLXX.

Eidem, ut pacem inter regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum reconciliet.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus clerico Caturcensis diocesis, Licentiato in legibus, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Etsi nos Regis pacifici et excelsi, qui cogitationes pacis et non afflictionis se cogitare testatur, vices licet insufficientibus meritis gerentes in terris, inter cunctos fideles pacis et unitatis ubertatem vigere desideramus intense, inter principes tamen et magnates seculi, quorum pax multis aliis quietem tribuit et discordia periculosa scandala subministrat, pacis cogitamus intervenire consilia, exinde dissensionum discriminibus et odiorum fomitibus extirpatis. Sane dum innumerabilium personarum excidia et alia dampna irreparabilia, que olim inter clare memorie Wladislaum Regem Polonie ex parte una, et dilectum filium (sic) Magistrum et fratres domus beate Marie Theutonicorum ex altera suscitata, hoste procurante generis humani, discordia intulit, ad memoriam reducimus, necnon graviora pericula, que dissensio ipsa, nisi sopiretur salubriter, inter Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie illustrem, dicti Wladistai filium et heredem, ac eosdem Magistrum et fratres comminatur, diligentius cogitamus, et attendimus etiam bona innumera, que tam Regi, Magistro et fratribus ipsis, quam eorum subditis, aliisque partium illarum christicolis possent ex eorumdem Regis ac Magistri et fratrum mutua concordia, presertim quia uniti et mutua caritate coniuncti fortiores et potentiores existerent ad se suosque subditos, et christicolas partium earumdem alias contra infideles eisdem vicinos et emulos continuos deffendendos, et fidei dilatandum cultum catholice, provenire: mente soliciti reddimur, et ferventi desiderio propulsamur, ut inter Regem ac Magistrum fratresque predictos dissidentes invicem pacis et concordie deo grata unitas, super quo dicti Magister et fratres se promptos offerunt, prout eorum procurator asseruit in nostra presentia, reformetur. Cum igitur te, de cuius circumspectione confidimus, ad partes illas pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinemus, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ad eorumdem Regis et Magistri ac fratrum presentiam te conferre procurans, ac premissa et alia, que commoda pacis huiusmodi respiciunt, ante ipsorum oculos ponere non dimittens, vocatis ad hoc et adhibitis prelatis partium predictarum, de quibus expedire videris, memoratos Regem, Magistrum et fratres ad mutuam pacem et concordiam studeas iuxta datam a deo tibi prudentiam revocare; quod si forsan aliquid difficultatis vel dubietatis super hiis emerserit, aut aliter expedire cognoveris, id nobis, qui circa hoc nos laboraturos promptis affectibus offerimus, studeas nunciare, ut tua relatione audita super hoc apponere remedia salutaria, sicut in votis ferventer gerimus, valeamus. Datum Avinione vi. Idus Aprilis. Anno Decimooctavo.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1095. fol. 217.

CDLXXI.

Petro de Alvernia, ut pecunias ad cameram mittat, et ad sedem apostolicam redeat.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Dudum tibi scripsisse meminimus, ut omnes pecunias, nos et cameram nostram contingentes, per te collectas ad eandem Cameram mittere vel deferre, teque ad nostram conferre presentiam procurares. Sane licet nos dilectum filium magistrum Galhardum de Carceribus clericum Caturcensis diocesis, licentiatum in legibus, apostolice sedis nuncium, quem ad partes Polonie destinamus, tibi per litteras nostras providerimus adiungendum: volumus tamen, quod tu litteras oportunas apostolicas et alias, que pro negociis sibi commissis oportune fuerint, eidem resignes et assignes, sibique tuorum copiam fideliter facias regestrorum, ut videre possit melius et clarius, que acta sint, et per eum restent agenda, et deinde, sicut alias tibi scripsimus, redire ad sedem apostolicam non omittas, Provisurus attentius, quod dicte pecunie secure et fideliter transmittantur ad ipsam Cameram fideliter assignande. Dat. vi. Idus Aprilis. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1138. fol. 225.

CDLXXII.

Eidem Galhardo de gagiis (de I. flor. cum dimidio auri singulis diebus pro necessariis) providetur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus etc. apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te, de cuius circumspectione ac fidelitate confidimus, ad partes regni Polonie pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinemus: Nos volentes tibi pro te tuisque familiaribus de necessariis providere, unum florenum cum dimidio auri singulis diebus, quibus in prosecutione negociorum huiusmodi fueris, a te recipiendos de proventibus nos et Cameram nostram contingentibus per te colligendis in eisdem partibus tibi tenore presentium deputamus. Datum VI. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1096. fol. 217.

CDLXXIII.

Regi Poloniae, ut Galhardo de Carceribus in negotiis sedis apost. agendis assistat, et pacem cum fratribus Teutonicis conservet.

Iohannes episcopus servus etc. Carissimo in Christo filio Cazimiro Regi Polonie (Illustri), salutem etc. Illam de tua, fili carissime, sinceritate fiduciam in domino gerimus, quod ea, que deo, ac nobis et sacrosancte Romane ecclesie matri tue grata esse cognoveris, promptis et devotis favoribus tanquam benedictionis et gratie filius prosequeris. Sane cum nos dilectum filium Magistrum Gualhardum de Carceribus, clericum Caturcensis diocesis, licentiatum in legibus, apostolice sedis nuncium ad partes Polonie et Prucie pro repetendis et colligendis nostris et ecclesie memorate iuribus, aliisque certis prosequendis negociis destinemus, prefatum nuncium benivolentie regie fiducialiter commendantes, Regalem excellentiam attencius deprecamur, quatinus super prosecutione ac expedictione felici negociorum huiusmodi eidem nuncio sic oportunis favoribus pro divina, et nostra dicteque sedis reverentia velit assistere regia celsitudo, quod preter divine retributionis mercedem, nos et sedem eandem reperire mereatur in suis oportunitatibus promptiores. Rursus, dilectissime fili, cum deo gratum ac nobis et memorate sedi acceptum existeret admodum, quod inter te ac dilectos filios Magistrum et fratres domus beate Marie Theotonicorum pacis et unitatis reformaretur concordia, ut sic uniti et caritate coniuncti mutua fortiores et potentiores existeretis adversus christiani nominis (hostes), qui vestrum utrique vicini molestare nostri redemptoris sanguine (redemptos) non desistant, eorum sanguinem crudeliter sicientes, precibus nostris adicimus, ut premissis consideranter attentis, ad huiusmodi pacem et concordiam regium abilites animum, prefati nuncii exhortationibus in hac parte salubribus acquiescens. Datum IIII. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

Ex reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1209. fol. 237.

CDLXXIV.

Ludero magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum super eodem argumento.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Ludero Magistro domus beate Marie Theotonicorum, salutem etc. Sic te, fili, erga deum ac nos et sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam fervere devotione sincera credimus, quod ea, que nobis et eidem ecclesie grata esse cognoveris, promptis et devotis studiis exequeris. Sane cum nos dilectum filium Magistrum Gualhardum de Carceribus, clericum Caturcensis diocesis, licentiatum in legibus, apostolice sedis nuncium ad partes Prucie et Polonie pro repetendis et colligendis nostris et ecclesie memorate iuribus, aliisque certis prosequendis negociis destinemus, sinceritatis tue providentiam rogamus attentius et hortamur, quatinus prefatum nuncium habeas pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter commendatum, ut ea, que in partibus predictis sibi committimus, exequi feliciter valeat, sic ei pro nostra et eiusdem sedis reverentia consiliis, auxiliis et favoribus oportunis assistas, quod exinde nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam uberius assequaris. Rursus, cum deo gratum ac nobis et memorate sedi acceptum existeret admodum, quod inter te fratresque domus tue, ac carissimum in Christo filium nostrum Cazimirum Regem Polonie Illustrem pacis et unitatis reformaretur concordia, ut sic uniti et caritate coniuncti mutua fortiores et potentiores existeretis adversus hostes christiani nominis, qui vestrum utrique vicini molestare Christi redemptos sanguine non desistunt, eorum sanguinem crudeliter sitientes, precibus et exhortationibus nostris adicimus, ut premissis consideranter attentis, ad huiusmodi pacem et concordiam tuum abi-

lites animum, prefati nuncii exhortationibus salubribus acquiescens. Datum Avinione IIII. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1210. fol. 217.

CDLXXV.

Hedvigi reginae Poloniae super eodem argumento.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Carissime in Christo filie Hedwigi Regine Polonie (Illustri), sal. etc. De te, filia carissima, nostra tenet opinio, quam a veritate non credimus discrepare, quod in hiis, que sacrosancte Romane ecclesie matris tue honorem et commodum respiciunt, promptis et devotis affectibus te impendis. Cum itaque nos dilectum filium Magistrum Gualhardum de Carceribus, clericum Caturcensis diocesis, licentiatum in legibus, apostolice sedis nuncium ad partes Polonie et Prucie pro repetendis et recolligendis ecclesie memorate iuribus, aliisque prosequendis per nos sibi commissis negociis providerimus destinandum, serenitatem Regiam attentius deprecamur, quatinus eundem nuncium, ut negocia per nos sibi commissa in illis partibus possit utiliter prosequi et feliciter expedire, habere velit pro nostra et eiusdem sedis reverentia sic regia benivolentia commendatum, quod preter perennis retributionis premium nostram et eiusdem benedictionem et gratiam uberius merearis. Datum (Avinione) III. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1211. fol. 217.

CDLXXVI.

Episcopis Poloniae idem nuntius apostolicus commendatur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Cum nos dilectum filium Magistrum Gualhardum de Carceribus, clericum Caturcensis diocesis, licentiatum in legibus, apostolice sedis nuncium ad partes Polonie et Prucie pro certis ecclesie Romane colligendis iuribus, et aliis exequendis negociis destinemus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatinus eundem nuncium habens pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter commendatum, super hiis, que ratione negociorum huiusmodi in partibus eisdem habebit agere, sic sibi prompte velis assistere auxiliis, consiliis et favoribus oportunis, quod nos sinceram devotionem tuam commendare propter hoc, et prosequi gratiis et favoribus debeamus. Datum (Avinione) III. Idus Aprilis. Anno Decimooctavo.

In e. m. Episcopis Cracoviensi, Wratislaviensi, Wladislaviensi, Poznaniensi, Plocensi et Culmensi. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1215. fol. 218.

CDLXXVII.

Galhardo de Carceribus apostolico nuntio facultas sex tabelliones creandi datur.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te, de cuius fidelitate ac circumspectione confidimus, ad partes regni Polonie et quasdam circumvicinas alias pro quibusdam ecclesie Romane negociis destinemus, nos illa tibi volentes concedere, per que negocia huiusmodi valeant prosperari, ut sex clericis non coniugatis, nec in sacris ordinibus constitutis, quos post diligentem examinationem a te super hoc faciendam ydoneos esse repereris, ad tabellionatus officium exercendum, illud unicuique ipsorum auctoritate nostra concedere valeas ubilibet fideliter exercendum, prius ab unoquoque ipsorum iuramento nomine nostro et ecclesie memorate recepto iuxta formam inferius annotatam, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem: formam autem iuramenti, quod quilibet eorundem clericorum prestabit, presentibus inseri fecimus, qui talis est. Ego ... clericus etc. Datum Avinione VII. Kalendas Maii. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1104. fol. 219.

CDLXXVIII.

Eidem Galhardo, ut Henricum custodem monasterii de Claratumba prope Cracoviam in officio suo restitutum confirmet.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, sedis apostolice nuntio, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Henrici monachi et custodis monasterii de Claratumba prope Cracoviam Cisterciensis ordinis petitionis

series continebat, quod dilectus filius Iohannes Abbas eiusdem monasterii eundem Henricum, qui, ut asserit, pro negociis apostolice sedis ad eandem alias propriis sumptibus multis laboribus veniendo tribus vicibus laboravit, ob honorem dicte sedis ad officium custodie dicti monasterii, quod olim idem Henricus tenuerat, restituit, ipsumque officium sibi de novo contulit per eum, quo ad vixerit, tenendum et etiam gubernandum; quodque postmodum dilectus filius Iohannes abbas monasterii Lubensis eiusdem ordinis Wratislaviensis diocesis, pater abbas dicti monasterii de Claratumba, restitutionem et collationem huiusmodi approbavit ac etiam confirmavit, prout in diversis litteris dictorum abbatum sigillis pendentibus sigillatis plenius dicitur contineri: quare pro parte dicti Henrici fuit nobis humiliter supplicatum, ut restitutionem, collationem et approbationem huiusmodi dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Nos itaque carissimi in Christo filii nostri Kazimiri regis Polonie illustris super hoc nobis humiliter supplicantis, et dicti Henrici supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si per dictas prefatorum abbatum litteras, quas tibi volumus adhiberi, tibi constiterit ita esse, restitutionem, collationem et approbationem huiusmodi, quatinus rite facte sunt, auctoritate nostra studeas confirmare. Datum Avinione VI. Kal. Maii. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Part. II. ep. 992. fol. 350.

CDLXXIX.

Eidem, ut Ioannem episcopum Cracoviensem ad curiam Romanam veniendum citare possit.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus etc. salutem etc. Etsi animi nostri tranquillitas etc. occurrere cupientes, per alias tibi, quem ad partes illas etc. noveris expedire, nobisque difficultatem vel ambiguitatem, si qua tibi in premissis occurrerit, et que inde feceris, referas fideliter et solerter. Verum quia imminens ex premissis periculum celerius forsitan in hiis apponi remedium postulabit, volumus tibique per apostolica scripta mandamus, quatinus prefatum ep̃um, si ipsum tibi summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii culpabilem constiterit in premissis, nec velit ad debite satisfactionis emendam, tuis spretis exhortationibus et inductionibus, suum animum inclinare, auctoritate nostra peremptorie citare studeas, ut infra sex mensium spacium a die citacionis huiusmodi numerandum personaliter apostolico conspectui se presentet, facturus et recepturus in premissis, prout fuerit rationis; quodque informationem super predictis per te habitam, ac diem citationis prefate et formam, et quecunque super hiis feceris, in publicam formam redacta nobis quamtocius fideliter intimare procures, ut informati plenius in premissis providere de oportuno remedio valeamus. Datum Avinione II. Kal. Kal. Maii. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Part. II. ep. 991. fol. 350.

CDLXXX.

Eidem, ut episcopum Cracoviensem ab actibus quibusdam illicitis contra regem arceat, eumque et ecclesiam Cracoviensem ipsi regi commendet.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, sedis apostolice nuntio, salutem etc. Etsi animi nostri tranquillitas vehementi commotione turbetur, cum ea, que honestati obviant, de personis quibuslibet nostro auditui perferuntur: de prelatorum tamen illicitis actibus eo concitamur durius, quo ipsi in eminentis dignitatis specula constituti, per exercitium bonorum operum aliis debent existere in speculum et exemplar. Sane carissimi in Christo filii nostri Cazimiri regis Polonie illustis querulosa petitio ad nostri pridem pertulit apostolatus auditum, quod venerabilis frater noster Iohannes episcopus Cracoviensis, pastoralis officii reverentia dampnabiter admodum conculcata, ecclesias sue diocesis infra limites regni Polonie consistentes, que de ipsius regis et nonnullorum nobilium dicti regni presentatione existunt, aliis unit ecclesiis et dividit, ac suis confert consanguineis et aliis pro libito voluntatis, necnon secreta, que dictus rex sub liberali confidencia eidem communicavit ep̃o, revelavit pluries et revelat, ac subditos dicti regis, ut ab eius obediencia et devocione se subtrahant sibique resistant, induxit totis viribus in evidens periculum et dampnum non modicum dicti regis, aliaque committit inconvenientia, que propter pontificalis dignitatis honorem prefatus rex se silencio committere attestatur. Cum itaque premissa, si cis suffragetur veritas, admodum perniciosa exemplo ac pontificali decori et imminenti sibi debito commissi officii prorsus obviantia eo plus debita correctione indigeant, quo sub dissimulatione dimissa

commendari licencie viderentur, ampliora pericula et graviora scandala impostcrum paritura: Nos, qui regis et regni prefatorum commoda, eorumque quietem, que ob premissa turbari posset, nimium incensis desideriis affectamus, periculis et scandalis huiusmodi occurrere cupientes, ac de circumspectione tua plenam in hiis et aliis in domino fiduciam obtinentes, tibi, quem ad partes illas pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinamus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ad eorundem regis et episcopi personaliter accedens presentiam, prefatum regem, ut episcopum ac ecclesiam Crecovienses predictos ob divinam reverenciam recommendatos habeat, memoratum quoque episcopum, ut premissa, si vera sint, solerter et celeriter corrigens, sic studeat actus suos dirigere, quod prelibati regis benevolenciam sibi acquirere merito debeat, iuxta datam tibi a domino prudenciam hortari et inducere studeas viis et modis omnibus, quibus noveris expedire. Quod si difficultas aliqua tibi occurrerit in premissis, nos super hoc per tuas litteras harum seriem et ea, que in predictis feceris, continentes certificare procures, ut de premissis plenius informati providere super hiis de oportuno remedio valeamus. Datum Avinione II. Kal. Maii. Anno Decimooctavo.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Part. II. ep. 990. fol. 350.

CDLXXXI.

Eidem, ut processus contra episcopum et capitulum Cracovienses habitos super decima solvenda etc. continuet et exsequatur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Dudum dilectis filiis Magistris Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, Scriptori nostro, et Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, tunc clerico Lemovicensis diocesis, et eorum cuilibet per diversas nostras dedimus litteras in mandatis, ut a Venerabili fratri nostro . . . Episcopo et dilectis filiis Capitulo Cracoviensibus, ceterisque aliis personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, civitatis et diocesis Cracoviensium decimam omnium suorum redditum et proventuum ecclesiasticorum, ab olim per felicis recordationis Clementem papam V. predecessorem nostrum in illis, sicut in diversis mundi partibus impositam in concilio Viennensi, et nichilominus a certis Canonicis Cracoviensibus et quibusvis aliis, qui administrationem bonorum episcopatus Cracoviensis auctoritate propria certo tempore gessisse dicebantur, fructus, redditus et et proventus per eos de bonis ipsis perceptis ad Cameram nostram ex certis causis spectantibus, necnon et quibuscumque aliis, ad quos fructus, redditus et proventus huiusmodi quomodolibet pervenissent, super hoc prius per dictos nuncios, vel ipsorum alterum simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii summaria informatione recepta, nomine dicte Camere peterent, exigerent ac recipere cum integritate curarent, eos ad id auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendo. Sane cum, sicut accepimus, Andreas olim, dum adhuc in partibus illis auctoritate dictarum litterarum nostrarum huiusmodi prosequeretur negocia, contra quasdam ratione fructuum predictorum ad arrestationem proventuum beneficiorum ecclesiasticorum suorum, ac alias etiam processisse, et demum post reditum eius ad Curiam Romanam Peter predicti contra Episcopum, Capitulum et clerum et certas personas ex eis ratione dicte decime, et ex certis aliis causis, exortis quibusdam discordiis et dissensionibus inter eos, nonnullos processus excommunicationis, et alias sententias ac penas, etiam cum citatione personali aliquorum ex eis de veniendo ad sedem apostolicam continentes, fecisse dicantur: Nos volentes, quod super premissis debitum exhibeatur iusticie, ac finis debitus imponatur, et Episcopi, Capituli, cleri ac personarum predictorum parcere laboribus et expensis, ac attendentes, quod tu, quem ad partes illas certis inibi per nos tibi commissis negociis providimus destinandum, super premissis habere poteris facilius noticiam pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocatis Episcopo, Capitulo, clero et et personis predictis, et aliis, qui fuerint evocandi, sive iidem prenominati processibus et citationi huiusmodi parucrint, sive non, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii debita super premissis omnibus et singulis informatione recepta, super illis iusticie debitum exequaris, et ad aggravationem seu relaxationem sententiarum et penarum huiusmodi, ac alias ad execucionem premissorum plenariam, prout iustum fuerit, exacta diligentia procedere, super quibus (?) necnon et componendi cum ipsis super dictis bonis plenam et liberam tibi presentium tenore potestatem concedimus, non postponas omnes et singulos supradictos, aut illos ex eis, et quosvis alios, quos ad solutionem decime vel fructuum predictorum in toto vel in parte teneri iuste repereris, ad satisfaciendum de ipsis tibi nomine Camere nostre plenarie (?), Contradictores etiam quoslibet ac rebelles, cuiuscunque status, ordinis et con-

ditionis extiterint, eciam si pontificali prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam compellendo, invocato ad hoc, si opus sit, auxilio brachii secularis, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris uostri, qua cavetur ne aliquis extra suam, civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra uuam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis in contrarium editis, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes pleuam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quorumcunque tenorum existant, per que effectus presentium posset quomodolibet impediri. Volumus autem, quod illis, qui tibi nomine dicte Camere satisfecerint de predictis, de absolutionis beneficio a sententiis excommunicationis, adversus eos premissorum occasione promulgatis, post satisfactionem eandem iuxta formam ecclesie auctoritate nostra providere, ac cum eis super irregularitate, si quam dicti ligati sententiis celebrando divina vel immiscendo se eis contraxerint, dispensare, ipsosque quitare ac absolvere valeas de his, que inde tibi duxerint assignanda, faciendo super eadem assignatione duo confici consimilia publica instrumenta, quorum altero penes assignantes ipsos dimisso, reliquum ad eandem mittere Cameram non postponas. Datum Avinione Nonis Iuuii. Anno XVIII.

Ex Reg. orig. An. XVIII. Secret. ep. 1107. fol. 220.

CDLXXXII.

Andreae de Verulis canonico Cracoviensi, ut suum hospitium Avinione nulli subiacent servituti, conceditur.

Iohannes episcopus etc. Dilecto filio Magistro Andree Preposito ecclesie sancte Marie Cracoviensis, scriptori nostro, salutem etc. Grata tuc devotionis et obsequiorum, que nobis in officio scriptorie nostre iugiter impendere non desistis, exhibitio promeretur, ut nos tibi reperias ad gratiam liberales. Tuis itaque supplicationibus iuclinati hospitium, quod acquisisti, et aliud eidem pariete communi intermediante contiguum, quod in solo per te etiam acquisito construxisti de substantia propria in civitate Aviuionensi, in qua cum Romana Curia residemus, consistentia in parrochia ecclesie S. Agricoli in Carreria, que dicitur Lanzaria, confrontata ex una parte cum hospitio dilectorum filiorum heredum quondam Martini Borgondionis, ab alia parte cum hospitio Ade de Parisius dicti monetarii, et ex parte posteriori cum hospitio Petri de Sanctosaturnino militis, civium Avinionensium, ab omni servitute cuiuscunque librate Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, et alia quacunque prorsus eximimus et etiam liberamus, ita quod hospitia ipsa nunquam deinceps, te vel alio seu aliis a te causam habentibus invitis, deliberata alicuius dictorum Cardinalium vel alicuius alterius possit vel debeat esse occasione quacunque, nec etiam aliquam taxationem, que super domorum pensionibus sive conductionibus in dicta Curia de more consuevit fieri, habeat seu debeat quoquomodo subire, dummodo inter te vel predictos a te causam (habentes) et hospites, qui hospitia inhabitabant predicta pro tempore, super dicta pensione ratione mansionis sive inhabitationis huiusmodi mutua concordia intercedat, Non obstantibus consuetudine et observantia contraria dicte curie, ac quibuscunque privilegiis, indulgentiis, libertatibus et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, dudum in contrarium cortesanis seu curialibus curiam predictam sequentibus, seu aliis quibuscunque personis, seu taxationibus faciendis de domibus, quas inhabitant, sub quacunque verborum forma vel expressione concessis, etiam si caveretur in eis, quod cortesani seu curiales, vel persone huiusmodi, si expresse de non faciendo taxari domos easdem esset per eos suis hospitibus facta promissio, et etiam de non veniendo in coutrarium specialiter prestitum iuramentum, ad promissionum et iuramentorum huiusmodi observantiam minime teneantur, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta huiusmodi exemptionis et liberationis nostrarum effectus posset impediri quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcunque totis tenoribus habeuda forsitan esset in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre exemptionis et liberationis infringere etc. Datum Avinione vii. Idus Novembris. Anno Decimonono.

In e. m. . . . Archiepiscopo Ebredunensi, ac magistris Manueli de Flisco canonico Eboracensis, notario, Iacobo de Mutina capellano nostro, scolastico Tullensis ecclesiarum, ut hanc exemptionem exequi curent. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. XIX. Part. III. ep. 215. fol. 50.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XII.

CDLXXXIII.

Galhardus de Carceribus nuntius apostolicus et collector decimarum etc. in partibus Poloniae confirmatur.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, apostolice sedis in Regno Polonie et partibus circumvicinis nuncio, salutem etc. Cum sicut accepimus, felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster de industria tue fidelitatis et circumspectionis confisus, te dudum ad regnum Polonie certasque partes circumvicinas, certis tibi per eum in Regno et partibus supradictis commissis per suas diversas litteras negotiis, destinandum providerit, sicut in eisdem litteris plenius continetur: Nos attendentes, quod de fidelitate huiusmodi apud nos tibi laudabile testimonium perhibetur, ut omnibus et singulis litteris, tibi per eumdem predecessorem super prosecutione ac expeditione quorumvis negotiorum nos et ecclesiam Romanam in regno et partibus predictis contingentium directis, uti contentaque litterarum ipsarum iuxta tenores et continencias earumdem adeo plene et libere, inceptis et non inceptis negotiis ipsis, exequi valeas, quousque aliud super hiis ordinaverimus, et complere, ac si littere ipse per nos tibi directe fuissent, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Tu autem sic te solerter et fideliter gerere studeas in hac parte, quod laudabile testimonium, quod tibi perhibetur, ut premittitur, per exercicium operis clarius luceat, tuque proinde nostram et apostolice sedis graciam uberius merearis. Datum Avinione III. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 72. fol. 10.

CDLXXXIV.

Casimiro regi Poloniae idem nuntius commendatur.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Illam de tua, fili carissime, sinceritate fiduciam gerimus, quod ad ea, que nobis et sancte Romane ecclesie matri tue accepta fore credideris, promptis et devotis affectibus tanquam filius benedictionis et gracie te impendes. Sane cum dudum felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster dilectum filium magistrum Galhardum de Carceribus, clericum Caturcensis diocesis, licenciatum in legibus, apostolice sedis Nuncium pro certis eiusdem ecclesie negociis transmittendum providerit, nosque de fidelitate ac circumspectione confidentes ipsius, nunc sibi super executione negociorum ipsorum nostras speciales litteras dirigimus, Serenitatem Regiam attentius deprecamur, quatinus ob dicte sedis et nostram reverentiam eidem nuncio super premissis Regiis assistens favoribus, ipsum habere velis propensius commendatum, de nobis fiduciam habiturus, quod in hiis, que tuum et Regni tui

commodum et honorem respicient, nos, quantum cum deo poterimus, propicios reperies et benignos. Datum Avinione VII. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 73. fol. 10.

CDLXXXV.

Eidem nuntio, ut praelatos Poloniae ad providendum sibi salvum conductum compellere possit.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Galhardo etc. Cum sicut tua nobis insinuatione innotuit, te pro negotiis ecclesiam Romanam et Cameram nostram contingentibus in Regno Polonie, ac circumvicinis partibus auctoritate litterarum apostolicarum tibi directarum utiliter promovendis de Civitate ad civitatem, et loco ad locum frequenter oporteat transferre, ut prelatos et alias personas ecclesiasticas et seculares, necnon Communitates et Universitates partium predictarum, quotiens necessarium fuerit, requirere ac monere, quod tibi de securo conductu provideant, dictosque prelatos et personas ecclesiasticas religiosas et seculares, exemptas et non exemptas, ad id, si necesse fuerit, compellere per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, valeas, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 165. fol. 33.

CDLXXXVI.

Eidem, ut Petrum de Alvernia, qui de pecuniis collectis rationem reddat, ad curiam remittat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Galhardo etc. Licet dudum dilecto filio Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, qui olim per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum, ad partes regni Polonie pro certis proventibus Cameram eiusdem predecessoris ibidem contingentibus colligendis destinatus extitit, mandaverimus, sicut etiam per prefatum predecessorem, dum adhuc in humanis ageret, intelleximus fuisse mandatum, ut ad sedem apostolicam se conferre, deferendo vel mittendo pecunias per eum collectas in eis partibus, prout commodius et utilius fieri posset, rationes legitimas redditurus, et reliqua prestiturus, personaliter procuraret: ipse tamen, sicut accepimus, id omisit usque modo efficere, de quo miramur admodum, et omittit. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus eidem Petro ex parte nostra districte precipias et iniungas, ut absque ulteriori dilatione complere premissa studeat cum effectu. Sane cum nostre voluntatis et intentionis existat, quod ipse scripturas et Regestra eorum, que per ipsum de proventibus predictis collecta sunt, et restant etiam colligenda, circa que iuxta tenores litterarum nostrarum tibi super hoc directarum solertem te volumus diligenciam adhibere, necnon litteras tam apostolicas quam alias, quibus pro colligendis eisdem residuis indigebis, tibi studeat assignare, et monendi eum super assignatione huiusmodi tibi facienda, et ad premissa, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod nos de die, qua huiusmodi mandatum eidem Petro feceris, nos per Instrumentum publicum, quod inde confici facias, certiores fideliter efficere non postponas. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 164. fol. 33.

CDLXXXVII.

Eidem, ut quae a Ioanne XXII. exsequenda habuerit, continuo exsequatur.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Galhardo etc. Cum sicut accepimus, tu dudum per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum pro certis exequendis negociis ecclesiam Romanam tangentibus fueris ad parte regni Polonie destinatus: Nos volentes per te negotia huiusmodi exequi feliciter et compleri, discretioni tue, ut litteras per eundem predecessorem tibi vel aliis apostolice sedis nunciis ad partes easdem olim destinatis directas, et contenta in eis, prout per litteras prefati predecessoris poteras, exequi valeas et complere, plenam concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 163. fol. 33.

CDLXXXVIII.

Eidem, ut denarium S. Petri in regno Poloniae colligat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, in partibus regni Polonie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum census annuus, qui denarius beati Petri nuncupatur, nobis et ecclesie Romane per personas regni Polonie ac terrarum vicinarum partium debeatur: Nos volentes nostris et eiusdem ecclesie indempnitatibus, prout ex suscepti debito tenemur regiminis, providere, discretioni tue, de qua plenam in domino fiduciam gerimus, exigendi, petendi et recipiendi nostro et eiusdem ecclesie nomine ab omnibus et singulis personis dictarum partium, que ad censum predictum solvendum tenentur, tam pro preterito, quam etiam pro futuro tempore, usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum, teque simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii super hoc informandi, nec non contradictores quoslibet et rebelbelles, cuiuscumque status vel conditionis existant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et insuper eos, qui occasione census huiusmodi statutis ad hoc terminis non soluti excommunicationis sentenciam incurrissent, post plenam satisfactionem inde tibi nomine predicto recipienti exhibitam iuxta formam ecclesie absolvendi plenam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod illos, a quibus receperis dictum censum, absolvere valeas et quitare de hiis, que inde receperis ab eisdem, quodque scripturas exinde fieri facias oportunas, per quas particulariter et distincte nostram Cameram valeas efficere certiorem. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 162. fol. 32.

CDLXXXIX.

Eidem, ut residua decimarum etc. in partibus Poloniae exigat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Galhardo de Carceribus etc. salutem etc. Intelleximus, quod tam de decimis impositis et fructibus annalibus beneficiorum ecclesiasticorum vacantium reservatis per sedem apostolicam, quam aliis diversis proventibus ecclesiam Romanam, et Cameram nostram in regno Polonie et partibus circumvicinis contingentibus quedam adhuc debentur, et nonnulle collecte sunt et in certis locis partium earumdem, seu apud certas personas deposite pecunie quantitates. Volentes igitur ecclesie ac Camere predictarum indempnitatibus super hiis providere, discretioni tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, ut omnes et singulas pecunias ecclesiam et Cameram predictas quomodolibet contingentes, que adhuc in eisdem partibus per quascumque personas ecclesiasticas vel seculares debentur, seu per quoscumque collectores seu subcollectores decimarum, fructuum et proventuum predictorum hactenus deputatos apud quevis loca seu personas depositas, super quibus de plano, simpliciter, sine strepitu et figura iudicii, si necesse fuerit, te informes, petere, colligere, exigere ac recipere, necnon rationes predictorum collectorum et subcollectorum super premissis vel eorum aliquo deputatorum audire et examinare, Contradictores etc. valeas, plenam concedimus tenore presentium facultatem, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Rursus cum iamdudum per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum, et subsequenter per nos mandatum fuerit dilecto filio magistro Petro de Alvernia Canonico Noviomensi, olim in partibus illis nuncio dicte sedis, ut ad sedem venire procuraret predictam, de gestis per eum in predictis partibus predicte Camere rationes legitimas redditurus, et reliqua prestiturus, deferendo vel mittendo pecunias quascumque contingentes Cameram ipsam per eumdem collectas, ipseque adhuc mandatis predictis non curaverit, sicut miranter accepimus, obedire: Volumus, quod si forsan infra unum mensem, postquam sibi iuxta tenorem litterarum nostrarum tibi directarum mandatum fuerit, quod premissa studeat adimplere, in eis complendis se contumacem exhibuerit vel rebellem, ex tunc omnes et singulas pecunias, que penes eum fuerint, aut eidem in illis partibus per modum depositi vel quemcumque alium debebuntur, exigas, recipias, et conservare, ut inde possis predicte Camere fideliter et integraliter respondere, procures, tam

ipsum Petrum, quam quosvis alios clericos et laicos, cuiuscumque conditionis, ordinis, status, preminencie vel dignitatis existant, etiam si pontificali vel quavis alia premineant dignitate, ad eas tibi assignandas per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, Invocato etc. Non obstantibus omnibus supradictis, et nichilominus eundem Petrum peremptorie citare procures, ut infra certum terminum competentem per te sibi super hoc prefigendum sub excommunicationis, ac privationis omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum pena apostolico conspectui personaliter se presentet, rationes redditurus predictas, ac super premissis inobedienciis et aliis suis excessibus responsurus, ac facturus et recepturus, quod iusticia suadebit, de die autem huiusmodi citationis et forma, et aliis, que in hac parte quomodolibet egeris, redditurus particulariter et distincte per Instrumentum publicum harum seriem continens nos et eandem Cameram nichilominus certiores. Datum Avinione VIII. Idus Maii. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 166. fol. 33.

CDXC.

Mathias episcopus Vladislaviensis de denario B. Petri in parte Pomeraniae suae diocesis, litteris pacti conventi insertis, pro tribus annis collecto et camerae apostolicae soluto absolvitur.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Exposito dudum felicis recordationis Iohanni pape XXII. predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum, quod cives, habitatores et incole civitatis et diocesis Culmensis, ac terre Pomeranie tue diocesis Wladislaviensis, in quibus iidem magister et fratres temporale dominium exercere dicuntur, qui pro eo, quod censum annuum, qui denarius beati Petri in illis partibus vulgariter nuncupatur, per eos ecclesie Romane debitum multis retroactis temporibus solvere non curarunt, excommunicationis vinculo innodati, et civitas, castra, ville ac opida dictarum dyocesis et terre supposita ecclesiastico interdicto auctoritate apostolica existebant, ad cor reducti censum volebant solvere supradictum, quodque petebant similiter sibi de absolutionis beneficio ab eisdem excommunicationis et interdicti sentenciis per sedem apostolicam provideri, dictus Predecessor tibi, proprio nomine non expresso, super hoc suas certi tenoris litteras, quarum tenor de verbo ad verbum infra describitur, destinavit, tuque demum, litteris eisdem receptis, ad ipsarum executionem debitam processisti iuxta tenorem et continenciam earumdem, prout in instrumento publico manu dilecti filii Arnaldi de Parente, clerici Agennensis diocesis, publici auctoritate apostolica Notarii confecto, et tuo dictique Magistri generalis, et dilectorum filiorum . . . de Gdancz, . . . de Ginewa et de . . . Swetza domorum dicti hospitalis Commendatorum, ac . . . Advocati et . . . Burgensis Dersow, Communitatis Gdancz opidorum in dicta terra Pomeranie consistentium sigillis communito, in quo tenor dictarum litterarum de verbo ad verbum est insertus, quod per te nobis transmissum in archivio sancte Romane ecclesie reservari facimus, plenius et seriosius continetur, cuiusque tenor de verbo ad verbum est presentibus annotatus, qui talis est. In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo tricesimo quarto, indictione secunda, die decima mensis Novembris, Constitutis apud Grudens Culmensis diocesis coram reverendo patre domino Mathia divina et apostolice sedis gracia ecclesie Wladislaviensis Episcopo, in presentia reverendi patris domini Othonis eadem gracia Culmensis Ep̄i, et venerabilis et discreti viri dn̄i Galhardi de Carceribus, licenciati in legibus, apostolice sedis nuncii, reverendique religiosi viri domini fratris Luden ordinis beate Marie Theotonicorum Magistri generalis, dominorum Iaroslay Prepositi, Boraslay Scolastici, Friczconis Cantoris, Saudonis Custodis, Bertoldi Officialis, Cristiani Custodis Cruswiciensis et Culmensis ecclesiarum, necnon religiosorum virorum fratrum Theodorici Marsalci, Zichardi de Grudens, Merklini de Thoron, Iohannis de Gdans, Rutheri de Ginewa, Commendatorum supradicti ordinis beate Marie Theotonicorum, testium ad infrascripta vocatorum et rogatorum, meique Arnaldi et Hermanni notariorum infrascriptorum, Militibus et Communitatibus civitatum et opidorum, Scoltetis quoque et habitatoribus seu incolis terre Pomeranie partis diocesis Wladislaviensis, quedam apostolice littere more solito Romane Curie in filo canapis bullate, omni vicio et suspicione carentes, que ipsi domino Episcopo dirigebantur, de mandato eidem lecte et publicate fuerunt, quarum tenor hic de verbo ad verbum est insertus, qui talis est. Iohannes Episcopus servus servorum dei, Venerabili fratri Episcopo Wladislaviensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Dudum pro eo, quod cives, habitatores et incole civitatis et diocesis Culmensis, et terre Pomeranie tue Wladislaviensis diocesis, in qua dilecti filii . . . . Magister et fratres hospitalis beate Marie Theo-

tonicorum temporale dominium exercere dicuntur etc. ut supra Nro. CDLXV. et CDLXVI. pag. 352. et 353. Datum Avinione Idibus Decembris Pontificatus nostri anno decimo octavo. Quibus lectis et publicatis, Theotonicis in Theotonico, et Polonis in Polonico etiam interpretatis et expositis, omnes et singuli ad hortationem domini Magistri predicti elevatis in celum manibus clamarunt, dicentes, quod parati erant, volebant et promittebant sedi apostolice obedire, et denarium beati Petri solvere secundum litterarum predictarum continentiam et tenorem, et tunc ibidem suos veros, certos et legittimos sindicos et procuratores generales et speciales elegerunt et constituerunt, videlicet Heuconem de Bancow, Nicholaum de Pizechowo, Gosalum dictum Taditz, Milites, Iohannem scoltetum de Dersovia et Henricum de Gdancz, et ipsorum quemlibet in solidum ad obligandum efficaciter et sollempniter pro ipsis constituenbus, et procuratorio nomine eorumdem tenere, observare et approbare ordinationem factam iuxta seriem et formam litterarum predictarum, dantes et concedentes eisdem et ipsorum cuilibet plenam et liberam potestatem premissa faciendi, ratificandi et iurandi in animas ipsorum, et omnia alia faciendi, que ad obligationem huiusmodi pertinent, prout ipsi possent facere, si essent presentes, iuxta ordinationem et litteras supradictas. Tandem cum de dicto censu denario beati Petri pro tribus annis incipientibus in anno dñi M. CCC. XXX. et terminato in anno eiusdem M. CCC. XXXIII. satisfecissent dño Ep̄o Wladislaviensi supradicto, tactis corporaliter sacrosanctis dei evangeliis, ibidem coram dicto dño Ep̄o iuraverunt et promiserunt sub hiis verbis: Nos iudici et procuratores Universitatum et habitatorum seu incolarum terre Pomeranie partis diocesis Wladislaviensis, dicioni dominorum Magistri et fratrum de domo Theotonica temporaliter subiecte, promittimus et iuramus in animas nostras et in animas Communitatum, que nos constituerunt, quod ab hac hora in antea in perpetuum secundum formam dictarum litterarum apostolicarum solvemus denarium beati Petri singulis annis in quadragesima monete usualis secundum modum, quem incole terre Polonie solvere consueverunt eundem, ita nos deus adiuvet et sancta dei evangelia; et nichilominus bona fide promiserunt suo ac successorum suorum et nomine procuratorio, quo supra, dicto domino Wladislaviensi Episcopo nomine predicte Romane ecclesie promissa omnia recipienti et stipulanti, quod ipsi dictum censum Romane ecclesie ex tunc, ut premittitur, solvent singulis annis in quadragesima, vel Collectoribus ad eundem recipiendum ab ipsa sede deputatis seu deputandis, et non contravenire vel facere aliqua ratione, verbo vel opere, de iure vel de facto, se et nomine procuratorio, quo supra, pro premissis tenendis efficaciter et sollempniter obligando. Acta fuerunt hec, ut supra, anno, indictione, die et mense ac loco supradictis, Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri domini Iohannis divina providentia pape XXII. Anno decimonono. Et ego Arnaldus de Parente, clericus Agennensis diocesis, auctoritate apostolica publicus notarius seu scriba, premissis omnibus, dum ut premittitur, agebantur, presens fui, et hoc presens instrumentum de mandato dicti domini Wladislaviensis Episcopi manu mea propria scripsi, et in hanc formam redegi publicam, signoque meo, quo dicta auctoritate utor, signavi rogatus, requisitus etiam exinde plura conficere instrumenta eiusdem continentie et tenoris. Et in maiorem roboris firmitatem et prefate Romane ecclesie cautelam, et perpetuam memoriam singulorum premissorum omnium prefatus Wladislaviensis Episcopus, nec non prefati dominus Magister et Gdancz, de Ginewa et Swuetza Commendatores, advocati quoque Dersoviensis, et Communitates de Gdancz et de Dersovia Civitatum seu villarum pro se et aliis incolis dicte terre Pomeranie hoc presens Instrumentum publicum mandaverunt suis sigillis sigillari in testimonium premissorum. Et ego Hermannus quondam Vithivari de Thorum, clericus Culmensis diocesis, publicus auctoritate Imperiali notarius, premissis omnibus in hoc instrumento per Arnaldum notarium supradictum confecto contentis una cum eodem et testibus supradictis presens fui, et de mandato prefati domini Episcopi Wladislaviensis hic me subscripsi, meoque nomine et signo consueto consignavi rogatus. Demum vero tu de dicto censu tibi pro dictis tribus annis nomine sancte Romane ecclesie, ut premittitur, persoluto quingentos et viginti florenos boni auri debiti ponderis per manus dilectorum filiorum Martini de Brutuslave, et Nicholay de Clevitz ecclesiarum dicte Wladislaviensis diocesis plebanorum fecisti nostre Camere integraliter assignari. Nos igitur, que super premissis acta sunt, tenore presentium approbantes, ac volentes super huiusmodi assignatione pecunie dicte Camere tuo nomine facta tibi de cautela necessaria providere, assignationem ipsam de dictis quingentis et viginti florenis auri nomine tuo factam dicte Camere, ut prefertur, gratam et ratam habentes, te tuosque successores Ep̄os Wladislavienses, qui pro tempore fuerint, dictamque Wladislaviensem ecclesiam de ipsis quingentis et viginti florenis auri tenore presentium auctoritate apostolica absolvimus et quitamus. Nulli ergo etc.

nostre approbationis, absolutionis et quitationis etc. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis III. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 593. fol. 117.

CDXCI.

Officiali Posnaniensi, ut epum Caminensem ad restituendam certam partem Vladislaviensis dioecesis epo Vladislaviensi ereptam compellat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio . . . Offitiali Poznaniensi, salutem etc. Commissi nobis ex alto pastoralis offitii debitum exigit, ut sic circa statum quarumlibet, et presertim Cathedralium ecclesiarum, quarum nobis cura generalis incumbit, diligenter prospicere debeamus, quod singule suis foveantur in iuribus, et inter earum presules vinculum vigeat caritatis. Ex tenore siquidem petitionis pro parte Venerabilis fratris nostri Mathie Wladislaviensis Episcopi porrecte nobis accepimus, quod Venerabilis frater noster . . . Episcopus Caminensis certam partem sue Wladislaviensis diocesis, in qua due parrochiales ecclesie ac triginta septem ville campestres existunt, in cuius quidem partis possessione pacifica tam ipse Mathias Episcopus, quam predecessores sui Wladislavienses Episcopi, qui fuerunt pro tempore, per annos quadraginta et amplius extiterunt, et in ea censum ecclesie Romane debitum, qui denarius beati Petri dicitur, idemque Mathias decimam sexennalem impositam in Concilio Viennensi pro dicta Romana ecclesia collegerunt, occupavit indebite auctoritate propria, et detinet contra iustitiam occupatam in ipsius Mathie Episcopi et sue Wladislaviensis ac predicte Romane, que inibi dicto censu propterea defraudatur, ecclesiarum manifestum preiudicium atque dampnum: Quare pro parte dicti Wladislaviensis Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut dictum Caminensem Episcopum ad realem restitutionem partis huiusmodi dicte Wladislaviensis diocesis faciendam per aliquam discretam personam Poznaniensis ecclesie, cuius diocesis a Caminensi diocesi per duas dietas minime distare dinoscitur, presertim cum in partibus illis non sit aliquis locus insignis vicinior, in quo reperiri possit copia peritorum, compelli auctoritate apostolica mandaremus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra per te vel alium seu alios, vocatis dicto Episcopo Caminensi et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis simpliciter et de plano, sine iudicii strepitu et figura procedens, facias iusticie complementum, Contradictores auctoritate predicta, appellatione postposita, compescendo, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iuditium evocetur, quam aliis quibuscumque constitutionibus ac privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus contrariis, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum posset impediri quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in ipsis mentio specialis, Seu si dicto Episcopo Caminensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, vel ultra seu extra certa loca ad iudicium evcari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis IV. Kalendas Septembris. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Part. I. ep. 748. fol. 375.

CDXCII.

Mathiae episcopo Vladislaviensi super supradicto denario B. Petri solvendo etc. scribitur.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Mathie Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Fraternitatis tue litteras, per quas ea, que auctoritate litterarum felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri tibi directarum super facto census annui, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus ecclesie Romane debiti per habitatores et incolas terre Pomeranie tue diocesis, in qua dilecti filii . . . Magister et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum exercere dicuntur temporale dominium, feceras et expediveras, nobis significare curasti, necnon Instrumentum obligationis super eodem censu per te nomine Romane ecclesie iuxta tenorem dictarum litterarum recepto, et per dictos habitatores et incolas in posterum annis singulis exsolvendo, certamque summam pecunie, quam de censu collegeras supradicto, recepimus per te missam, tuam in hac parte diligentiam multipliciter

in domino commendantes. Sane cum in tuis inter cetera continetur litteris, quod ex eo non erat in Instrumento obligationis huiusmodi sigillum Conventus dicti hospitalis appensum, quod ipsi se dicunt sigillum proprium non habere: volumus, quod ut satisfiat dictarum litterarum tenori, ab eisdem Conventu publicum Instrumentum recipias, propter quod ipsi eidem obligationi et aliis, que circa hec acta sunt, in Instrumento predicto contentis expresse consentiant, quodque ipsi sigillo dicti Magistri apposito in eodem Instrumento quo ad hoc specialiter uti volunt; quod quidem instrumentum, quod ut prefertur, a dictis Conventu recipies, nobis evestigio mittere fideliter non postponas. Petitionibus autem supra quitatione recepte pecunie supradicte, et Commissione utenda inter te ac Venerabilem fratrem nostrum ... Epūm Caminensem duximus favorabiliter annuendum. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis IIII. Idus Septembris. Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 596. fol. 120.

CDXCIII.

Episcopo Culmensi, ut de denario B. Petri in sua dioecesi collecto vel colligendo rationem reddat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Culmensi, salutem etc. Dudum felicis recordationis Iohanni pape XXII. predecessori nostro pro parte dilectorum Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theutonicorum exposito, quod cives, habitatores et incole civitatis et diocesis Culmensis, et terre Pomeranie Wladislaviensis dyocesis, in quibus iidem Magister et fratres temporale dominium exercere dicuntur, censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus per eosdem cives, habitatores et incolas ecclesie Romane debitum, a cuius solutione nonnullis tunc retroactis temporibus cessaverunt, et propterea excommunicationis innodati vinculo, ac civitas Culmensis, castra, ville et opida diocesis et terre predictarum, nec non communitates et universitates eorum supposita extiterint ecclesiastico interdicto, volebant imposterum ex tunc annuatim solvere dictum censum, humiliter supplicando, ut eisdem civibus, habitatoribus et incolis providere de absolutionis beneficio ab eadem excommunicationis sententia, et relaxare interdictum huiusmodi dignaretur: idem predecessor tibi per suas dedit certi tenoris litteras in mandatis, ut si prefati cives, habitatores et incole tuarum civitatis et diocesis predictarum pro tribus annis, sicut cum Camera predecessoris predicti fuerat concordatum, tibi nomine Romane ecclesie predicte recipienti predictum censum solverent, seque ad illum eidem ecclesie, seu collectoribus per sedem apostolicam super hoc deputatis seu deputandis, solvendum perpetuis temporibus annuatim infra quadragesimam per suos procuratores et sindicos ydoneos, iuramento corporali nichilominus prestito, efficaciter obligarent, confectis exinde instrumentis publicis seriem litterarum predictarum continentibus, que tuo ac eiusdem Magistri et Conventus dicti hospitalis, necnon prefate civitatis Culmensis et aliarum communitatum in eadem tua ditione consistentium sigillis munita, per te una cum hiis, que de censu predicto reciperes, dicto predecessori fideliter mitterentur, memoratis civibus habitatoribus, et incolis de absolutionis a dicta excomunicationis sentencia beneficio iuxta formam ecclesie provideres, interdictumque relaxares predictum cum certis adiectionibus per sepefatum predecessorem circa premissa factis expresse, sicut in eisdem litteris, quarum tenorem in registris dicti predecessoris repertum, de verbo ad verbum diligenter ascultari fecimus, plenius continetur. Cum itaque venerabilis frater noster Mathias Episcopus Wladislaviensis, qui pro habitatoribus et incolis dicte terre Pomeranie infra suam diocesim constitutis similes litteras ab eodem predecessore recepit, Instrumenta obligationis et censum per ipsum predictis tribus annis receptum, nobis, iamdiu est, destinarit, de te, frater, qui idem iuxta directarum tibi litterarum tenorem, prout te tangit, non feceris, plurimum admiramur. Quocirca fraternitatem tuam requirimus attentius et hortamur, tibi nichilominus iniungentes, obstaculo cuiusvis more sublato, sic missionem acceleres premissorum, quod tua potius debeatur in hac parte commendari diligencia, quam reprehendi negligentia vel notari. Porro cum ab aliquibus asseratur dictos Conventum proprium sigillum non habere, si sit ita, instrumentum publicum ab eisdem Conventu recipias, propter quod ipsi obligationi et aliis supradictis expresse consentiant, quodque specialiter quo ad hoc uti volunt sigillo prefati Magistri in instrumentis apposito memoratis, nobis Instrumentum huiusmodi, quod a dictis Conventu recipies, una cum aliis Instrumentis et censu predictis quantocius transmissurus. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis IIII. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. ep. 594. fol. 119.

CDXCIV.

Iudicibus, ut Iaroslaum archidiaconum Cracoviensem a suspensione liberent.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Petro de Verulis Preposito Titulensis Colocensis diocesis, et ... Decano Wratislaviensis ac ... Scolastico Cracoviensis ecclesiarum, salutem etc. Dilecti filii Iaroslai Petri Archidiaconi Cracoviensis devotio, quam ad nos et apostolicam sedem habere dinoscitur, eiusque laudabilia merita probitatis, que sibi suffragari dicuntur, multipliciter promerentur, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Ex tenore siquidem sue petitionis porrecte nobis accepimus, quod supposito dudum pro parte sua felicis recordationis Iohanni pape XXII. predecessori nostro, ut eum a suspensione, quam olim vigore constitutionum apostolicarum incurrerat, recipiendo procurationes ratione visitationis a certis ecclesiis et personis ecclesiasticis Prepositure Kilciensis ecclesie Cracoviensis diocesis in pecunia numerata, absolvere, ipsumque ad dignitates, personatus et officia, et alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, que postmodum receperat, restituere, ac habilitare ad alia, fructusque, quos interim ex ipsis receperat, sibi donare ac remittere dignaretur: idem predecessor dicto Iaroslao restituit dignitates, personatus et officia supradicta, ipsumque habilitavit ad alia, ut prefertur, voluit tamen, quod huiusmodi fructus perceptos infra certum terminum Camere apostolice assignaret, alioquin eandem suspensionem incurreret ipso facto: et tandem idem predecessor dictos fructus sibi gratiose remisit, lapsu temporis, infra quod ipsos idem Archidiaconus dicte Camere assignare debuerat, non obstante. Quare pro parte ipsius Archidiaconi fuit nobis humiliter supplicatum, ut suspensionem huiusmodi relaxare ac tollere dignaremur. Ipsius igitur Archidiaconi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, suspensionem ipsam auctoritate nostra tollere ac relaxare curetis. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis IX. Kalendas Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Part. I. ep. 811. fol. 400.

CDXCV.

Nuntio apostolico, ut Petrum de Alvernia collectorem decimarum in Cracoviensi diocesi ad restituendum episcopo et clero Cracoviensis dioecesis ea, quae hactenus ab eisdem indebite extorsit, compellat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Etsi quarumlibet personarum excessus patefacti nostris auribus nos perturbant, illi nimirum anxius et gravius afficiunt mentem nostram, qui ab hiis committuntur improvide, quos sedes apostolica prefert officiis quibuscumque, presertim cum ex hoc eiusdem sedis nimium detrahatur honoribus, que circa executionem officiorum huiusmodi se sperabat in eis potius honorari. Ex conquestione siquidem Venerabilis fratris nostri Iohannis ep̃i, et dilectorum filiorum Capituli Cracoviensium, ac Cleri civitatis et diocesis Cracoviensium nuper accepimus, quod dilectus filius Petrus de Alvernia canonicus Cracoviensis dudum decime sexennalis imposite olim in concilio Viennensi, et census in regno Polonie ecclesie Romane debiti, qui denarius beati Petri dicitur, in partibus illis auctoritate apostolica collector existens, commissionibus sibi factis per dictam sedem abutens, ipsarumque metas imprudenter excedens, et cervicis sue furiam iusticie ac rationi preponens, ab omni gravitate ac maturitate et prudentia, quibus dicte sedis nuntii et legati uti consueverunt et debent, penitus alienus, sed propriis dumtaxat lucris turpibus et prophanis inhians et intentus, multas pecunias et nonnulla alia pretextu commissionum huiusmodi ab eisdem extorsit indebite, et a nonnullis personis singularibus earumdem, illa, ut verisimiliter presumitur, non in utilitatem Camere dicte sedis, sed in commodum proprium convertendo. In nonnullos etiam de dictis Clero infra Cracoviensem ecclesiam, et in via publica dicte Civitatis manus iniecit temere violentas, aliquos manibus propriis, quod sibi non licebat facere, carceri mancipando et vinculis ferreis alligando, et nichilominus, quod gravius est, quamquam dictus episcopus prefatum Petrum propter reverentiam dicte sedis tam in vestibus, quam multis aliis necessariis multipliciter honorasset, ipsumque in domo sua episcopali, in qua idem Petrus per longa tempora habitavit, quamdiu sibi placuit, recepisset, eique tamquam dicte sedis nuncio, sicut congruum erat et debitum, detulisset, sicut tunc etiam defferebat, idem tamen Petrus episcopali non deferens dignitati, sed capitositatis et superbie sue sequens potius fantasiam, ipsum episcopum apud clare memorie Wladislaum regem Polonie, dum adhuc viveret, et Venerabilem fratrem

nostrum Ianislaum archiepiscopum Gneznensem, et nonnullos alios prelatos et clericos, ac barones et nobiles, aliasque graves et bonas religiosas et seculares personas publice et graviter diffamavit, ipsum per (?) virum adulterum, scismaticum et dilapidatorem bonorum ecclesiasticorum, ac multis aliis irretitum esse criminibus, licet mendaciter, asserendo, propter que prefatus episcopus et sua Cracoviensis ecclesia multa gravamina atque dampna, quamquam indebite, sustinuit et expensas. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus auctoritate nostra per te vel alium seu alios, vocatis dicto Petro et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis et eorum singulis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii te informans, si ea repereris vera esse, dictum Petrum ad restitutionem extortorum huiusmodi per censuram ecclesiasticam et alias, prout iustum fuerit, compellas, et super eis facias celeris iusticie complementum, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et de duabus dietis editis in concilio generali, dummodo aliquis ultra duas vel tres dictas auctoritate presentium non trahatur, quam aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis in contrarium editis, que tue possent in hac parte iurisdictioni eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, Seu si dicto Petro vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab sede sit indultum predicta, quod excommunicari, suspendi vel interdici, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis VIII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Part. I. ep. 781. fol. 390.

CDXCVI.

Eidem, ut Petrum de Alvernia moneat, ne episcopum Vratislaviensem de decima solvenda amplius molestet.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, clerico Caturcensis diocesis, licenciato in legibus, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Officii nostri debitum exigit, ut poscentibus iustitie plenitudinem impendamus. Sane Venerabilis frater noster Nankerus Episcopus Wratislaviensis sua nobis querula petitione monstravit, quod dudum ipse necessitate magna compulsus pro sua et ecclesie sue Wratislaviensis defensione, a dilecto filio magistro Petro de Alvernia, Canonico ecclesie Oppoliensis Wratislaviensis diocesis, tunc apostolice sedis nuntio, et Collectore decime sexennalis in regno Polonie deputato, auctoritate sedis eiusdem non modicam recèperit pecunie quantitatem, hoc modo videlicet, quod prefatus Episcopus pro qualibet duodena marcharum grossorum Boemicalium unam marcham boni auri promisit Petro reddere antedicto, et quod marcha auri excedebat in valore duodecim marchas grossorum in duabus vel tribus marchis grossorum monete predicte, ita quod facto computo de tota summa pecunie taliter numerate, idem Petrus occasione huiusmodi petit ultra sortem ab eodem Episcopo non modicam pecunie quantitatem: Quare nobis predictus Episcopus humiliter supplicavit, ut provideri sibi super hoc adversus eundem Petrum de remedio iustitie oportuno in illis partibus mandaremus. Cum igitur crimen usurarie pravitatis utriusque testamenti pagina detestetur, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, si premissa inveneris ita esse, auctoritate nostra facias dictum Petrum vera sorte fore contentum, et quod ultra illam dictum Episcopum aliquatenus non molestet, prefatum Petrum ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellendo, non obstante, si dicto Petro sive aliquibus aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione XII. Kalendas Novembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Part. I. ep. 870. fol. 420.

CDXCVII.

Registrum decimae sexennalis per Galhardum de Carceribus collectae in dioecesi Vratislaviensi.

Ista est recolleccio restanciarum decime sexannalis per dominum Clementem papam V. in Concilio Wyennensi imposite, per Magistrum Petrum de Alvernia michi date impendenti, per me in

dyocesi Wratislaviensi facta: in qua dyocesi XII. parvi denarii pro grosso Boemicali, et XLVIII. grossi pro marcha computantur.

Super quibus restanciis est notandum, quod cum ego anno domini M.CCC.XXXV. quo anno incepi primo recolligere iura Camere domini nostri pape in regno Polonie, in favorem . . . Capituli et Cleri Civitatis et diocesis Wratislaviensis cum magnis labore, periculo, sumptibus et expensis in opidum Opul eiusdem diocesis pervenissem, actum fuit inter me, . . . Officialem et Magistrum Arnaldum Canonicum Wratislaviensem, procuratores . . . Capituli et tocius . . . Cleri predicti, quod si aliquis iuraret sive aliqui iurarent diminucionem beneficiorum suorum, et propterea diminute solverent, quod de valore beneficiorum sic iurancium posset inquiri, et contra male iurantes procedere non tantummodo ad supplementum, ymo eciam ad penam periurii et privacionem beneficiorum. Et dominus Nankerus tunc Episcopus Wratislaviensis promisit, quod si aliqui tales essent reperti, ipse ad penam et ad privacionem huiusmodi diligenter procederet et solerter. Quare si aliqui de infrascriptis personis invenirentur male iurasse, potest procedi ad supplementum et penam, et ad privacionem huiusmodi contra eosdem, prout fuit legitime ordinatum. Et propter hoc in omnibus quitacionibus posui ,, Iure Romane ecclesie in omnibus semper salvo ". Primo sequitur

SEDES WRATISLAVIENSIS.

Altarista sancte Katherine solvit I. fertonem et IX. denar. Item ecclesia de Olthazin II. marc. cum dimidia, IV. scotos et quartam. De villa Conradi XII. scot. De Gayo I. marc. X. scot. et VIII. den. De Bresna XV. scot et V. den. Capella sancti Georgii in eccl. S. Elizabeth XVI. scot. minus III. den. De villa Hermanni II. marc. et VIII. scot. De Canino campo III. sc. et I. den. De villa Wigandi VIII. scot. et XX. den. De Lesna IV. marc. cum dim. Hospitale S. Mathei VII. fertones. De Wikenow XVI. sc. et VIII. den. De S. Mauricio X. sc. cum dim. De Sobecicz VI. sc. et III. den. Altarista eccl. S. Marie Magdalene X. sc. et II. den. Abbas S. Wincencii V. marc. et V. den. De Soravina II. scot. Lossoviensis, Olesniensis, Strigoviensis, Golthbergensis, Tinciensis et Levibergensis domus CXL. mr. Domus Bregensis VI. marc. minus II. scot.

Altariste in ecclesia S. Iohannis.

Iacobus Augustini solvit mediam marcham. Altarista S. Marie I. mr. et XVI. scotos. Altarista S. Martini III. sc. et VIII. den. Altarista S. Adalberti IV. sc. Altarista S. Catherine IV. sc. et VIII. den. Altarista Archidiaconi VII. sc. minus quart.

Dignitates et Prebende in ecclesia Wratislaviensi.

Decanus Wratislaviensis solvit XXI. scot. et quart. Scolasticus VIII. marc. et VII. sc. Cantor XI. mr. Cancellarius VII. fert. et XVI. den. Custos X. mr. VI. sc. et quart. Magister Petrus Zila I. mr. et V. sc. De Ieschoczel V. mr. IX. sc. cum dim. Symon de Marcow V. mr. V. sc. et quart. Cuntzco de Schalcow V. mr. XVI. sc. Iacobus de Posnania VI. sc. Stephanus de Wirbna IX. sc. minus IV. den. Stanislaus III. grossos. Iohannes de Brunsberg II. mr. VI. sc. et IX. den. Iacobus de Nyssa XI. sc. minus quart. Bugufalus VII. sc. minus IV. den. Albertus de Moglin VI. sc. minus VIII. den.

Dignitates et Prebende in ecclesia S. Crucis.

Conradus Archidiaconus solvit VI. mr. cum dim. et III. gross. Ottho de Dayn IV. mr. IV. sc. et IX. den. Nicolaus de Koskirdorf III. mr. Conradus de Vlog V. mr. et VI. sc. Iohannes Succentor II. mr. XVI. scot. et quart. Plebanus de Svidnitz pro vicario solvit III. marc. Iohannes de Ladimiria I. mr. Idem pro vicario III. fert. et XX. denar.

SEDES SWIDNICENSIS.

Eccl. de Swidnitz solvit IV. scot. cum dim. De Wyrbna I. marc. minus III. scot. De Olsna XVII. sc. De Gola I. mr. et V. sc. De Ostefanzang III. sc. De Zemesselovicz I. mr. cum dim. De Czobotha mediam mr. et VII. den. De Wiravina III. sc. cum dimidio.

Item Claustrum Sanctimonialium cum Capella Ducis in Strigavio solvit IX. mr. min. quart. Eccl. de Gredes I. mr. et V. qu. De Goglow XIV. sc. De Zalczinbrun I. mr. cum dim. minus gross. Hospitale ibidem I. mr. De Wroburg X. sc. min. qu. De Pastow mediam mr. De Weynsinrod XXII. sc. cum dim. De villa Arnoldi X. sc. Capella Leprosorum VIII. sc. De Bela XI. sc. et IV. den. De Lassano II. mr. cum I. gr. De villa Martini II. mr. et III. sc. De Russca XI. sc. et III. quart. De Capella Crissoviensi XX. sc. et III. den. De Petrowitz I. mr. minus quart. De Strelicz I. mr. De Sistridow IV. sc. De Naslowicz I. ferton. De Putrido ponte I. fert. De Pisbirnvilla XVI. sc. min. qu. De

Zibotendorf II. mr. De villa Gerardi I. mr. De villa Bertoldi III. fert. De villa Floriani XXI. sc. cum dim. De Tanhussin I. sc. De Lussin XIII. sc. et III. quart. De Sifridi villa II. mr. VIII. sc. et III. den.

Sedes Bregensis.

Ecclesia de Olavia solvit I. mr. De Stinavia XVI. den. De Prandzin XIV. scot. De Souwow V. sc. De Svenkinfelt cum filiali solvit XIV. sc. cum dim. De Panpicz XIV. sc. De villa Bertoldi III. sc. De Rosynhar XIII. sc. De Heyda I. mr. cum dim. Altarista de Maslovitz VI. sc. De Ludnow mediam mr. et III. quart. De Grunivik VII. sc. minus VII. den. De Brozen XVI. sc. min. II. den. De Scepelnik V. sc. cum dim. et III. den. De Umorovitz VI. sc. min. IV. den. De Grotkow VII. fert. I. sc. min. quart. De Antiquo Grotkow V. sc. et quart. Ecclesia Boemorum II. scot. cum dim. De Michelow VI. sc. De Lewin VI. sc. De Tarnow VI. sc. min III. den. De villa Alberti XX. sc. De Margenow I. mr. cum dim. minus quart. De Bancow X. scotos cum dimidio. De Cindeto I. quart.

Sedes Trebnicensis.

De Alta ecclesia solvit I. mr. cum dim. III. sc. et XX. denar. De Barchow VII. sc. De Prusnitz V. sc. IV. denar. De Cirkvitz XV. sc. Militz V. fertones. De Pastorovitz I. mr. et VIII. scotos.

Sedes Neniczensis.

Primo de villa Henrici solvit IV. sc. De Heynrichswald IV. sc. De Quedechindorf I. mr. De Pilavia superiori IV. sc. De Pilavia inferiori III. sc. De Frakinberg I. mr. De villa Gerardi XVI. sc. minus VIII. den. De villa Lamberti XVII. sc. minus VIII. den. De Stoletz XIX. sc. min. VIII. den. De villa Rudolphi II. mr. cum dim. V. sc. cum dim. et IX. den. De Heyda mediam marcam. De villa Heydinrici I. mr. cum dim. De Serutz I. mr. De villa Gerlaci mediam mr. De villa Gulislai III. fertones. De Zigridowitz VII. fert. minus gross. De Czarcow VII. fert. min. gross. De Dirsdorf I. marc. IV. sc. VIII. den. De Panthenow V. mr. IV. sc. et quart. De Pomerio III. mr. II. sc. VII. den. De Olesna I. mr. II. sc. cum dim. De Knegnicz V. fert. De Geruswalde mediam mr. De villa Dithmari I. mr. IX. sc. minus I. denar. De villa Mayfridi III. scotos cum dimidio. De Welwritz V. fertones. De Wilchow mediam marcam.

Sedes Noviforensis.

Ecclesia de Novoforo solvit II. mr. De Porsnicz XV. sc. et II. den. De Manow IV. sc. minus IIII. den. De Sathonicz II. mr. cum dim. De Czanovicz mediam mr. De Coscelez II. mr. cum dim. et V. sc. De Fonte XIV. sc. min. I. den. De Regow XIX. sc. III. qu. De Pirchino XX. sc. De Svanth II. mr. De Metzcow XIII. scotos De Kemoltovicz I. mr. XI. sc. X. den. De Patrovicz mediam mr. XIV. den. De Kedzicz I. mr. IV. sc. De Sorbcovitz VIII. sc. De Pobricz I. mr. min. XX. den. De Svidnitz mediam mr. De Monthwarin XXI. sc. De Sodgazovicz VII. sc. min. IV. den. De Minkina VII. sc. min. VIII. den. Item Hospitale mulierum leprosarum V. fertones.

Sedes Nissensis.

Ecclesia de Bela solvit XII. sc. De Kemutz XV. sc. et qu. De Carlovitz I. mr. De Calcow II. mr. cum dim. De Novavilla V. fert. De Kemnicz V. fert. et I. gr. Item Procurator Hospitalis VIII. sc. De Kendewize XV. sc. De villa Bertoldi mediam mr. De villa Lamberti VI. sc. De villa Stephani XI. sc. cum dim. et II. den. De villa Rasmanni mediam mar. De Waldow pro Canonicatu Opoliensi III. fert. De Patzcow I. grossum. De Stinavia II. mr. IV. sc. cum dim. De Keyserdorf VII. fert. et V. quart. De Gezendorf mediam mr. De villa Hermanni VII. gro. De Copirnik VIII. sc. cum dim. De Kemutz II. mr. V. qu. III. den. De villa Operti I. mr. cum dim. De Nowath mediam mr. Item Capella advocatorum de Nyssa II. mr. X. sc. cum dim. De Petirheide I. mr. De Lobdow I. mr. V. sc. et VIII. den. De Bisscostzonth III. fert. De Iawornik I. mr. De Secto Polonicali II. mr. et IX. sc. De Belicz VI. scotos. Item de Brezin I. marcam.

Sedes Strelicensis.

Ecclesia de Strelin solv. VI. marc. De Prevorno I. marc. cum dimidio. De Beczin VI. scot. minus qu. De villa Alberti III. qu. De Cunorindorf I. marc. De Bervald VI. scot. De villa Arnaldi XX. scot. De Caverdorf II. scot. et III. qu. De Cirpicz V. fert. et III. den. De villa Scriptoris II. den. De Iordansmal II. marc. et VIII. den. minus II. scot. De Glivicz XX. scot. min. qu. De Gayo mediam marc. De Cusmalcz I. marc. X. scot. cum dimidio. De Osla XI. sc. De Pulcro Campo III. fert. et I. gross. De Withovicz V. fert. De villa Emerici XIII. scot. De Brozicz XXI. scot. et III. qu. De Hartha III. marc. cum dimidio, I. sc. et III. quart. De Strigindorf I. marc. De Casrow V. fert. et III. quart.

De Gulow I. sc. et II. den. De Mazin I. qu. De villa Hermanni I. marc. et IX. den. De villa Rudgeri III. marc. De Libnow I. marc. minus III. den. De Boznow I. marc. Item Moniales in Strelin V. marc. De villa Frederici I. marcam.

Dignitates et prebende in ecclesia Glogoviensi.

Dominus Iacobus solvit I. marcam et VIII. scotos.

Sedes Glogoviensis.

Monasterium S. Clare solvit VII. marc. De Lodoviczo I. marc. De Grabeg XIIII. scot.

Sedes Boleslaviensis.

Ecclesia in maiori Olsna solvit II. marc. III. fert. et quart. De Lapidea ecclesia I. marc.

Sedes Gornensis.

Ecclesia de Czermina solvit I. marcam.

Sedes Stinaviensis.

Ecclesia de Gzedzlicz solvit III. fertones. De villa Timonis VI. scotos cum dimidio. Hospitale S. Spiritus IIII. marcas.

Sedes Legnicensis.

Sanctum Sepulcrum solvit unum scotum. De Renovitz XXI. scot. XVI. denar. De Pettendorf IIII. scot. cum dimidio. De Bruchaczdorf I. gross. De Trebnitz IIII. scot. et qu. De Cunitz II. marc. cum dimidio VII. scot. De villa Henrici I. marc. minus gross. De Heyda I. marc. et dim. V. gross. De Paczcowitz II. marc. III. sc. cum dimidio. De villa Sifridi II. sc. et quart. De Lobdow IX. scot. De Ruffa ecclesia IIII. marc. De Crotzitz IIII. denar. De villa Emerici IX. scotos. De villa Conradi II. sc. De Weysendorf I. marc. cum dimidia. Item Altarista curie Episcopalis XX. scot. Item de Haynovia II. marc. IIII. scot. cum dimidio et I. den. De Bertoldi villa VIII. scot. De Costovicz XIIII. sc. IX. den. De Clebanovicz I. fert. De Tenczil III. fert. VIII. den. De Vyastd IX. den. De Alta ecclesia II. marc. cum dimidia et I. qu. De Scriba I. marc. cum dimidia minus III. qu. Capella S. Laurentii de Lignitz VIII. marc. cum dimidia et II. scot. cum dimidio.

Sedes Iaworensis.

Ecclesia de Iavor solvit IIII. marc. VIII. scot. III. qu. De Slup VII. fert. IIII. scot. et quart. De Hermanni villa I. marc. cum dimidia et V. scot. De Bertoldi villa III. fert. et IIII. quart. De Riberti villa V. fert. De Martini villa I. marc. minus I. gross. De Heringiswalth I. marc. et I. gross. De Crenovitz I. marc. III. scot. et qu. De Poczin II. marc. cum dim. minus gross. De Petrowicz I. marc. III. scot. et qu. De Regosen III. marc. XX. scot. X. den. De Bergenkern I. marc. I. scot. De Goberhardi villa VII. marc. cum dimidia. De Czimir VII. qu. De Prowin I. marc. IIII. scot. min. quart. De Merticz I. marc. XIIII. scot. III. qu. De Huysdorf XX. scot. min. qu. De Rostwog I. marc. cum dimidia minus VIII. den. De Symonis villa XXII. sc. minus VII. denar.

Sedes Aurei Montis.

Ecclesia de Pobasthaym solvit VIII. denar. De Nova ecclesia et pro Prebenda S. Crucis VII. marc. VIII. scot. et qu. De Peregrini villa V. marc. XI. scot. et XI. den. De Alberti villa VIII. scot. De Adlongi villa II. marc. XIII. scot. et qu. De Modlici villa mediam marc. minus quart. De Altina I. scot. et I. denar. De Keyservald I. marc. XV. scot. et XV. denarios.

Sedes Noviforensis.

Ecclesia de Moyes solvit III. marc. cum dimidia, I. scot. et X. den. De Pithnovicz XX. sc. De Budischow I. marc. IIII. scot. XIIII. den. De Custu I. marc. XV. scot. VIII. denar. De Ruya mediam marcam. De Lassovitz XV. scot. et III. qu. De Wangrodin I. marc. cum dimidia VII. gross. De Villa hospitalis I. marc. et VII. qu. De Korneyda III. fert. De Steuthe XVI. scot. et qu. De Kepthovald III. marcas. De Berdorf X. scot. XVI. den. De Pilossovicz mediam marc. XX. denar. De Poloscovicz X. scot. et II. denarios.

Sedes Hirsbergensis.

Ecclesia de Hirsberg solvit III. marc. et XX. scot. De Cametzvalth VI. scot.

Sedes Haynensis.

Ecclesia de Hayn solvit VII. marc. cum dimidia I. scot. minus III. den. De Hermanni villa mediam marc. X. denar. De Gotzvini villa III. marc. II. scot. IX den. De Poymo I. marc. XIII. scot. VIII. den. De Richenow IIII. marc. IX. scot. III. den. De Sifridi villa II. marc. II. gross. IIII. denar.

De Rudolphi villa I. marc. IIII. scot. XVII. den. De Wolvendorf mediam marc. XIX. den. De Grissow I. marc. et I. scot. De Cuntzendorf XII. scotos. De Wernerdorf II. mr. II. sc. et IV. den.

SEDES LEVIBERGENSIS.

Claustrum de Libental solvit III. scot. minus VII. denar. Item de Finchensithen I. marc. cum dimidia et V. scotos.

ARCHIDYACONATUS OPOLIENSIS.

Archidiaconus Opoliensis solvit II. marcas et III. scotos. Iacobus de Nissa IX. scotos et quart. Wernherus II. marc. VII. scot. III. qu. Sventhopelcus III. fert. Conradus de Munsterberg I. marc. X. scot. cum dimidio. Rudolphus IIII marc. minus VIII. denar.

SEDES ROSENBERGENSIS.

Ecclesia de Psalo solvit III. scot. De Lippo VIII. scot. et XIIII. denarios.

SEDES STRELINENSIS.

Ecclesia de Camen solvit I. marc. VIII. scot. et XV. denar. De Dolna V. scot. III. qu. Item procurator Abbatis de Gemelnitz III. scotos.

SEDES TOSTENSIS.

Ecclesia de Plussnitz solvit II. scot. De Patzina V. scot. IX. den. De Magnavilla III. scot.

SEDES VYASDENSIS.

Ecclesia de Lessnicz solvit XX. scot. minus gross. De Halossi V. scotos cum dimidio. De Robecz IIII. scotos.

SEDES GLIVICENSIS.

Ecclesia de Pilchovicz solvit I. marc. VI. scot. V. quart. De Lambag I. marc. II. scot. De Prissovicz II. scot. De Rincolovicz VI. scot. De Glivicz mediam marcam. De Stanovicz VI. scotos.

SEDES ZARENSIS.

Ecclesia de Goltmansdorf solvit XIII. scot. De villa Peregrini mediam marc. De Gdow V. sc. De Ribnicz XX. sc. De Boguslavicz VII. sc. De Dambin V. sc. De Birkindorf I. marc.

SEDES TESSINENSIS.

Ecclesia de Hankendorf solvit VIII. scot. De villa Rudgeri III. gross. De villa Sifridi X. sc. De Zimoracz III. scotos cum dimidio. De Lipovecz II. scot. De Cuntzendorf XII. scot. De Bemgard V. scot. cum dimidio. De Lezna IIII. scot. minus I. den. De villa Petri IIII. scot. et qu. De Bluda III. scot. Item Abbas de Orlovia XVII. scotos.

SEDES RATYBORIENSIS.

Ecclesia de Psdrazno solvit VII. gr. De Lissek I. marc. XV. sc. De S. Nicolao III. fertones.

SEDES COSLENSIS.

Ecclesia de antiqua Cosla solvit III. scot. De villa Ditmari VIII. scot. cum dimidio. De Milicz VII. sc. IX. den. De Grudin X. sc. et qu. De Constantin II. marc. II. sc. De Thuardava XII. sc. De Ostrozin III. fertones.

SEDES GLOGOVIENSIS.

Ecclesia de Lencovicz solvit VI. scot. cum dimidio. De villa Scriptoris V. scot. De Crapicz II. fert. cum dimidio III. den. De Walocz VI. scot. cum dimidio. De Rogow III. scot. De Sthinow XI. scot. et XII. den. Domus S. Spiritus mediam marc. I. gross. De Kepowa VI. scotos.

SEDES BOLENSIS.

Ecclesia de Gastovia solvit IIII. marc. IIII. scot. et XX. den. De Smoluad XVI. scot. De Lascovitz II. marc. De Hurthlanth II. marc. XXI. scot. De Lansmicz V. marc. et VIII. scotos.

SEDES NEMEDLENSIS.

Ecclesia de Kirchberg solvit II. marc. De Gorow VII. scot. et IIII. denar. De Magunssovitz VI. scot. cum dimidio. De villa Gotfridi mediam marc. De Nutervovitz VII. scot. De Holgotha IV. sc. XIV. den. De Dambrova II. marc. De Crevitz III. marcas.

Nota quod dominus Episcopus Wratislaviensis pro debito, in quo sua procuratio Legnicensis Camere domini nostri pape fuerat obligata, solvit DCC. marc. minus XX. marc.

Item Abbas Monasterii S. Marie in Arena pro residuis decime per ipsum in dicta Wratislaviensi recollectis solvit CC. marcas. (Attende, quia super ista summa dubitatur de VI. marcis.)

Item idem solvit pro eisdem residuis XX. marcas.

Item Gallus Custos Glogovicnsis pro eisdem residuis solvit c.lv. marcas parvorum grossorum.

Summa summarum totius pecunie per me in predicta Wratislaviensi dyocesi, tam pro residuis decime, quam pro debito predicti domini Epi facit mdclxxxi. mr. xx. sc. cum dim. et iii. denarios.

Ratio. Collect. Poloniae et Hungariae An. 1334 — 1342. fol. 1 — 12.

CDXCVIII.

Episcopo Vratislaviensi, ut ducem Silesiae ad restituenda, quae ipse vel suae gentes monasterio de Lubens abstulerant, compellat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Sua nobis dilecti filii . . . Abbas et Conventus monasterii de Lubens Cisterciensis ordinis tue diocesis gravi conquestione monstrarunt, quod dilectus filius Nobilis vir Henricus Dux Slezie prefatis Abbati et Conventui super nonnullis suis, et dicti monasterii membrorumque ipsius bonis et iuribus oppressiones et molestationes multas indebitas per se suosque officiales et subditos intulit hactenus, et inferre non cessat, bona et iura huiusmodi occupando et usurpando indebite et iniuste. Nostre igitur pro parte dictorum Abbatis et Conventus provisionis remedio humiliter super hiis implorato, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel alium seu alios eundem Ducem requirere, inducere studeas efficaciter et monere, ut ab huiusmodi oppressionibus, molestationibus, usurpationibus et occupationibus iurium et bonorum predictorum desistens, ea, que de illis per eum vel alium seu alios eius nomine ac mandato, seu ipso ratum habente, occupata fuerint, vel indebite usurpata, de quibus tibi simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis evocandis, constiterit, infra certum terminum peremptorium competentem per te sibi super hoc prefigendum memoratis Abbati et Conventui restituat, et in pace dimittat, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, ratione previa, compellendo, Non obstante, si eidem Duci vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione Idibus Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 9. fol. 3.

CDXCIX.

Regi Bohemiae monasteria de Lubens et de Cedelitz ord. Cisterciensis Vratislaviensis et Pragensis dioecesium commendantur.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Iohanni Regi Boemie Illustri, sal. etc. Ad ea te libenter, fili carissime, nostris precibus invitamus, ex quibus tibi salutis et honoris provenire valeat incrementum. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum . . . Abbatis et Conventus monasterii de Lubens Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis fuit expositum coram nobis, quod dilectus filius Nobilis vir Henricus Dux Slezie ipsis Abbati et Conventui super nonnullis eorum, dictique monasterii et membrorum eius bonis et iuribus multiplices oppressiones et molestationes indebitas per se, suosque officiales et subditos intulit hactenus, et inferre continue non desistit. Nos igitur cupientes prefatos Abbatem et Conventum ab huiusmodi liberari et relevari oppressionibus et molestationibus, et ut melius et promptius deo servire valeant, pacis et quietis tranquillitate letari, Serenitatem rogamus Regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus prefatum Ducem, ut ab eisdem oppressionibus et molestationibus, ex quibus, si suffragetur veritas relatibus, deus graviter offenditur, et proximus leditur, procurans desistere, ipsosque Abbatem et Conventum deo servire in pace dimittens, usurpata et occupata quecunque per ipsum vel suos indebite de bonis et iuribus supradictis memoratis Abbati et Conventui restituat, velit efficaciter inducere Regia celsitudo, tam ipsos, quam dilectos filios.... Abbatem et Conventum monasterii de Cedelitz dicti ordinis Pragensis diocesis habiturus, fili dilectissime, super suis et monasteriorum suorum negociis et iuribus sic favoribus Regiis pro divina, ac nostra et apostolice sedis reverencia commendatos, quod preter laudis humane preconium perennis mercedem premii propterea habundantius assequaris. Datum Avinione Idibus Ianuarii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 8. fol. 3.

D.

Nuntio apostolico, ut pecuniam ex decimis in Polonia collectam camerae apostolicae transmittat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus clerico Caturcensis diocesis, in partibus regni Polonie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum de certis proventibus,

ad Cameram nostram in regno Polonie et partibus circumvicinis spectantibus, nonnullas summas pecunie collegisse iuxta mandatorum per nos et eandem Cameram tibi directorum tenores dicaris: Nos huiusmodi et alias per te de dictis proventibus collectas, et colligendas pecunias volentes ad eandem Cameram fideliter destinari, discretioni tue presentium tenore mandamus, quatinus cum mercatoribus vel aliis personis fide ac facultatibus ydoneis, de quibus tibi videbitur, per modum depositi vel alias, sicut melius, utilius et securius poteris, ordinare procures, quod predicte pecunie ad dictam Cameram secure transmittantur, eidem quantocius fideliter assignande, ipsam certificaturus nichilominus Cameram de pecuniis ipsis et hiis, que circa hec quomodolibet egeris, et de quibus proventibus illas collegeris, et quid ac quantum de singulis, clare, particulariter et distincte. Dat. Avinione Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 20. fol. 7.

DI.

Galhardus de Carceribus, nuntius apostolicus et collector decimarum in Polonia, pontifici causam Bolconis ducis Silesiae contra Petrum de Alvernia per inquisitores instructam transmittit.

Sanctissimo in Christo Patri ac domino suo clementissimo, domino Benedicto sacrosante Romane ac universalis Ecclesie dignissimo Summo Pontifici, Gualhardus de Carceribus, lincenciatus in legibus, vestre Santitatis in Regno Polonie nuncius ac Prepositus ecclesie Titulensis, cum humili recommendacione pedum oscula beatorum. Sanctitati ac clemencie vestre notifico reverenter, quod procurator magnifici principis domini ducis Bolconis coram me personaliter constitutus obtulit peticionem infrascriptam: qua recepta, quia multis vestre Camere negociis occupatus examinacioni ipsius negociis attendere non poteram, examinacionem et relacionem ipsius negocii venerabilibus viris Decano et Archidiacono Oppoliensibus duxi committendam: unde ipsam examinacionem et relacionem ac totum processum per eos factum vestre sanctitati mitto, ut vestra sanctitas ordinet, quidquam placet. Sequitur processus predictus.

(L. S.) Et ego Iohannes quondam Rudgeri de Brest, clericus Wladislaviensis diocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, assignacioni infrascripti processus presens affui clausi et sigillati, et de mandato predicti domini nuncii me subscripsi, meumque signum consuetum apposui in testimonium premissorum.

In nomine domini Amen. Hec, que sequntur, sunt coram nobis Iohanne Archidiacono et Nicolao Decano Ecclesie Opoliensis Wratislaviensis diocesis acticata, et per Nicolaum Arnoldi de Strelicz, clericum dicte diocesis Wratislaviensis, notarium publicum infrascriptum de nostro mandato conscripta, et primo quidem anno a nativitate eiusdem dominica M.CCC.XXX.sexto, proxima quinta feria ante dominicam, qua Invocavit me decantatur, que est XV. Kalendas Martii, Indictione quarta, hora quasi tercia, in domo habitacionis nostre Decani supradicti Venerabilis vir dominus et magister Gualhardus de Carceribus, licenciatus in legibus, apostolice sedis Nuncius in regno et provincia Polonie constitutus, quandam litteram commissionis sub suo sigillo appendenti sigillatam cum quadam peticione in scriptis nobis exhibuit et presentavit: cuius quidem commissionis tenor de verbo ad verbum dinoscitur esse talis. Gualhardus de Carceribus, licenciatus in legibus, apostolice sedis Nuncius in regno et provincia Polonie constitutus, Honorabilibus et decretis viris dñis Iohanni Archidiacono et Mag. Nicolao Decano ecclesie Opoliensis Wratislaviensis diocesis, salutem in domino. Veniens ad nostram presenciam discretus vir Magister Thylo Rector scolarium de Rychynbach, procurator Illustris principis domini Bolconis dei gracia ducis Slezie et domini de Munsterberg, nomine procuratorio ipsius quandam peticionem in scriptis obtulit, in qua petebat cum instancia nomine procuratorio dicti domini ducis iusticiam fieri de Magistro Petro de Alvernia, olim Nuncio sedis predicte, nostro predecessore: quam quidem peticionem nostro sigillo sigillatam vobis duximus transmittendam. Nos advertentes, quod cum simus variis et arduis negociis sanctissimi patris et domini, domini Benedicti pape XII. quamplurimum prepediti, in tantum quod predicte cause cognicioni seu negocii ad presens intendere non valeamus, de discrecione et industria ac fidelitate vestra plurimum confidentes, nolentes etiam prefato domino duci iusticiam denegare, vobis predictam causam tenore presencium committimus examinandam, mandantes, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, una cum testibus, si qui fuerint necessarii, prudenter recipere ac examinare curetis, deposiciones omnium testium, quos produxerit procurator predictus, cum instrumentis et

litteris quibuscumque ad dictam causam pertinentibus fideliter in scriptis redactis una cum predictis omnibus, ac tenore presencium in publicam formam redactis sub sigillis vestris inclusas, nemini revelatas, ad nos et nobis quantocius remittatis, ut secundum relacionem et informacionem vestram predictum dominum nostrum, dominum papam plenarie et perfecte de predictis omnibus et singulis ad dictam causam pertinentibus possimus veridice informare. In cuius rei evidenciam presentibus nostrum sigillum duximus apponendum. Datum in Opol Idus mensis Februarii Anno domini M.CCC.XXX.sexto. Tenor vero peticionis sic incipit. Coram vobis et a vobis, venerabilis domine, domine Gualharde, licenciate in legibus, Nuncie sedis apostolice, Ego Thylo, procurator Illustris principis domini Bolconis ducis Slezie et domini de Furstinberg et de Munsterberg, nomine suo et nomine procuratorio pro ipso propono et dico, et peto cum instancia iusticiam predicto domino meo fieri de Magistro Petro de Alvernia, quondam Nuncio sedis predicte, qui a predicto domino meo iniuriose et indebite, et per metum, qui cadere poterat in constantem, videlicet proferendo in eum sentenciam excommunicacionis, et in terram suam interdicti, non citatum, non convictum, nec de aliquo confessum, falso asserens, se per predictum dominum meum rebus ipsius fore spoliatum, centum quinquaginta marcas grossorum Pragensium extorsit, non adducens idem Magister Petrus, quod si hoc fuisset verum, quod omnino nego et dico esse falsum, quod per dictum dominum meum fuisset spoliatus, adhuc tamen in proprio facto, et in propria causa iudex et actor esse et existere non potuisset: quare peto nomine, quo supra, ipsum de hoc per vos ex officio vestro, prout ius et racio exigunt, puniri, et domino meo predicto iusticiam per vos non denegari, cum constat, et sic notorium ipsum gravatum esse et dampnificatum in pecunia supradicta, et de expensis, que se extendunt ad xxx. marcas grossorum Pragensium, quas coactus est occasione predicte pecunie facere, et labores non modicos subire: que omnia, et que faciunt pro victoria et intencione domini mei, paratus sum ostendere et probare eo modo, quo facere debeo et valeo. Protestor eciam de expensis, quas fecero pro exequendo factum hoc coram vobis, quod de hiis per vos eciam iusticia michi fiat. Quibus sic exhibitis et presentatis, dictus Magister Thilo eodem instanti quasdam intenciones seu articulos nobis exhibuit, et presentavit in scriptis in hec verba:

Intendit probare magister Thilo, procurator domini ducis Bolconis, quod Magister Petrus de Alvernia, olim Nuncius sedis apostolice, mandavit eadem auctoritate predictum dominum Ducem excommunicatum denunciari;

Item probare intendit, quod idem Magister Petrus auctoritate predicta posuit inserdictum in terram predicti domini Ducis;

Item probare pretendit, quod de predictis in terra predicti ducis est et fuit publica vox et fama;

Item probare intendit, quod antequam absolvit ipsum et interdictum relaxavit, extorsit ab eo centum quinquaginta marcas;

Item probare intendit, quod dictam pecuniam dictum dominum Ducem dare oportuit propter metum dictarum sentenciarum;

Item probare intendit, quod dictam pecuniam in Cracoviam sibi per nuncios presentavit;

Item probare intendit, quod eadem pecunia ibidem in Cracovia per nuncios predictos sibi fuit numerata;

Item probare intendit, quod de predictis omnibus in terra sua est publica vox et fama, non astringens se ad probandum hec omnia, sed quantum sufficit pro sue intencionis victoria.

Quo facto, vid. intencionibus sic exhibitis et presentatis, dictus Mag. Thylo in continenti tres testes coram nobis produxit, videlicet dños Rudgerum de Strelin Plebanum, Henricum dictum Rungo S. Crucis aput Wratislaviam et Iohannem dictum Comerel S. Crucis aput Opol ecclesiarum Canonicos, qui ad sancta dei ewangelia more consueto iuraverunt, quod omnem veritatem dicere vellent, quam scirent et de qua fuerint requisiti et cetera: quorum dictum hic per ordinem continetur. Dominus Rudgerus Plebanus de Strelin, primus testis iuratus et interrogatus super prima intencione, que sic incipit: Intendit probare Magister Thylo procurator domini Ducis Bolconis, quod magister Petrus de Alvernia et cetera; respondit, quod credit eum fuisse excommunicatum, sed non recordatur de licteris, utrum eas vidisset, vel non. Item interrogatus, per quem fuit excommunicatus et cuius auctoritate, respondit, quod credit, quod per magistrum Petrum de Alvernia et auctoritate sedis apostolice. Item interrogatus, utrum fuit per homines vitatus propter hoc dictus dux Bolco, respondit, quod credit, quod fuit vitatus per aliquos. Item interrogatus, utrum de hoc sit publica vox et fama, quod idem dux Bolco fuerit ex-

communicatus, ibidem in vicinia, respondit, quod credit, quod sic. Item interrogatus, quare fuit excommunicatus per ipsum magistrum Petrum, respondit, quod credit, quod propter spoliacionem ipsius magistri Petri. Item interrogatus, an ipse testis interfuit spoliacioni dicti magistri Petri, respondit, quod non. Item interrogatus super secundo articulo seu intencione, videlicet an interdictum latum fuit in terram predicti domini Ducis per magistrum Petrum de Alvernia supradictum, respondit, quod sic, et solus observavit. Item interrogatus, quomodo sibi constet de predictis, respondit, quod vidit litteras, et servavit seu tenuit per aliqua tempora interdictum. Item interrogatus, ex qua causa fuit latum interdictum, respondit, quod propter spoliacionem, quam dictus magister Petrus asseruit in se factam per dictum dominum Ducem; sed non interfuit spoliacioni idem dominus Rudgerus.

Item interrogatus super tercio articulo et quarto, videlicet utrum receperit pecunias idem magister Petrus, vel extorserit CL. marcas a dicto domino Duce, antequam fuit absolutus et interdictum relaxatum, et utrum de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod nesciat, nisi quantum audivit, quod aliquas pecunias dedit; sed nescit quantum. Item interrogatus, a quo vel a quibus audivit, respondit, quod non recordatur. Item interrogatus, an de hoc, quod dedit pecunias, ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod ignoraret.

Item interrogatus super aliis articulis, videlicet utrum dictum Ducem dare oportuit pecuniam supradictam dicto magistro Petro propter metum dictarum sentenciarum, respondit, quod nesciat.

Item interrogatus, utrum dictus Dux pecunias transmiserit Cracoviam dicto magistro Petro, respondit, quod nesciret, nec de numeratione sibi constaret, quia non fuit presens. Item interrogatus, an sit informatus ita loqui, respondit, quod non. Item interrogatus, utrum sit subornatus ferre testimonium, respondit, quod non. Item interrogatus, an gracia, odio, timore vel amore ferat testimonium, respondit, quod non, sed causa iusticie.

Item dominus Henricus dictus Rungo, Canonicus ecclesie S. Crucis aput Wratislaviam et plebanus in Nymptz diocesis Wratislaviensis, secundus testis iuratus, et interrogatus super primo articulo seu intencione, videlicet utrum dux Polco fuit excommunicatus per magistrum Petrum de Alvernia, respondit, quod sic. Item interrogatus, cuius auctoritate fuerit excommunicatus, respondit, quod auctoritate sedis apostolice. Item interrogatus, an viderit litteras excommunicationis, respondit, quod non. Item interrogatus, si fuit vitatus tamquam excommunicatus, respondit, quod fuit vitatus. Item interrogatus, quomodo sibi constat, respondit, quod solus ipsum vitavit. Item interrogatus, quare fuit excommunicatus, respondit, quod propter hoc, quod dicebatur, quod ipse dux Polco ipsum magistrum Petrum spoliasset rebus suis. Item interrogatus, utrum interfuit spoliacioni, respondit, quod non. Item interrogatus, an de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod sic.

Item interrogatus super secundo articulo seu intencione, videlicet an interdictum latum fuit per dictum Magistrum Petrum in terram dicti domini Ducis Polconis, respondit, quod sic. Item interrogatus, an interdictum fuit observatum, respondit, quod fuit observatum. Item interrogatus, cuius auctoritate et per quem fuit latum interdictum, respondit, quod per dictum Magistrum Petrum auctoritate sedis apostolice. Item interrogatus, quomodo sibi constet, quod interdictum fuit latum, respondit, quod ex eo scit, quia fuit in terra observatum, et solus observavit. Item interrogatus, propter quam causam fuit latum et observatum interdictum, respondit, quod propter precedencia.

Item interrogatus super alio articulo seu intencione, videlicet utrum receperit pecunias idem Magister Petrus ab eodem domino Duce Polcone vel extorserit, respondit, quod recepit et extorsit pecunias ab eodem, antequam fuit absolutus et interdictum relaxatum. Item interrogatus, quantum extorsit, respondit, quod CL. marcas grossorum Pragensium recepit ab eodem. Item interrogatus, quomodo sibi constet de recepcione pecunie supradicte, respondit, quod sibi sic constaret, quia ille, qui dicto magistro Petro easdem pecunias presentavit, sibi retulisset. Item interrogatus, utrum de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod sic.

Item interrogatus super alio articulo seu intencione, videlicet si pecunias predictas oportuit dare predictum dominum Ducem Polconem propter excommunicacionem et interdictum latum predicto Magistro Petro de Alvernia, respondit, quod sic, quia alias nullomodo dedisset, nisi fuisset excommunicatus. Item interrogatus, utrum de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod sic. Item interrogatus, an sit informatus ita loqui, respondit, quod non.

Item interrogatus, utrum concordasset de dicendis, respondit, quod non. Item interrogatus, an sit subornatus ferre testimonium, respondit, quod non. Item interrogatus, an gracia, odio, timore vel amore ferat testimonium, respondit, quod non, sed causa iusticie.

Item dominus Iohannes dictus Comerel Canonicus Opoliensis et Plebanus de Munstirberg, tercius testis iuratus, et interrogatus, utrum dux Polco fuit per Magistrum Petrum de Alvernia excommunicatus, respondit, quod nesciat, quia non fuisset tunc in partibus, sed credit, quod fuerit excommunicatus, quia per ipsum Magistrum Petrum, et per dñum Nankerum Episcopum Wratislaviensem de mandato suo postea, eo presente, fuit absolutus. Item interrogatus, si vidit licteras excommunicacionis, respondit, quod non. Item interrogatus, si fuerit vitatus tamquam excommunicatus per homines, respondit, quod de hoc nichil sciat. Item interrogatus, quare sit vel fuerit excommunicatus, respondit, quod nesciat, sed credit, quod propter hoc, quia legatus Magister Petrus asseruit se per dictum ducem Polconem fuisse rebus suis spoliatum. Item interrogatus, si interfuit spoliacioni, respondit, quod non. Item interrogatus, utrum de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod sic.

Item interrogatus super alio articulo seu intencione, si interdictum fuit latum per dictum Magistrum Petrum in terram Ducis Polconis, respondit: Credo latum fuisse, et hoc presumo ex eo, quia postea fuit absolutus dictus Dux Polco, et interdictum relaxatum per dictum Magistrum Petrum. Item interrogatus, quomodo hoc sciret, quod interdictum fuit relaxatum, respondit, quod ipse Magister Petrus sibi litteras relaxacionis presentavit ad manus suas. Item interrogatus, cuius auctoritate et per quem fuit latum interdictum, respondit, quod per ipsum Magistrum Petrum auctoritate sedis apostolice, et hoc sibi sic constat, quia licteras absolucionis et relaxacionis interdicti ab eodem Magistro Petro recepit propria in persona. Item interrogatus, si ipse in ecclesia sua tenuit interdictum, respondit, quod tempore suo, postquam de studio venit, non fuit tentum, quia fuit appellatum, sed nescit, utrum ante suum adventum servabatur. Item interrogatus, utrum de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod credit, quod sit publica vox et fama.

Item interrogatus super alio articulo seu intencione, si Magister Petrus predictus ab eodem duce Polcone receperit et extorserit pecunias, antequam fuit absolutus et interdictum relaxatum, respondit, quod recepit et extorsit CL. marcas grossorum Pragensium idem Magister Petrus ab eodem duce Polcone. Item interrogatus, quomodo sibi constat de predictis, respondit, quod ipse solus fuisset nuncius cum eadem pecunia ad dictum Magistrum Petrum, et sibi eandem pecuniam presentavit et numeravit in Cracovia, antequam obtinuit dicto Duci absolucionem et relaxacionem interdicti. Item interrogatus, si predictas pecunias idem Dux Polco miserit dicto Mag. Petro metu sentenciarum, respondit, quod sic. Item interrogatus, si de predictis omnibus et singulis ibidem in vicinia sit publica vox et fama, respondit, quod sic. Item interrogatus, si sit informatus ita loqui, respondit, quod non. Item interrogatus, an sit subornatus ferre testimonium, respondit, quod non. Item interrogatus, utrum concordasset de dicendis, respondit, quod non. Item interrogatus, an gracia, odio, timore vel amore ferat testimonium, respondit, quod non, sed causa iusticie.

Quibus testibus sic productis, dictus Magister Thylo quasdam licteras sub maiori sigillo dicti Magistri Petri appendenti coram nobis exhibuit et ad acta presentavit: quarum tenor de verbo ad verbum hic sequitur, et primo prime littere, que sic incipiebant. Notum sit omnibus, quod nos Petrus de Alvernia, licentiatus in legibus, Noviomensis et Cracoviensis ecclesiarum Canonicus, apostolice sedis Nuncius in regno Polonie, de rebus nobis ablatis de mandato et connivencia spectabilis principis domini Ducis Polconis, domini de Munstirberg, habuimus et recepimus libros, instrumenta et licteras per manus dominorum Wynandi antiqui Abbatis de Henrichow, et Iohannis Plebani de Munstirberg, exceptis Registro generali Sexennalis decime civitatis et diocesis Wratislaviensis, et lictera licencie nostre in legibus, et lictera obligacionis civium Wratislaviensium de sexcentis marcis argenti in pondere. De ceteris vero rebus receptis in predicto spolio predicti domini Abbas et Plebanus dixerunt nomine dicti domini Ducis se velle satisfacere et in brevi: que res alie una cum expensis necessariis factis propter dictum spolium ad CL. marcas grossorum in numero singulariter estimate sunt, in presencia dictorum dominorum Abbatis et Plebani, iuxta conscienciam bona fide, et parati sumus prestare super hoc iuramentum. Datum in Castro Cracoviensi sub sigillo nostro Anno dñi M.CCC.XXX. mense Augusti in crastino beati Bartholomei. Hic sequitur tenor secunde lictere. Notum sit universis,

ad quorum presenciam presentes littere pervenerint, Quod cum per nonnullos malefactores in strata publica prope Opol dudum nos Petrus de Alvernia, Canonicus Noviomensis, Nuncius sedis apostolice in regno Polonie, rebus quamplurimis fuerimus spoliati, nobis ac familiaribus nostris per fuge subsidium tunc divinitus evadentibus, de predictis rebus nonnulle nobis, procurante magnifico principe domino Polcone dei gracia Duce Slezie et domino de Munstirberg, qui dictam rapinam ratam habuisse dicitur, restitute sunt, et de aliis estimacione debita est nobis integraliter satisfactum: unde penam et iniuriam, quas poteramus petere propter hoc, et invasionem factam in rapina huiusmodi pro bono pacis et concordie duximus totaliter remittendas, committentes tenore presentium venerabili patri et domino, domino Nankero dei et dicte sedis apostolice gracia Wratislaviensi Episcopo, quatenus predictos dominum Ducem et raptores alios a sentenciis excommunicacionum et interdicti, latis in eos et familias eorum pro rapinis et invasionibus huiusmodi, iniunctis salutaribus penitenciis, valeat absolvere iuxta formam ecclesie consuetam, et absolutos facere publice nunciari, Processus vero quoscunque factos per nos pro rapina et invasione huiusmodi cassantes et annullantes, et nullos et cassatos meliori modo et forma, quibus possumus, declarantes. Dat. in Castro Cracoviensi sub sigillo nostro Anno dñi M.CCC.XXX. primo, mense Ianuarii die penultima. Item ulterius littere tenor talis est. Petrus de Alvernia, licenciatus in legibus, Noviomensis et Cracoviensis ecclesiarum Canonicus, apostolice sedis Nuncius in regno Polonie, discreto viro domino Iohanni Plebano ecclesie de Munstirberg Wratislaviensis diocesis, salutem cum sincera in domino karitate. Si aliquas interdicti sentencias in terra Magnifici principis domini Polconis, dei gracia Ducis Slezie et domini de Munstirberg, propter invasionem et rapinam factas de bonis nostri dudum prope Opol, pro eo, quod dictus dominus dux dictam rapinam approbasse dicitur, nos constiterit promulgasse, cum de dictis bonis raptis, ut premittitur, nobis extiterit satisfactum: Ideirco vos, qui in terra huiusmodi beneficium ecclesiasticum obtinetis, si in predicto vestro beneficio vel alibi in dicta terra ignoranter, et non in contemptum clavium tempore interdicti predicti divina officia celebraveritis publice, vel feceritis per alios celebrari, a penis, quas incurristis propter hec, presentem et humiliter petentem iuxta formam ecclesie absolvimus in hiis scriptis, vobiscum super irregularitate, si quam incurristis ignoranter propter hec, misericorditer dispensamus, vobis committentes tenore presencium nichilominus, quatinus universos et singulos viros ecclesiasticos, tam exemptos quam non exemptos, dicte terre, qui divina officia, ut premittitur, ignoranter et non in contemptum clavium celebrarunt, a penis, quas incurrerunt propter hec, absolvatis iuxta formam ecclesie, et cum eisdem super irregularitate modo simili misericorditer dispensetis. Datum in Castro Cracoviensi sub sigillo nostro Anno domini M.CCC.XXX.primo, mense Ianuarii die penultima. Actum Anno, Mense, Indictione, die, hora et loco, quibus supra, Presentibus honorificis viris et discretis dñis Petro Crispo Canonico, Alberto, Siffrido, Cristano, Martino Vicariis ecclesie Opoliensis supradicte, et aliis multis testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et ego Nicolaus natus Arnoldi de Strelicz clericus Wratislaviensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, scriba et notarius, prescriptorum actorum premissis omnibus et singulis una cum prefatis testibus Anno, Mense, Indictione, die, hora et loco, quibus supra, commissionis, peticionis et articulorum seu intencionum ac licterarum Magistri Petri de Alvernia predictis presentacioni, testium produccioni, iurameuti prestacioni cum ceteris presens interfui, ac ipsos testes sigillatim et secrete examavi, et premissa omnia, prout superius ponitur, de mandato dictorum dominorum ... Archidiaconi et ... Decani, et peticione dicti Magistri Thylonis procuratoris fideliter in hiis sex peciis pergameni conscripsi, quas filo combinavi, signum meum consuetum ad iuncturam quamlibet apponendo: Ideoque me eciam hic cum meo consueto signo et proprio nomine subscripsi in testimonium omnium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 208. Nro. 77.

DII.

Episcopo Tarbatensi, ut fratres hospitalis B. Mariae Teutonicorum ad restituenda bona archiepiscopo et ecclesiae Rigensi ab ipsis occupata, insertis Ioannis XXII. litteris et mandatis, compellat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Apostolice sedis circumspecta benignitas ad relevandas oppressas ecclesias, et maxime Cathedrales, ac Prelatos et Capitula ipsarum diligenter intendens, cum ipsas oppressorum iniuriis deprimi conspicit, libenter oportuni favoris presidium impertitur. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri .... Archiepi, et dile-

ctorum filiorum ... Prepositi et Capituli Rigensium communiter et divisim fuit in Consistorio propositum coram nobis, quod dudum per felicis recordacionis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum fuit ordinatum auctoritate apostolica, et mandatum sub certis penis, quas ipso facto incurrere voluit transgressores, quod dilecti filii ... Magister et fratres ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum in partibus Livonie deberent libere, et cum effectu restituere Castra, villas et territoria spectancia ad dictum Archiepiscopum et mensam ipsius, que occupaverant violenter, eidem Archiepiscopo vel gentibus suis: nobisque pro parte eorumdem Archiepiscopi, Prepositi et Capituli fuit humiliter supplicatum, ut ordinacionem et mandatum huiusmodi, quorum executio in grave preiudicium dictorum Arhiepiscopi atque mense hucusque fuerat retardata, ad debitam executionem deduci per nostras litteras efficaciter mandaremus. Volentes igitur, quod secundum ordinacionem et mandatum predecessoris eiusdem dicti Magister et fratres eidem Archiepiscopo atque mense restitutionem huiusmodi faciant cum effectu, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel per alium seu alios eidem Magistro et fratribus, si idem Magister in partibus illis existat, alioqui fratribus dicti hospitalis in partibus illis constitutis, et eis presidentibus post Magistrum ex parte nostra districte iniungas, ut infra certum perhemtorium terminum competentem, quem ad hoc eis duxeris prefigendum, iuxta ordinacionem et mandatum in litteris eiusdem predecessoris contenta, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum, Castra, villas et territoria supradicta libere, omnibus difficultate et mora postpositis, restituant tibi vel advocato seu Vicario eiusdem Archiepiscopi illa recipientibus nomine Archiepiscopi et mense predictorum, et de receptione huiusmodi recognicionem facientibus effectualiter, ut teneatur, et ad id eosdem Magistrum et fratres seu presidentes eisdem in illis partibus pro Magistro, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, Non obstantibus felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem et diocesim ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra Civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesium eorumdem trahere presumant, et tam de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscunque constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus vel alias editis, que tue possent iurisdictioni eiusque libero exercitio in hac parte quomodolibet obviare, seu si dictis Magistro et fratribus vel quidusvis aliis communiter vel divisim a predicta sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi vel interdici, vel extra seu ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis et locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, significaturus per tuas litteres tuo sigillo proprio sigillatas cum tenore presentium quecunque feceris in premissis. Tenor vero dictarum litterarum predecessoris eiusdem talis est. Iohannes Epsicopus etc. Venerabilibus fratribus ... Paduano et ... Osiliensi et ... Tarbatensi Episcopis, salutem etc. Grave Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi et dilectorum filiorum ... Prepositi et Capituli Rigensium querelam recepimus continentem, quod dilecti filii ... Magister generalis ac ... preceptor et fratres hospitalis sancte Marie Theothonicorum in Livonia dictum Archiepiscopum castris et possessionibus omnibus ad eum et ecclesiam suam spectantibus contra iusticiam nequiter spoliarunt, ac possessiones ad prefatos Prepositum et Capitulum pertinentes dampnabiliter occuparunt, exinde animalia et alia bona mobilia tam dictorum Archiepiscopi, Prepositi et Capituli, quam colonorum et aliorum hominum suorum deducentes in predam, dictis hominibus et Vassallis eorum graves et atroces iniurias inferendo, quorum septem gladiis crudeliter transfigentes, eos pripedes suspendere presumpserunt, contra iuramentum super hoc prestitum et promissiones factas per eos in Consistorio coram nobis temere veniendo, premissis etiam adiecerunt, quod prefati Magister, preceptor et fratres Monasterium et portum Dunamunde Rigensis diocesis, ad ecclesiam Rigensem spectantia, occuparunt et detinent occupata, ex quibus ecclesie ac civitati et civibus Rigensibus magnum preiudicium et quodammodo excidium noscitur imminere, ac ex eis infinita scandala, seditiones, incommoda et strages plurime processerunt, quodque dicti Magister, preceptor et fratres obedientiam et iuramentum fidelitatis prelatis provincie Rigensis, a quibus feuda tenere noscuntur, prestare recusant, ac nichilominus impediunt itinera atque passus, per que ad terras circumadiacentes liber itinerantibus uni-

versis patere consuevit accessus, propter que fidelium, et maxime Religiosorum volentium se conferre ad circumadiacentes terras infidelium ad proponendum eis pabulum verbi dei, et fidem catholicam in illis partibus dilatandam itineratio impeditur, dictique Magister, preceptor et fratres predictis excessibus non contenti, civitatem Rigensem in spiritualibus et temporalibus subiectam..... Archiepiscopo prelibato arcte obsidionis angustia circumvallasse dicuntur, civibus eiusdem civitatis liberum ingressum et exitum, et aliis ad civitatem eandem volentibus deferre victualia, et cum eisdem civibus consuetum exercere commertium facultatem liberam auferentes, et etiam prohibentes, ex quibus status fidelium in dicta civitate morantium periclitari dinoscitur, ac famis et aliis gravibus incommodis et periculis subiacere, et quod gravius est, dicti Magister, preceptor et fratres ordinationem et mandata nostra dudum eisdem Magistro, preceptori et nonnullis commendatoribus, ac fratri Conrado procuratori dicti Hospitalis, tunc in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutis, et per eos ceteris fratribus Hospitalis eiusdem presentibus et futuris verbo et per litteras facta, non absque inobedientie gravi nota observare non curant in nostrum et apostolice sedis contemptum, grave fidelium illarum partium scandalum et preiudicium manifestum, et suarum pernitiem animarum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios prefatum Magistrum, preceptorem et fratres ex parte nostra requirere procuretis, quod castra, possessiones et animalia et bona alia quecunque ad dictos Archiepiscopum Prepositum et Capitulum et ecclesiam Rigenses, et colonos et homines ipsorum spectantia, quibus eos, ut premittitur, spoliarunt, restituant cum fructibus perceptis medio tempore ex eisdem, et de illatis iniuriis atque dampnis eis satisfaciant competenter, et ordinationem et mandata predicta in litteris nostris seriose contenta, quarum tenorem, ut de eis possitis habere notitiam, de verbo ad verbum presentibus duximus inserendum, plenarie studeant observare, eis nichilominus iniungentes, ut omnem obsidionem a civitate predicta et eius pertinentiis debeant removere, et victualia libere transire permittant: quod si forte requisitioni et mandatis huiusmodi non paruerint, et premissa noluerint adimplere, eundem Magistrum perhemptorie ex parte nostra citetis, ut certo termino competenti, quem ei ad hoc duxeritis prefigendum, personaliter una cum privilegiis omnibus, si qua super exemptionibus suis et dicti hospitalis habet, apostolico conspectui se presentet, facturus super premissis et recepturus, quod iustitia suadebit; alioquin nisi ea portaverit illa sedi apostolice ostensurus, ex tunc dicta privilegia suspendimus, ipsosque suis ordinariis volumus etiam subiectos: diem vero citationis et prefixionis huiusmodi, et quecumque super hiis feceritis, nobis per vestras litteras vel instrumentum publicum harum seriem continentia fideliter intimare curetis. Tenor aliarum litterarum talis est. Iohannes Episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Iuxta solicitudinis apostolice debitum etc. ut supra Nro. CCLXXIX. pag. 182. usque duximus redigendum. Tenor autem dictarum coniurationum et conspirationum talis est. In nomine domini amen. Omnibus in perpetuum Lutfridus Electus in prepositum etc. ut supra Nro. CCXIV. pag. 131. usque Datum et actum Seghewelden Anno dñi M. CCC. Sextodecimo, nono Kal. Maii. Nulli ergo etc. Datum Avinione III. Id. Februarii. Pontificatus nostri Anno VIII. Datum Avinione II. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. II. ep. 492. fol. 350.

DIII.

Episcopo Posnaniensi, ut cum Petro monacho, qui in iuventute sua virilia occulte amputari fecerit, dispenset.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Epō Poznaniensi, salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii Petri Conradi monachi monasterii loci sancte Marie Cisterciensis ordinis tue diocesis, apud sedem apostolicam constituti, petitio continebat, quod ipse olim in iuventute et subdiaconatus ordine constitutus, cum audiret legi in evangelio: Si scandalizet te manus tua, abscinde eam; arbitrans in hoc deo magnum obsequium se prestare, puerilique sensu seductus, sua virilia per manum cuiusdam famuli sui secularis amputari fecit, quodque deinde idem Petrus, tacito de huiusmodi defectu, ad superiores ordines, alias tamen rite promoveri se fecit, et in eisdem sic susceptis ordinibus ministravit, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: Quare idem Petrus nobis humiliter supplicavit, ut providere ei super hoc de opportune remedio dispensationis misericorditer dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, cum eodem Petro, quod ipse, premissis nequaquam obstantibus, possit in ordinibus susceptis licite

ministrare, auctoritate nostra dispenses, iniunctis sibi penitencia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Datum Avinione VIII. Idus Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 182. fol. 50.

DIV.

Consules et cives Cracovienses per Galbardum nuntium apostolicum petunt a pontifice sibi nominari Brugis mercatores, quibus pecunias camerae apostolicae debitas assignare possint.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo, domino Benedicto sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie summo et dignissimo Pontifici etc.

Sanctissimo in Christo patri ac suo domino, domino Benedicto sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie dignissimo summo Pontifici, Galhardus de Carceribus, licenciatus in legibus, vestre sanctitatis nuncius, seipsum cum terre osculo ante pedes vestre beatitudinis, significo reverenter, quod devoti et fideles filii vestre sanctitatis consules et cives Cracovienses in mei presencia confessi sunt, fore vestre camere obligatos in certis pecuniarum quantitatibus, prout in eorum patenti littera, quam vestre sanctitati dirigunt, videbitis lucide contineri, me petentes humiliter, ut ego una cum eisdem vestre sanctitati vellem supplicare, ut ad solvendum predictas pecunias in Brugis, ubi ipsas solvere promiserunt, certum et competentem terminum (?), infra quem ipsi ipsas commode portare ibi possint, et secundum vestre sanctitatis arbitrium solvere et assignare, et nichilominus committere ibidem, quibuscunque mercatoribus vestre sanctitati placuerit, per vestras patentes litteras, ut ipsas pecunias nomine vestre camere recipere valeant, et ipsos de assignatis absolvere valeant penitus et quittare, et quod copia illius bulle michi vel sub bulla vel in publicam formam huc mittatur, ut ipsi certificentur hic, quibus solvere debent in Brugis, et eos absolvere possent et quittare. Igitur, sancte pater, quia, ut constat, maliciose non differunt, nec distulerunt portare, sed tantummodo quia ignorabant, cui ibidem solvere possent, qui eos absolvere possent et quittare, cum nonnulli reversi sint de dicto loco cum pecuniis, quas ibi portaverant, quia neque magistrum Petrum de Alvernia ibi invenerunt, neque aliquem alium, qui nomine vestre sanctitatis camere recipere haberet in mandatis, humiliter supplico vestre sanctitati, ut eisdem vestra sanctitas competentem terminum, infra quem commode solvere possint, [vestra sanctitas] concedere dignetur benigne, et committere ibidem, ut de assignatis absolvi valeant penitus et quittari, et sciat vestra sanctitas, quod nisi in Cracovia per vestras patentes litteras certificentur, quibus solvere debebunt in Brugis, et eos absolvere poterint et quittare, pecunias ibidem nullatenus deportabunt, propter expensas magnas et labores, et viarum discrimina, quibus, ut asserunt, nisi de voluntate vestre sanctitatis eisdem constaret evidenter, se subicerent sine fructu: quare vestra sanctitas ipsorum peticioni, cum sint filii obediencie, et se offerant vestre sanctitatis mandatis, monitionibus obedire, dignetur clementer exaudire. Noscat etiam vestra clemencia, quod ipsi frequenter michi dixerunt, quod si ego in Cracovia pecunias supradictas recipere vellem, ipsi parati fuissent easdem michi favorabiliter nec non amicabiliter assignare, quas ego in Cracovia recipere non presumpsi, nec presumerem, nisi michi de vestra voluntate constaret evidenter: sed tutius est, ut quantitates omnium pecuniarum per eos cum ipsorum laboribus et expensis, ut promiserunt, Brugis, licet cum magna fiat difficultate, deducantur. Ego etiam supplico sanctitati vestre, ut etiam eisdem mercatoribus in Brugis per vestram sanctitatem daretur in mandatis, ut de pecuniis per me assignatis eisdem, me absolvere valeant et quittare; nam illa littera per vestram sanctitatem michi directa, quod hic mercatoribus assignarem, qui in Curia Romana ipsas non alibi assignarent, est inutilis et infructuosa totaliter et omnino: nam ego in istis partibus nullum mercatorem invenio, nec invenire possem, qui ipsas pecunias in Curia velit assignare, nec in alio loco quam in Brugis; quare vestra sanctitas me certificare dignetur, quibus debeo pecunias assignare. Vestre sanctitatis pedibus et gratie me humiliter et sincere recommendo. Datum Cracovie XXV. die Maii. Anno domini M.CCC.XXXVI.

Ex Instrum. miscell. Caps. 308.

DV.

Nuntio apostolico, ut pecuniam ex decimis in Polonia collectam societati Bardorum Brugis transmittat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus Polonie apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Volentes pe-

cunias per te de quibuscunque proventibus, ecclesiam Romanam tangentibus, in partibus Polonie collectas, vel etiam colligendas ad nostram Cameram destinari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem pecunias et alia bona per te de proventibus supradictis collecta vel colligenda, sive in auro, vel argento, aut aliis quibuscunque rebus consistant, per aliquas personas, de quibus tibi videbitur, fide ac facultate ydoneas per modum depositi, vel alias, prout tutius et melius valebit fieri, apud villam de Brugis Tornacensis diocesis dilectis filiis mercatoribus Societatis Bardorum de Florentia in partibus Flandrie commorantibus facias assignari, per eos postmodum nostre Camere, sicut ad hoc se obligaverunt, efficaciter persolvenda, quam quidem Cameram de hiis, que prefatis mercatoribus assignari, ut premittitur, feceris, ac de die, conditionibus et pactis, que inter te dictasque personas circa hec acta fuerint, necnon et de quibus proventibus illa collecta fuerint, redditurus clare, particulariter et distincte per instrumenta publica, que inde fieri volumus, certiorem. Ea quidem, que memoratis mercatoribus assignari, sicut superius est expressum, feceris, collocari per eandem Cameram faciemus in tuis computis, et cum per supradictos mercatores persoluta eidem Camere fuerint, tibi exinde quitationis sufficientis concedemus cautelas. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis v. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 226. fol. 62.

DVI.

Eidem, ut summam XVM. marcarum argenti, quam rex Poloniae camerae apostolicae sponte donaverat, accipiat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Collocensis diocesis, in partibus Polonie apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Tua insinuatione percepimus, quod Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris ad nos et Romanam ecclesiam gerens sincere devotionis affectum, de debito triginta milium marcharum argenti, in quibus ex quadam arbitraria sententia dilecti filii ... Magister et fratres domus beate Marie Teutonicorum eidem Regi teneri dicuntur astricti, quindecim milia marcharum argenti nobis et Camere nostre sua gratuita, libera et spontanea voluntate obtulit se daturum et cessurum. Cum autem Rex prefatus per dilectos filios Iaroslaum Archidiaconum et Andream de Verulis Canonicum ecclesie Cracoviensis se declararet paratum inde nobis, et eidem Camere oportunas litteras seu instrumenta publica destinare: Nos Regis prefati sinceram devotionem super hiis in domino commendantes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus predictam donationem et cessionem nostro et Camere nomine memorate acceptans, tam super ea, quam predicto debito munimenta sufficientia nobis mittere, quantotius commode poteris, non omittas. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis XII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 274. fol. 75.

DVII.

Eidem, ut civibus Cracoviensibus terminum pro solvenda decima proroget.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus Polonie apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum dilecti filii Consules et cives civitatis Cracoviensis ducentas decem et dimidiam marchas auri, ac sexcentos quinquaginta florenos auri ad Cameram nostram pertinentes, penes eos nomine Camere predicte olim depositos, solvere ac assignare in villa de Brugis Tornacensis diocesis, illi vel illis, qui a nobis vel dicta Camera recipiendi potestatem haberent, certo ad hoc prefico termino sub certis obligationibus, penis et conditionibus sint astricti: Nos ipsos, qui iam pro mittendis auro et florenis predictis, sicut intelleximus, laborarunt, quamquam nondum fuerit huiusmodi solutio et assignatio subsecuta, volentes prosequi favoribus oportunis, ut non obstante, si forsan terminus assignationis et solutionis huiusmodi sit clapsus, eis dilationem, de qua videris expedire, infra quam solutionem et assignationem predictam in dicta villa faciant, concedere, contractu tamen obligationis predicte in suo robore permanente, cum non derogetur in aliquo propter hoc, ac eis et civitati predicte, nec non personis eorum singularibus ab interdicti, suspensionis vel excommunicationis sentenciis, quas ex eo, quod solutionem et assignationem predictam prefixo termino non fecerint, forsitan incurrerunt, de relaxationis et absolutionis beneficio iuxta formam ecclesie providere valeas, cum personis ecclesiasticis, si que sint ex eis, que pre-

dictis ligate sentenciis immiscendo se divinis, vel illa celebrando, non tamen in contemptum clavium, irregularitatis maculam contraxissent, hac vice misericorditer nichilominus dispensando, adiecto tamen specialiter et expresse, quod si deficerent in solutione ac assignatione predicta infra dilationem per te sibi concedendam facienda, in easdem penas et sentencias recidant ipso facto, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod de omnibus, que circa premissa quomodolibet egeris, per instrumentum publicum inde conficiendum prefatam Cameram efficere studeas certiorem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis XII. Kal. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 275. fol. 75.

DVIII.

Eidem, ut omnes, qui ob non solvendas decimas excommunicationis sententiam incurrerint, absolvat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus Polonie apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum nonnulle persone tam ecclesiastice, quam seculares, necnon capitula, collegia et conventus partium regni Polonie pro eo excommunicationis aut suspensionis, vel interdicti sentenciis per dilectum filium Petrum de Alvernia Canonicum Noviomensem, olim in eisdem partibus apostolice sedis Nuncium, promulgatis subiacere dicantur, quia certas pecuniarum summas, et alia bona Cameram nostram contingentia prefixis seu statutis sibi super salutione illorum terminis non solverunt: Nos volentes animarum saluti super hiis providere, discretioni tue, ut postquam persone, capitula, collegia et conventus predicti de hiis, in quibus prefate Camere tenentur, ut premittitur, tibi nomine ipsius Camere recipienti satisfationem debitam duxerint impendendam, de absolutionis, suspensionis seu relaxationis beneficio valeas eisdem auctoritate nostra iuxta formam ecclesie providere, cum personis eisdem ecclesiasticis super irregularitate, si quam ligate predictis sentenciis celebrando divina, vel immiscendo se illis contraxerunt, hac vice nichilominus eadem auctoritate dispensando, et iniungendo illis, quod exinde de iure fuerit iniungendum, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod de omnibus et singulis, que in hac parte quomodolibet egeris, prefatam Cameram efficere studeas certiorem. Datum Avinione II. Nonis Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 338. fol. 92.

DIX.

Eidem, ut Nankero episcopo Vratislaviensi terminum pro solvenda decima proroget.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus regni Polonie apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Exhibita nobis Venerabilis fratris nostri Nankeri Episcopi Wratislaviensis petitio continebat, quod de summa quinquaginta octo marcharum auri communis, et bene purgati in granis ad pondus Wratislaviense, quas ipse pro restanti pecunia tam de decima sexennali olim imposita in concilio Viennensi, quam de proventibus mense sue episcopalis debebat, et quam de fructibus beneficiorum ecclesiasticorum suarum civitatis et diocesis Wratislaviensis ex commissione dilecti filii Petri de Alvernia Canonici Noviomensis, dudum decime et fructuum huiusmodi Collectoris per sedem apostolicam deputati, quam etiam de omnibus depositis quaruncunque pecuniarum per ipsum Nuncium apud eundem Episcopum factis, quasque dictus Episcopus suo periculo et expensis in Flandria in opido Brugis dicto Petro, seu dilecto filio Guidoni fratri suo, vel alii a dicta sede super hoc habenti speciale mandatum, in duobus ad hoc statutis terminis, medietatem videlicet in festo Nativitatis domini proxime preterito, et aliam medietatem in proximo sequenti festo eiusdem Nativitatis domini nostri, nomine Camere apostolice assignare ac solvere tenebatur, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur: satisfacto iamdudum per eundem Episcopum integraliter de viginti novem marchis pro dicta medietate prefate quantitatis, quinquaginta octo marcharum dicti auri pro primo termino in predicto statuto loco iuxta instrumenti prefati tenorem, pro reliqua medietate huiusmodi quantitatis, quinquaginta octo marcharum predictarum vigintinovem marche huiusmodi auri, et nichilominus de summa mille marcharum grossorum Boemicalium, quas ex similibus et aliis certis causis idem Episcopus predicte Camere solvere tenebatur, pro quibus proventus et redditus certe partis Episcopatus sui Wratislaviensis, que Legnicensis procuratio nuncupatur, quousque de ipsis fuerit integraliter satisfactum, sunt dicte Camere specialiter obligati,

quadringente et quinquaginta quatuor marche dicte monete Boemicalium dumtaxat, cum relique quingente et quadraginta sex marche eiusdem monete iamdudum apud edem sacram deposite fuerint nomine Camere supradicte, restant eidem Camere persolvende. Verum cum, sicut dicta prefati Episcopi petitio subiungebat, propter multa et diversa dampna in bonis dicti sui Episcopatus per diversos potentes et predones partium illarum illata, de viginti novem marchis auri pro dicta reliqua medietate dictarum quinquaginta octo marcarum auri, et quadringentis ac quinquaginta quatuor marchis grossorum predictis pro complemento dicte summe mille marcharum eiusdem monete ad solvendum restantibus, ut prefertur, predicte Camere satisfacere nequeat in statutis terminis, ut tenetur, nobis humiliter supplicavit, ut ei super solutione huiusmodi aliquam dilationem concedere de speciali gracia dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super assignatione ac solutione viginti novem marcharum auri, et quadringentarum et quinquaginta quatuor marcharum Boemicalium predictarum restantium, ut predicitur, ad solvendum, usque ad duos annos a predicto festo Nativitatis dominice proxime futuro in antea computandos, dilationem eidem Episcopo auctoritate nostra concedas, certis infra eosdem duos annos eidem prefixis terminis ad assignationem et solutionem faciendas huiusmodi, de quibus tibi videbitur expedire, sufficientes et ydoneas exinde recipiendo cautelas nomine Camere supradicte, quam certificare studeas super hiis, que quomodolibet egeris in premissis. Nostre tamen intentionis existit, et volumus, quod contractus et obligationes dudum super assignationibus, et solutionibus quantitatum auri et pecunie predictarum facti et habiti in sui vigoris efficacia et firmitate remaneant, quousque de ipsis plena et integra satisfactio sit secuta, excommunicationis et suspensionis ac interdicti sententiis in eisdem contractibus contentis exceptis, quas, et earum effectum tenore presentium suspendentes, illas tunc demum dumtaxat et non prius dictum Episcopum incurrere volumus, si in huiusmodi solutione defecerit in terminis, quos ei propterea prefigendos duxeris, ut prefertur. Datum Avinione IV. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 360. fol. 97.

DX.

Nankero episcopo Vratislaviensi, ut pecunias camerae apostolicae debitas Galhardo nunt. apost. assignet.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Relatione quorundam fide dignorum nuper accepimus, quod tu quingentas et quadraginta sex marchas grossorum Boemicalium de proventibus certe partis Episcopatus tui Wratislaviensis, que Legnicensis procuratio nuncupatur, obligatis pro summa mille marcharum eiusdem monete pro restanti pecunia, tam de decima sexennali dudum imposita in concilio Viennensi de proventibus mense tue Episcopalis, quam de fructibus beneficiorum ecclesiasticorum tuarum civitatis et diocesis Wratislaviensis ex commissione dilecti filii Petri de Alvernia Canonici Noviomensis, tunc dicte decime ac fructuum huiusmodi Collectoris per sedem apostolicam deputati, quam etiam de omnibus depositis quarumcumque pecuniarum penes te factis per Nuncium supradictum, per te Camere apostolice debitarum collectas, et per te penes edem sacram depositas, ex eo dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus regni Polonie dicte sedis Nuncio, nomine dicte Camere assignare ac solvere distulisti, quod dictus Petrus de Alvernia sub certis penis tibi prohibuisse dinoscitur, ne dicto Magistro Galhardo eandem pecuniam assignares. Cum igitur uostre intentionis fuerit et existat, quod predicta pecunia prefato Magistro Galhardo nomine dicte Camere integraliter assignetur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi dicti Petri mandatum, utpote imprudenter factum ab eo, qui illud potestatem non habebat tunc temporis faciendi, nequaquam advertens, predictas quingentas et quadraginta sex marchas per te depositas, ut prefertur, ad requisitionem dicti Galhardi, residuas vero quadringentas et quinquaginta quatuor marchas dicte monete pro complemento dicte summe mille marcharum huiusmodi in terminis, ad hoc tibi auctoritate litterarum nostrarum prefigendis per eum, assignare ac tradere integraliter prefate Camere nomine uon postponas. Nos enim damus eidem per easdem litteras in mandatis, ut te auctoritate uostra quitet et absolvat plenarie de hiis, que sibi nomine dicte Camere duxeris assignauda. Datum Avinione IV. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 361. fol. 98.

DXI.

Galhardo nuntio apostolico, ut ab episcopo Vratislaviensi praedictas pecunias accipiat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo etc. salutem etc. Cum Venerabili fratri nostro Nankero Episcopo Wratislaviensi demus per nostras litteras in mandatis, ut quingentas et quadraginta sex marchas grossorum Boemicalium de proventibus certe partis Episcopatus sui Wratislaviensis, que Legnicensis procuratio nuncupatur, obligatis pro summa mille marcharum eiusdem monete pro restanti pecunia, tam de decima sexennali dudum imposita in concilio Viennensi de proventibus mense sue Episopalis, quam de fructibus beneficiorum ecclesiasticorum suarum civitatis et diocesis Wratislaviensis ex commissione dilecti filii Petri de Alvernia Canonici Noviomensis, tunc dicte decime ac fructuum huiusmodi Collectoris per sedem apostolicam deputati, quam etiam de omnibus depositis quarumcumque pecuniarum penes eundem Episcopum factis per Nuncium supradictum, per ipsum Episcopum Camere apostolice debitarum collectas, et per eundem Episcopum, sicut accepimus penes edem sacram depositas, quas ipse Episcopus ex eo, quod dictus Petrus de Alvernia sibi sub certis penis prohibuerat, ne tibi huiusmodi pecuniam assignaret, solvere tibi dicte Camere nomine distulisse dicitur ad requisitionem tuam, necnon et residuas quadringentas et quadraginta quatuor marchas eiusdem monete pro complemento dicte summe mille marcarum huiusmodi in terminis, ad hoc sibi auctoritate aliarum litterarum nostrarum per te prefigendis eidem, tibi prefate Camere nomine tradere ac assignare integraliter non postponat: discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Episcopum, ut huiusmodi pecunias tibi eiusdem Camere nomine tradat, ut prefertur, integraliter et assignet, ex parte nostra moneas et requiras, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam compellendo, Non obstante, si ei vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod eundem Episcopum de hiis, que tibi assignaverit, quites auctoritate predicta totaliter et absolvas. Datum Avinione iv. Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 362. fol. 98.

DXII.

Nuntius apostolicus episcopum Vladislaviensem de decimis et denario B. Petri, quae Petro de Alvernia solverat, absolvit.

In nomine domini amen. Sub Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo sexto, indiccione quinta, mense Novembris, in domo Venerabilis viri Gualhardi de Carceribus, apostolice sedis nuncii, prepositi Titulensis, in Cracovia, in mei Notarii et testium subscriptorum presencia, Honorabilis vir dominus Boryslaus Scolasticus Crusviciensis et Canonicus Wladislaviensis infrascriptam quitacionem, omni vicio et suspicione carentem, sigillatam vero sigillo magistri Petri de Alvernia, pro parte domini . . . Episcopi Wladyslaviensis predicto domino nuncio contra eundem magistrum Petrum exhibuit in hec verba. Noverint universi, quibus nosse fuerit oportunum, quod nos Petrus de Alvernia, Licenciatus in legibus, Noviomensis Canonicus, sedis apostolice nuncius ac Collector decime sexannalis et denarii beati Petri in Regno Polonie, habuimus et recepimus a reverendo in Christo Patre domino Mathia Wladislaviensi Episcopo tam pro mensa sua bonorum, que habet seu possidet in terra Cuyavie, quam pro redditibus et proventibus beneficiorum ecclesiasticorum suarum Civitatis et dyocesis pro tribus annis decimalibus decime sexannalis proxime preteritis, per manus diversorum in diversis vicibus ac monetis trecentas quatuordecim marchas cum dimidia grossorum Pragensium cum quinta parte primi anni, videlicet pro anno domini m.ccc.xxviii. centum sexdecim marchas cum dimidia et quatuor scotos grossorum, pro anno vero domini m.ccc.xx.nono, Centum viginti marchas et quatuor scotos cum dimidio grossorum, et pro anno domini m.ccc.xxx. septuaginta septem marchas cum dimidia, et tres scotos grossorum cum dimidio. Item recepimus et habuimus ab eodem domino Episcopo, ut supra, pro dicto denario seu censu beati Petri dictarum civitatis et dyocesis pro quinque annis proxime preteritis et presenti, Centum unam marchas cum dimidia et duos grossos, videlicet pro anno domini m.ccc.xxvii. triginta marchas grossorum, pro anno vero domini m.ccc. xx.nono, duodecim marchas grossorum, pro anno autem domini m.ccc.xxx. sexdecim marchas grossorum cum dimidia, pro anno quoque domini m.ccc.xxx.primo, decem et novem marchas grossorum et quindecim scotorum, necnon

et pro anno domini M.CCC.XXXII. tres marchas grossorum cum dimidia et IX. scotos, et pro anno domini M.CCC.XXXIII. undecim marchas grossorum cum dimidia. Item recepimus et habuimus ab eodem domino Episcopo de bonis mense sue, que habet in Pomerania dyocesis Wladislaviensis, pro sex annis decimalibus octuaginta marcas grossorum, de bonis vero, que possidet in castello Woyborensi dyocesis Gneznensis, decem marcas grossorum, et de bonis, que habere dinoscitur in Lagow et Zagoscz dyocesis Cracoviensis, similiter pro omnibus sex annis decimalibus XXX.quinque grossorum. Item recepimus et habuimus ab eodem domino Episcopo de residuis beneficiorum vacancium de tempore Gabrielis XXX. marcas grossorum. Item recepimus et habuimus a memorato domino Episcopo de restantibus duorum annorum decimalium, quibus magister Andreas de Verulis, quondam Collega noster, dictam decimalem (sic) sexannalem colligebat, octo marcas grossorum cum dimidia et quatuor grossos, pro qualibet dictarum marcarum XLVIII. grossos Pragenses computando. De quibus pecuniarum summis, videlicet trecentis quatuordecim marchis cum dimidia pecunie decimalis, et centum tribus marchis cum dimidia, et duabus marchis additis in solucione anni XXX.tercii de denario beati Petri, ac centum vigintiquinque marchis pecunie decimalis de Pomerania, de Woybors et Lagow et de Zagoscz, XXX. quoque marchis beneficiorum vacancium de tempore Gabrielis, necnon et octo marchis cum dimidia et quatuor grossis pecunie decimalis de tempore dicti magistri Andree, dictum dominum Episcopum et Clerum ac beneficia ecclesiastica dictarum Civitatis et dyocesis, necnon et laycos suarum Civitatis et dyocesis tenore presencium auctoritate, qua fungimur in hac parte, solvimus et quitamus. Datum Cracovie sub sigillo nostro III. Kalend. mensis Iunii anno domini millesimo CCC.XXX.tercio. Presens quitacio fuit producta anno, Indiccione, mense et loco quibus supra, presentibus honorabilibus viris dominis Bertholdo Archidyacono Lublinensi, Stephano Capellano, Arnaldo Notario, familiaribus predicti domini Nuncii testibus ad premissa vocatis.

(L. S.) Et ego Iohannes quondam Rudgeri de Brest, Clericus Wladislaviensis dyocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, ipsum originale vidi, et ipsum de mandato prefati domini Nuncii fideliter huc transumpsi, et facta collacione diligenti de ipso originali ad presens transumptum inveni utrumque concordare: Ideo me in presenti transumpto cum signo meo consueto subscripsi in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 204.

DXIII.

Episcopo Cracoviensi, ut regem Poloniae placare et benevolum sibi reddere studeat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Expedire non modicum tuis et ecclesie tue honoribus et utilitatibus creditur, ut Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris gratiam et benivolentiam viis et modis honestis et debitis tibi captes. Cum autem displicenter intellexerimus, te gratiam et benivolentiam huiusmodi presentialiter non habere, fraternitatem tuam attentius in domino exhortamur, sano tibi nichilominus consilio suadentes, quatinus Regem prefatum, qui licet etate sit iuvenis, maturum tamen moribus circa gubernationem regni sui, ac cultum pacis et iusticie in eo confovendum, ut grata percepimus insinuatione, se gerit, placare, teque sibi sic devotum et obsequiosum fideliter absque fermenti commixtione cuiuslibet studeas, quantum pacietur honestatis debitum, exhibere, quod eum tibi et ecclesie predicte habere merearis propicium et benignum: id enim gratum nobis existet admodum, et de contrario, presertim si ex culpa tua, quod absit, contingeret, cum Regem eundem velut fidelem et devotum nobis, et ecclesie Romane geramus in caritatis visceribus, turbaremur. Datum Avinione II. Idus Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 368. fol. 100.

DXIV.

Casimiro regi Poloniae super pace inter ipsum et Hungariae ac Bohemiae reges inita.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Ad nostram nuper veniens presentiam dilectus filius Bertoldus civis Wratislaviensis, Nuncius Regius, nobis tue magnificentie litteras presentavit etc. ut in Theineri Monum. Hungar. Tom. I. Nro. DCCCCX. pag. 610. Datum Avinione II. Idus Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 369. fol. 100.

DXV.

Conservatores abbati et couventui monasterii de Lubens Cisterciensis ord. dioecesis Vratislaviensis constituuntur.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Poznaniensi et ... Olomucensi Episcopis, ac dilecto filio ... Decano ecclesie de Budysin Misnensis diocesis, salutem etc. Datum Avinione iv. Idus Februarii. Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Part. I. ep. 31. fol. 10.

DXVI.

Nuncio apostolico, ut de processibus Petri de Alvernia decimarum collectoris contra capitulum Vratislaviense inquirat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, licentiato in legibus, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Deducto dudum ad audientiam felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, dum adhuc ageret in humanis, quod cum dilectus filius Petrus de Alvernia Canonicus Novomiensis, tunc in regno Polonie apostolice sedis nuntius, contra dilectos filios Nicolaum Bancz et Henricum de Drogus Canonicos Wratislavienses, et Capitulum ecclesie Wratislaviensis, ac nonnullas eorumdem Capituli singulares personas, qui bonorum eiusdem eccl. administrationem gessisse certis temporibus dicebantur, auctoritate litterarum dicti predecessoris nonnullos processus excomunicationis et alias sententias atque penas, etiam cum Canonicorum Capituli et personarum predictorum personali ac eorumdem Capituli citatione de veniendo ad sedem apostolicam continentes, fecisse tunc temporis diceretur: idem predecessor volens Canonicorum, Capituli et personarum predictorum parcere laboribus et expensis, tibi, quem ad partes ipsas idem predecessor certis inibi commissis negotiis destinarat, ut Nicolao et Henrico Canonicis, et Capitulo ac personis predictis et aliis, qui vocandi existerent, evocatis, sive non, super premissis summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii debita informatione recepta, ad sententiarum et penarum huiusmodi aggravationem seu relaxationem procederes, super quibus necnon et componendi cum ipsis super dictis bonis plena et libera tibi potestate concessa, per suas certi tenoris litteras dedit inter alia specialiter in mandatis, prout in eisdem litteris plenius et seriosius continetur. Quocirca discretioni tue presentium tenore committimus et mandamus, quatenus ad executionem debitam premissorum, prout utilius expedire cognoveris, diligenter procedere studeas iuxta predictarum prefati predecessoris continentiam litterarum. Dat. Avinione iv. Idus Marcii. Anno III. Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 45. fol. 16.

DXVII.

Societati Azayalorum in Flandria, ut Nankerum episcopum Vratislaviensem de pecuniis solutis absolvant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Lotto Corbizi et Bartholomeo Corsine mercatoribus Societatis Azayalorum de Florentia, in partibus Flandrie commorantibus, salutem etc. Cum venerabilis frater noster Nankerus Episcopus Wratislaviensis de summa quinquaginta octo marcharum auri communis, bene purgati, ad pondus Wratislaviense, in qua certis ex causis Camere nostre tenebatur astrictus, vigintinovem marchas eiusdem auri ad villam de Brugis Tornacensis diocesis destinari fecerit, ut accepimus, et penes dilectum filium Hermannum communem hospitem dicte ville ad finem, quod prelibate Camere solverentur, deponi, recipiendi nomine dicte Camere dictas vingintinovem marchas ab eodem Hermanno vel alio quocumque illas solvente, ac eosdem Episcopum, Hermannum et quosvis alios vobis aut vestrum alteri dictas marchas solventes quitandi et absolvendi de hiis, que inde recoperitis ab eisdem, plenam vobis et vestrum cuilibet insolidum concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod super solutione ac quitatione huiusmodi duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, quorum uno penes solventem vel solventes ipsos dimisso, reliquum ad eandem Cameram, cui de dictis vigintinovem marchis post receptionem earum satisfacere tenebimini, mittere fideliter non tardetis. Dat. Avinione vi. Idus Maii. Anno Tertio. Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 106. fol. 31.

DXVIII.

Iauislaus archiepus Gneznensis abbatibus monasteriorum de Lubens, S. Vincentii Vratislaviensis et de Camenz Galhardi nuntii apostolici protestationem contra ipsorum citationem, et eius appellationem ad sedem apostolicam intimat.

Venerabilibus viris dominis de Lubes, sancti Wincencii et de Camencz Abbatibus, Ianislaus divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopus, salutem in omnium

salvatore. Noverit vestra prudencia, quod Iohannes de Brest clericus Wladislaviensis dyocesis, procurator legittimus et nuncius specialis Venerabilis viri domini Gualhardi de Carceribus, Prepositi Thituliensis Colocensis dyocesis, apostolice sedis nuncii, licenciati in legibus, constitutus coram nobis XIII. Kalendas Iulii, quandam protestationem cum appellacione subsequenti legit et publicavit, petens et requirens a nobis litteras testimoniales super ipsa lecciione et publicacione, et quod dictas appellacionem et protestacionem, cum per alium commode fieri minime possent, ex causis infrapositis vobis deberemus, ut condecet, intimare. Quarum appellacionis et protestacionis tenor dinoscitur esse talis. Coram vobis Venerabili in Christo patre domino Ianislao divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopo, Ego Iohannes de Brest clericus Wladislaviensis dyocesis, procurator legittimus et verus et nuncius specialis venerabilis viri domini Gualhardi de Carceribus, prepositi Thituliensis, apostolice sedis nuncii, licenciati in legibus, ad infrascripta constitutus dico et propono, quod cum dudum dominus Iohannes clare memorie papa XXII. pro quibusdam suis et ecclesie Romane negociis predictum dominum meum, dominum Gualhardum, ad partes regni Polonie destinasset, inter cetera per suas certi tenoris litteras eidem committendo, ut a discretis viris domino Henrico de Drogus et Nicolao de Bancz Canonicis Wratislaviensibus, et aliis quibuscunque ecclesiasticis vel secularibus personis, qui tempore suspensionis et post obitum domini Henrici bone mem. ecclesie Wratislaviensis episcopi per multos annos administracionem bonorum eiusdem ecclesie gerentes, quantitates maximas pecunie perceperant, de illis audire, exigere et recipere legittimas raciones, et super eisdem summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii se plenius informare deberet, ad reliqua prestanda nichilominus contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque gradus et dignitatis existerent, appellacione postposita, compellendo. Qui quidem dominus Gualhardus iniunctum sibi mandatum apostolicum cupiens fideliter et diligenter adimplere, prefatos Henricum et Nicolaum Canonicos ad suam presenciam per suas litteras citavit et citari mandavit: ipsi vero licet cum quibusdam frivolis et delusoriis excusacionibus et non rationabilibus per nuncios comparuissent in Cracovia coram eo. Demum in termino peremptorio ad hoc predicto Nicolao in Opol statuto et assignato, predictus Nicolaus de Bancz Canonicus Wratislaviensis contumaciter, et mandata apostolica contempnendo, et sedis apostolice reverencia conculcata, reddere raciones de administratis, quamvis confessus fuisset se administrasse, penitus et indebite recusavit in preiudicium et in dampnum Camere domini nostri pape manifestum: propter quod predictus dominus Gualhardus nuncius supradictus predictum Nicolaum, sua contumacia et inobediencia exigentibus, pronunciavit contumacem, et propter huiusmodi contumaciam legittime excommunicavit. Ipse vero Nicolaus supterfugia querens, multas pecunias ad Cameram pertinentes indebite penes se retinuit, et in vocem appellationis temere et frivole prorupit. Super qua appellacione (ad) venerabiles viros dominos abbates de Lubes, sancti Vincencii et de Camencz, maliciose tacita veritate et expressa falsitate, litteras apostolicas, non vocato in audienciam procuratore Camere domini nostri pape, qui ad hoc vocandus erat, cum negocium prope proprium Camere domini nostri pape esset, cum commode et incommode ad Cameram predictam immediate pertineat, dicitur impetrasse, quibus iamdiu ipsis abbatibus, qui se asserunt iudices, quamvis revera non sint, [iamdiu] presentatis, nunc sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Benedictus papa XII. ratas et gratas habens predictas commissiones predecessoris sui bone mem. prefati prelibato domino Galhardo factas, ex certa sciencia et motu proprio per litteras suas speciales, per quas derogatur generalibus in audiencia impetratis, eidem domino Galhardo commisit et mandavit, ut ad audiendas, exigendas et recipiendas predictas raciones iuxta predecessoris sui continenciam apostolicarum litterarum intendere et vigilare diligencius deberet, et ad execucionem debitam procederet, prout utilius et decencius sibi videretur utilitati camere expedire. Predicti autem abbates huiusmodi litterarum apostolicarum non ignari et commissionis memoratum dominum meum dominum Galhardum nuncium supradictum ad suam presenciam citaverunt, et litteratorie citari fecerunt, terminum sibi coram eis in Wratislavia in octaba beati Bartholomei apostoli nunc proxime ventura ad eligendum locum tutum, in quo litigare posset tute et secure, eidem assignantes, non advertentes, ymo ut verius loquar, non advertere volentes, sed ex animo procedentes, quod si idem dominus nuncius ad eligendum tutum locum et securum, Wratislaviam commode et secure venire, eadem racione morari et litigare posset. Sed notorium est et manifestum, quod cum predictus nuncius cum familia sua pro expediendis Romane ecclesie negociis et recipiendis iuribus ad Cameram domini nostri pape pertinentibus de mandato domini nostri pape in Wratislaviam pervenisset, consules et cives, quamvis predicto nun-

cio et familiaribus suis dedissent plenam securitatem, intulerunt minas mortis, ipso Nicolao procurante et ordinante, et predictus Nicolaus cum suis complicibus: propterea quia predictus nuncius supradictam racionem exigebat, inimicari (?) et inimicatur et insidiatur usque in hodiernum diem, et publice asseruit in Wratislavia in domo habitacionis sue, cum predictus nuncius fuit vocatus per Serenissimum principem dominum Iohannem Regem Bohemie Illustrem, ut veniret Wratislaviam, quod nisi predictum nuncium posset occidere gladio, posse suum faceret, ut eum occideret cum veneno. Unde tunc predictus nuncius, cum ibi Wratislavie fuit, ut prefertur, nisi per devia extra dyocesim Wratislaviensem, protegente deo et excellentissimo principe domino duce Conrado Slesye et domino Olessciensi, fuisset deductus, mortem cum familia sua incurrisset infallibiliter comminatam. Igitur notorium est et manifestum, quod locus non est tutus nec securus sibi nec procuratori suo, prout ipsi abbates in sua citacione confitentur expresse. Propterea cum per litteras apostolicas tales nullus ultra unam dyetam de iure ad iudicium trahi vel vocari debeat, Wratislaviensisque civitas a fine dyocesis Cracoviensis, in qua dictus dominus nuncius tamquam in loco tuciori et magis securo morari consuevit, plusquam per tres dyetas distat legales, predicti tamen abbates, sedis (apostolice) reverencia conculcata, contra ius et iusticiam predictum sedis apostolice nuncium aggravantes et aggravari volentes, ad eundem locum indebite evocaverunt et citaverunt, non attendentes, nec volentes attendere seu animadvertere, quod si predictus nuncius coram eis nunc comparere deberet, rerum et persone sue periculo cessante, negocia ecclesie Romane et domini nostri pape impedirentur non modicum, et dispendiis multis proculdubio subiacerent, et propter tyrannidem Nicolai supradicti procuratorem pro aliqua pecunia non inveniret, qui causam in tota dyocesi Wratislaviensi defenderet supradictam, que si domino nostro pape deleganti fuissent expressa, nequaquam litteras ad predictos abbates directas dictis impetrantibus concessisset, aut dari seu concedi permisisset. Insuper predicti abbates sic maliciose procedunt, quod cum scirent ipsum ivisse in Ungariam cum rege Polonie serenissimo principe domino Illustri, ad hoc ut citacio ad ipsum non perveniret, et possent pro libito voluntatis procedere, magis timentes dictum Nicolaum, quam sanctam Romanam ecclesiam et dominum nostrum papam et iusticiam reverentes, predictum dominum meum in loco sue habitacionis in Cracovia (citari) mandarunt, non ignorantes, quod predictum dominum nuncium continue moram trahere, nec domicilium habere solitum ecclesie Romane negocia non paciuntur, cum nunc huc, nunc illuc ipsum oporteat personaliter interesse pro negociis ecclesie Romane fideliter exequendis, nec unquam in regno Polonie, fuit isto tribus mensibus continuis, urgentibus apostolice sedis negociis, habuerit civitatem manentem vel locum, et quod eorum procurator ad citandum predictum dominum nuncium deputatus legittime requisitus per ipsum dominum nuncium, ut copiam litterarum apostolicarum et citationis, vigore quarum asserebat se ipsum citare, daret et assignaret, tradere et assignare penitus denegavit, et perlecta ipsa citacione statim recessit, nulla copia data vel oblata, quamvis legittime sit requisitus, ut prefertur. Unde cum mendax impetrans carere debeat et temerarius penitus impetratis, et quamvis predicti Abbates nullam iurisdiccionem habeant in predictum dominum meum, dominum nuncium sedis apostolice supradictum, cum eorum commissio, que si est vel fuit, per sequentem commissionem et per licteras apostolicas speciales sit totaliter revocata et annullata, ne tamen saltem de facto, cum de iure non possint, contra dominum meum, dominum nuncium supradictum, aliquos processus vel sentencias ferre vel facere possint vel presumant, et ab huiusmodi processibus, si quos fecerint vel facere intendant, et a sentenciis quibuscumque fulminatis vel fulminandis, latis vel ferendis, nomine eiusdem domini Galhardi nuncii supradicti, et nomine omnium sibi adherencium vel adherere volencium a supradictis abbatibus, et eorum processibus et sentenciis factis vel faciendis, latis vel ferendis ad sedem apostolicam exnunc provoco et appello in hiis scriptis, ipsum dominum meum supradictum eiusdem sedis proteccioni humiliter submictendo, et quia propter iustum metum, qui cadere potest in constantem virum, predictos Abbates pro petendis apostolis super huiusmodi appellacione per me vel per alium adire non presumo: Igitur procuratorio nomine predicti domini nuncii peto licteras patentes a vestra paternitate huiusmodi appellationis tenorem et seriem continentes, vestro sigillo munitas, pro apostolis michi dari et domino meo, et hoc peto humiliter primo, secundo et tertio, instanter, (instancius et) instantissime, requirens vos et monens pro parte domini mei nuncii supradicti, ut per vestras patentes licteras predictis abbatibus suprascriptam appellacionem intimetis. Nos igitur attendentes, quod predictus dominus Galhardus nuncius prefatus noscitur ad partes et regnum Polonie pro negociis Romane ecclesie per sedem apo-

stolicam deputatus, ad requisicionem procuratoris ipsius ob reverenciam sedis eiusdem protestacionem et appellacionem presentes vobis et cuilibet vestrum tenore presencium intimamus, que coram nobis Anno domini M.CCC.XXX.septimo, XIII. Kal. Iulii, Indictione quinta, in ecclesia Sancte Crucis aput Cracoviam, hora tercia fuerunt lecte, et eciam publicate in presencia notarii infrascripti, Presentibus honorabilibus viris dominis Iohanne Scolastico et officiali, Petro Cancelliere Gneznensis, Clemente Custode Wratislaviensis, ... Preposito Budensis, Iohanne Preposito sancti Pauli ecclesiarum et aliis multis: in quorum evidenciam nostrum sigillum presentibus est annexum. Datum Cracovie, anno, die quibus supra. Constat de interliniari in dictione „manentem" supra quartamdecimam lineam.

(L. S.) Et Ego Mathias condam Voyslay de Svesconien Clericus Cracoviensis dyocesis, publicas imperiali auctoritate notarius, premissis omnibus et singulis licteratorie appellacionis suprascripte una cum prenominatis testis (sic) presens interfui, et ea de verbo ad verbum in hanc publicam formam de mandato predicti domini Venerabilis patris in Christo Ianislai Archiepiscopi Gneznensis redegi, et ad requisicionem predicti Iohannis de Brest, signoque meo consueto consignavi in testimonium premissorum omnium et singulorum. Ex Instrum. miscell. Caps. 207. Nro. 1.

DXIX.

Galhardus nuntius apostolicus pontificsm de rsbus in Polonia gestis docet, et de difficultatibus et impedimentis, quae camerae apostolicae in colligendis decimis et denario B. Petri in dioecesi Vratislaviensi et partibus Teutonicis obstant.

Sanctissimo in Christo patri et dño nostro, dño Benedicto divina providente clemencia sacrosancte Romane ac Uuiversalis ecclesie summo Pontifici.

Sanctissime Pater, de negociis sedem apostolicam et vestre sanctitatis Cameram tangentibus in Regno Polonie ordinavi et disposui per omnia, ut sequitur.

Et primo, deposui apud Reverendum in Christo patrem dominum Episcopum Cracoviensem triginta marcas auri, quas propter reverenciam vestre sanctitatis vult et promisit solvere et assignare suo periculo et expeusis in vestra Camera infra festum proximum beatorum Philippi et Iacobi, prout in instrumento, quod vestre Camere mitto, seriosius continetur.

Item, deposui apud Nicolaum Werzingi et socios suos nonaginta marcas auri et XV. scotos cum dimidio, quas tenentur assignare in eadem Camera similiter eorum periculo et expensis infra unum annum a festo beati Iacobi proximo continuo computandum, prout in instrumento publico per me Camere destinato plenius continetur.

Item, deposui penes Wilussium Pellificem et socios suos XXV. marcas auri, et unum granum cum dimidio et unam peciem auri albi, in qua pecie erant quinquaginta karathere cum dimidia, quas debent et tenentur eciam similiter per omnia in eodem loco et termiuo assignare, prout in instrumento publico eciam Camere per me destinato plenius continetur.

Item, deposui penes Wigandum de Lubcicz et socios suos XXIX. marcas auri, quas similiter debent et tenentur assignare in eodem loco infra unum annum a festo omnium Sanctorum proximo computandum continue, prout in instrumento publico, quod Camere mitto, plenius continetur.

Item, similiter deposui penes Nicolaum Amylegii VI. marcas auri et CL. florenos de Florencia, et debet et tenetur assignare in eodem loco et termino, prout in instrumento, quod Camere mitto, plenius continetur.

Summa totius auri per me depositi penes dictum Ep̄um et alios supranominatos CXCIV. marce et XV. scoti cum dimidio, et tres karathere minus dimidio grauo. Item CL. floreni de Florencia.

Item, receptis vestre Sanctitatis litteris die prima Iunii, quod me deberem transferre in Ungariam pro sedis apostolice uegociis exequendis, vocavi omnes debitores, qui Magistro Petro de Alvernia nomiue Camere sunt obligati, et eos monui, ut omnes pecunias per eos debitas Brugis portarent, ut infra festum beati Michaelis proximum ipsas ibidem vestre sanctitatis Nuncio possent, ut tenentur, assignare: qui omnes unanimiter responderunt, quod prompti erant et parati, asseruerunt tamen publice, quod quamvis Nuncius destinaudus haberet auctoritate apostolica eos quitandi potestatem, quod nisi instrumenta obligationum eorum sigillis munita et tradita Magistro Petro predicto eis redderentur, quod aurum per eos debitum non solverent, nec eciam assignarent, timentes, ut asserebant et dicebant, quod Magister Petrus predictus cum illis instrumentis tractu temporis ipsos indebite molestaret. Quare videretur michi, quod esset pro Camera bonum et utile, quod ille, qui ibidem destinabitur, omnes lit-

teras et instrumenta supradicta secum portaret, ut mercatores predicti non haberent materiam negocium ulterius differendi.

Item, noscat vestra Sanctitas, quod cuilibet Prelato in sua dyocesi ego commisi recollectionem census beati Petri, et omnium iurium ad vestram Cameram pertinencium quoquomodo. Et quia dominus . . . Episcopus Cracoviensis singularis fuit inter omnes Prelatos, et est in negociis utilitatem vestre Camere tangentibus promovendis, et mandatis apostolicis reverenter per omnia exequendis, et quia moratur in loco omnibus aliis Prelatis magis communi, quia propter Regem omnes frequenter in Cracovia conveniunt: igitur ego eidem commisi specialiter omnia sedis apostolice negocia, et ut ab omnibus aliis Prelatis et censum predictum, et omnes pecunias ad Cameram pertinentes debeat recipere et fideliter conservare, qui propter reverenciam vestre sanctitatis ipsam commissionem recipiens reverenter dixit, quod negotia apostolica plusquam propria paratus erat in omnibus promovere. Postque ego deposui apud eundem dictum Episcopum et suum Capitulum omnes litteras apostolicas super quibuscunque negociis predecessoribus meis et michi assignatas.

Item, deposui apud eosdem Regestrum Magistri Petri de Alvernia michi per Cameram destinatum, et alios (libros), quos hic dimiserat, modice tamen utilitatis.

Item, deposui et assignavi apud eosdem duos quaternos penitus consimiles de verbo ad verbum, et ego porto mecum tercium, continentes particulariter et distincte quicquid ego recepi, postquam fui in regno isto, et omnia, que remanent ad solvendum.

Item, sciat vestra santitas, quod in omnibus civitatibus regni Polonie, in quibus Theuthonici dominantur, omnia iura sedis apostolice et vestre Camere quasi depereunt in totum: unde in civitate et dyocesi Wratislaviensibus, quamdiu fuerunt sub dominio domini ... Regis Polonie, et ibidem dominabatur, et census beati Petri et decima decime, et omnia iura Camere penitus erant illesa; nunc vero, quia Rex Bohemie dominatur ibidem, censum beati Petri restituere denegant indebite et iniuste, et in residua decime, imposite per bone memorie dominum Clementem papam in concilio Wigenensi (sic), Clerus solvit pessime.

Item, in dyocesi Kamynensi, que notorie est infra antiquos limites Regni Polonie: quia ibi filius Bawari dominatur et . . . Episcopus ibidem est Theuthonicus, igitur omnia iura Camere totaliter indebite denegantur: nam nec Clerus aliquid solvit de decima supradicta, et populares censum solvere indebite contradicunt, nec Clerus nec populus interdictum curant observare.

Item, etiam in dyocesi Lubucensi: quia filius . . . Bawari ibidem dominatur, et census perditur et decima remanet totaliter non soluta.

Item, in dyocesi Kulmensi: quamvis post adventum meum census sit solutus, tamen predictam decimam solvere eodem errore contradicunt. Et ego iam ibi posuissem interdictum, sed post multas dilaciones ipsi petiverunt, quod possent adire vestram sanctitatem pro aliqua gracia super hoc impetranda: quare ego terminum peremptorium eis dedi et assignavi, ut infra festum omnium Sanctorum proximum solvant decimam predictam, vel iustam causam allegent et probent, quare solvere non tenentur.

Item, sciat vestra sanctitas, quod propter commissionem, quam Nicolaus de Bancz Canonicus Wratislaviensis expressa falsitate et tacita veritate in audiencia contra me, ymo verius contra vestram Cameram impetravit, vestra Camera perdet adminus ccc. marcas argenti: nam ipse, antequam predictam commissionem impetrasset, prout ego vestre sanctitati pluries scripseram, ac domino . . . Camerario et domino . . . Thezaurario, nomine composicionis et concordie amicabilis volebat michi dare pro vestra Camera ccc. marcas predictas: nunc vero, quia habet iudices Theutonicos, penitus pro voluntate unum denarium non daret. Iudices autem per eum impetrati sunt isti, . . . Abbas de Lubens . . . de Camen et . . . . Sancti Wincencii in Wratislavia: quorum nullus eorum, quando fui in Wratislavia pro vestre sanctitatis negociis exequendis, et hospicium lapideum habere non possem pro securitate persone et rerum, voluit me in suo hospicio recipere eciam cum pecunia mea, ymo me expresse recusarunt, nec de toto tempore medio aliquam commissionem, que esset in favorem Romane Ecclesie, exequi voluerunt. Nunc vero, quia ista commissio est vestre Camere dampnosa, et satis obbrobriosa, omnes tres citationem contra me sigillaverunt, et citant me ad locum notorie non tutum, videlicet in Wratislavia, de qua civitate, ipsis scientibus, cives alias, sede vacante, me expulerunt cum sedis apostolice vituperio et rubore, omnimodam securitatem publice denegantes, nec nunc ego, nec aliquis de familia mea, aut procurator auderet ibi comparere. Nam iam diu cives et incole predicti fecerunt sta-

tutum, quod si aliquis familiaris meus vel procurator veniret ibidem cum litteris apostolicis vel meis quibuscunque, ille, in cuius domum intraret, nisi ipsum cum litteris presentet consulibus et Capitaneo, qui est ibi pro parte Regis Bohemie, bonis omnibus et capite privaretur ipso facto, timentes verosimiliter, quod ego deberem ibidem ponere interdictum propter censum predictum per eos indebite non solutum, quod et iam fecissem, nisi infra festum beati Andree censum predictum solverint de toto tempore neglecto integraliter et complete, et predictam dilationem dedi ad consilium et preces dñi Regis Polonie Illustris: ita tamen quod ipsi infra duodecim dies a tempore mearum litterarum presentatarum eisdem [ipsi] iustrumenta publica in absencia mea domino ... Epō Cracoviensi predicto, vel domino ... Archidiacono Cracoviensi debeant presentare continencia, quod omnes portantes litteras apostolicas vel meas possint ibidem venire, morari et redire secure, alias volui processus per me contra ipsos factos excommunicacionis et interdicti permanere in sui roboris firmitate. Propterea supradicti Abbates ita ex animo procedunt, quod longe ultra duas dietas legales a fine dyocesis Cracoviensis me mandaverunt contra ius comparere, et cum scirent me ivisse cum dño Rege Polonie (in) Ungariam pro confirmacione concordie inter ipsum et Cruciferos, que nondum est confirmata, ut citacio ad me non perveniret, fecerunt me absentem citari in loco domicilii, scientes, quod domicilium manens me habere plurima negocia apostolica non paciuntur, scientes eciam, quod vestra sanctitas litteris apostolicis michi dabat in mandatis, ut contra ipsum Nicolaum procederem ad debitam execucionem iuxta bone memorie domini Iohannis pape tenorem et continenciam litterarum. Quare ego videns et sentiens vestre sanctitatis Cameram ex supradictis causis et aliis in apellacione, quam vestre sanctitati mitto, contentis per supradictos Abbates indebite et iniuste aggravari, cum non solum vestra Camera iuste ab ipso Nicolao deberet habere ccc. marcas, quas prius sponte promittebat, ymo luce clarius deberet habere ultra mille marcas, uam confitetur se administrasse certam partem Episcopatus Wratislaviensis predicti, et multa recepisse, et racionem reddere, et reliqua prestare recusat expresse, ad vestram sanctitatem provocavi et in scriptis appellavi, prout in ipsa appellacione, que in litteris testimonialibus, per Reverendum in Christo Patrem dominum Archiepiscopum Gneznensem pro apostolis michi datis, est inserta, plenius continetur. Postque cum iuxta tenorem litterarum apostolicarum predictarum per vestram sanctitatem michi directarum procedens ad debitam execucionem earumdem, iuxta earumdem continenciam mandassem sub certis penis domino ... Episcopo Wratislaviensi, ut moneret dictos Prelatos sue civitatis et dyocesis, et nonnullos laycos, ut a participacione ipsius Nicolai rite et canonice excommunicati, et qui iam per biennium ipsam excommunicacionem sustinuerat, et sustinet animo iudurato in sedis apostolice vituperium et contemptum, et vestre Camere dampnum manifestum, predicti Abbates asserentes, me eorum iurisdictionem delegatam perturbare, quam non habent, sedis apostolice reverencia conculcata, me mandaverunt et faciunt, quantum in eis est, de facto publice in Ecclesia mayori Cracoviensi et Wratislaviensi et aliis Ecclesiis dyocesis Wratislaviensis, ubi tyranni dominantur, ignominiose excommunicatum denunciari, quod, ut credo, non cedit ad vestre sanctitatis gloriam nec honorem, unde posito, quod deus avertat, quod ego excessissem fines mandati, vel eciam absque aliquo mandato processissem, ipsi non debuissent propter reverenciam sedis apostolice me ita temere, nec ex arrupto excommunicasse, nec utilitatem vestre Camere impedire: unde quamdiu excommunicacio publicabitur, negocia vestre Camere, que satis in partibus illis longo tempore fuerunt impedita, et incipiebant aliqualiter reformari, negligentur et impedientur in totum, quod vestra sanctitas michi non dignetur imputare; nam culpa mea non processit; nam ego frequenter scripseram vestre sanctitati, necnon dño Camerario et dño Thezaurario, quod ego predictum Nicolaum nunquam propter quitacionem Magistri Petri de Alvernia, que michi videtur suspecta, vana, frivola et inanis, redderem absolutum. Unde, pater sancte, si placeret vestre sanctitati, quod ipse redderetur absolutus, melius fuisset et utilius pro Camera, quod negocium fuisset commissum domino Camerario vel domino Thezaurario supradictis, ut sibi graciam et iusticiam ministrarent, quam quod si negocium et causa ipsa sit totaliter posita in manibus suis, quod veraciter est. Nam propter tyramnidem suam nec Episcopus, nec aliquis Prelatus dyocesis Wratislaviensis, non dicam sentenciam contra ipsum proferre, ymo nec aliquem processum presumeret publicare: quod apparet evidenter. Nam predictus dominus Episcopus Wratislaviensis nunc, quando sibi commisi processus predictos publicandos, excusavit se dicens, quod propter timorem predicti Nicolai predictos processus minime presumabat publicare, nec ipsum audebat et presumebat ut excommunicatum evitare. Et predicti ... Abbates, ut ex eorum processibus inordinatis apparet evidenter, predictum Nicolaum plusquam

deum, nec vestram sanctitatem et iusticiam timent et reverentur: unde si sanctam Romanam Ecclesiam reverentur, cum in iudiciis absentis absencia dei presencia debeat suppleri, potuerunt, procuratore Camere vel me absente, predictum Nicolaum absolvere vel condempnare, Camere iusticia mediante, non me innocentem condampnare, nec temere excommunicare. Unde, pater sancte, non est dolor sicut dolor meus: nam si vestre sanctitati voluissem esse infidelis, ego c. marcas, quas predictus Nicolaus michi frequenter obtulit, ut quitacionem predictam Magistri Petri confirmarem, recepissem, et predictam sentenciam excommunicacionis evitassem. Et quia, qui male agit, odit lucem: igitur solum deum ultorem habuissem. Propterea supplico vestre sancte pictati, ut in littera apostolica per vestram sanctitatem michi directa, cuius copiam cum presentibus vestre sanctitati mitto, addatur ista clausula, ad tollendam opinionem illorum, qui dicunt, quod propter apostolicas litteras michi directas, quamvis sint ultimo date, quia non faciunt mencionem de directis litteris predictis Abbatibus, quod ipsi Abbates possent procedere in causa predicta, non advertentes vel volentes animadvertere, quod predicte littere michi directe se referant totaliter ad predictas litteras bone memorie domini Iohannis pape, qui litteras directas Abbatibus precedunt in data, et littere apostolice directe predictis Abbatibus de ipsis nullam faciunt mentionem, nec ipsas revocant tacite vel expresse; sed ipsis Abbatibus utentibus non lege vel canone, sed furia vel furore theuthonico, est pro racione voluntas. Clausula est hec: Non obstantibus quibuscunque litteris pro parte predicti Nicolai in audiencia impetratis in causa predicta, quas et si quid per eas secutum vel forsitan attemptatum extiterit, irritum decernimus et inane.

Rursus, si vestre sanctitati non placet, quod predicta clausula litteris apostolicis superaddatur, et iniuriam Ecclesie Romane factam remanere impunitam, placeat tamen vestre sanctitati in causa appellacionum michi dare iudicem dominum Ep̄um Cracoviensem, vel si vestre sanctitati placet, quod ego negocia vestre Camere propter lites negligam, placeat dare iudicem dominum Archiepiscopum Gneznensem, quem satis secure cum maximo conductu tamen et expensis adire potero pro causa predicta, et placeat vestre sanctitati, quod in litteris iusticie directis predictis domino ... Archiepiscopo vel domino ... Episcopo ponatur: Quod non obstantibus de duabus dietis et aliis coram eis teneantur respondere. Unde, pater sancte, quamvis visa ipsorum citacione iniusta et inordinata ad cautelam ad sedem apostolicam appellassem, tamen quia predicti Abbates post appellacionem interpositam contra me, ymo verius contra honorem sedis apostolice et utilitatem vestre Camere certos processus et sentencias excommunicacionis exnunc, prout extunc de facto contra deum et iusticiam promulgarunt: igitur iterum ad cautelam ad sedem apostolicam appellavi, unde et copiam ipsius citacionis et sentencie excommunicacionis, et primam et secundam appellacionem in publicam formam redactam vestre sanctitati mitto per presentium portitorem. Et quia servum dei litigare non convenit, et cum ego serviam deo et vestre sanctitati: igitur supplico reverenter vestre Sanctitati, ut a talibus litigiis me placeat habere supportatum; nam ad longum et propter mei insufficienciam, et propter negociorum Camere multitudinem non possem negociis et litibus sufficere supradictis.

Item, sciat vestra sanctitas, quod dominus Archiepiscopus Gneznensis assignat pro denario sancti Petri de civitate et dyocesi Gneznensibus LXXII. marcas argenti de parvis grossis ibi currentibus, XLVIII. grossos pro marca qualibet computando, aliquociens parum plus, aliquociens parum minus.

Item, ego recepi pro quolibet anno de civitate et dyocesi Cracoviensibus CCX. marcas pro predicto censu, aliquociens plus, aliquociens minus, similiter XXXXVIII. gross. pro qualibet marca computando.

Item, dominus Episcopus Poznaniensis assignat pro quolibet anno XXXIII. marcas de parvis grossis, XXXXVIII. grossos pro marca qualibet computando.

Item, dominus Episcopus Plocensis pro quolibet anno XXX. marcas, XXXVI. grossos parvos pro marca qualibet computando.

Item, dominus Episcopus Wladyslaviensis assignat de terra Cuyavie pro quolibet anno XXVIII. marcas de parvis grossis, similiter XXXVI. pro qualibet marca computando. Item assignat pro terra Pomeranie LXXXI. marcas, quod tempore antecessorum meorum nunquam solvebat, similiter XXXVI. grossos pro qualibet marca computando.

Item, dominus Episcopus Culmensis assignat pro quolibet anno LXXIII. marcas cum dimidia, similiter XXXVI. grossos pro marca computando.

Item, Archidiaconus Opoliensis assignat pro quolibet anno XX. marcas grossorum Wratislaviensium, XLVIII. grossos pro marca qualibet computando, et de tota dyocesi amplius non solvitur.

Item, mitto Camere vestre sanctitatis publicum instrumentum confessionis Nicolai Pensatoris, in quo inter alia confitetur, quod preter illa, que fuerat confessus eius filius, hospes suus, cuius nomen in instrumento continetur, qui moratur in Brugis, habet in deposito de pecuniis Camere receptis per eum a Magistro Petro de Alvernia ccc. florenos de Florencia, nisi predictus Magister Petrus ipsos receperit, cum ibi fuit cum domino Petro Gervasii: quare super hoc diligenter est inquirendum.

Item, sciat vestra sanctitas, quod dictus Rex Polonie requisitus per me, ut cederet michi actionem nomine Camere vestre sanctitatis, quam habet contra Cruciferos pro repetendis quindecim millibus marcarum argenti, respondit, quod adhuc plene cum Baronibus suis non deliberaverat; sed deliberacione habita volebat michi in reversione rata certitudinaliter responderc.

Item, sciat vestra sanctitas, quod dominus Henricus de Drogus pro administracione bonorum Episcopatus Wratislaviensis de tempore suspensionis bone memorie domini Henrici quondam Episcopi ibidem composuit mecum in cx. marcis, xxxxviii. grossos Wratislavienses pro marca computando, et promisit solvere michi alias alteri habenti mandatum a sede apostolica lx. marcas infra octavas sancti Iohannis Baptiste, et residuas l. marcas infra unum annum a festo beati Iacobi predictas octabas immediate sequenti.

Item, sciat vestra sanctitas, quod Henricus Cepuch Canonicus Cracoviensis, qui successit supradicto Nicolao de Bancz in prebenda Cracoviensi ex causa permutacionis propter administracionem dicti Nicolai dicti Episcopatus Wratislaviensis tempore suspensionis predicti Episcopi Wratislaviensis, composuit mecum in xxxx. marcis argenti, xxxxviii. grossos pro marca qualibet computando, et debet solvere michi vel alteri habenti mandatum a sede apostolica in festo Pasche proxime venienti.

Item, sciat vestra sanctitas, quod preter illas quitaciones, quas Camere misi, receptis pecuniis per Magistrum Petrum de Alvernia, adhuc plures sunt producte de dyocesi Wratislaviensi, in quibus plura se confitetur recepisse, de quibus in Regestro suo nullam mentionem facit: quitacionum autem copiam, quantocicius potero, ad Cameram destinabo.

Item, Processus ad presens contra ipsum factos vestre sanctitati mitto sub sigillo.

Item, Pater sancte, dominus Episcopus Wratislaviensis remanet obligatus vestre Camere tantummodo in ccxxxii. marcis, xxxxviii. grossis pro qualibet marca computatis, et debet michi solvere in Cracovia, vel habenti mandatum et potestatem a sede apostolica, medietatem in proximo festo beatorum Philippi et Iacobi, et aliam medietatem in festo beati Martini immediate sequenti, prout in instrumentis publicis super hoc confectis, que quantocius potero, Camere destinabo, seriosius continetur: tamen adhuc in deposito debent esse Brugis xxix. marce auri, nempe domino Petro Gervasii fuerint persolute.

Item, sciat vestra sanctitas, quod predictus Epus Wratislaviensis senex est et quodammodo in decrepiditate constitutus, et videretur michi utilitati Camere vestre expedire, quod vestra sanctitas Episcopatum, cum vacabit, haberet reservare, Polono conferendum: nam si per eleccionem ibidem Episcopus ordinatur, aut per potenciam Regis Bohemie supradicti, aut quia nimis ibidem invaluerunt theothonici, nullus Polonus in illa ecclesia de cetero in Episcopum eligetur: quod si erit, quod deus avertat, pro certo omnia iura vestre Camere deperibunt in totum, sicut et pereunt in aliis locis dicti regni Polonie, in quibus theuthonici spiritualiter et temporaliter dominantur.

Item, Pater sancte, sciat vestra sanctitas, quod Rex Bohemie predictus vult callide submittere quoddam Castrum dictum Milicz, quod est Episcopi et Capituli ecclesie predicte Wratislaviensis et in Regno Polonie predicto, et offert eis pecuniam, asserens, quod non vult carere, quin Castrum habeat supradictum, quod si fiet, in maximum dampnum vestre Camere redundabit: nam sicut aliis in locis per eum occupatis inter Regnum Polonie omnia iura Camere predicte depereunt, ita ibidem similiter deperibunt, et cum illo Castro, cum sit fortissimum et quasi clavis Regni Polonie ab illa parte, omnia Castra circumvicina acquiret in preiudicium ac dampnum Camere predicte, et dampnum maximum et irrecuperabile (?) devoti filii vestri domini Regis Polonie supradicti: quare placeat vestre Sanctitati inhibere Episcopo et Capitulo supradictis, quod nec nomine vendicionis, nec alio quesito colore ipsum Castrum ponant in manibus potencie secularis, nec Regis Bohemie supradicti. Si hoc ex causis predictis vestre Sanctitati videbitur expedire, et pure propter deum placeat vestre Sanctitati in dignitatibus istarum parcium conferendis ponderare fidelitatem, devocionem et utilitatem, quam vestra Camera habet a Polonis, et devocionem et utilitatem, quam habet a Theuthonicis vel Bohemis: nam tanta

est differencia, sicut lucis ad tenebras, nam isti dicunt et recognoscunt sanctam Romanam matrem ecclesiam eis debere dominari, illi autem asserunt eisdem debere ancillari et esse sub tributo.

Nobilem virum Dersconem Pacoslai, nepotem domini Episcopi Cracoviensis, Canonicum Cracoviensem, latorem presencium, qui me propter reverenciam vestre Sanctitatis frequenter per totum Regnum Polonie non absque magno periculo honorabiliter conduxit, et qui de omnibus negociis et de novis istarum parcium poterit oretenus vestram Sanctitatem veraciter informare, Sanctitati vestre humiliter commendo.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo, Reverendo domino Benedicto divina providencia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo Pontifici, Ianislaus Archiepiscopus Gneznensis, Capellanus suus humilis, orationes debitas et devotas ac pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre tenore presentium censui explicandum, quod Iohannes de Brest, Clericus Wladizlaviensis dyocesis, procurator et nuncius specialis venerabilis viri domini Galhardi de Carceribus Prepositi Tytulensis, apostolice sedis Nuncii, licenciati in legibus, quandam protestacionem et appellacionem in presencia nostra et notarii infrascripti, ac aliorum multorum XIII. Kalendas Iulii legit et publicavit: quorum tenor dinoscitur esse talis. Coram vobis Venerabili in Christo patre domino Ianislao divina et apostolice sedis providencia sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopo, Ego Iohannes de Brest, clericus Wladislaviensis dyocesis, procurator legitimus et verus et nuncius specialis venerabilis viri domini Galhardi de Carceribus Prepositi Thytulensis Colocensis dyocesis, apostolice sedis Nuncii etc. ut supra Nro. DXVIII. pag. 388. Ego vero iuxta requisitionem procuratoris supradicti, facta intimacione, protestacionis et appellacionis huiuscemodi dictis Abbatibus, ut decuit, has licteras testimoniales eidem procuratori factas censui concedendas. Actum et datum Cracovie anno, die, quibus supra, Presentibus honorabilibus viris dominis Iohanne Scolastico et officiali, Petro Cancellario Gneznensis, Clemente Custode Wratislaviensis, Radislao Budensis et Iohanne sancti Pauli ecclesiarum Prepositis et aliis fidedignis. In quorum evidenciam presentibus meum signum est annexum.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem M.CCC.XXXVII. Indictione quinta, decima die mensis Iulii, hora vespertina in domo habitationis domini Galhardi de Carceribus Thitulensis prepositi, sedis apostolice nuntii in regno Polonie, Cracovie in mei Notarii et testium subscriptorum presencia Nicolaus Plebanus de Copnik quemdam processum, manu publica Iohannis Cunradi de Nysa Notarii publici scriptum, signatum et subscriptum, eidem domino Nuncio exhibuit, cuius principium erat tale: In nomine domini amen; finis vero talis: Datum VIII. Kalendas Iulii; requirens eundum dominum Nuncium iuxta commissionem sibi per dictos Abbates de Lubens et de Camenz factam, ut mandatis dictorum Abbatum, ymo verius apostolicis in dicto processu contentis vellet obedire: qui dominus Nuncius quandam appellacionem per Iacobum de Kalis, procuratorem suum, ipsis Abbatibus coram Venerabili in Christo patre domino Nankero Episcopo Wratislaviensi feria quarta ante festum beati Iohannis Baptiste preteritum interiectam, ut instrumento publico super hoc confecto plenius apparuit, per me Notarium legi mandavit. Qua perlecta idem dominus nuncius protestatus fuit in hunc modum: Protestamur, quod mandatis dictorum Abbatum libenter pareremus, si talia essent, quibus de iure parere teneamur; sed propter infrascripta et subsequenter legenda eorum indiscretis et inordinatis mandatis et ecclesie Romane contrariis, vituperosis et dampnosis nequaquam obedire tenemur: et primo propter litteras apostolicas eorum iurisdictionem penitus annullantes, si quam habuerunt, quas eisdem misissemus vel eorum copiam, si invenissemus vel inveniremus, qui eis auderet presentare; item propter appellacionem longe diu ante ipsos processus supradictos, si processus dici possunt, ab ipsis Abbatibus per nos legitime interiectam, et eisdem intimatam, prout melius de iure debuit et potuit intimari. Qua protestacione facta, idem dominus Nuncius ibidem interposuit appellacionem in hec verba: In nomine domini amen. Constituti in presencia virorum astancium et testium subscriptorum nos Galhardus de Carceribus, sedis apostolice nuncius, dicimus et protestamur, quod Venerabiles viri domini Abbates de Lubens et de Camenz, qui se asserunt iudices a sede apostolica deputatos in causa, que verti speratur, prout asserunt, inter nos ex una et Nicolaum de Bancz Canonicum Wratislaviensem parte ex altera, nos contra iusticiam et temeritate propria aggravare cupientes in vituperium ecclesie Romane et Camere domini nostri pape manifestum, tum quia eorum iurisdictio, si quam habuerunt, per licteras domini nostri pape est totaliter revocata et annullata in totum; tum quia diu ab eorum processibus iniquis factis et faciendis, continuatis et continuandis ad sedem apostolicam appellamus legit-

time propter eorum gravamina notoria et manifesta, ex quibus processibus nos sentientes contra iusticiam aggravatos; tum quia non sunt iudices competentes; tum quia ab eorum omnibus processibus factis et faciendis per nos extitit iam diu appellatum ad sedem apostolicam, de qua appellacione minime recedere intendimus, sed ipsam legittime prosequi: ne tamen dicti Abbates saltem de facto aliquid presumant contra nos attemptare, iterum ad sedem apostolicam in hiis scriptis appellamus, et protestamur, quod presentem appellacionem predictis Abbatibus intimaremus; sed quia duces Slezie et Cracovie et Wratislavie publice sunt protestati, quod si in civitate et diocesi Wratislaviensibus aliquis nuncius reperiretur, qui litteras apostolicas portaret atque nostras, quod capite privaretur, igitur propter iustum metum, qui cadere potest in constantes viros, nullum hominem invenimus, qui eisdem appellacionem presentem audeat intimare, nec apostolos petere ab eisdem, quod coram vobis omnibus publice protestamur, et monemus predictos Abbates, ut infra XII. dies, quos pro Canonica intimacione et peremptorio termino eis assignamus, ipsorum processum, si processus dici potest, revocent cum effectu, alias ipsos canonica intimacione premissa excommunicamus in hiis scriptis, protestantes, quod hanc nostram monicionem eis intimaremus presentialiter, si nuncium invenieremus, qui eis tute posset intimare. Actum Anno, die, hora et loco, quibus supra, Presentibus discretis viris domino Iohanne Thezaurario et Canonico Cracoviensi, Stephano Capellano domini Nuncii predicti, Arnoldo de Causyna, Henrico de Wratislavia notariis publicis ad premissa.

Venerabili viro amico sibi karissimo domino Galhardo de Carceribus, nuncio sedis apostolice etc.

Kazimirus Polonie Rex.

Domine et amice karissime, Discretioni vestre litteram per presentem notificamus bona fide, quod cives nostri Cracovienses, nullo penitus excepto, qui pecunias ad Cameram domini nostri Reverendi pape erant astricti ad solvendum, easdem pecunias circa festum Pasche iam integraliter et complete Brugis persolverunt, et credunt hoc litteris quitacionis in festo beati Iacobi proxime affuturo coram vobis demonstrare: Idcirco ut iusti sua iusticia fruantur, Discretionem et amicitiam vestram, de ipsa indubiam fiduciam gerentes, presentibus una cum nostris predictis civibus requirimus et rogamus, quatenus sentenciam excomunicacionis, qua per vos sunt involuti, cum contumaces nullatenus reputantur, causa ex premissa, iusticie causa et nostre peticionis ob respectum velitis usque ad festum beati (Iacobi) proxime instans prorogare, quousque litteras eorum quitacionis vobis ostendant, et si non ostenderint, quod absit, tunc eadem contumacia et sentencia per vos astringantur, nec ulterius preces nostras pro eis offerimus, in signum autem peticionis nostre litteras vestras credencie in forma Iohannis Venatoris nostri filii (?) Cracoviensis recepimus in octava sancte Trinitatis reverenter, aliud non facturi nostri causa. Datum Cracovie feria quinta proxima post festum sancte Trinitatis.

Et ego Iaroslaus Archidiaconus Cracoviensis filius vester et amicus cum instanciis, quibus possum, idem peto.

Ex Instrum. miscell. Caps. 209. Nro. 2.

DXX.

Galhardo nuntio apostolico, ut sequentes litteras episcopo et capitulo Vratislaviensi praesentet.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum nos Venerabili fratri nostro . . . Epō, et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus per nostras litteras inhibeamus et mandemus, ne ad alienationem castri de Mylitz utique opulenti et nobilis ad ecclesiam Wratislaviensem spectantis presumant quoquo modo procedere, nobis et sede apostolica inconsultis: discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios litteras nostras huiusmodi eisdem Episcopo et Capitulo studeas presentare, faciens super eadem presentatione fieri publicum Instrumentum, litterarum predictarum seriem continens, illud nobis postmodum fideliter transmissurus. Datum Avinione II. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 259. fol. 76.

DXXI.

Episcopo et capitulo Vratislaviensi, ne ad alienationem cuiusdam castri, inconsulta sede apostolica, procedant.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo, et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus, salutem etc. Ad nostri apostolatus auditum relationis assercio fide digne perduxit, quod aliqui

suarum animarum negligentes salutem, vos ad alienandum quoddam Castrum valde opulentum, ac notatum (?) de Melitz, ad vos et ecclesiam Wratislaviensem pertinens, inducere moliuntur: et licet nos de vestra confidamus prudentia, quod ad tante temeritatis audaciam, sicut esset predicti castri alienatio, nullatenus prorumpetis, ut tamen cautiores super hiis vos reddamus, vobis tenore presentium districtius inhibemus et mandamus expresse, ne ad alienationem dicti Castri quoquomodo presumatis procedere, nobis et sede apostolica inconsultis; quod si secus facere, quod absit, presumpseritis, penas adversus alienatores rerum ecclesiasticarum immobilium a iure statutas poteritis merito formidare: de presentatione autem presentium vobis facienda fieri volumus instrumentum publicum, seriem earum continens, nobis fideliter remittendum. Datum II. Idus Septembris. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 258. fol. 76.

DXXII.

Galhardo de Carceribus, ut processus contra non solventes censum ecclesiae Romanae debitum continuet.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Intellectis plenius, que tue nobis misse novissime littere, quas benigne recepimus, continebant, volumus, quod adversus eos, qui censum ecclesie Romane debitum contradicunt vel omittunt solvere, cuiuscumque condicionis existant, processus per te ceptos, ut scripsisti, continues, sicut rationabiliter expedire videris, et agraves, nec ab illis desistas, donec de censu ipso satisfaciant, vel a nobis aliud receperis super hoc in mandatis. De illa quidem dilatione, quam concessisse in partibus Wratislaviensis descripsisti, dicimus, quod propter ea, que inde in predictis subiunxisti litteris, ipsa dilatio placet nobis; sed videas, quod illi, qui promiserunt, compleant, nec iuri dicte ecclesie derogetur. Rursus Carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Regi Polonie Illustri, quem multum comendasti per easdem litteras, regraciando scribimus, sicut vidimus expedire, et nichilominus Venerabili fratri nostro Episcopo, et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus inhibemus districtius per nostras litteras, ne ad illius castri de Militz alienationem, inconsultis nobis et sede apostolica, presumant procedere quovis modo. Tu vero, que super statu negociorum et illarum partium nuncianda tibi occurrerint, scribere nobis, quociens opportunum extiterit, non ommittas. Datum Avinione II. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 257. fol. 75.

DXXIII.

Casimiro regi Poloniae, ut in devotione sanctae sedis persistat.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Insinuante nobis dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, Nuntio nostro in partibus regni tui, de te, fili carissime, audivimus exultanter, quod ea, que nostrum et sancte Romane ecclesie matris tue beneplacitum et honorem respiciunt, promptis et devotis affectibus tanquam benedictionis et gracie filius te impendisti hactenus, et impendere continue non desistis. Nos igitur sinceram devocionem tuam huiusmodi, per quam te deo ac nobis et ipsi ecclesie acceptiorem efficis, gratam habentes admodum, eamque graciarum actionibus prosequentes, serenitatem Regiam rogamus attente, quatenus in huiusmodi laudabili proposito te sic tenere studeas inconcusse, quod divinam ac nostram et apostolice sedis graciam uberius propterea merearis. Datum Avinione II. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 256. fol. 75.

DXXIV.

Archidiacono Posnaniensi, ut Mathiae Vladislaviensi episcopo faciat iustitiam super eo, quod episcopus Caminensis certam partem sue Vladislaviensis dioecesis detinere dicitur occupatam.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio . . . Archidiacono Poznaniensi, sal. etc. Commissi nobis ex alto pastoralis officii debitum exigit, ut sic circa statum quarumlibet et presertim Cathedralium ecclesiarum, quarum nobis cura generalis incumbit, diligenter prospicere debeamus, quod singule suis foveantur in iuribus, et inter earum presules vinculum vigeat caritatis. Ex tenore siquidem petitionis pro parte venerabilis fratris nostri Mathie Wladislaviensis Episcopi porrecte nobis accepimus, quod ve-

nerabilis frater noster .... Episcopus Caminensis certam partem sue Wladislaviensis diocesis, in qua due parrochiales ecclesie ac trigintasceptem ville campestres existunt, in cuius quidem partis possessione pacifica tam ipse Mathias Episcopus, quam predecessores sui Wladislavienses Episcopi, qui fuerunt pro tempore, per annos quadraginta et amplius extiterunt, et in ea censum ecclesie Romane debitum, qui denarius beati Petri dicitur, idemque Mathias decimam sexennalem impositam in concilio Viennensi pro dicta Romana ecclesia collegerunt, occupavit indebite auctoritate propria, et detinet contra iustitiam occupatam in ipsius Mathie Episcopi et sue Wladislaviensis ac predicte Romane, que inibi dicto censu propterea defraudatur, ecclesiarum manifestum preiudicium atque dampnum. Quare pro parte dicti Wladislaviensis Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut dictum Caminensem Episcopum ad realem restitutionem partis huiusmodi dicte Wladislaviensis diocesis, et fructuum ac redditum exinde medio tempore perceptorum, et qui percipi potuerunt, Episcopo et ecclesie Wladislaviensibus predictis faciendam per aliquam discretam personam Poznaniensis ecclesie, cuius diocesis a Caminensi diocesi per duas dietas minime distare dinoscitur, presertim cum in partibus illis non sit aliquis locus insignis vicinior, in quo posset reperiri copia peritorum, compelli auctoritate apostolica mandaremus. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra per te vel alium seu alios, vocatis dicto Episcopo Caminensi et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis simpliciter et de plano, sine iudicii strepitu et figura procedens, facias iustitie complementum, Contradictores auctoritate predicta, appellatione postposita, compescendo, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, quam aliis quibuscumque constitutionibus ac privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus contrariis, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum posset impediri quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in ipsis mentio specialis, Seu si dicto Episcopo Caminensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, vel ultra seu extra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinionem Idibus Septembris. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Part. II. ep. 359. fol. 150.

DXXV.

Galhardus collector plebanum de Oswencin de decimis Petro de Alvernia solutis absolvit.

In nomine domini amen. Sub anno Nativitatis eiusdem M.CCC. tricesimo septimo, Indictione quinta, die vicesima quarta mensis Novembris, quasi hora completorii in domo habitationis domini Gualhardi de Carceribus, licenciati in legibus, apostolice sedis nuncii, prepositi Titulensis, in mei notarii et testium infrascriptorum presencia dominus Nicolaus plebanus de Oswensin infrascriptam quittacionem, vero sigillo magistri Petri de Alvernia sigillatam, contra eundem magistrum Petrum de Alvernia producxit coram eodem domino nuncio: cuius tenor est talis. Notum sit omnibus, quod Nicolaus plebanus quondam de Oswensin nobis Petro de Alvernia, licenciato in legibus, canonico Noviomensi, sedis apostolice nuncio ac collectori decime sexannalis et denarii beati Petri in partibus Polonie, pro se et aliis plebanis tunc subditis tam de decima sexannali, quam de censu beati Petri integre satisfecit, preter plebanum de Ianussowic, qui tenetur adhuc unam marcham, quem excommunicatum et irregularem totaliter reputamus et volumus nunciari: alios vero, qui satis non fecerunt dicto Nicolao denunciari excommunicatos volumus et evitari, quousque satisfecerint, et post satisfaccionem per decanum de Oswensin iuxta formam ecclesie auctoritate apostolica absolvantur. Dictum vero Nycolaum a sentenciis excommunicacionis, quas incurrerit propter retardacionem satisfactionis supradicte, presentem absolvimus in hiis scriptis. Datum Cracovie sub sigillo nostro sexta die Octobris anno domini M.CCC.XXX.quarto. Actum anno, mense, die, hora et loco quibus supra, Presentibus domino Stephano Capellano domini nuncii, Iohanne de Wirbena, Nicolao Clerico Cracoviensis dyoc. testibus ad premissa vocatis et rogatis.

(L. S.) Et Ego Arnaldus de Causina Clericus Agennensis dyocesis, publicus auctoritate apostolica notarius, ipsam litteram originalem vidi, et earum (sic) exhibicioni cum predictis testibus presens affui,

ipsamque de mandato prefati domini nuncii in hanc publicam formam transsumpsi, et factam collacionem de ipsa littera originali ad presens transcriptum inveni utrumque per omnia concordare: Ideo me hic cum signo meo subscripsi consueto in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 207. Nro. 2.

DXXVI.

Hermannus ecclesiae Varmiensi in episcopum praeficitur, et ut moris est, commendatur.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Hermanno electo Warmiensi, salutem etc. Ad exequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, circa statum ecclesiarum vacantium aciem attente considerationis solerter extendimus, et de ipsorum profectibus solicite cogitamus, opem et operam, prout utilius fore perpendimus, solertius impendentes, ut per Rectores providos eedem ecclesie gubernentur, et per eruditos ministros in spiritualibus fulgeant, et per dispensatores prudentes in temporalibus augeantur. Olim siquidem ecclesia Warmiensi per obitum bone memorie Henrici Episcopi Warmiensis, qui in partibus illis decessit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, prout moris est, convenientes in unum, dilectum filium Martinum de Guideto Canonicum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, per formam compromissi in eorum Episcopum concorditer elegerunt, dictusque Martinus ad Capituli predictorum instantiam huiusmodi electioni de se facte postmodum infra tempus debitum consensit, et a dilecto filio . . . vicario generali Venerabilis fratris nostri... Archiepiscopi Rigensis loci metropolitani, in remotis agentis, cum instantia postulavit, ut electionem huiusmodi confirmaret. Cumque predictus vicarius assereret se nullam potestatem habere ab Archiepo memorato confirmandi electiones prelatorum suffraganeorum ecclesie Rigensis, prefatus Martinus ad sedem apostolicam personaliter accessit, ac huiusmodi negocium proponi fecit in consistorio coram nobis: et demum memoratus Martinus non persone sue vitio, sed ex certis rationabilibus causis omni iuri, si quod sibi ex electione huiusmodi quomodolibet competebat, in manibus nostris libere et sponte cessit. Nos itaque, huiusmodi cessione admissa, ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se hac vice intromittere possit, pro eo, quod nos diu ante cessionem predictam omnes cathedrales ecclesias per renuntiationem quorumlibet electorum ad illas, quas per nos admitti contingeret, tunc factas et inantea faciendas, ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Custodem ecclesie Pragensis, Capellanum nostrum, decretorum doctorem, in sacerdocio constitutum, morum et vite honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicibus virtutum meritis, prout ex testimoniis fidedignis percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Warmiensi de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Warmiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem Warmiensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi suffragante divina, prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, ipsius Warmiensis ecclesie commissum tibi regimen sic exercere studeas fideliter, solicite et prudenter, quod dicta ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque proinde retributionis eterne premium, nostre benedictionis augmentum, et eiusdem sedis gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Capitulo ecclesie Warmiensis, Clero et populo civitatis et diocesis Warmiensis, ut eidem Electo obedientiam et reverentiam debitam et devotam exhibeant etc. et Archiepiscopo Rigensi, ut eundem Electum et commissam ecclesiam habens cemmendatos, in conservandis eorum iuribus sic sui favoris presidio prosequatur etc.

Ex Reg. orig. An. III. Part. II. ep. 509. fol. 250.

DXXVII.

Abbatibus et monasteriis de Camenz et de Henricvoia Vratislaviensis dioec. conservatores constituuntur.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Olomucensi et . . . Posnaniensi Episcopis, ac dilecto filio . . . Decano ecclesie in Budesin Misnensis diocesis, salutem etc. Militanti ecclesie licet immeriti, disponente domino, presidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina cooperante clementia, salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum . . . Abbatis et conventus monasterii de Camentz Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis conquestione percepimus, quod licet monasterium, persone ac bona Abbatis ac conventus predictorum deberent plena libertate gaudere, tamen dilectus filius nobilis vir Bolco dux de Munsterberg dicte diocesis, sub cuius dominio temporali ipsum monasterium consistere, ac eorum bona temporalia habere dicuntur, contra libertatem ecclesiasticam ad gravamina monasterii, Abbatis et conventus predictorum intendens, angarias, exactiones et tallias indebitas ac etiam importabiles eis imponere, illasque quibusdam Militibus et aliis feudalibus suis exigendas et percipiendas imperpetuum hereditario iure conferre, ac nichilominus exactiones, angarias et tallias similes ab eisdem Abbate et conventu ac monasterio et eorum bonis exigere et recipere, necnon familiares, equos et venatores, canes et nonnulla alia animalia sua ad predictum monasterium depascenda, et nutrienda ibidem pro ipsius ducis beneplacito eorundem Abbatis et conventus expensis presumpsit mittere et presumit. Et si forsan ipsi Abbas et conventus huiusmodi tallias, exactiones et angarias eidem duci solvere, aut familiares, equos, canes seu alia predicta animalia recipere, nutrire aut tenere recusent, statim ipse dux oves, boves, vaccas, blada diversi generis et alia bona mobilia eiusdem monasterii ad manus suas poni et recipi, distribui et consumi fecit et facit, adeo quod fere ipsorum grangie totaliter sunt deserte. Insuper dux ipse plures monachos dicti monasterii propria temeritate capi, ignominiose tractari et incarcerari fecit, ac in compedibus ferreis detineri. Et demum ipse dux alia tot et tanta gravamina, oppressiones et violentias eidem monasterio et eius personis et bonis hactenus per se et suos intulit et inferre continue non desistit, quod nisi eis per sedem apostolicam de oportuno remedio celeriter succurratur, ipsum monasterium verisimiliter ad destructionem perpetuam et casum irreparabilem deducetur: quare nobis Abbas et conventus prefati humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hiis paterna diligencia curaremus. Nos igitur adversus gravamina, molestias, iniurias et violentias huiusmodi illo volentes eisdem Abbati et conventui ac monasterio remedio subvenire, per quod talium compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta, mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sunt extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, prefatis Abbati, conventui et monasterio efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad Abbatem, conventum ac monasterium predicta spectantibus ab eodem duce, familiaribus et gentibus suis, et quibuscunque aliis personis indebite molestari, vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi dictis Abbati et conventui, cum ab eis vel procuratoribus suis vel eorum aliorum aliquo fueritis requisiti, de duce, familiaribus et gentibus ac aliis personis predictis super restitutione huiusmodi talliarum, exactionum, iurium et bonorum eorum mobilium et immobilium, redditum quoque, proventuum et aliorum quorumcunque bonorum, necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas exegerit, iusticie complementum, eundem ducem ac alios occupatores seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque et quotienscunque expediens fuerit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus, ceptis et non ceptis, presentibus

et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legittimum extitisset, Constitutione predicta super conservatoribus, et alia qualibet in contrarium edita non obstante, Presentibus post biennium minime valituris. Datum Avinione XII. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Eisdem pro Abbate et conventu monasterii de Henricow Cistercienses ordinis Wratislaviensis diocesis ut in proxima superiori. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Part. I. ep. 251 et 252. fol. 75.

DXXVIII.

Iudicibus, ut circa Thomam de Ratibor ord. Minorum constitutionem de apostatis observandam curent.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis ... de Maghila et ... de Tintia monasteriorum Abbatibus Cracoviensis diocesis, ac Magistro Petro de Opataw, Canonico Cracoviensi, salutem etc. Pridem animarum periculis occurrere desiderabiliter affectantes, circa quorumlibet ordinum apostatas, et etiam de suis ordinibus eiectos, et quosvis alios religiosos sine Prelatorum suorum licentia per seculum evagantes, nonnulla salubria et utilia duximus auctoritate apostolica ordinanda. Inter cetera namque voluimus et ordinavimus auctoritate prefata, quod universi et singuli tam exempti quam non exempti prelati quorumcunque religiosorum quorumlibet ordinum, a quibus temere apostatarunt ipsi apostate, illos ad habitum et religionem eorum Priores recipere tenerentur. Quod si forte dicti prelati, capitula ecclesiarum, conventus monasteriorum, et fratres eorum et locorum eorundem recusarent apostatas recipere prelibatos, ipsi prelati, capitula, conventus et fratres per certos executores super hoc a sede apostolica deputandos ad eos recipiendos, salva ordinis disciplina, quam voluimus et mandavimus circa illos, qui sponte redirent ea vice, ut infra scribitur, miserieorditer temperari, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, cogerentur. Voluimus quoque et ordinavimus circa eos ex dictis apostatis, qui ordinum mendicantium forent, quod si apostate ipsi ordinum mendicantium prefatorum in suis primis locis eorundem suorum ordinum recipi commode nequirent, in aliis locis ordinis cuiusque ipsorum vel alterius ordinis dictorum mendicantium, si alii mendicantes huiusmodi apostatas recipere vellent, illa vice collocarentur, et nichilominus religiosi predictorum locorum eiusdem ordinis ad recipiendum iam dictos apostatas, qui transire ad alia loca ipsius ordinis haberent, ad recipiendum eosdem apostatas in locis huiusmodi per executores a dicta sede super hoc similiter deputandos, si opus foret, censura simili aretarentur. Rursus voluimus et ordinavimus erga omnes apostatas supradictos, et quemlibet ipsorum per eorum prelatos, servato subscripto moderamine, provideri, scilicet quod ipsi prelati circa huiusmodi apostatas, etiam si ante vel post eorum apostasiam excessus in ordine suo vel extra illum commiserint, et proinde vel etiam ex quacunque alia causa in apostasiam huiusmodi lapsi fuerint, vel ordines vel carceres effugerint, seu ab ipsis evaserint, pro predictis eam penam seu penitenciam salutarem imponerent iuxta eorundem ordinum antiqua statuta, quam tamen penam seu penitenciam sic etiam voluimus miserieorditer temperari, quod apostate ipsi terrore ultionis seu pene non retraherentur a resumptione religionis et habitus eorundem. Memoratis insuper prelatis eorundem apostatarum dictos apostatas ad religionem suam pristinam vel aliam mendicantium, ut pertangitur, redeuntes absolvendi ea vice iuxta formam ecclesie ab excommunicationis sententia, in quam apostatando taliter incideruut, et eum eis super irregularitate, quam occasione huiusmodi apostasie, vel alias forsan sic ligati divina officia celebrando, immo verius prophanando, aut illis se immiscendo, dampnabiliter incurrerunt, prout eorundem apostatarum saluti dicti prelati expedire conspicerent, dispensandi plenam et liberam eadem auctoritate concessimus potestatem, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus quorumlibet ordinum, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum predictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, vel etiam privilegiis, indulgentiis aut litteris apostolicis, seu aliis quibuscunque, que premissis possent quomodolibet obviare, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut Thomas de Ratibor ordinis fratrum Minorum, lator presentium, humiliter nobis exposuit, bis ab eodem ordine, habitu eius dimisso, ex certis causis nobis expositis apostatarit, per aliqua tempora per seculum incedendo, sicut adhuc incedere noscitur, vestes deferens clerici secularis: Nos eiusdem Thome reconciliari deo et eidem ordini suo, ut asserit, cupientis, devotis supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta manda-

mus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios voluntates seu ordinationes, mandata et concessionem nostra huiusmodi circa eundem Thomam faciatis auctoritate nostra firmiter observari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus omnibus supradictis, seu si dictis fratribus eiusdem ordinis minorum et ipsi ordini, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede sit indultum predicta, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione x. Kalendas Martii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Part. I. ep. 156. fol. 40.

DXXIX.

Petro Gervasii, ut partes in causa Nicolai Bancz canonici Vratislaviensis ad sedem apostolicam citet.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Petro Gervasii Canonico Vivariensi, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Ex insinuatione dilecti filii Magistri Galhardi de Carceribus Prepositi ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, apostolice sedis nuncii, nuper accepimus, quod dudum felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster per suas certi tenoris litteras commisit inter cetera et mandavit eidem, ut a dilecto filio Nicolao Bancz Canonico Wratislaviensi, et quibuscumque aliis personis ecclesiasticis vel secularibus, qui tempore suspensionis, et post obitum bone memorie Henrici episcopi Wratislaviensis per multos annos administrationem bonorum Wratislaviensis ecclesie gerentes, maximas quantitates pecunie perceperant, de illis audire, exigere ac recipere legitimas rationes, et super eis summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii se plenius informare deberet, ipsosque ad reliqua prestanda nichilominus et contradictores quoslibet et rebelles, appellatione postposita, compellendo, quodque demum dicto predecessore sublato de medio, nos eidem Galhardo per litteras nostras sub certa forma mandavimus, ut ad executionem huiusmodi commissionis dicti predecessoris deberet procedere iuxta predictarum eiusdem predecessoris continentiam litterarum. Et licet idem Galhardus ad executionem procedens huiusmodi contra dictum Nicolaum nonnullos processus huiusmodi occasione fecisset, iustitia exigente, ipse tamen Nicolaus ad illusionem commissionis et processuum predictorum ab eis, ut prefertur, in vocem frivole appellationis erumpens, nostras super huiusmodi appellatione ad dilectos filios ... de Lubens et ... sancti Vincentii ac ... de Camencz Monasteriorum Abbates Wratislaviensis diocesis, tacita veritate et suppressa falsitate, dicitur impetrasse: qui quidem Abbates ad instantiam dicti Nicolai pretextu litterarum huiusmodi prefatum Galhardum, ut super hiis responsurus eidem Nicolao deberet in Civitate Wratislaviensi, loco dicto Galhardo, sicut asserit, utique non securo, certo termino comparere, dicuntur fecisse citari, a qua quidem citatione ac processibus per eosdem Abbates super hoc contra ipsum Galhardum factis forsan, et faciendis imposterum idem Galhardus ad dictam sedem se asserit appellasse. Nos igitur attendentes, quod propter premissa huiusmodi negocium, quod dicte sedis Cameram immediate contingere noscitur, non sine dampno ipsius Camere multipliciter impeditur, ac volentes super hoc indempnitati eiusdem Camere precavere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus premissis omnibus nequaquam obstantibus, huiusmodi negocium ad dictam sedem auctoritate nostra studeas revocare, ac nichilominus ex parte nostra easdem partes citare procures, ut certo peremptorio termino competenti, quem eis ad hoc prefigendum duxeris, coram nobis legitime comparere debeant, in causa huiusmodi, prout iustum fuerit, processuri: diem autem huiusmodi citationis et formam, et quicquid super premissis etc. Datum Avinione II. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 65. fol. 14.

DXXX.

Galhardo de Carceribus et Petro Gervasii, ut episcopum Culmensem et alios ad solvendam decimam sexennalem compellant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Galhardo de Carceribus Preposito Titulensis Colocensis diocesis, et Petro Gervasii Canonico Vivariensis ecclesiarum, apostolice sedis Nuntiis, salutem etc. Dudum felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster Venerabiles fratres nostros ... Archiepiscopum Gneznensem ... et Cracoviensem, ... Wratislaviensem, ... Poznaniensem, ... Waldislaviensem, ... Plocensem, ... Lubucensem, ... Caminensem et Culmensem Episcopos, ac dilectos filios Electos, Abbates, Priores, Decanos, Prepositos, Archidiaconos, Archipresbiteros, et alias perso-

nas ecclesiasticas regulares et seculares, exemptas et non exemptas, in Provincia Gneznensi ac Cracoviensi, Wratislaviensi, Poznaniensi, Waldislaviensi, Plocensi, Lubicensi, Caminensi et Culmensi civitatibus et diocesibus constitutos per suas litteras monuit, eisque mandavit, ut decimam sexennalem omnium redditiuum et proventuum ecclesiasticorum suorum iuxta ordinationem factam per felicis rec. Clementem papam V. predecessorem nostrum in concilio Viennensi, que in eisdem civitatibus et diocesibus collecta non fuerat, dilecto filio Magistro Andree de Verulis Canonico Wratislaviensi, scriptori nostro, et quondam Petro de Alvernia clerico Lemovicensis diocesis, tunc in illis partibus apostolice sedis Nunciis, quos idem predecessor Collectores eiusdem decime specialiter deputarat, vel eorum alteri seu subcollectoribus per eos vel ipsorum alterum deputandis, infra certos terminos integraliter solvere procurarent, eisdem Nunciis petendi, exigendi et recipiendi huiusmodi decimam, necnon contradictores et impedientes quoslibet et rebelles, cuiuscumque preminentie, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existerent, etiam si pontificali vel quavis alia dignitate prefulgerent, auctoritate apostolica, appellatione postposita, compellendi concessa plenaria facultate, prout in diversis eiusdem predecessoris litteris, quas in regestris suis regestrari fecit, plenius continetur. Et licet demum, prout veridica relatione percepimus, iidem Nuncii ad partes accedentes easdem, prefatas litteras et processus earum autoritate per eos habitos excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias in non solventes huiusmodi decimam, certis ad hoc eis deputatis terminis, continentes, prefatis Archiepiscopo et Ep̃is, ac etiam nonnnullis aliis de personis ecclesiasticis supradictis per eorumdem nunciorum litteras, ad hec specialiter evocatis, dictis Archiep̃o et Cracoviensi, Poznaniensi, Waldislaviensi, Plocensi, Lubucensi Episcopis, ac nonnullis Abbatibus, et dicti Culmensis Episcopi ac Wratislaviensis ecclesie tunc vacantis, et nonnullarum ecclesiarum et Conventuum monasteriorum civitatum et diocesium predictorum procuratoribus, necnon quam pluribus aliis personis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, presentibus certo loco ad hoc specialiter deputato publice ac solemniter publicassent, contenta in litteris et processibus ipsis, quantum spectabat ad eos, etiam per eorum speciales nuncios et litteras ad omnium predictorum noticiam deducendo: prefati tamen Episcopus et Capitulum Culmenses, ac Clerus civitatis et diocesis Culmensis, monitionibus, mandatis, processibus et sententiis huiusmodi contemptibiliter vilipensis, huiusmodi decimam suorum ecclesiasticorum redditiuum et proventuum in certis ad hoc prefixis terminis prefatis nuntiis, nec etiam tibi, fili Galharde, quem demum dictus predecessor eisdem nuntiis in huiusmodi decime collectionis, et aliis eis in predictis partibus conmissis negociis per suas certi tenoris litteras surrogavit, solvere non curarunt, propter quod noscuntur, si est ita, predictas sententias incurrisse, quas annis pluribus iam elapsis sustinentes animis induratis, divina celebrarunt, quinimmo quantum in eis fuit, prophanarunt officia, irregularitatis maculam proterea incurrentes. Quocirca discretioni vestre mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel alium seu alios, prefatos Episcopum et Capitulum Culmenses, necnon et quascumque alias personas ecclesiasticas Culmensis civitatis et diocesis predictarum monere ac inducere studeatis, ut infra certos terminos competentes, per vos prefigendos eisdem, huiusmodi decimam suorum redditiuum et proventuum ecclesiasticorum pro dictis sex annis vobis vel vestrum alteri, seu per vos vel alterum vestrum deputando vel etiam deputandis, integraliter solvere non omictant, ipsos ad hec etiam, si necesse fuerit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo: alioquin ipsos et eorum quemlibet, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis existant, excommunicatos, suspensos, ac eorum ecclesias et loca ecclesiastico interdicto subiecta tamdiu in locis, de quibus expedire videritis, publice nuntictis, et faciatis, si eos incurrisse dictas sententias noveritis, nunciari, donec super hiis integraliter satisfecerint, et a nobis vel vobis merucrint a dictis sententiis absolucionis beneficium obtinere, Non obstante, si eis vel ipsorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expsessam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Si vero Episcopus, Capitulum et persone predicte adeo se in hac parte contumaces et rebelles reddiderint, quod contra ipsos alio uti remedio credideritis expedire, ex tunc Episcopum et Capitulum Culmenses ac personas predictas ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut idem Episcopus personaliter, Capitulum vero et persone prefate per procuratores legitimos infra certum terminum competentem, quem ad hoc eis prefigendum duxeritis, apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis, quod iusticia suadebit, et mandatis apostolicis efficaciter parituri: alioquin contra ipsos, prout iustum fuerit, procedemus, eorum absentia seu contumacia

non obstante. Diem vero huiusmodi citationis etc. Datum Avinione II. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 63. fol. 13.

DXXXI.

Iisdem, ut episcopum Culmensem ad observandas sententias ob non solutum denarium B. Petri latas compellant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Galhardo de Carceribus Preposito Titulensis Colocensis diocesis, et Petro Gervasii Canonico Vivariensis ecclesiarum, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Perduxit nuper infeste relationis assertio ad nostri apostolatus auditum, quod licet habitatores et incole Culmensis diocesis, qui ad solvendum ecclesie Romane censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, sicut alii in regno Polonie consistentes tenentur, ex eo quia requisiti pro parte sedis apostolice sepius, iamdiu est, censum huiusmodi solvere non curarunt, per processus super hiis legitime habitos excommunicationis sentencie persone singulares dicte diocesis, contradictores super hiis et rebelles, ac terre, in quibus morantur, supposite fuerunt ecclesiastico interdicto, tamen Venerabilis frater noster Ep̄us Culmensis sentenciarum huiusmodi, sicut asseritur, non ignorarus, nedum eas contempnit exequi, sed in dei offensam dicteque sedis contemptum, et animarum periculum violare presumit huiusmodi, et a personis ecclesiasticis sibi subiectis permittit dampnabiliter violari. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios super hiis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, solerti adhibita diligentia, informantes, prefatum Episcopum ex parte nostra requirere ac monere, sibique districtius iniungere studeatis, ut sententias ipsas observet inviolabiliter, et a suis subditis tamdiu faciat tenaciter observari, donec vobis vel alteri vestrum, aut deputando vel deputandis a vobis seu vestrum altero de censu huiusmodi plenam satisfactionem impendant, et a predictis sentenciis mereantur absolutionis et relaxationis beneficium obtinere. Si vero prelibatus Episcopus requisitionibus, monitionibus et mandatis huiusmodi parhere, quod absit, contempserit, aut aliter se rebellem vel contumacem reddiderit in hac parte, ipsum peremptoric citare curetis, ut infra certum terminum peremptorium competentem, quem duxeritis prcfigendum, apostolico conspectui personaliter se presentet, sc super premissis excusaturus, si poterit, ac mandatis et beneplacitis apostolicis humiliter parhiturus. De die autem huiusmodi citationis et forma et hiis, que super predictis quomodolibet egeritis, nos per instrumenta publica horum seriem continentia certificare curetis. Datum Avinione II. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 64. fol. 14.

DXXXII.

Casimiro regi Poloniae, ut ecclesias et personas ecclesiasticas regni sui in suis iuribus et libertatibus conservet, et Ioannem episcopum Cracoviensem in suam gratiam recipiat.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Solite benignitatis affectu recepimus serenitatis Regie litteras nobis novissime presentatas, quarum serie diligentius intellecta, molesta sunt nobis admodum ea, que per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Cracoviensem fore describit ipsa series, si vera sint, minus provide attemptata: super quibus eidem episcopo scribimus satis, ut expedire vidimus, invective. Sane, fili carissime, quia te, quem gratiarum dominus virtutum muneribus, et presertim quod pacis et iustitie cultum diligis, fama predicat celebris, edotavit, regnumque tuum gerimus in visceribus caritatis, ad ea, que tuum et eiusdem regni concernunt honorem et commodum, paternis affectibus aspirantes, intensis optamus desideriis, quod Prelati regni predicti tecum sint super hiis, que bonum et salubre tuum et regni predicti regimen respiciunt, iuxta divinum beneplacitum unanimes et concordes, et ideo memorato Episcopo scribimus, ei paterno consilio suadentes, ut se tibi, fili, et carissime in Christo filie nostre Anne Regine Illustri, consorti tue, reconciliet, ac tui et regni predicti honoris et commodi per opera laudabilia se promotorem constituat et fervidum zelatorem. Quapropter excellentiam rogamus Regiam, et in domino attentius exhortamur, quatenus ponens ante oculos mentis tue, quod salvator noster dominus Ihesus Christus, sponsus ecclesie sancte sue, non nisi ab eandem honorantibus honoratur, ecclesias et personas ecclesiasticas, et precipue regni tui honore congruo prosequi, et in suis iuribus et libertatibus manutenere

studeas et tueri, ac memoratum Episcopum, si se, sicut sibi scribimus, super premissis gesserit, ad tuam et eiusdem regine gratiam et benevolentiam admittere velis, benigne ipsum et ecclesiam suam congruis favoribus sicut Prelatos memorati regni alios prosequendo. Hec quidem deo ac nobis et sedi apostolice grata esse, ac tibi et eidem Episcopo indubie supponimus expedire, opinantes, quod per ipsum non stabit Episcopum, quominus compleantur premissa, quatenus ipsum tangunt effectualiter, et si quod absit, contrarium fieri contigerit, displicibile nobis redderetur proculdubio quamplurimum et molestum. Datum Avinione XIIII. Kal. Aprilis. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 84. fol. 23.

DXXXIII.

Episcopo Cracoviensi, ut decimam pro passagio transmarino collectam restituat, et se cum rege et regina Poloniae reconciliet.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Ad nostri apostolatus auditum nuper assertio relationis infeste perduxit, quod tu, frater, nimium ad inconsulta dilapsus contra mandatum nostrum temere veniendo, nedum quod decimam dudum per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum pro passagio transmarino impositam, et per te in civitate ac diocesi Cracoviensi collectam, personis ecclesiasticis, a quibus exacta fuerat, restituere iuxta huiusmodi mandatum nostrum omiseris, quinimo per modos illicitos magnam partem ipsius decime tibi retinere et applicare non absque tui status periculo presumpsisti, quodque carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Regi Polonie Illustri, cui ut ad ea, que deo grata et eidem Regi ac utilitati publice regni sui expediunt, dirigeretur salubriter, deberes assistere consiliis oportunis, te infestum reddidisti hactenus, et reddere non desinis multipliciter odiosum, ipsum modis irritando et offendendo variis, et contra te ac tuam ecclesiam non sine tuis et ipsius ecclesie dispendiis provocando. Asseritur namque, quod dudum, ipso in ecclesia Cracoviensi presente, tu, quamvis nulla Regis eiusdem culpa precederet, non absque confusione sua ibidem cessari fecisti penitus a divinis, et demum Rege prefato extra regnum suum pridem pro certis suis negotiis existente, tu occasione cuiusdam hominis, qui detinebatur captus in quadam turre castri Cracoviensis, ubi tunc temporis charissima in Christo filia nostra Anna Polonie Regina Illustris morabatur, non deferendo, ut debebas, honori eiusdem Regine, presertim in absentia dicti Regis, castrum ipsum per tuas fecisti gentes violenter invadi: que si vera sint, grave non immerito gerimus et molestum. Et licet multa alia gravia nobis exposita fuerint contra te, que nostrum non indigne turbarunt animum et moverunt, ea tamen presentibus exprimere ommittentes, ad presens fraternitatem tuam hortamur attente, sano tibi consilio nichilominus suadentes, quatenus te cum eis Rege et Regina per satisfactivam reverentiam, et aliter, sicut honestum extiterit, tue tamen ecclesie iuribus servatis illesis, reconciliare non differas nec ommittas, ita quod benivolentia Regis eiusdem, cui propterea scribimus, oportune captata, circa directionem ipsius utilem te promptum, sicut commode poteris, exhibeas, ac eius honoris et commodi te constituas fidelem et fervidum zelatorem: aliter autem nos, qui sumus omnibus in iusticia debitores, deficere non poterimus nec volemus, quominus de hiis, que nobis tam super premissis, quam aliis contra te sunt exposita, exhibere curemus, sicut expedire videbimus, et rationis equitas suaserit, iustitie complementum. Datum Avinione XIIII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 83. fol. 23.

DXXXIV.

Galhardo nuntio apostolico, ut regem Poloniae et episcopum Cracoviensem reconciliandos curet.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus regni Polonie apostolice sedis nuntio, salutem etc. Displicibili admodum insinuatione percepto, quam rancoris olim inter Venerabilem fratrem Iohannem Episcopum Cracoviensem et Carissimum in Christo filium nostros Kazimirum Regem Polonie Illustrem invicem suscitati, pro quo sedando de mandato sedis apostolice alias laborasti, nunc procurante caritatis emulo, invaluit suo primitivo periculosius recidivum, prefatis Episcopo et Regi scribimus per diversas litteras, eos, ut ad pacem et mutuam redeant concordiam, exhortando. Sane quia pro divina reverentia et utilitate communi regni Polonie, ac christicolarum in eo degentium hec insident nobis cordi: volumus et tue discretioni mandamus, quatenus tu, qui constitutus in scola experientie pleniorem habere

debes notitiam premissorum, pro reformanda inter ipsos invicem unitatis et caritatis concordia viis et modis expedientibus elabores. Datum Avinione XIIII. Kal. Aprilis. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 82. fol. 22.

DXXXV.

Galhardo de Carceribus, ut episcopum Cracoviensem ad restituendam certam pecuniam ratione sexennalis decimae collectam compellat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus regni Polonie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Dudum attendentes, quod negocium passagii transmarini per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum indicti, propter quod utilius prosequendum predecessor idem decimam proventuum ecclesiasticorum per universas mundi partes usque ad sex annos sub certis modis, formis et conditionibus imposuerat exigendam, erat, peccatis exigentibus, impeditum, nos de consilio fratrum nostrorum, matura deliberatioue previa, duximus ordinandum, quod ab exactione predicte decime cessaretur, et iam exacta restituerctur personis ecclesiasticis, a quibus exacta, si persone ipse superstites in humanis existerent, et preessent eisdem beneficiis, ratione quorum esset ipsa decima persoluta: alioquin si dicte persone decessissent, vel dicta beneficia dimisissent, beneficiis, quorum ratione soluta, ut prefertur, esset, predicta decima restitueretur, convertenda sub certa forma in utilitatem eorum, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Et licet nos de fratrum predictorum consilio Venerabilibus fratribus uostris . . . Archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis per nostras litteras dederimus in mandatis, ut ipsi et singuli eorum, videlicet iu suis civitatibus et diocesibus, exactam et solutam a personis ecclesiasticis civitatum et diocesium suarum decimam restituere secundum ordinationem predictam infra certi temporis spacium integraliter procurarent, certis penis in eos, si hoc complere omitterent, vel secus super hiis facere attemptarent, prout in litteris ipsis plenius continetur, inflictis: tamen Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Cracoviensis, unus de suffraganeis Archiepiscopi memorati, circa hoc ad inconsulta et illicita, sicut ad uostrum pervenit auditum, dilapsus, procurasse ac fecisse per suam potentiam dicitur, quod nonnulle persone suarum civitatis et diocesis Cracoviensium ecclesiastice decimam predictam ab eis exactam et solutam, quam prefatus Episcopus eis restituere integraliter tenebatur, dederunt et cesserunt eidem; nonnullis vero aliis personis ecclesiasticis predictis donationem et cessionem huiusmodi facere recusantibus, post terminum in litteris nostris predictis prefixum partem decime predicte restituens de alia parte, vel solvendo monetam debiliorem vel reprobam aut minoris valoris, quam persone ipse solvissent, et aliis modis variis illicitis in sui status et anime periculum, ac elusionem et contemptum dicte sedis, personas ipsas et eorum beneficia dicitur defraudasse. Nolentes igitur temerarios et presumptuosos excessus huiusmodi absque correctione debita, si veritas suffragetur relatibus, preterire, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis et circumstantiis eorumdem, secrete vocatis illis, de quibus tibi videbitur, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii te informans, quocumque pretextu donationis et cessionis predictarum, aut aliter fraudoleuter et illicite contra tenorem ordinationis nostre predicte per eundem Episcopum, vel alium seu alios eius nomine retenta de decima repereris supradicta, eis, ad quos pertinet, iuxta tenorem ordinatiouis eiusdem cum integritate restitui facias iudilate, ad idem prefatum Episcopum, et quosvis alios, quos ad restitutionem ipsam teneri noveris, auctoritate nostra nichilominus, appellatione postposita, compellendo. Datum Avinione XIV. Kal. Aprilis. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 81. fol. 22.

DXXXVI.

Everhardus de Munheim magister provincialis hospit. S. Mariae Teutonic. in Livonia Marquardo, vicario generali Friderici archiepi Rigensis, IVMD. aureorum pro fructibus ex bonis dioec. Rigensis per IV. annos receptis exhibens, eo vicario dictos aureos sub quadam conditione non acceptante, MCXXV. marcas argenti apud fratres Praedicatores Rigenses eidem archiepiscopo solvendas deponit.

In nomiue domini ameu. Anuo nativitatis eiusdem M.CCC.XXXVIII. Indictioue quinta, mensis Aprilis die XXII. hora quasi sexta, Pontificatus sauctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Benedicti pape XII. anno Tercio, Constitutus in presencia mei notarii publici et testium subscriptorum Religiosus vir frater Everhardus de Muuheim fratrum ordiuis hospitalis saucte Marie Theuthonicorum in Lyvonia Magister, exhibuit honorabili viro dño Marquardo, venerabilis patris domini fratris

Frederici sancte Rigensis ecclesie Archiepiscopi Canonico et vicario in spiritualibus generali, valorem quatuor milium et quingentorum aureorum de Florencia in prompta pecunia presentandum, pro fructibus et redditibus de bonis dyocesis dicti domini Archiepiscopi Rigensis per quatuor annos receptis et levatis, iuxta ordinacionem per sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum, dominum Benedictum papam XII. predictum, tunc Cardinalem, et per venerabilem patrem dñm Bertrandum de Monte Favencio, tit. S. Marie in Aquiro dyaconum Cardinalem, de mandato felicis recordacionis dñi Iohannis pape XXII. olim factam, si haberet, et habere se ostenderet plenam vicariatus auctoritatem, vel speciale seu sufficiens mandatum a dicto domino . . . Archiepiscopo recipiendi et levandi huiusmodi pecuniam, et dandi effectualem quitanciam super illa, ita quod ipse Magister et sui ordinis fratres certi essent, quod non impetentur amplius super pecunia prenotata. Ad quod dictus dominus vicarius respondit: Cum ordinacio per ipsum Magistrum expressa per dominum Archiepiscopum predictum coram prefato domino Iohanne papa XXII. esset recusata, et idem dominus papa huiusmodi recusacioni consensit, nec de eo in mandato domini Benedicti pape XII. predicti domino Episcopo Tarbatensi super huiusmodi satisfaccione directo mencio fieret aliqualis, huiusmodi pecuniam sibi exhibitam, sive in toto, sive in parte, non secundum ordinacionem preallegatam, sed secundum ordinacionem et mandatum sanctissimi patris domini Benedicti pape XII. sepedicti, et secundum processus ex eodem mandato habitos, affectuose nomine dicti Archiepiscopi se optulit recepturum, et iuxta idem mandatum effectualem recognicionem facere promisit eidem Magistro super recepcione pecunie supradicte. Et adiecit, quod aliud mandatum sive auctoritatem non ostenderet, nec aliam quitanciam seu caucionem faceret in premissis. Adiunxit eciam dominus vicarius antedictus, quod idem mandatum apostolicum eos cogere digne debet nunc ad satisfaccionem redditum et obvencionum singularum, ut exprimitur in processu, eidem domino vicario faciendam, quod prius coegit eos Castra, Villas et territoria predicto domino vicario resignare. Extunc dictus Magister Lyvonie exhibuit honorabili viro domino Arnoldo sancte Rigensis ecclesie Preposito et eius Capitulo pecuniam memoratam, si vellent, et auctoritatem haberent eam nomine et ex parte dicti domini . . . Archiepiscopi acceptare, et consimilem quitanciam seu caucionem sigillo Capituli Rigensis munitam facere, ita quod ipse magister et ordinis sui fratres non impeterentur ammodo super illa, vel saltem dictam pecuniam ad locum securum sue ecclesie reponent, quousque esset aliquis, qui ipsi . . . Magistro caucionem huiusmodi exhiberet. Ad que dictus dominus . . . Prepositus respondit, quod ex quo dominus Marquardus vicarius predictus, qui haberet sufficientem auctoritatem recipiendi dictam pecuniam, viveret, et posset personaliter interesse, nec ipse dominus prepositus de predictis haberet aliquid in mandatis, se de talibus involvere non valeret: sed si predictus dominus vicarius moreretur, vel esset aliqua notabili invalitudine corporali gravatus, ita quod non posset huiusmodi negociis commode interesse, tunc ipse dominus prepositus cum suo capitulo nomine dicti domini . . . Archiepiscopi libenter vellent se intromittere de pecuniis antedictis iuxta mandatum prefati domini Benedicti pape XII. prenotatum. Predictus quoque . . . Magister Livonie dixit: Ex quo non est aliquis, qui caucionem sufficientem, et de ulterius non petendo quitanciam nobis prestet, dictam pecuniam apud fratres predicatores ponemus hodie in sequestro; ad quod predictus dominus vicarius simpliciter, prioribus verbis utens, adiecit iuxta poetam: Quit (sic) michi multa bona, si non conceditur uti, nec valet oculus, cum quo non videtur, sic pecunia taliter sequestrata colorem habet restitucionis, non effectum, quia dominus noster Archiepiscopus preposito nostro et michi scripsit, quod sibi ordinaremus pecuniam quantamcunque possemus pro suorum negociorum celeriori expedicione, et huiusmodi sequestrum domino nostro Archiepiscopo predicto commodum nullum prestat. Idem vero magister Lyvonie me subscriptum notarium publicum una cum testibus infrascriptis ad videndam posicionem predicte pecunie requisivit. Acta sunt hec in Refectorio fratrum minorum in Ryga anno domini, Indiccione, mense, die, hora et pontificatu predictis, presentibus honorabili et religioso viro domino Arnoldo sancte Rigensis ecclesie Scolastico, fratribusque Iacobo Vicepriore, Iohanne de Wismaria ordinis predicatorum, Petro Vicegardiano, Iohanne de Osilia ordinis minorum in Riga, ac discretis viris dominis Bernardo de Dolen perpetuo vicario ecclesie Rigensis predicte, Vigghero Longeside plebano in Cubbeselle, Hermanno Slunc publico notario, generosisque militibus dominis Woldemaro et Ottone germanis dictis de Rosen, et honestis viris Iohanne de Velin, Iohanne Pape proconsulibus, Hinrico Meye, Arnoldo Longo, Iohanne Keyser Consulibus Civitatis Rygensis, aliisque pluribus fidedignis testibus vocatis ad premissa specialiter et rogatis.

Eodem die hora vesperarum vel quasi Constitutus in mei notarii publici et testium subscriptorum presencia... Magister Lyvonie supradictus, in liberia fratrum predicatorum in Ryga, pecunias mille et centum ac xxv. marcarum argenti in denariis Lubicensibus, in xi. sacculis lanei panni, quorum quilibet centum, et uno sacculo coreo, qui xxv. marcas continetur, xl. solidis Lubicensibus pro marca qualibet, et x. solidis Lubicensibus pro aureo quolibet computatis, ex duabus Cistis exponi, et videndas et palpandas exhiberi, et deinde ibidem ponderari, ponderatasque in Cistas predictas reponi fecit, ita quevis Cista sex sacculos capiebat, reclusaque utraque Cista clavibus et seris duabus distinctis, et deinde reclusa dicta liberia duobus postiis ferreis et clavibus duabus, unam de hiis clavibus fratri Petro vicegardiano, et alteram Iohanni de Velin proconsuli supradictis prefatus Magister Lyvonie tradidit observandas. Sed claves quatuor duarum Cistarum predictarum apud se mansuras, et predictam pecuniam in dicta liberia permansuram absque ipsius et aliorum accessu asseruit, quousque sit aliquis, qui plenam auctoritatem recipiendi dictam pecuniam, et dandi caucionem sufficientem de ulterius non petendo habeat, atque prestet, sive donec mandatum apostolicum veniat, expresse mandans, cui dicta pecunia debeat presentari. Acta sunt hec in Claustro fratrum predicatorum in Ryga die quo supra, presentibus religiosis viris fratribus Iacobo vicepriore, Iohanne de Wismaria ordinis predicatorum, Petro vicegardiano, Iohanne de Osilia ordinis minorum, Hermanno Slunc publico notario, et strenuis militibus Woldemaro et Ottone de Rosen, ac honestis viris Iohanne de Velin, Iohanne Pape consulibus, Hinrico Meye, Arnoldo Longo, Iohanne Keyser Consulibus civitatis Rigensis, testibus supradictis ad hec vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et ego Thidericus de Wittinghe clericus Halberstadensis dyocesis, publicus auctoritate Imperiali notarius, premissis omnibus et singulis una cum prescriptis testibus presens interfui et singula, ut vidi et audivi fieri, ad requisicionem ... Magistri Lyvonie ac domini Marquardi vicarii predictorum fideliter conscripsi, et in hanc publicam formam redegi, meoque signo et nomine roboravi in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 207. Nro. 5.

DXXXVII.

Hermanno episcopo Varmiensi, ut ad suam ecclesiam se conferat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Hermanno Episcopo Warmiensi, salutem etc. Pridem Warmiensi ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam, claris virtutum titulis insignitam, nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem nos postmodum munus consecrationis tibi duxerimus impendum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolicis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione v. Kal. Maii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Part. II. ep. 156. fol. 45.

DXXXVIII.

Episcopo Vratislaviensi, ut cum Conrado duce Glogoviensi et Eufemia super matrimonio in gradu prohibito inito dispenset.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Porrecte nobis dilecti filii nobilis viri Conradi Ducis Glogoviensis, et nobilis mulieris Euffemie nate dilecti filii Wladislai Ducis Cozlensis tue diocesis petitionis series continebat, quod ipse Conradus volens terris et subditis suis, qui retroactis temporibus ab inimicis ipsius destructiones, dampna et molestias perpessi fuerant, de tutiori et securiori defensione salubriter providere, ac diligenter attendens, quod sue et dictorum subditorum suorum non competebat statui et honori, quod ipse dux absque coniuge remaneret, quodque inter filias ducum et principum illarum partium nobiles aliquam ei copulandam commode, que sibi non esset linea consanguinitatis seu affinitatis coniuncta, non poterat reperire: tandem de clare memorie Wladislai Regis Polonie dicti ducis Cozlensis consanguinei propinqui, et nonnullorum aliorum

magnatum, consanguineorum suorum, consilio ipsi Conradus et Eufemia, non ignorantes se fore quarto consanguinitatis et affinitatis gradibus coniunctos, invicem matrimonium in facie ecclesie publice contraxerunt in contemptum ecclesie, sed sub spe dispensationis apostolice obtinende. Ac deinde ipsi Conradus et Eufemia cohabitantes pariter, prolem ex huiusmodi matrimonio procrearunt. Cum igitur ipsi nequeant in huiusmodi matrimonio absque dispensatione apostolica licite remanere, et sicut asserunt, ex separatione ipsorum, si fieret, dura possent scandala inter ipsum Conradum et Wladislaum ducem predictum verisimiliter provenire, nobis humiliter supplicarunt, ut ipsis de absolutionis ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, et dispensationis beneficio providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter Christi fidelibus quietis et pacis commoda procuramus, huiusmodi scandalis obviare, dictorumque Conradi et Eufemie animarum saluti providere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Conrado apud sedem apostolicam constituto per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem, penitentiarie nostre curam gerentem, ab huiusmodi excommunicationis sententia, quam incurrerat, ut prefertur, iuxta formam ecclesie beneficium fecimus absolutionis impendi, imposita sibi propterea penitentia salutari. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si tibi videatur expediens, quod dicta dispensatio concedatur, super quo tuam conscientiam oneramus, ipsis Conrado et Eufemia separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, eandem Eufemiam ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrisse dinoscitur, auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas, iniuncto sibi et dicto Conrado sub virtute iuramenti prestandi, quod similia de cetero non committant, nec facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, iniunctis etiam eidem Eufemie penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Et demum cum eisdem Conrado et Eufemia, ut impedimento huiusmodi non obstante, matrimonium de novo invicem contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate predicta dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione IV. Kal. Maii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Part. II. ep. 86. fol. 30.

DXXXIX.

Hermannus episcopus Osiliensis a iuramento apostolorum limina visitandi absolvitur.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Hermanno Ep̄o Osiliensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam benevolentia prosequentes, votis tuis, quantum cum deo possumus, libenter annuimus, in hiis prescrtim, que tui status quietem et commoda respicere dinoscuntur, ut quanto magis sedem ipsam, que se in tui honoris augmento propitiam exhibuit, favorabilem inveneris et benignam, tanto eam devotius studeas revereri. Sane pro parte tua nobis oblata petitio continebat, quod tu pridem tempore, quo te Osiliensi ecclesie tunc vacanti prefecceramus in Episcopum et pastorem, iuramento, ut iuris est, prestito promisisti, quod apostolorum limina certis successivis tunc expressis temporibus per te vel alium visitares, quamquam ipsa ecclesia Osiliensis privilegium exemptionis non habeat, sed venerabili fratri nostro .... Archiepiscopo Rigensi iure metropolitico sit subiecta: Quare nobis humiliter supplicasti, ut tecum agere gratiosius in hac parte de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi tue devotionis exigentibus meritis, te volentes et eandem ecclesiam ab expensarum laboribus et oneribus, que vos oporteret subire, propterea paternis studiis preservare, tuis supplicationibus inclinati, te a iuramento predicto, quo ad huiusmodi visitationem dumtaxat, dummodo ad eam faciendam alias realiter minime tenearis, apostolica auctoritate absolvimus, volentes iuramentum ipsum in ceteris aliis inviolabiliter observari. Nulli ergo etc. nostre absolutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Part. II. ep. 118. fol. 45.

DXL.

Iohannes episcopus Cracoviensis de soluta pecunia camerae apostolicae debita absolvitur.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Pro parte tua coram nobis exhibita petitio continebat, quod tu pro certis pecuniis Cameram nostram contingentibus, quas dilectus filius Magister Galhardus de Carceribus, prepositus ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in Regno Polonie noster et apostolice sedis nuncius, dudum penes te deposuit in duo-

decim marchis auri de duodecim caratis, et in decem octo marchis auri de viginti duobus caratis ad pondus Cracovie, solvendis prelibate Camere certo prefixo termino, super hoc obligatus efficaciter existebas, sicut in instrumento publico inde per manum dilecti filii Iohannis quondam Rudgeri de Brest, clerici Wladislaviensis diocesis, auctoritate apostolica notarii publici, plenius dicitur contineri. Cum autem de huiusmodi marchis auri, que triginta marchas ad pondus Cracovie predictum, et ad pondus Curie Romane decem et novem marchas, quinque uncias et mediam auri fini, computatis de dictis decem novem marchis, quinque unciis et dimidia sex marchis, videlicet singulis pro sexagintatribus florenis auri, et tresdecim aliis marchis, quinque unciis et dimidia, singulis marchis scilicet pro sexagintauno florenis auri, quindecim solidis monete Avinionensis, die dat. presentium, in mille ducentis duodecim florenis auri, ut superius exprimitur, computatis, per manus dilecti filii Dirslai Pacoslai Canonici Cracoviensis procuratoris tui satisfeceris integraliter Camere supradicte: Nos tuis et prefati nuncii volentes indempnitatibus super hiis providere, satisfactionem huiusmodi ratam habentes et gratam, te ac eundem nuncium et ecclesiam tuam Cracoviensem, nec non tua et ipsorum bona de dictis marchis auri solutis memorate Camere, in predictis mille ducentis duodecim florenis auri, quindecim solidis monete Avinionensis computatis, ut superius est expressum, absolvimus tenore presentium et quitamus, volentes ac etiam decernentes, quod dictum obligationis instrumentum nullam contra te, aut ecclesiam vel bona tua obtineat de cetero roboris firmitatem. Datum Avinione II. Kal. Maii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 142. fol. 44.

DXLI.

Iudicibus, ut de excessibus a fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum commissis in terris Poloniae (cf. supra Nro. CDXLII.) inquirant, et contra eos procedant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Galhardo de Carceribus Preposito Titulensis Colocensis diocesis, et Petro Gervasii Canonico Avinionensis ecclesiarum, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Querelam gravem pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris in consistorio coram nobis et fratribus nostris propositam audivimus continentem, quod olim Magister et fratres domus beate Marie Theutonicorum, qui tunc erant in Pruscie partibus commorantes, nonnullas terras et dominia infra Regnum suum Polonie consistentia, videlicet Culmensem et Pomaranie dudum, necnon a paucis citra temporibus Magister, qui tunc erat, et fratres dicte domus Wladislaviensem, Brestensem, Dobrinensem et Michaloviensem terras ad Regem et progenitores eius de iure spectantes, infra Regnum ipsum consistentes, non sine magna strage Christi fidelium, et concrematione centum ecclesiarum vel circa hostiliter invaserunt, et per violentiam ocuparunt, et adhuc de facto detinent occupatas in animarum ipsorum perniciem, ipsius Regis, ad quem ratione dicti Regni sui dicte terre, ut premittitur, spectare noscuntur, sicut per sententiam latam super dicta terra Pomaranie per certos iudices delegatos, per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum, dum adhuc ageret in humanis, ad instantiam clare memorie Wladislai Regis Polonie tunc viventis, genitoris Kazimiri Regis predicti, deputatos, ab olim dicitur liquido apparere, ac dicti Regni, quod est Romane ecclesie censuale, quodque post deum nullum preter ipsam ecclesiam recognoscit superiorem in terris, necnon et eiusdem ecclesie Romane, que propterea censu, qui denarius beati Petri dicitur, eidem ecclesie in ipso Regno debito multipliciter extitit defraudata, grave preiudicium atque dampnum. Supplicato igitur nobis pro parte dicti Regis, ut providere super hiis de opportuno remedio curaremus, nos apud sedem apostolicam informari volentes, an Magister et fratres predicti super premissis infamia laborarent, dilecto filio nostro Petro tituli sancte Praxedis presbytero et bone memorie Iohanni sancti Theodori diacono, tunc viventi, Cardinalibus commisimus oraculo vive vocis, ut se super hoc apud sedem ipsam plenius informarent, nobisque referrent, que per informationem huiusmodi reperirent, ac deinde per eos super huiusmodi infamia informatione recepta, dictoque Iohanne postmodum, sicut domino placuit, de hac luce subtracto, ipsoque Petro Cardinalibus se de speciali mandato nostro de Romana Curia pro certis arduis negotiis absentante, demum Venerabilis frater noster Iohannes Ep̃us Portuensis de speciali mandato per nos vive vocis oraculo sibi facto, de informatione huiusmodi per dictos Cardinales, ut prefertur, recepta, cuius acta sibi fecimus assignari, fecit in consistorio coram nobis et dictis fratribus nostris relationem plenariam et fidelem. Et quia per relationem huiusmodi nobis constat, quod Magister et frates predicti super premissis noscuntur infamia laborare, nos nolentes, nec va-

lentes illa, si vera sunt, salva conscientia conniventibus oculis pertransire, quin contra invasores, occupatores, incendiarios, sacrilegos et malefactores huiusmodi, prout predictorum excessuum enormitates exposcunt, ne ipsorum impunitas aliis in exemplum transeat, debite procedamus, discretioni vestre de dictorum fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios incendiarios ecclesiarum predictarum, cuiuscumque status, ordinis et conditionis existant, auctoritate nostra in ecclesiis et locis aliis, ubi expedire videritis, generaliter excommunicatos publice nuntietis, et faciatis per alios nuntiari, quorum absolutionem sedi predicte duximus specialiter reservandam; ac deinde de predictis invasionibus, occupationibus et incendiis sive dampnis sinpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis, qui fuerint evocandi, informari curetis, et si vobis constiterit legitime de invasionibus, occupationibus, dampnis et incendiis supradictis, et personis, que talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuntietis diebus dominicis et festivis, et per alios in locis, ubi expedire videritis, nuntiari faciatis, et ab omnibus artius evitari, et tam eos, quam alios invasores, occupatores, necnon dampnorum huiusmodi illatores ad rehedificationem ecclesiarum per eos, vel occasione ipsorum, ut premittitur, destructarum, et satisfactionem ac emendationem aliorum bonorum mobilium, necnon ad restitutionem plenariam dictarum terrarum cum fructibus inde perceptis, et rerum mobilium exinde ablatarum seu amissarum, vel solutionem extimationis ipsarum rerum mobilium, seu emendationem dampnorum super dictis bonis immobilibus illatorum, taxatione per vos prius facta de dictis bonis mobilibus pro personarum et negotii qualitate, ac valore seu extimatione ipsorum mobilium ablatorum seu incensorum et deperditorum, ubi ipsorum mobilium valor seu extimatio aliter probari non poterit, iuramento eiusdem Regis ac aliorum, qui pertulerunt dampna huiusmodi, declaranda, eisdem Regi et aliis dampna passis integraliter faciendam, nullo super hoc eisdem invasoribus, occupatoribus, incendiariis, raptoribus et dampnorum illatoribus appellationis suffragante remedio, finaliter condempnetis, huiusmodi sententiam, quam super premissis proferri contigerit, executioni debite demandantes, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis extiterint, per excomunicationis et suspensionis in personas, et interdicti in terras seu ecclesias eorumdem, ac universitates seu communitates earumdem terrarum, ac alia iuris remedia, prout expedire videritis, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus fel. recordationis Bonifatii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. Quod si prefati Magister et fratres in hac parte processibus vestris efficaciter parere non curaverint, et etiam obedire, eos ex parte nostra peremptorie citetis, ut infra semestris temporis spatium post citationem vestram huiusmodi cum omnibus eorum et dicte domus exemptionum privilegiis, si qua habent iidem, videlicet Magister et fratres, quos per informationem huiusmodi principales et precipuos repereritis predictorum excessuum patratores, personaliter, alii vero per procuratorem seu procuratores ydoneos, plenum et sufficiens mandatum ac plenam et liberam potestatem habentem seu habentes, ad obediendum et parendum eorum nomine et pro parte sua super premissis apostolicis ordinationibus, beneplacitis et mandatis apostolico conspectui se presentent, hiis, que super premissis iudicio vel concordia facienda, iniungenda et statuenda duxerimus, plenarie parituri, et aliter facturi et recepturi, quod de sedis eiusdem processerit beneplacito voluntatis: Alioquin nisi comparuerint, et dicta privilegia portaverint, illa dicte sedi apostolice ostensuri, ex tunc privilegia ipsa suspendimus, et ipsos interim suis ordinariis volumus esse subiectos, ac nichilominus contra eos, prout iustum fuerit et expedire viderimus, procedemus, eorum absentia non obstante. Ceterum si forte prefatos Magistrum et fratres per vos vel per alium seu alios ausi non fueritis in domibus seu domiciliis eorumdem citare, vel ipsi impedimentum prestiterint, ne citari valeant in eisdem, volumus et decernimus, vobis et cuilibet vestrum presentium auctoritate licere ipsos diebus aliquibus dominicis vel festivis, cum populus convenerit ad divina, ut sic facta citatio ad eos pervenire verisimiliter presumatur, citare vel citari facere publice in ecclesiis civitatum vel locorum insignium magis viciniorum, in quibus possitis tute morari, et deinde procedere contra illos, sive citati taliter statuto ipsis peremptorio termino competenti coram vobis compareant, sive comparere contempnant, iuxta formam presentium, ac si citati alias legitime extitissent: quem quidem citationis modum vobis sit licitum observare, etiam in aliis citationibus faciendis de illis, seu contra eos, ut coram vobis debeant, ut premittitur, comparere: quas quidem citationes ita volumus et decernimus eosdem artare citatos, ac si eos personaliter comprehendissent, et in eorum presentia facte essent, quacumque constitutione cotraria non obstante.

Diem vero citationis, per quam predicti Magistri et fratres citati fuerint, ut coram nobis debeant, ut premittitur comparere, ac formam, et quicquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras vel instrumentum publicum harum seriem continentia fideliter intimare curetis. Datum Avinione IIII. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Part. I. ep. 340. fol. 150.

DXLII.

Iisdem nuntiis, ut archiepiscopo Gnesnensi de iisdem magistro et fratribus iusticiae complementum faciant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Magistris Galhardo de Carceribus Preposito Titulensis Colocensis diocesis, ac Petro Gervasii Canonico Aniciensis ecclesiarum, apostolice sedis nuntiis, salutem etc. Grave nimirum, nec immerito gerimus et molestum, cum personc ecclesiastice, et presertim iugo observantie regularis astricte, que se debent pro domo domini murum defensionis opponere, adversus ecclesias et personas ecclesiasticas, quibus debent defensionis presidium exhibere, incendia, rapinas et spolia, et quod est nephandius, homicidia committere dampnabiliter non verentur. Dudum siquidem ex proposita Venerabilis fratris nostri Ianislai Archiepiscopi Gneznensis in Consistorio coram nobis et fratribus nostris lacrimabili conquestione non absque cordis amaricatione percepimus, quod Magister et fratres ordinis beate Marie Theotonicorum in partibus et prope partes regni Polonie commorantes, proprie salutis et professionis, ut videtur, immemores, terram magne Polonie ac civitatem et diocesim Gneznensem in magno nimis armatorum exercitu hostiliter invadentes, parrochialem ecclesiam sancti Laurentii Gneznensis, ac Archiepiscopalem et alias domos dilectorum filiorum Canonicorum et aliorum ministrorum ecclesie Gneznensis iuxta ipsam ecclesiam consistentes, ac Zueyna, Uneyov, Lanthitie ac Opatow opida Gneznensis diocesis ac fortalitia seu castra, et Collegiatas ac parrochiales ecclesias, necnon Archiepiscopales et dilectorum filiorum Canonicorum Collegiatarum ac plebanorum parrochialium ecclesiarum predictarum domos in eisdem opidis consistentia, necnon Wladislaviensem ecclesiam dicte Gneznensis ecclesie suffraganeam totaliter, ac triginta villas et ultra ad Archiepiscopum et ecclesias predictas spectantes cum ecclesiis consistentibus in eisdem, nonnulla etiam alia ecclesias, castra, oppida, villas et alia loca, ad Gneznensem et Wladislaviensem predictas, ac Poznaniensem et Plocensem ecclesias dicte Gneznensis ecclesie suffraganeas spectantia, que per ipsos Magistrum et fratres ab eorum oppressionibus debuissent, ad quod per sedem apostolicam deputati fuerant, specialiter defensari, illa rebus et bonis omnibus mobilibus repertis in eis per ipsos more predonico dispersis et raptis, et quo eis placuit asportatis, cum vestibus sacris et aliis ornamentis ecclesiasticis omnibus earundem ecclesiarum ignis incendio concremarunt, nonnullas personas tam ecclesiasticas quam etiam seculares commorantes ibidem, aliquas earum videlicet dehonestando, ac etiam captivando, alias vero immaniter occidendo, multis ibidem strupro corruptis virginibus, quas inibi repererunt, de quibus omnibus idem Magister et fratres nullam satisfactionem facere curaverunt, quinimo quasi continue Archiepiscopo et ecclesiis predictis multiplices iniurias inferunt atque dampna: Quare pro parte dicti Archiepiscopi tam pro se, quam ecclesiis et personis ecclesiasticis supradictis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hiis paterna diligentia curaremus. Nos igitur apud sedem apostolicam informari volentes, an Magister et fratres predicti super premissis infamia laborarent, dilecto filio nostro Petro tituli sancte Praxedis presbitero et bone memorie Iohanni sancti Theodori diacono, tunc viventi, Cardinalibus commisimus oraculo vive vocis, ut se super hoc apud sedem ipsam plenius informarent, nobisque referrent, que per informationem huiusmodi reperirent: ac deinde per eos super huiusmodi infamia informatione recepta, dictoque Iohanne postmodum ab hac luce subtracto, ipsoque Petro Cardinalibus se de speciali mandato nostro de Romana Curia pro certis arduis negotiis absentante, demum Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Portuensis de speciali mandato per nos vive vocis oraculo sibi facto, de informatione huiusmodi per dictos Cardinales, ut prefertur, recepta, cuius acta sibi fecimus assignari, fecit in Consistorio coram nobis et dictis fratribus nostris relationem plenariam et fidelem. Et quia per relationem huiusmodi nobis constat, quod Magister et fratres predicti super premissis noscuntur infamia laborare, nos nolentes, nec valentes illa, si vera sint, salva conscientia conniventibus occulis pertransire, quin contra invasores, incendiarios, sacrilegos, et malefactores huiusmodi, prout predictorum excessuum enormitates exposcunt, ne ipsorum impunitas aliis in exemplum transeat, debite procedamus, discretioni vestre de dictorum fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta

committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios incendiarios ecclesiarum predictarum, cuiuscumque status, ordinis et conditionis existant, auctoritate nostra in ecclesiis et locis aliis, ubi expedire videritis, generaliter excommunicatos publice nuntietis, et faciatis per alios nuntiari, quorum absolutionem duximus dicte sedi specialiter reservandam; ac deinde de predictis incendiis, necnon invasionibus, depredationibus, iniuriis atque dampnis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, vocatis, qui sunt evocandi, informari curetis, et si vobis constiterit legitime de invasione seu dampnis et incendiis supradictis, et personis, que talia perpetrarunt, eosdem incendiarios nominatim excommunicatos publice nuntietis diebus dominicis et festivis, et per alios in locis ubi expedire videritis nuntiari faciatis, et ab omnibus artius evitari, et tam eos, quam alios invasores, necnon rapinarum et dampnorum huiusmodi illatores ad redificationem ecclesiarum, domorum et aliorum edificiorum per eos vel occacione ipsorum, ut premittitur, destructorum, ad (ac) satisfactionem et emendationem aliorum bonorum immobilium predictorum, necnon ad restitutionem bonorum rerum mobilium ablatarum seu amissarum, vel solucionem estimationis ipsarum, seu emendationem dampnorum supradictis rebus mobilibus illatorum, taxatione per vos prius facta de dictis bonis mobilibus pro personarum et negocii qualitate, ac valore seu extimatione ipsorum mobilium ablatorum, raptorum seu incensorum et deperditorum, ubi ipsorum mobilium valor seu extimatio aliter probari non poterit, iuramento eiusdem Archiepiscopi et Venerabilium fratrum nostrorum . . . Poznaniensis, . . . Wladislaviensis et . . . Plocensis Episcoporum, et aliorum, qui pertulerunt dampna huiusmodi, declaranda, eidem Archiepiscopo et Episcopis et aliis dampna passis integraliter faciendam, nullo super hoc eisdem invasoribus, incendiariis et dampnorum illatoribus appellationis suffragante remedio, sententialiter condempnetis, huiusmodi sententiam, quam super premissis proferri contigerit, executioni debite demandantes, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis seu conditionis extiterint, per excommunicationis et suspensionis in personas, et interdicti in terras seu ecclesias eorumdem, ac universitates seu Communitates earumdem terrarum, ac alia iuris remedia, prout expedire videritis, compescendo, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. ut in proxima superiori. Datum Avinione IV. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Part. I. ep. 341. fol. 150.

DXLIII.

Cives Cracovienses de pecuniis non solutis se excusant, petuntque, ut capellae S. Mariae Cracov. certae indulgentiae concedantur.

Sanctissimo nostro Patri, domino Benedicto dei gratia sacrosancte Romane ac Universalis ecclesie in omnibus dignissimo Summo Pontifici, eorum domino singulari, . . . Consules universitasque civium Cracovie civitatis cum promptitudine famulatus pedum oscula beatorum. Imminente necessitatis articulo humiliter ac fiducialiter ad eum confugitur, a quo affectus benignitatis, ambiguitate qualibet non obstante, prestolatur. Hinc est, pater clementissime, quod nos humiles et devoti servitores vestri et oratores debitas et promissas pecunias, auri scilicet et argenti, in terminis nobis assignatis per honorabilem virum dominum Gwaliardum de Carceribus, vestre sanctitatis nuncium, multis necessitatibus et variis periculis prepediti in Curia Romana et in Brugis non assignavimus, ut promiseramus. secundum quod in instrumentis obligationum super hoc confectarum plenius continetur. Sic igitur, cum super premissis omnibus et singulis ad implendum nec posse deficiat nec voluntas, supplicamus humiliter et devote, ut vestra sanctitas et pia clemencia super mora preterita nos habere dignetur excusatos: nam prompti et parati sumus omnia, in quibus quocumque modo vestre sanctitatis Camere remanemus obligati, successive et quantocius commode poterimus in locis, in quibus solvere promisimus, nomine vestre sanctitatis Camere vestre sanctitatis commissariis super hoc deputatis integraliter assignare. Et noscat vestra beatitudo, quod iam nostri procuratores versus Romanam Curiam et versus Brugas cum nostris pecuniis arripuerunt iter suum, qui infra festum natalis domini proxime venturum tam in predicta Romana Curia, quam eciam Brugis nomine nostro et Cracovie civitatis pagare tenebuntur, omni scrupulo mali ingenii posttergato. Reliquos vero terminos, in quibus solvere debemus Camere sanctitatis vestre pecunias promissas et quantitates omnium pecuniarum in locis destinatis, quibus supra, sicut in festo Nativitatis domini et in aliis festis, quemadmodum per nos est certitudinaliter promissum, prefatus dominus Gwaliardus, sanctitatis vestre nuncius, de verbo ad verbum literaliter sanctitati ve-

stre lucidius declarabit. Igitur flexis genibus universi et singuli cives Cracovie sanctitati vestre supplicamus humiliter et devote, quatinus de benignitate solita ad hos terminos, ut in litteris sepedicti domini Gwaliardi patebit, vestra sanctitas nos habere dignetur supportatos, omni indignacione clementer cessante, et ut plene sanctitas vestra noscat, quod diffugia non querimus, sed omnia, que debemus, vestre sanctitatis Camere volumus assignare. Sanctitatis vestre pedibus et gracie nos omnes et singuli cives Cracovie humiliter recommendamus, offerentes nos promptos et paratos mandatis et beneplacitis apostolicis per omnia devote et reverenter obedire. Sanctitatem vestram toti mundo necessariam salvet semper et custodiat clemencia salvatoris. Datum Cracovie anno domini millesimo trecentesimo trigesimo octavo, primo sabbato ante Nativitatem sancte Marie Virginis gloriose.

Sanctitatem eciam vestram cupimus non latere, quod providus vir Nycolaus Wersingi, Civis noster, quandam Capellam edificavit in Cimiterio sancte Marie aput nos, ubi ossa mortuorum reconduntur, petentes, quod de vestra solita clemencia, ut devocio populi augeatur, quicunque diebus infrascriptis eandem Capellam devote visitaverit, ducentos dies indulgencie mereatur obtinere dono vestre sanctitatis: In die sanctorum Innocentium, quarto die post festum Pasche, et quarto post Penthecosten, in omnibus octavis sancte Marie, Apostolorum, Evangelistarum, in die sancti Herasmi et sancti Nycasii martirum, et sancte Barbare Virginis. Datum ut supra.*)

Instrum. miscell. Caps. 199.

DXLIV.

Instrumentum, quo rex Poloniae XVM. marcarum, quas fratres hosp. B. Mariae Teutonicorum ipsi debent, camerae apost. donat.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo, indictione sexta, octava die mensis Septembris, hora sexta in sacristia ecclesie maioris Cracoviensis, in presencia mei infrascripti publici notarii et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, serenissimus princeps dominus Kazimirus Polonie Rex Illustris, preclare memorie patris sui domini Wladislai olim Polonie Regis vestigia insecutus, ex causa donacionis pure, libere, simplicis et irrevocabilis inter vivos dedit, cessit, transtulit et mandavit venerabili viro dño Galhardo de Carceribus ecclesie Titulensis preposito, apostolice sedis nuncio, nomine sanctissimi in Christo patris et domini Benedicti pape XII. et ecclesie Romane, ac eiusdem domini nostri pape Camere recipienti, omnia iura et actiones reales et personales, utiles et directas, que vel quas habebat vel habet, vel habere poterit in futurum adversus ... Magistrum et fratres hospitalis sancte Marie de domo Theutonica in Prussia, et alias et ipsorum ordinem nomine et occasione debiti quindecim milium marcarum de summa triginta milium sexcentarum marcarum, in qua summa predicti Magister et fratres dicto patri eiusdem domini Regis, et sibi ex causa rei iudicate auctoritate iudicum a sede apostolica delegatorum fuerunt et sunt, ut dicitur, obligati. Constituens idem dominus Rex eundem dominum Galhardum nuncium antedictum nomine, ut predicitur, domini nostri pape et Romane ecclesie ipsiusque camere procuratorem in rem suam, et ponens ipsum in locum suum, ita quod a modo nomine predicte camere actionibus utilibus et directis possit adversus predictos Magistrum et fratres et ordinem eorum, et adversus unumquemque ipsorum et in ipsorum officiis succedentes nomine et occasione predicti debiti agere, experiri, excipere, recipere, consequi et se tueri, et petere a Magistro et fratribus predictis, et ab unoquoque eorum debitum, penas, dampna et expensas ac interesse, et omnia et singula facere, quemadmodum ipse poterat, Promisit etiam ipse dominus Rex domino nuncio predicto nomine, quo supra, stipulacionem recipienti et michi notario infrascripto omnia et singula suprascripta firma et rata habere et tenere, et ipsam donacionem et cessionem in nullo unquam revocare tempore, nec excipere vel proponere contra eam causa ingratitudinis vel immense donacionis, vel alia quacunque occasione, renuncians expresse iuri dicenti donacionem non valere ultra summam in iure expressam, nisi interveniat insinuacio, et omni iuri canonico et civili, quod contra presens instrumentum obici posset vel opponi, Et voluit et consensit predictus dominus Rex, quod de presenti cessione seu donacione posset fieri unum vel plura instrumenta secundum consilium peritorum, facti substancia non mutata. In cuius rei testimonium, et maiorem rei evidentiam sigillum predicti domini regis huic publico instrumento est appositum. Voluit tamen predictus dominus Rex, quod suo sigillo appenso vel

*) Plicatum et sigillo Civitatis Cracoviensis in cera rubra obsignatum, cuius sigilli reliquiae adhuc supersunt.

non appenso presens instrumentum suum obtineat robur firmitatis. Actum Cracovie anno, die, mense et hora, quibus supra, Presentibus Venerabilibus viris dominis Iaroslao Archidiacono, Sbiscone Preposito Cracoviensibus, Iohanne Archidiacono et Ottone Cantore Sandomiriensibus Cracoviensis dyocesis, et strenuis Militibus dominis Iohanne Iudice Cracoviensi, ac Petro Castellano Sandomiriensi, necnon aliis pluribus testibus fidedignis ad premissa vocatis.

Et ego Albertus Cristini clericus Cracoviensis dyocesis, publicus Apostolica et Imperiali auctoritate notarius, predicte cessioni, donacioni et renunciacioni ac omnibus aliis suprascriptis una cum Wilczkone et Iohanne notariis publicis infrascriptis et testibus suprascriptis presens interfui, et ea omnia et singula propria manu scripsi et publicavi, meoque nomine et signo consueto signavi in testimonium premissorum.

Et ego Wilczco quondam Iohannis de Wroczimovicz Cracoviensis dyocesis publicus auctoritate Imperiali notarius predicte cessioni, donacioni et renunciacioni, ac aliis omnibus suprascriptis una cum Alberto notario suprascripto et Iohanne notario, ac testibus suprascriptis presens interfui, et rogatus me hiis omnibus subscripsi, signo meo et nomine consuetis ipsa consignando in testimonium premissorum.

Et ego Iohannes quondam Rudgeri de Brest clericus Wladyslaviensis dyocesis publicus auctoritate apostolica notarius predicte cessioni, donacioni et renunciacioni, et aliis omnibus suprascriptis una cum Alberto et Wilczcone notariis et testibus supradictis presens interfui, et rogatus me hiis subscripsi omnibus, signoque meo et nomine consuetis signavi in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 209.

DXLV.

Galhardus nuntius apostolicus pontificem de rebus in Polonia et in dioecesi Vratislaviensi peractis et de iniuriis passis edocet.

Sanctissimo in Christo Patri et domino suo, domino Benedicto sacrosancte Romane ac Universalis ecclesie dignissimo summo Pontifici, Galhardus de Carceribus Titulensis Ecclesie Prepositus, Sanctitatis vestre humilis nuncius, cum omni reverentia devotissima pedum oscula beatorum. Vestre beatitudini notum facio per presentes, quod omnia apostolice sedis et vestre Camere negocia in Regno Polonie in meo recessu versus Ungariam de vestre sanctitatis mandato feliciter expedita, propter vestre sanctitatis commissionis litteras sunt penitus adnichilata et confusa. Nam cum ego non motu proprio, sed de speciali bone mem. dñi Iohannis pape predecessoris vestri, et subsequenter de vestre sanctitatis precepto et mandato contra Nicolaum de Bancz Canonicum Wratislaviensem procederem, ipse subterfugia querens, per litteras apostolicas Iudices, ut asserit, impetravit, videlicet... de Camens, ... de Lubes et ... de Sancto Vincencio Abbates Wratislaviensis dyocesis, qui me de mandato vestre sanctitatis a Regno Polonie absentem, et in Regno Ungarie personaliter existentem pro negociis sedis apostolice, michi per vestram sanctitatem commissis, exequendis ad locum non tutum notorie, et notorie distantem a fine dyocesis Cracoviensis per duas dietas legales et ultra, in favorem ipsius Nicolai, et vituperium et contemptum sedis apostolice, et dampnum vestre Camere manifestum, videlicet ad civitatem Wratislaviensem per suas litteras per certos executores me fecerunt evocari, et quamvis per procuratorem meum coram domino ... Archiepiscopo, et in presencia executoris predictorum Abbatum et procuratoris predicti Nicolai fuisset publice propositum de loco michi non tuto, nec procuratori meo, nec alicui portanti litteras apostolicas, vel dominorum Cardinalium vel meas, et quod distabat a fine Cracoviensis dyocesis ultra duas dietas legales, et non obstante, quod littera apostolica, in qua michi mandabatur, quod ego contra ipsum Nicolaum deberem procedere iuxta continenciam et tenorem predictarum litterarum apostolicarum, per dominum Iohannem papam bone memorie mihi directarum, que ibidem fuit lecta et publicata, et que ultimo (?) fuit data, quam littera commissionis, que ipsis Abbatibus dirigebatur. Unde predictus meus procurator monuit et requisivit predictum executorem, littera publicata, cum diceret, quod non valeret littera michi directa propterea, quia non faciebat mencionem de prima, que ipsis Abbatibus fuerat directa, quod super hoc, antequam ad alia procederent, iuxta consilium illius decretalis de officio deleg. c. II. vestram sanctitatem consulerent, et secundum responsionem se regerent, et nichilominus ab eorum processibus factis et faciendis ad sedem apostolicam appellavit: ipsi tamen Abbates, spreta appellacione et omnibus pro parte mea propositis, temere et de facto in causa procedentes me pronunciaverunt contumacem, et racione contumacie in vituperium et dampnum sedis apostolice me fecerunt et faciunt in civitate Cracoviensi, Wratislaviensi

et aliis civitatibus Regni Polonie, quamvis in Regno Uugarie tunc absentem, excommunicatum publice nunciari. Postque cum Magister Petrus de Alvernia in libro suarum racionum per Cameram michi destiuato assignasset cum aliis debitoribus Ducem Bregensem in ducentis marcis Camere obligatum, ipsum monui, ut infra certum terminum michi solveret, vel iustam causam allegaret, quare solvere non teneretur: et quia utrumque facere pretermisit, contra ipsum sentenciam excommunicacionis promulgavi. Postque ipse similiter ad frivolam appellacionem prorumpens super appellacione iniqua . . . decanum de Budissin unicum Iudicem, et quem petivit contra Cameram, impetravit, qui similiter me absentem et extra Regnum Polonie consistentem pro predictis negociis Camere citavit, ut certo die coram eo in Budissin, qui distat a fine dyocesis Cracoviensis per quinque dietas et ultra, et qui similiter est sub dicione Regis Boemie predicti, deberem comparere: et quamvis procurator meus et propter locum notorie michi et procuratoribus meis non tutum, et propter loci distanciam et aliis iustis causis ad sedem apostolicam appellasset eandem, prout constat per publica Instrumenta, ipse tamen Decanus, spreta appellacione, perperam et iniuste in causa procedens, me fecit et facit excommunicatum publice nunciare in vituperium sancte Romane ecclesie et contemptum. Postquam cum iuxta sanctitatis vestre continenciam litterarum ego monuissem cives Wratislavienses, et omnes alios dyocesis Wratislaviensis, qui in solucione census beati Petri ecclesie Romane debiti longo tempore cessaverant, ut infra certum terminum solverent, et quia frequenter moniti predictum censum solvere recusaverunt et recusant: igitur ipsos excommunicavi et civitatem et dyocesim, ubi denarius non solvitur, ecclesiastico supposui interdicto. Unde ipsi nolentes denarium beati Petri cum litteris apostolicis solvere, et per litteras apostolicas a solucione se liberare, sicut predictus Dux et Nicolaus, mittentes ad Romanam Curiam unum conquestus contra me, ymmo verius contra sedem apostolicam et vestram Cameram impetrarunt, in quo est unus Iudex per eos petitus et nominatus, videlicet Abbas de Grissovia Wratislaviensis dyocesis, qui vigore huius conquestus me citari fecit, ut sabbato ante instans festum sancti Luce ewangeliste ante eum compaream in Swidnicz, qui similiter est sub dominio Regis Boemie et Ducis sibi adherentis et predictum censum solvere recusantis, et qui similiter est locus non tutus michi et procuratoribus meis, et locus non insignis, et qui distat a fine dyocesis Cracoviensis ultra duas dietas legales, propter quod ab eius processibus factis et faciendis ad sedem apostolicam appellavi. Et, pater sancte, propter supradictas commissiones et iniquos processus predictorum Iudicum infrascripta dampna sedem apostolicam et vestram Cameram subsequuntur: Primo quia ipse Nicolaus cum complicibus suis seducentes Clerum et populum civitatis Wratislaviensis cum litteris Regis Boemie fecerunt interdictum, per me prolatum pro censu predicto, violari, et diviserunt totum Capitulum et Clerum, exceptis paucis Canonicis Polonis, ab Episcopo, et in tantum ipsum Episcopum gravaverunt, volentes predictus Rex cum toto Clero et populo Theutonicorum, quod interdictum violaret, quod ipsum cum paucis de Capitulo Polonis de Civitate Wratislaviensi exire coegerunt, et cogunt in hodiernum diem extra civitatem Wratislaviensem cum omnibus Polonis interdictum servantibus miserabiliter exulare, quod nemini dubium est, in dampnum et vituperium sancte Romane ecclesie redundare. Item, quod cum predictus Nicolaus ante predictam commissionem sponte nomine compositionis dedisset trecentas marcas, nunc non daret unum parvum denarium. Dux etiam de predictis ducentis marcis aliquid solvere non intendit; ymmo credit penitus esse liberatus. Wratislavienses etiam per eorum conquestus credunt a solucione census beati Petri esse penitus liberati. Dominus etiam Henricus de Drogus, qui in recessu meo in centum decem marcis pro sua ministracione composuerat, et debuit solvere in festo beati Iohannis Baptiste proxime preterito quinquaginta marcas, nichil solvit, allegans paupertatem, et nescio quas trufas, et michi pro vero dictum est, quod non expectat, nisi quod faciam excommunicatum denunciare, quia statim vult appellare, et cum litteris apostolicis se ut alii liberare. Cives etiam Cracovienses, quia audiverunt me excommunicatum denunciari, et quia Wratislavienses dabant eis intelligere, sicut adhuc faciunt et michi dixerunt in facie, quod ego eram revocatus, pecunias, quas debebant de tempore Magistri Petri de Alvernia, solvisse debuerunt in festo beati Michaelis proxime preterito, solvere minime curarunt: nam credebant me hic nunquam reversurum, quamvis incessanter per nuncios et meas litteras eos de Ungaria monuissem, et dominus Episcopus Cracoviensis apposuisset super hoc diligenciam operosam, ipsi tamen semper occasiones calvas pretendebant. Pecunias etiam, quas ego eis tradideram, et quos habebant in promptu in meo recessu, et iam erant parati ad recessum, audientes predicta, vituperose portare dimiserunt: verum tamen est, quod pecunias per me assignatas cum nonnullis

aliis ad Curiam Romanam et in Flandriam realiter iam transmittunt. Et, pater saucte, timeo verisimiliter, quod nisi vestra sanctitas predictum Nicolaum et alios violatores interdicti, et supradictos Iudices iniquos de ipsorum iniquis processibus puniat, etiam eorum processus et illa, que per ipsos facta sunt, annullando, sicut de iure irrita sunt atque nulla, quod de proximo maius malum et dampnum Camere subsequetur: nam dicunt omnes Poloni communiter, quod ipsi nolunt esse servi, et quod Theutonici in eorum Regno existentes et viventes de bonis eorum sint liberi, et quod postquam Wratislavienses vituperando Nuncios sedis apostolice per conquestus et litteras apostolicas evadunt, quod ipsi volunt unum procuratorem in Romana Curia tenere, qui aliud non habebit facere, nisi conquestus et litteras apostolicas pro premissis impetrare, et quia facilitas venie incendium tribuit deliuquendi, et cum secundum Apostolum vos prompti esse debeatis inobedientiam omnem ulcisci. Et nil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus et rebellibus non obesset, cum iuxta Canonicas sanxiones quedam sint culpe, in quibus peccatum est relaxare vindictam, et quia scripum est IX. q. IIII. sic: Fuit semper nostre apostolice sedis licencia iniuste, vel etiam iuste (Gloss.) dampnatos vel excommunicatos potestati sue sua auctoritate restituere, et sua eis omnia reddere, et illos, qui eos condempnaverunt atque excommunicaverunt, apostolico punire privilegio, sicut eciam a nostris anterioribus novimus esse factum. Igitur ego in prosecucione negociorum apostolicorum non propria auctoritate, sed de vestre sanctitatis mandato diligenter exequendo, ut premittitur, vituperatus, diffamatus, reputatus excommunicatus huc ab omnibus hominibus iuris ignaris, supplico humiliter et devote vestre sanctitati, ut amore dei et iusticie et reverencia sancte Romane Ecclesie predictos Nicolaum et Iudices, qui causa sunt tocius mali et scandali, et alios, qui propria temeritate non sunt veriti predictum interdictum violare, taliter puniatis, quod severitatem non effugiant Canonice ulcionis, et predictus dominus Episcopus Wratislaviensis cum suis sequacibus, qui amore sancte Romane Ecclesie et obediencie factus est exul, remaneat consolatus. Si autem vestre placet sanctitati, quod talia enormia crimina remaneant impunita, et iniuriam factam sancte Romane Ecclesie et dampnum ipsis remittere, supplico humiliter et devote, ut sanctorum patrum predecessorum vestrorum sequendo vestigia, quamvis in oculis filii dei me propria consciencia non accuset, cum neminem liget iniqua sentencia, et eterni tribunal iudicis illum reum non habeat, quem iudex iniuste condempnat, auctoritate apostolica me ab eorum iniquis sentenciis litteris apostolicis dignemini absolvere, eorum processus pronunciando, prout sunt de iure, irritos et inanes per c. Statutum, in fine de rescriptis lib. VI. Sciat eciam vestra sanctitas, quod predicti Wratislavienses de mandato, ut asserunt, Regis Boemie omnes venientes de Curia portantes litteras versus Cracoviam Clericos et Laycos captivant, et litteras aperiunt et retinent, sicut nuper fecerunt de duobus Clericis, quorum unus veniebat cum litteris quitacionum de auro soluto in Camera ad dominum ..... Episcopum Wratislaviensem, et de alio, qui similiter cum similibus litteris ad dominum Episcopum Cracoviensem veniebat: nam ipsos captivaverunt et litteras apostolicas receperunt, et omnes litteras dominorum Cardinalium aperuerunt, et retinuerunt et retinent occupatas. Unde si talia remanere debent impunita, videat deus. Et Duces Slezie, in quorum terris ego posui propter predictum censum interdictum, et Cives Wratislavienses michi et familiaribus meis inferunt minas mortis, et persecuntur odio capitali, et sufficiebat persecutio ipsorum in partibus sic remotis, quod non persequerer per litteras apostolicas, ex quibus ipsi receperunt audaciam, et nisi revocentur, interdictum non servabunt, et per consequens denarius non solvetur. Quare vestra sanctitas provideat diligenter: nam omnes Duces, et eciam Consules omnium Civitatum et villarum, in quibus ego posui interdictum, publice iactaverunt se, quod quilibet vult in Curia unum conquestus impetrare, ut sic possint solucionem census beati Petri totaliter impedire. Et postquam placet vestre sanctitati, quod quilibet indifferenter quoscumque iudices petit, et ubicumque possit contra vestros Nuncios in audiencia litteras impetrare, satis esset iuri consonum et utilitati Camere non contrarium, quod vestra sanctitas faceret constitucionem, quod extra Civitatem vel dyocesim, in qua pro negociis sedis apostolice potissime moram trahunt, per litteras apostolicas, non possent in iudicium evocari, cum ibidem sicut alibi de ipsis Nunciis iusticia possit ministrari. Super hoc vestra sanctitas provideat, sicut viderit expedire: nam Nuncii in remotis agentes male possunt litigare et negocia Camere utiliter procurare. Et de aliis periculis non esset tacendum, sed vestra sancta providencia in omnibus sicut in negociis sancte Romane Ecclesie providebit. Unde quantum mora possit esse nocua, et quantum ad salutem animarum illorum, inter quos res agitur et interdictum positum est, et utilitati Ecclesie Romane, novit ille, qui nichil ignorat, et ille, qui continuus est in mari,

novit pericula maris. Noscat eciam sanctitas vestra, quod serenissimus Princeps dñs Kazimirus Rex Polonie illustris cessit michi nomine Camere vestre sanctitatis de debito quindecim millia marcarum argenti, in quibus Magister et fratres domus Theotonice eidem remanebant obligati ex condempnatione quorumdam a sede apostolica delegatorum Iudicum, ut apparet in actis, que predictus dominus Rex asserit esse apud dominum Andream de Verulis, et omnia munimenta ad ipsum debitum repetendum necessaria et opportuna, et si forsitan ad plenum acta non invenirentur, ego de iudicibus inquisivi et inveni, quod adhuc duo ex ipsis vivunt, et Notarius, qui acta et sentenciam scripsit, quamvis originalia seu prothocolla sint combusta, et eciam testes vivunt, qui tempore prolate sentencie presentes fuerunt, quamvis et iudices et Notarius et testes sint valde senes, quare si acta deficiant, esset celeriter procedendum, alias quamvis ius non deficeret, deficeret probatio iuris: quare vestra sanctitas provideat, sicut viderit expedire. Iterum dico, quod nisi vestra sanctitas revocet expresse iniquos processus per supradictos Iudices contra me factos et faciendos, quod vestra Camera dampnum quasi irrecuperabile reportabit. Unde ego ante tempus vestre sanctitati significo, ut expostfacto vestra sanctitas michi non habeat imputare, cum penitus sim sine culpa, et revocacionem cause commissam domino Petro Gervasii in causa Nicolai de Bancz ipse non curat in una faba. Noscat eciam vestra sanctitas, quod apud Capitulum Cracoviense ego habeo in deposito bonam pecuniam, sed mittere non potui, quia mercatoribus Cracoviensibus tradere non presumpsi, donec illa, in qua tenentur, que non est parva, sit totaliter persoluta. Et, pater sancte, si Camera vestra possit concordare cum societate Bardorum, et aliis societatibus, quod ipsi hic reciperent pecunias et in Curia assignarent, prout tractabatur hoc anno per dominum Andream de Verulis et Paulinum Caballi de Genua, hoc esset tutissimum, et securum et certum, et mercatores istarum parcium sunt homines incerti, et nichil servant de promissis, et predictus Paulinus, qui est in Cracovia, scribit predictis societatibus, quod cum Camera debeant concordare et sufficientem caucionem pro recipiendis prestare. Et pro certo, pater sancte, noveritis, quod nullus mercator has pecunias recipiet, qui recipiat minus terminum unius anni, et promissum non servabit, quare si cum ipsi posset concordari, quod infra decem menses a die recepcionis computandum in Curia assignarent, esset summum bonum; si autem acceptare nollent, michi videretur utilitati Camere expedire, quod eis integer annus assignaretur, et sic semper Camera in tuto remanebit, et quasi continuo de partibus istis pecunias recipiet, quod modo fieri non potest: nam Prelati portare nolunt, mercatoribus tradere non audeo, et propter eorum inconstanciam, et quia Cracovienses, qui portare in Flandriam consueverunt, nimium sunt obligati, et debent in vestra Camera assignare in festo Natalis domini centum quinquaginta novem marcas auri, quindecim scotos cum dimidia, et quinquaginta karacteres cum dimidio et unum granum cum dimidio, et centum quinquaginta florenos, et in eodem festo in Brugis quadraginta tres marcas auri, mille trecentos quinquaginta florenos et sexaginta marcas argenti. Et ad videndum fieri solucionem et assignacionem predicti auri in Camera, et si mercatores servabunt promissa, ego mitto dilectum familiarem meum Iohannem de Brest auctoritate apostolica Notarium, qui michi in Regno Polonie et in Ungaria quatuor annis continuis in vestris negociis existenti servivit fideliter et diligenter, et qui de omnibus negociis apostolicis de toto tempore meo vestram sanctitatem tamquam ille, qui omnia manu propria conscripsit, et de distancia locorum, ubi Iudices me vocaverunt, et si tuta sint, vel non, poterit medio iuramento veraciter informare: ideo supplico humiliter et devote vestre sanctitati, ut ipsum, qui pro certo non mencietur, de omnibus et singulis medio iuramento requiratis, ut de omnibus vestra sanctitas plenius possit informari. Noscat eciam vestra sanctitas, quod ad me pervenit, quod nonnulli Cives Cracovienses quondam Magistro Petro de Alvernia ultra quantitates confessatas remanent obligati: quare bonum esset, quod fiat una commissio, per quam omnes, qui eidem quoquomodo remanent obligati, compellantur ad solvendum et assignandum Camere vestre ea, in quibus legitime reperientur obligati. Et cum penitus ignorem, an Prebenda, quam ipse in ecclesia Cracoviensi, dum vivebat, obtinebat, vacet in Curia vel non, et diem sui obitus, et sic an fructus predicte Prebende percipere, et a quo tempore debeam vel non, vestra sanctitas litteratorie me dignetur informare: et medio tempore dominus Episcopus fructus percepit Cracoviensis; ego tamen protestatus sum de iure vestro: cui protestacioni ipse consensit dicens, quod ipse iam nepoti suo de predicta prebenda providerat, nichilominus tamen si fructus Camere vestre pertinebant, paratus erat eos michi restituere integraliter et complete. Et die vicesima prima mensis Septembris, postquam de Polonia ad Regnum Ungarie fui reversus, cum domino Petro Gervasii in Vissegradu con-

veni, et postquam ipse Regnum Ungarie intravit, per aliquod tempus fuit valde debilis et infirmus; sed per dei gratiam nunc bene valet, et de negociis sedis apostolice ipse et ego vestram sanctitatem successive non tardabimus informare. Sanctitatem vestram toti mundo necessariam, cui me et latorem presencium humiliter recommendo, conservet longeve, qui vivit et regnat in trinitate perfecta. Datum in Vissegrado xx. prima die mensis Septembris.

Ex Instrum. miscell. Caps. 205. Nro. 3.

DXLVI.

Episcopis Polouiae, ut processus quorumdam iudicum contra Galhardum de Carceribus in causa Nicolai de Bancz habitos esse nullos iuxta Ioannis XXII. constitutionem, qua iudicibus inhibetur, ne contra nuntios apostolicos procedant, publice uuncient.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Wladislaviensi et aliis Episcopis per Regnum Polonie constitutis, salutem etc. Olim felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster ex certis causis, que ad hoc ipsum rationabiliter induxerunt, universis et singulis tam ordinariis quam delegatis iudicibus et inquisitoribus heretice pravitatis, ac aliis omnibus et singulis quacumque auctoritate fungentibus per suas litteras apostolica auctoritate inhibuit et mandavit expresse, ne contra suos et apostolice sedis officiales vel nuncios, aut ipsorum aliquos quavis occasione vel causa sine sua et dicte sedis licentia speciali, eis per sedis ipsius litteras concedenda plenam facientes de tenore litterarum inhibitionis et mandati huiusmodi mentionem, procedere quoquo modo presumerent, aut in eos vel eorum aliquem excommunicationis vel suspensionis, seu quasvis alias sententias promulgare, decernens ex tunc irritum et inane, quicquid contra inhibitionem et mandatum huiusmodi contigerit attemptari: voluit tamen, quod diocesani et inquisitores predicti super hiis, que negotium fidei tangerent, alii vero super hiis, que rem contingerent vel publicam vel privatam, sive ordinarii sive delegati, quacumque forent auctoritate muniti, prout posset alias ad eorum officium pertinere, si quid per officiales et nuncios ipsos esset indebite forsitan attemptatum, se plenius informare, idque dicto predecessori significare, ut posset de opportuno super hoc providere remedio, procurarent, sicut in predictis eiusdem predecessoris litteris plenius et seriosius continetur. Sane nuper fuit ad audientiam nostri apostolatus deductum, quod pretextu diversarum litterarum apostolicarum ad instantiam Nicolai de Bancz Canonici Wratislaviensis, nec non consulum ac nonnullorum civium et incolarum civitatis et diocesis Wratislaviensium, et Nobilis viri Boleslavi Ducis Bregensis, seu quorundam aliorum partium Regni Polonie contra dilectum filium Magistrum Galhardum de Carceribus, prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, nostrum et dicte sedis in eiusdem Polonie ac Ungarie Regnorum partibus nuncium, a nobis, sicut asseritur, obtentarum et ad certos delegatos per eas iudices directarum de prefatis litteris inhibitionis et mandati predictorum nullam facientium mentionem, prefati Nicolaus, consules, cives, incole, nobiles ac alii nonnulli partium earumdem memoratum Nuncium coram dictis iudicibus, aut aliquo vel aliquibus eorumdem contra inhibitionem et mandatum predictum ad iudicium trahere moliuntur, ipsum excommunicari, et excommunicatum publice in illis partibus nunciari faciendo de facto, propter que nostra et ecclesie Romane negocia eidem Nuncio in partibus predictis commissa impediuntur multipliciter non absque nostro non levi et eiusdem ecclesie detrimento. Nos igitur inhibitionem, mandatum et decretum huiusmodi eiusdem predecessoris efficaciter servari volentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum in vestris civitatibus et diocesibus inhibitionem, mandatum et decretum predicta inviolabiliter observantes ac facientes per alios, quantum in vobis fuerit, observari, omnes et singulos predictos et quoslibet alios processus et sententias, per quoscumque delegatos aut subdelegatos vel quosvis alios iudices, quacumque auctoritate fungentes, contra predictum Nuncium factos et latas, cum pro parte dicti Nuncii fueritis requisiti, nullos et nullas prorsus existere et etiam extitisse, ipsumque Nuncium illis non fuisse nec esse ligatum, per vos vel alium seu alios in eisdem vestris civitatibus et diocesibus publice nuncietis. Nos enim, si prefatus Nuncius aliquem vel aliquos gravaverit hactenus vel oppresserit indebite, aut imposterum gravare seu opprimere minus iuste contingat, apud sedem predictam faciemus gravatis et oppressis huiusmodi, si ad nos per appellationis viam vel simplicem querimoniam recursum habuerint, simpliciter et de plano, si et prout negotii qualitas exegerit, debitam, expeditam et celerem iusticiam exhibere. Datum Avinione ii. Nonis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 458. fol. 140.

DXLVII.

Societati Azayalorum, ut a civibus Cracoviensibus pecunias camerae apostolicae debitas Brugis recipiant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Magistro Arnaldo Regis Archidiacono Cameracensi, Capellano nostro, et Dino Geri, Lotto Corbizi et Bartholomeo Corsini, mercatoribus societatis Azayalorum de Florentia, in partibus Flandrie commorantibus, salutem etc. Cum infrascripte persone ad solvendum, et assignandum nostre Camere in Romana Curia infrascriptas auri et pecuniarum quantitates in termino festi Nativitatis domini proximo preteriti tenerentur, videlicet dilecti filii Nicolaus Versingi, Wigandus de Lupacz, Nicolaus de Thessin, Thomas Iustitor, Philippus Geracii, Stephanus de Coreyn, Zidlo de Glogavia, Henricus de Nissa, Iohannes Wauzow, Iohannes Modlo, Henricus de Altadomo, Petrus Brascator, Henricus Zudroman, Fredericus Gallicus et Andreas de Bothua, cives Cracovienses, octuagintaseptem marchas auri, quindecim scotos cum dimidio, scilicet quinquaginta quinque, septem scotos cum dimidio de vigintiduobus caracteribus, undecim marchas et quatuor scotos auri combusti de vigintitribus caracteribus cum dimidio, et vigintiunam marchas, quatuor scotos cum dimidio auri de Palhola, videlicet novem marchas auri Aurei Montisauri boni, puri et legalis ponderis ad pondus civitatis Cracoviensis, Item Wigandus predictus ultra premissa tres marchas auri de Palhola Aureimontis ad pondus predictum, Item dilecti filii Willusius Pellifex, Iohannes Slochow, Pesco Muchow et Heynezmannus Pellifex, cives Cracovienses, quinque marchas auri de vigintiduobus caracteribus et uno grano cum dimidio, Item ipsi iidem viginti marchas auri albi de duodecim caracteribus, et unam peciam auri Heutensis quinquaginta caracterum cum dimidio, et marcha illius pecie habet decemocto caracteres ad dictum pondus, Item dictus Wigandus de Lupacz, Petrus eius filius, Nicolaus Pensator, Stephanus Modid, Petrus Isiurich, Philippus Geranii, Zidlo Zidylivani, Henussius de Nisa, Nicolaus Wlbow, Gocko Gladiator et Bonassius molendinator, cives Cracovienses, trigintaocto marchas auri de vigintiduobus caracteribus, et prefatus Wigandus cum filio suo unam marcham auri predicti ad dictum pondus, Item Nicolaus et Iohannes de Stano filii Ameley, Wicko Carnifex, et Iohannes de Altadomo cives Cracovienses centumquinquaginta florenos auri boni ponderis et de conio Florentino, et sex marchas auri de vigintiduobus caracteribus, que quidem quantitates tam per dilectum filium Magistrum Galhardum de Carceribus Prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, quam quondam Petrum de Alvernia Canonicum Noviomensem collecte fuerunt in partibus Regni Polonie tam de censu, qui denarius beati Petri nuncupatur, ecclesie Romane in eisdem partibus debito, quam de decima sexennali, olim imposita in concilio Wiennensi, supradictique cives, sicut in eadem Camera fecerunt exponi, nequiverunt propter maliciam et intemperiem temporis huiusmodi quantitates memorate Camere in dicta Curia solvere, ut tenebantur, termino supradicto, nobis humiliter supplicando, ut solutionem eandem in villa de Brugis Tornacensis diocesis recipi faceremus. Nos eos, quibus benigne super hiis compatimur, volentes prosequi favorabiliter in hac parte, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus tu, fili Archidiacone, si commode poteris interesse, alioquin vos, filii mercatores, aut duo vel unus vestrum dictas quantitates a prefatis civibus, aut alio vel aliis pro ipsis solventibus recipiatis nomine Camere supradicte, per vos mercatores predictos iuxta conventionem et obligationem per commercatores vestros in Romana Curia degentes factas erga dictam Cameram, eidem Camere postmodum persolvendas, prefatisque civibus, et illi seu illis, qui vobis quantitates huiusmodi assignabunt, et aliis, quorum interest, nomine supradicte Camere sufficientes de hiis, que inde receperitis, quittationis et absolutionis concedatis cautelas, faciendo super eadem assignatione duo confici consimilia publica instrumenta, quorum altero penes assignantem vel assignantes ipsos dimisso, reliquum ad eandem Cameram fideliter transmittatis, ipsamque certificare quantocius studeatis de hiis, que quomodolibet egeritis in hac parte. Datum Avinione xiv. Kalendas Februarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 5. fol. 3.

DXLVIII.

Annae reginae Poloniae indulgetur, ut in locis interdictis divina officia facere celebrari possit.

Benedictus episcopus etc. Carissime in Christo filie Anne Regine Polonie Illustri, salutem etc. Devotionis tue sinceritas promeretur, ut votis tuis, in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, au-

ctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare, liceat tibi in illis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et summissa voce tibi et familiaribus tuis domesticis missam et alia divina officia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione VI. Nonas Maii. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Com. ep. 413. fol. 150.

DXLIX.

Eidem reginae, ut monasteria religiosarum inclusarum quorumcumque ordinum libere ingredi possit.

Benedictus episcopus etc. Carissime in Christo filie Anne Regine Polonie Illustri, salutem etc. Exigit tue devotionis integritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, ut ad ea solicite benignitatis extendamus affectum, que ex causa devotionis placere novimus votis tuis. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum tribus matronis honestis monasteria Religiosarum inclusarum quorumcumque ordinum, quibuscumque ipsorum monasteriorum et ordinum statutis et consuetudinibus, quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, semel in anno dumtaxat libere ingredi valeas, dummodo earum, que monasteriis ipsis prefuerint, ad id accedat assensus, et tu dicteque matrone ibidem non comedatis vel etiam pernoctetis, tenore tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione VI. Nonas Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Com. ep. 414. fol. 150.

DL.

Societati Azayalorum, ut pecunias a civibus Cracoviensibus camerae apostolicae debitas Brugis recipiant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Dino Geri, Lotto Corbizi et Bartholomeo Corsini, mercatoribus Societatis Azayalorum de Florencia, in partibus Flandrie commorantibus, salutem etc. Cum dilecti filii Nicolaus Wirzingus, Iohannes de Zawicostz, Iohannes Spichimeri, Wlzufful Pellifex, Nicolaus de Sandetz et Iohannes Frenel, cives et consules Cracovienses, in decem octo marchis auri in granis ad pondus Cracovie, et ulterius ipsi cives et consules in sexaginta marchis auri in granis ad dictum pondus, Item prefati Nicolaus Wirzingus, Nicolaus de Zawicostz, Nicolaus Pensator, Wigandus dives, Ianussius de Nissa, Hanco gener Nicolai de Zawicostz, Stanislaus Welbuch, Petrus Brasseator, Hinco de Horient, Hinco Aurifaber, Hanco gener Rutheni, Fritzco Carnifex et Gethco Gladiator, cives Cracovienses, in quadraginta octo marchis auri in granis ad predictum pondus nostre Camere sint astricti, supradictasque auri quantitates per eos a quondam Petro de Alvernia, Canonico Noviomensi, in partibus Regni Polonie receptas de pecuniis Cameram ipsam contingentibus, per dictum Petrum in partibus predictis collectis, in villa de Brugis Tornacensis diocesis certis ad hoc eis prefixis terminis assignare ac solvere, sicut in instrumentis seu litteris inde confectis, prefate Camere aut alii potestatem habenti ab ipsa super hoc teneantur: Nos de vestra et vestrum cuiuslibet fidelitate, presertim quia commercatores Societatis vestre in Curia commorantes, cum supradicta Camera sub certis modis et obligationibus super hiis convenerunt, confisi, vobis et cuilibet vestrum recipiendi nostro et predicte Camere nomine quantitates auri predictas, supradictosque debitores aliosque nomine ipsorum solventes et eorum bona quitandi et absolvendi de hiis, que inde receperitis ab eisdem, plenam concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem, quod super singulis assignationibus et solutionibus, vobis de dictis auri quantitatibus faciendis, duo confici faciatis consimilia publica instrumenta, quorum uno penes solventes ipsos dimisso, reliquum ad eandem Cameram quantocius fideliter transmittatis. Datum Avinione Idibus Iunii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 211. fol. 58.

DLI.

Iisdem, ut Guidoni fratri et haeredi Petri de Alvernia CL. flor. auri ex praedictis pecuniis solvant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis Dino Geri, Lotto Corbizi et Bartholomeo Corsini, Mercatoribus Societatis Azayalorum de Florencia, in partibus Flandrie commorantibus, salutem etc. Cum nonnulli Consules et Cives Cracovienses ad solvendum in villa Brugensi Tornacensis diocesis nostre Camere certas auri quantitates, a quondam Petro de Alvernia Canonico Noviomensi in partibus Regni

Polonie apostolice sedis Nuncio dudum receptas per ipsos de pecuniis eandem Cameram contingentibus, quas idem Petrus in eisdem partibus collegerat, sint astricti, nosque vobis et cuilibet vestrum recipiendi dicte Camere nomine quantitates easdem per nostras certi tenoris litteras concesserimus, sicut in eisdem litteris continetur, plenius potestatem: volumus et discretioni vestre mandamus, quatenus de predictis quantitatibus, quas dictarum litterarum auctoritate receperitis, dilecto filio Guidoni de Alvernia Lemovicensis diocesis, fratri et heredi dicti Petri, aut procuratori suo, usque ad valorem Centum quinquaginta florenorum auri, quos ei tam pro expensis funerariis ipsius Petri, quam aliis factis per eundem Guidonem postmodum morando apud sedem apostolicam pro reddendis et ponendis rationibus dicti Petri, et eundo ad villam prelibatam de Brugis ad faciendum assignari pecunias tangentes eandem Cameram per supradictum Petrum collectas, illis, qui ad hoc erant pro parte ipsius Camere deputati, dari de gratia speciali volumus, solvere studeatis, facientes super eadem solutione confici publicum instrumentum per vos ad prefatam Cameram destinandum. Datum Avinione XVII. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Com. ep. 212. fol. 58.

DLII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut quosdam fratres ex monasterio Mechoviensi Cracov. dioec. iniuste expulsos restituat, et praepositum expellat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius Hermannus Calvus presbiter, frater ecclesie Dominici Sepulchri de Mechovia ordinis sancti Augustini Cracoviensis diocesis, quod Benedictus de Vivo, qui pro Preposito ecclesie eiusdem se gerit, post resignationem et abiurationem de Prepositura ipsius ecclesie sponte et libere a se factas procuravit in dictam Preposituram per Symoniacam pravitatem, et potentiam secularem violenter intrudi, ac nichilominus quondam Benedicto dicto Magistro, fratre dicte ecclesie, qui in Prepositum ipsius ecclesie canonice fuerat electus, et eodem Hermanno et nonnullis aliis fratribus dicte ecclesie, qui dicto Benedicto de Vivo sic intruso contradicebant, et nolebant propter remorsum conscientie tanquam Preposito obedire, de predicta ecclesia prorsus expulsis, bona mobilia et immobilia eiusdem ecclesie usque ad valorem duorum milium florenorum auri alienare presumpsit, et adhuc bona residua dicte ecclesie adeo enormiter dilapidat et consumit, quod nisi eidem ecclesie de celeri remedio consulatur, ad irreparabilis desolationis obprobrium deducetur. Quare prefatus Hermannus pro parte sua et dictorum confratrum suorum de dicta ecclesia expulsorum nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc eis et dicte ecclesie de oportuno remedio dignaremur. De tue igitur circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, si tibi simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iuditii constiterit ita esse, eisdem Hermanno et aliis expulsis ac spoliatis de dicta ecclesia ad eandem ecclesiam ante omnia reductis, et etiam, sicut iustum fuerit, restitutis, eundem Benedictum de Vivo taliter intrusum a prepositura auctoritate nostra studeas legitime amovere, predicta bona alienata per eum illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem ecclesie legitime revocando, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ut cum eiusdem civitatis vel diocesis fuerint actor et reus, extra ipsas causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorundem, Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione XV. Kalendas Iulii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Com. ep. 511. fol. 248.

DLIII.

Casimiro regi Poloniae, ut nuncium apostolicum foveat et in devotione sanctae sedis persistat.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Exultamus in domino admodum et letamur, quod sicut fama divulgat celebris, et dilecti filii magistri Galhardi de Carceribus prepositi ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, nostri et apostolice sedis in

partibus regni tui Nuncii, grata nuper insinuatio patefecit, tu, fili carissime, divinis preventus benedictionibus, et ab eo, a quo cuncta bona procedunt, sic virtutibus edotatus, quod timorem et amorem divinum habens ante oculos mentis tue, pacem et iusticiam colis et diligis, et ingentis devotionis affectu revereris tanquam filius benedictionis et gratie sanctam Romanam ecclesiam, matrem tuam, ad ea, que ipsius honoribus et beneplacitis congruunt, te promptis et devotis operibus impendendo. Super quibus utique deo, ac nobis et sedi apostolice gratis non indigne plurimum et acceptis, ei, qui tibi rectum dedit spiritum, in laudis iubilum assurgentes, et serenitatem tuam regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in domino commendantes, exhortamur regalem magnificentiam attentius et rogamus, quatinus in huiusmodi tuo laudabili proposito, per quod deum tibi semper magis propicium constitues, et uberiorem dicte sedis vendicabis gratiam, constanter et stabiliter perseveres, circa conservationem et tuitionem tuorum et regni tui, ac ecclesie memorate honorum et iurium, de divina et sedis predicte confisus gratia, viriliter nichilominus intendendo et assistendo, sicut oportunum et honestum extiterit, in agendis pro nostra et apostolice sedis reverentia Nuncio memorato. Datum Avinione XVI. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 265. fol. 75.

DLIV.

Galhardo nuntio apostolico super denario B. Petri etc. et ut praedictas litteras regi praesentet.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus etc. salutem etc. Intellectis, que misse nuper tue littere continebant, ecce quod carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Regi Polonie Illustri per litteras nostras scribimus iuxta formam, quam cedula continet presentibus interclusa: quas quidem litteras ei poteris, sicut tibi expedire videbitur, presentare. Sane super exigendo et colligendo censu Romane ecclesie in regno Polonie et partibus illis debito, qui denarius beati Petri nuncupatur vulgariter, sic te geras, quod quantum ad quantitatem et qualitatem modus antiquus et debitus observetur, ut eiusdem ecclesie ius illesum in hac parte remaneat, et illi, qui ad solutionem ipsius census tenentur, contra iusticiam non graventur. Ut autem melius et utilius contra quoscunque turbatores aut impeditores solutionis dicti census possis procedere, remotis indebitis obstaculis quibuscumque, oportunas tibi litteras destinamus. Datum Avinione XVI. Kalendas Septembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 266. fol. 75.

DLV.

Eidem, ut rigore canonum contra non solventes denarium B. Petri procedat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, nostro et apostolice sedis in partibus Regni Polonie Nuncio, salutem etc. Olim exigendi, petendi, colligendi et recipiendi censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, ecclesie Romane in Regno Polonie ac quibusdam civitatibus, terris et locis vicinis debitum, per felicis recordationis Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum, et subsequenter etiam per nos, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, tibi extitit concessa diversis inde tibi litteris directis potestas. Et licet tu super hiis dictarum litterarum auctoritate procedens, processus aliquos, sicut intelleximus, feceris, prout negotii huiusmodi qualitas exigebat: nonnulli tamen clerici et laici iura ipsius Romane ecclesie impedire in animarum suarum salutis periculum non verentes, processus eosdem et sentencias in eis contentas nituntur dampnabiliter deducere, ut asseritur, in contemptum, impediendo contra iusticiam, quominus solucio dicti census, prout est hactenus consuetum et fieri debet, prestetur. Nos igitur providere ipsius ecclesie indempnitatibus, ut tenemur ex cura suscepti regiminis, cupientes et attendentes, quod eo melius et utilius super eodem negocio poteris procedere, quo maiori fueris potestate suffultus, ut processus per te super premissis et ea tangentibus habitos aggravando, quibus per hoc non intendimus in aliquo derogare, vel etiam procedendo de novo, sicut tibi exigente iusticia videbitur expedire, quascunque personas ecclesiasticas vel seculares, cuiuscunque status, ordinis, dignitatis, preminencie vel conditionis existant, etiam si pontificali, regali, aut maiori vel inferiori premineant dignitate, nec non Capitula, Collegia et Conventus, que tibi super exactione ac collectione dicti census turbationem, molestationem vel impedimentum prestiterint, seu fecerint per se vel alium aut alios directe vel indirecte, publice vel occulte, quominus eo modo, quo consuevit et debet, tibi

ecclesie predicte nomine libere persolvatur, possis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescere, non obstantibus, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, aut eorum ecclesie, civitates et loca ecclesiastico subici nequeant interdicto per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibusvis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quibuscunque personis aut locis concessis, per que in hac parte tue potestatis executio impediri posset quomodolibet vel differri, plenam discretioni tue concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione XVI. Kal. Septembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 267. fol. 76.

DLVI.

Iudicibus, ut Hermanno episcopo Varmiensi debitam reverentiam et obedientiam a suis subditis exhibendam curent.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Ianuensi et ... Episcopo Caminensi, ac dilecto filio ... Abbati monasterii Auleregie Pragensis diocesis, salutem etc. Dudum Warmiensi ecclesia per obitum bone memorie Henrici Episcopi Warmiensis, qui in partibus illis decessit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Martinum de Guideto canonicum eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, per formam compromissi in eorum Episcopum concorditer elegerunt, dictusque Martinus ad Capituli predictorum instantiam huiusmodi electioni de se facte postmodum infra tempus debitum consensit, et a dilecto filio ... Vicario generali Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Rigensis loci metropolitani, in remotis agentis, cum instantia postulavit, ut electionem huiusmodi confirmaret: cumque predictus vicarius assereret, se nullam potestatem habere ab Archiepiscopo memorato confirmandi electiones prelatorum suffraganeorum ecclesie Rigensis, prefatus Martinus ad sedem apostolicam personaliter accessit, et huiusmodi electionis negotium proponi fecit in consistorio coram nobis, et demum memoratus Martinus non persone sue vitio, sed ex certis rationabilibus causis omni iuri, si quod sibi ex electione huiusmodi quomodolibet competebat, in manibus nostris libere et sponte cessit: nosque huiusmodi cessione admissa, ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se ea vice intromittere possit, pro eo, quod nos diu ante cessionem predictam omnes cathedrales ecclesias per renuntiationem quorumlibet electorum ad illas, quas per nos admitti contingeret, tunc factas et in antea fatiendas ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac volentes eidem ecclesie de ydoneo providere pastore, nec non ad Venerabilem fratrem nostrum Hermannum Episcopum Warmiensem, tunc Custodem ecclesie Pragensis, Capellanum nostrum, dirigentes intuitum nostre mentis, de ipso Hermanno prefate Warmiensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, eumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Warmiensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris super hiis confectis litteris plenius continetur. Volentes itaque, ut provisio nostra huiusmodi, sublatis impedimentis quibuslibet, suum debitum sortiatur effectum, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios prefato Hermanno Episcopo super hiis efficaci presidio et auxilio assistentes, dilectos filios ... Prepositum, ... Decanum et Capitulum ac singulos Canonicos, nec non vassallos, homines feudatarios, fideles et subditos ecclesie Warmiensis predicte, ac quosvis alios clericos, religiosos et laycos, cuiuscunque sint preminentie, conditionis, ordinis, dignitatis et status, se provisioni nostre huiusmodi quomodolibet opponentes, etiam si pontificali vel superiori prefulgeant dignitate, de quibus expedire videritis, moneatis et ex parte nostra efficaciter inducatis, et etiam iniungatis eisdem, ut infra certum peremptorium terminum competentem, quem eis et eorum singulis duxeritis prefigendum, eundem Hermannum Episcopum spiritualem patrem et presulem eorundem, et pastorem ecclesie prelibate recipiant et admittant, et eidem tanquam patri et pastori animarum suarum devote pareant et intendant, nullumque sibi prestent impedimentum, seu prestari faciant vel procurent per se, vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, quominus idem Hermannus Episcopus possessionem pacificam

Episcopatus Warmiensis et Castrorum, munitionum, fortalitiorum et aliorum quorumcunque locorum, iurium et bonorum ad ipsum spectantium per se suosque Vicarios, Offitiales et Ministros seu Procuratores apprehendere valeat et pacifice possidere, quodcunque impedimentum publicum vel occultum per ipsos, vel eorum nomine aut mandato in premissis, vel circa premissa quomodolibet appositum realiter et effectualiter infra dictum terminum revocando, ac permittendo memoratum Hermannum Episcopum, suos Vicarios, Offitiales, Ministros et Procuratores eiusdem ecclesie Warmiensis ac omnium et singulorum bonorum et iurium ad eundem Hermannum nomine ipsius Warmiensis ecclesie spectantium administrationem plenam et liberam exercere, fructuumque, reddituum et proventuum ad mensam Episcopalem Warmiensem spectantium integra et pacifica perceptione gaudere: Alioquin omnes et singulos, tam clericos quam laycos, cuiuscunque status, ordinis, conditionis vel dignitatis existant, etiam si pontificali, aut maiori vel inferiori prefulgeant dignitate, qui monitioni huiusmodi parere contumaciter contempserint, seu in predictis eidem Hermanno Episcopo se contradictores indebite reddiderint, et rebelles, quos extunc, videlicet singulares personas, excommunicationis, Capitulum vero suspensionis, et ecclesiam ipsam interdicti sententias incurrere volumus ipso facto, excommunicatos et suspensos dictamque ecclesiam interdictam in ecclesiis et locis illarum partium, de quibus vobis videbitur, campanis pulsatis et candelis accensis, publice nuntietis, quibuscunque ecclesiasticis personis singularibus huiusmodi apertius nichilominus predicentes, quod si, quod absit, monitionibus et mandatis huiusmodi contumaciter obedire contempserint, nos ad privationis et inhabilitationis penas contra ipsos et eorum singulos, prout rebellionis et inobedientie contemptus aut contumacia exegerint, ac nobis videbitur, procederemus. Eos autem, quos contemptores manifestos monitionum, requisitionum et sententiarum predictarum repereritis, peremptorie citare curetis, ut infra certum alium terminum, per vos eis secundum locorum distantiam et personarum qualitatem super hoc provide prefigendum, apostolico conspectui personaliter se presentent, facturi et recepturi super predictis, quod iustitia suadebit, de die citationis et forma huiusmodi, ac aliis, que inde feceritis, nos reddituri per vestras litteras seu instrumenta publica presentium seriem continentia nichilominus certiores. Ceterum volumus, quod adversus Clerum et populum civitatis et diocesis Warmiensis, qui eisdem non parerent forsitan processibus, per interdicti et suspensionis ac alias spirituales sententias, per vos promulgandas et aggravandas, si quando et quotiens malitia et contumacia ipsorum exigentibus expedire cognoveritis, nichilominus processuri: nostre tamen intentionis nequaquam existit, quominus idem Hermannus Episcopus iurisdictionem suam ordinariam super predictis et aliis ad eum spectantibus libere, quotiens oportunum extiterit, valeat exercere. Datum Avinione II. Nonas Septembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Comm. ep. 589. fol. 273.

DLVII.

Nuntius apostolicus clero dioecesis Vratislaviensis mandavit, ut sententias excommunicationis et interdicti in omnes, qui denarium B. Petri solvere recusaverint, observent.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem domini Millesimo trecentesimo tricesimo nono, Indiccione septima, die prima mensis Novembris, Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Benedicti divina providencia pape XII. anno quinto, in presencia mei infrascripti publici Notarii et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, Constitutus coram venerabili viro domino Galhardo de Carceribus ecclesie Titulensis preposito, apostolice sedis nuncio, discretus vir Mathias, clericus Pragensis diocesis, exhibuit et presentavit eidem quoddam publicum instrumentum, scriptum et signatum manu Nicolai Franczkonis de Ransyn clerici Wratislaviensis diocesis, publici auctoritate Imperiali Notarii, factum super quadam executione facta per dominum Proczinam, prepositum Monasterii de domo (dei) Wratislaviensis diocesis, contra clerum et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Wratislaviensis sentencias excommunicacionis et interdicti, per eundem dominum Galhardum et nuncium supradictum in ipsas latas, non servantes: cuius instrumenti principuum sequitur in hec verba: In nomine domini amen. Anno Nativitatis eiusdem Millesimo ccc.xxx.nono, Indictione VII. die XIX. mensis Iulii, hora tertia in choro ecclesie sancte Crucis in Opol Wratislaviensis diocesis, in presencia mei Notarii et testium subscriptorum honorabilis et discretus vir dominus Proczina, prepositus Monasterii domus dei prope Opol ordinis Premonstratensis, quasdam litteras seu processum venerabilium virorum dominorum Galhardi de Carceribus ecclesie Titulensis prepositi, et Petri Gervasii canonici Ani-

ciensis, sedis apostolice nunciorum in partibus Polonic, et sigillis ipsorum appendentibus sigillatum notificavit, publicavit et per me Notarium publicum legi procuravit etc. Finis autem eiusdem instrumenti sequitur in hcc verba: Quibus licteris et processu lectis et publicatis, predictus dominus Proczina prepositus requisivit et monuit, ac districtius iniunxit Capitulo et clero civitatis et diocesis Wratislaviensis, ut sentencias excommunicacionis et interdicti huiusmodi latas in personas civitatis ac terras dicte Wratislaviensis diocesis occasione census supradicti observarent inviolabiliter, et a suis subditis facerent tam diu tenaciter observari, donec dominis Galhardo et Petro nunciis supradictis vel altero ipsorum, aut deputando vel deputandis ab ipsis, vel altero ipsorum nomine sedis apostolice de huiusmodi censu non soluto plenam satisfactionem impenderent, et a predictis sentenciis mererentur absolucionis beneficium et relaxacionis obtinere: et si prefati Capitulum et clerus requisicionibus, monicionibus et mandatis huiusmodi parere contempnerent, aut alias se rebelles vel contumaces redderent in hac parte, ipsos extunc citavit peremptorie, ut infra sex mensium spacium a notificacione presencium computando per procuratores et syndicos ab ipsis legittime constitutos apostolico conspectui se presentarent, se super premissis excusaturos, si possent, ac mandatis et beneplacitis apostolicis parituros. Et protestatus fuit dominus prepositus supradictus, quod processum predictum propter nimiam corporis debilitatem non posset Capitulo et clero Wratislaviensibus publicare, sed tantum Capitulo Opoliensi, et copiam ipsius processus foribus ecclesie Opoliensis affixit. Quo facto, dominus Martinus vicarius in dicta ecclesia Opoliensi, procurator et syndicus substitutus, per discretum virum magistrum Andream de Roslavicz, procuratorem principalem dictorum Capituli et cleri predictorum, nomine procuratorio ipsorum copiam supradicti processus sub manu publica petiit sibi dari: dominus vero . . . prepositus supradictus sibi copiam fieri et dari decrevit, ita ut predicti videlicet Capitulum et clerus non valeant ignoranciam pretendere de premissis. Actum sub anno, indiccione, die, mense, hora, loco quibus supra, Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Bertholdo canonico ecclesie sancti Iohannis in castro Opoliensi, Andrea subcustode, Aaron, Peregrino, Iaroslao, Martino, Iohanne Pylaco, Petro, Cristano, Alberto Miczkone, Pribcone et Nicolao vicariis in dicta ecclesia Opoliensi, magistro Iohanne de Elbingo Rectore scolarium ibidem in Opol, et aliis multis clericis et laycis convenientibus ad divina. Et ego Nicolaus Franczkonis de Ransyn clericus Wratislaviensis, publicus auctoritate Imperiali Notarius, predictarum licterarum seu processus notificacioni, publicacioni, leccioni, cxecucioni, protestacioni, copie peticioni et assignacioni, et omnibus et singulis supradictis una cum prefatis testibus presens interfui, et ea rogatus scripsi, et in hanc publicam formam redigens meo signo consueto et nomine consignavi in testimonium omnium premissorum. Quo instrumento exhibito et presentato domino nuncio supradicto, idem Mathias clericus antedictus protestacionem faciens protulit hec verba: Domine legate, istam licteram sive instrumentum publicum mittit vobis dominus prepositus de Czarnowans, et petit vos, quod sibi pro malo non habeatis, quod ipsam vobis diu non misit, et hoc ex culpa Notarii fuit, qui sibi ipsam distulit dare maliciose, licet sepe fuerit requisitus Nicolaus de Wratislavia Franczkonis, qui hoc fecit in favorem Capituli et cleri Wratislaviensium; de qua protestacione seu locucione supradictus dominus Galhardus prepositus et nuncius antedictus requisivit a me Notario sibi fieri publicum instrumentum. Actum anno, indiccione, die, mense, Pontificatu, quibus supra, Presentibus discretis viris domino Stephano Delcruffe Canonico Beneventano, Petro Fresqueti de Montepessolano, Petro de Herduch Strigoniensis diocesis et Iohanne de Wirbna Wratislaviensis diocesis, et aliis testibus fidedignis.

(L. S.) Et ego Albertus Cristini Clericus Cracoviensis diocesis, publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius, predicte protestacioni, verborum prolacioni et omnibus aliis et singulis premissis una cum prescriptis testibus presens interfui, et ea omnia et singula propria manu scripsi et publicavi, meoque nomine et signo consueto signavi per dictum dominum nuncium requisitus et rogatus.

Ex Instrum. miscell. Caps. 209. Nro. 4.

DLVIII.

Quibusdam clericis de canonicatibus etc. providetur.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Symoni Wytkonis Hoygerii de Boleslavia, clerico Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi consideratione Kazimiri Regis Polonie beneficium ecclesiasticum ad collationem Episcopi Wratislaviensis pertinens. Datum Avinione viii. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Rudgeri de Brest Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia sub expectatione prebende. Datum Avinione VIII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Nankero Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Ut antequam dies elucescat divina celebrare possit, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum urgentium id exegerit. Datum Avinione II. Kal. Septembris. Anno Quinto.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Ep̄o Poznaniensi, et dilectis filiis . . . Decano Glogoviensis Wratislaviensis diocesis ac . . . Cantori S. Crucis Wratislaviensis ecclesiarum, salutem etc. constituuntur Conservatores Capitulo et Stephano Ep̄o Lubucensi. Dat. Avinione Non. Septemb. Anno V.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Hermanno Wedeleti presbytero Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie beneficium ecclesiasticum ad collationem Abbatis et conventus monasterii Lubensis Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis pertinens. Dat. Avinione VIII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Com. ep. 80, 292, 566, 584, 585 et 516. fol. 89, 174, 265, 272 et 354.

DLIX.

Ioanni episcopo Cracoviensi, ut quosdam viros suae dioecesis a censuris ecclesiasticis absolvat.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Petitio dilectorum filiorum Iacobi Scirik Cracoviensis, ac Pelce Pacoslai Visliciensis Cracoviensis diocesis Custodum, et Petri Ade de Zenze Canonici eiusdem Cracoviensis ecclesiarum, ac Nobilis viri Pacoslai de Strozisez eiusdem diocesis coram nobis proposita continebat, quod ipsi dudum a dilecto filio Magistro Galhardo de Carceribus, Preposito ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus Regni Polonie apostolice sedis Nuncii, decem marcas auri ad pondus Polonie pertinentes ad nostram Cameram receperunt, easque solvere prefate Camere certo ad hoc statuto termino sub certis pactis et obligationibus ipsi et eorum quilibet in solidum promiserunt, in eos, si deficerent in solutione huiusmodi dicto statuto termino facienda, excommunicationis sentencia per eundem Nuncium, sicut in instrumento publico inde confecto continetur plenius, promulgata. Cum autem ipsi, sicut eadem petitio subiungebat, certis causis prepediti predictas decem marcas auri prefate Camere solvere nequiverint in termino supradicto, sed eo elapso per manus dilecti filii Dirslai, nati dicti Nobilis, Canonici Cracoviensis, easdem decem marcas ad pondus predictum memorate Camere duxerint integraliter assignandas, exinde a dilecto filio Magistro Iacobo de Broa, archidiacono de Lunacio in ecclesia Biterrensi, Thesaurario nostro littera recognitionis et quitationis obtenta, nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi ex eo, quod dictas decem marcas eodem statuto termino non solverunt, ut premittitur, incurrerint excommunicationis sentenciam supradictam, et forsan dicti Custodes et Canonicus sic ligati se immiscendo divinis, non tamen in contemptum clavium, irregularitatis maculam contraxerunt, providere sibi de absolutionis beneficio super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur supplicationi huiusmodi benignius inclinati, fraternitati tue dictos Custodes et Canonicum ac Nobilem per te vel alium, seu alios a sentencia excommunicationis huiusmodi iuxta formam ecclesie absolvendi, ac cum eisdem Custodibus et Canonico super irregularitate huiusmodi hac vice auctoritate nostra dispensandi, imposita eis penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Ceterum cum instrumentum obligationis predicte non possit, ut asseritur, de facili reperiri, et per relationem dicte Camere nobis liqueat de solutione predicta, nos eorundem Custodum ac Canonici et Nobilis indempnitati super hiis precavere volentes, corum supplicationibus super hoc annuentes, volumus et decernimus, quod instrumentum predictum super obligatione dictarum marcarum, ut prefertur, confectum, pro casso habeatur et nullo, nec contra eos vel eorum aliquos quamcunque obtineat de cetero roboris firmitatem. Dat. Avinione IV. Non. Septemb. Anno VI. Ex Reg. orig. An. VI. Secret. ep. 175. fol. 68.

DLX.

Fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum in Livonia, ut abbates monasteriorum de Valhana, de Pades et de Guthualia contra oppressiones capitanei regni Daciae defendant.

Benedictus episcopus etc. Dilectis filiis . . . Magistro et fratribus hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani in Livonia, salutem etc. Habet dilectorum filiorum . . . de Walkana, . . . de

Pades et de .... Guthualia monasteriorum Abbatum et conventuum Cisterciensis ordinis Tarbatensis, Revaliensis et Lincopensis diocesium grata insinuatio facta nobis, quod vos ad eorum monasteria zelum fervide caritatis habentes, ipsis in christianorum illarum partium finibus constitutis, et a nonnullis nobilibus et aliis personis dictarum partium ad eorum bona et iura invadenda et occupanda manus improbas extendentibus, afflictis multipliciter, ut asserunt, et oppressis circa defensionem bonorum et iurium huiusmodi multos favores et presidia pro nostra et apostolice sedis reverentia impendistis, quodque cum ... Capitaneus Regni Dacie, in quo unum ex dictis monasteriis consistit, et reliqua duo maiorem partem bonorum suorum in illo habere noscuntur, pridem cuilibet monasteriorum ipsorum quadringentas marcas argenti pro talia temere ac de facto imposuit in derogationem ecclesie liberatis, et huiusmodi marcas pretextu impositionis eiusdem a singulis prefatis monasteriis per captionem personarum et bonorum ipsorum extorquere ac exigere niteretur, vos treugas et sufferentiam de solutione huiusmodi tallie pro ipsis monasteriis cum dicto capitaneo procurastis ad certum tempus, infra quod ipsi Abbates et conventus possent super hiis ad nostram et sedis apostolice providentiam habere recursum. Nos igitur vestre operationis studium ac devotionis puritatem et reverentiam filialem, quas ad ad nos et sedem predictam geritis, dignis in domino laudibus commendantes, et cupientes, ut eisdem Abbatibus et conventibus in eorum oportunitatibus de bono in melius assistatis, Universitatem vestram requirimus, rogamus et hortamur attente, quatenus pro divina et eiusdem sedis ac nostra reverentia prefatos Abbates et conventus, eorumque monasteria oportunis presidiis et favoribus de bono in melius prosequentes, eos a turbationibus, spoliis, dampnis, iniuriis et impedimentis huiusmodi, in quantum iuste et honeste poteritis, quotiens oportunum fuerit, defendatis. Datum Avinione v. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 315. fol. 230.

DLXI.

Capitaneo regni Daciae in ducatu Revaliensi, ut a molestandis praedictis abbatibus desistat.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio ... Capitaneo Regni Dacie ac Ducatus Revaliensis, salutem etc. Si diligenter adverteres, quantum Altissimus in oppressionibus ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, presertim sub regulari observancia sibi famulancium, offendatur, quantumque id redundet in salutis dispendium animarum, studeres personas et religiosa loca in libertatibus et iuribus suis defendere, illaque nullatenus aggravares. Sane dilectorum filiorum ... de Walkana et ... de Pades ac ... de Guthualia monasteriorum Abbatum et conventuum Cisterciensis ordinis Tarbatensis, Revaliensis et Lincopensis diocesium insinuatio nostro nuper apostolatui patefecit, quod tu pretextu officii tui capitaneatus regni Dacie ac ducatus Revaliensis, in quo unum ex monasteriis ipsis consistit, et reliqua duo maiorem partem bonorum suorum in illo habere noscuntur, non attendens, quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas nulla est attributa potestas, et quod dicti ordinis professores inter religiosos ceteros sub arte observantie districtione viventes divinis vacant officiis, operibus caritatis inserviunt et hospitalitatem sectantur, cuilibet monasteriorum ipsorum quadragintas marchas argenti Rigenses pro tallia imponere temere presumpsisti in gravem divine maiestatis offensam et derogationem ecclesiastice libertatis: quas marchas tu per captionem personarum et bonorum dictorum monasteriorum exhigere et extorquere nitebaris ab eis, nisi dilecti filii ... Magister et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani in Livonia, quos dicti Abbates et conventus ad ordinem ipsum asserunt specialem affectionem habere, ac eos ipsis pro nostra reverencia multos favores et presidia impendisse, treugam vel sufferenciam tecum procurassent ad certum tempus, infra quod ipsi Abbates et conventus possent super hiis ad providenciam apostolice sedis recurrere, ac nostrum super hiis oportunum subsidium implorare. Quia igitur dictum ordinem, personas et loca ipsius brachiis paterne caritatis amplectimur, et desideramus, ut Abbates, conventus et monasteria prelibata per te non solum liberari a predictis oppressionibus, sed etiam imposterum in eorum libertatibus, bonis et iuribus manuteneri, protegi et defendi: Nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, tibi nichilominus in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus pro divina, nostra et apostolice sedis reverentia impositionem huiusmodi tallie sic per te de facto contra sanctiones canonicas attemptatam studeas penitus revocare, ipsosque Abbates et conventus, et eorum monasteria occasione huiusmodi aliquathenus non gravare, quinimmo a similibus, necnon dampnis, violenciis, iniuriis, molestiis, oppressionibus et aliis gravamini-

bus quibuscunque prefatis monasteriis in personis et bonis eorum de cetero inferendis prorsus abstinens et desistens, eis in conservatione suorum bonorum, libertatum et iurium impendas, quociens erit expediens, oportunum presidium et favorem, ita quod preter retributionis eterne premium exinde a domino proventurum, ipsos Abbates et conventus intercessores apud deum habere, ac nostram benedictionem et gratiam assequi propterea uberius merearis. Datum Avinione XII. Kalendas Maii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 71. fol. 255.

DLXII.

Pontifex ecclesiae cathedrali et aliis ecclesiis dioecesis Cracoviensis privilegia a Boleslao duce Cracoviae et Sandomiriae, concessa, insertis eiusdem ducis litteris, confirmat.

Benedictus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que ecclesiis ecclesiasticisque personis pro earum libertatibus et immunitatibus pia dispositione fidelium liberaliter conceduntur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, perpetuoque nostro fuerint presidio communita. Exhibita siquidem nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Cracoviensis petitio continebat, quod dudum recolende memorie Boleslaus Cracovie et Sandomirie Dux de maturo consilio et consensu Militum suorum decrevit, et promisit omnes libertates et privilegia quelibet, per eum alias et Duces Cracovie et Sandomirie predecessores suos ecclesiis et personis quibuscumque concessa, perpetuo inviolabiliter observare, ac nichilominus omissa et neglecta, seu etiam immutata a nonnullis predecessoribus suis supplere, ac etiam reformare volens, ecclesie Cracoviensi ceterisque Collegiatis secularibus et religiosis, ac aliis quibuslibet ecclesiis in suo dominio constitutis certas libertates concessit, videlicet ut in villis, possessionibus ac proventibus et quibuslibet bonis suis acquisitis, et inposterum quocumque titulo acquirendis ab omni servitio, servitute, angaria, vexatione, thelonio, solutione, collecta et exactione generalibus vel specialibus, quocumque nomine censeantur, necnon a iurisdictione omnium Castellanorum, Palatinorum, et quorumlibet Iudicum ab ipso Duce et successoribus pariter et Nobilibus suis forent perpetuo penitus libere et exempte. Voluit etiam dictus Dux, quod Episcopus et Capitulum Cracovienses totusque Clerus a qualibet expeditione intra vel extra terminos ipsius Ducis essent perpetuo liberi et exempti, ita quod de villis, possessionibus et aliis bonis suis ecclesiasticis ad expeditiones personaliter ire, vel aliquos homines mittere minime tenerentur, excepto dumtaxat, quod tempore incursus subiti Litwanorum idem Episcopus de Kiltiensi et Tarsensi Castellaniis homines suos ad expeditionem mittere teneretur: quas quidem et alias Castellanias olim eidem ecclesie Cracoviensi per predecessores dicti Ducis concessas ab omni alia exactione, servicio, servitute, angaria, vexatione, statione, solutione, collecta, thelonio et iurisdictione generalibus vel specialibus, quocumque nuncupantur nomine, dictus Dux a se ac successoribus suis, atque Castellanis, Palatinis et Iudicibus quibuscumque voluit esse perpetuo liberas et exemptas, ita quod dictus Episcopus in eis ducali et militari iure gauderet in venando, piscando, et alia quecumque vellet faciendo, que predecessores eiusdem Ducis olim facere consueverant, cum omni iure, dominio et honore, ac nichilominus idem Dux iura et stationes, que in eisdem Castellaniis sibi et suis successoribus in signum dominii reservarat, per suum privilegium relaxavit, prout hec omnia et singula in eodem privilegio, sigilli auttentici eiusdem Ducis appensione munito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut premissa omnia et singula apostolico fulcire munimine dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum, promissionem, concessionem, voluntates et relaxationem predicta rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicti privilegii talis est. In nomine domini Amen. Cum usus rerum temporalium ac earum spaciosum dominium ad futuram gloriam promerendam nil conferant, nisi quathenus ad pias causas seu caritatis opera convertuntur: hoc sollers nostrorum predecessorum Principum providencia diligenter advertens, pro eadem consequenda gloria divini cultus intuitu mirificas extruxit tam Cathedralem quam Collegiatas, quin etiam religiosorum et secularium plures ecclesias, villis, possessionibus, proventibus ac bonis aliis secundum exigenciam cuiuslibet ipsas copiose dotando, et variis libertatibus, prerogativis et privilegiis decorando. Nos etiam Boleslaus dei gratia Dux Cracovie et Sandomirie tam salubribus eorum vestigiis inherere volentes, una cum Serenissima genitrice nostra Grimyslava de maturo consilio et consensu nostrorum Militum decrevimus et providimus, libertates et privilegia quelibet

per nos alias et per nostros predecessores concessas ecclesiis et personis ecclesiasticis quibuscumque, perpetuo inviolabiliter observare, quinimo, que a nonnullis nostris predecessoribus obmissa, neglecta seu etiam immutata fuerunt, supplere ac reformare volentes, ad omnipotentis dei gloriam et honorem, et beate Marie matris suc virginis gloriose, sanctorumque martyrum Wenczeslay et Stanislay Pontificis, Cracoviensis ecclesie Patronorum, et in remissionem omnium nostrorum peccatorum, necnon precum Venerabilis Patris nostri domini Prandote dei gratia Cracoviensis ecclesie Antistitis intuitu, eidem ecclesie Cathedrali ceterisque Collegiatis secularibus, religiosis et aliis quibuslibet ecclesiis in nostro dominio constitutis hanc concedimus libertatem, ut in villis, possessionibus et proventibus, et quibuslibet bonis suis, olim sibi acquisitis et imposterum quocumque titulo acquirendis, ab omni servicio, servitute, angaria, vexatione, thelonio, solutione, collecta, exactione generalibus vel specialibus, quocumque nomine censeantur, necnon a iurisdictione omnium Castellanorum, Palatinorum et quorumlibet Iudicum sint perpetuo a nobis et nostris successoribus pariter, et a Nobilibus nostris penitus libere et exempte, ut sic ea, que predicti predecessores nostri singularibus impenderunt ecclesiis, nos in testamentum sempiternum generaliter omnibus impendamus, insuper ut Episcopus cum Clero suo possit divinis laudibus liberius insistere et invigilare, presertim hostilitatis tempore, orationibus, ipsum, qui per tempora fuerit, Episcopum et Capitulum suum totumque Clerum ab expeditione qualibet intra vel extra terminos nostros perpetuo volumus esse liberos et exemptos, ita videlicet, quod de villis, possessionibus et aliis bonis suis ecclesiasticis venire personaliter, aut aliquos homines ad expeditiones mittere minime teneantur. Quas etiam Castellanias pariter et alias, per nostros predecessores olim predicte Cracoviensi ecclesie attributas, ab omni alia expeditione, servicio, servitute, angaria, vexatione, statione, solutione, exactione, collecta, thelonio et iurisdictione generalibus et specialibus, quocumque nomine nuncupentur, a nobis et nostris successoribus, atque a Castellanis, Palatinis et Iudicibus quibuscumque perpetuo volumus esse liberas et exemptas, ita quod Episcopus prorsus in eis gaudeat iure ducali et militari in venando, piscando et alia quecumque voluerit faciendo, que nostri predecessores olim facere consueverunt, cum omni iure, dominio et honore: insuper que in dictis Castellaniis iura et stationes in quodam alio privilegio nobis et nostris successoribus in signum dominii reservavimus, ex premissis causis per presens privilegium relaxamus. In cuius rei perpetuam memoriam presentem paginam nostri sigilli auttentici appensione per manum Twardoslay, nostre Curie subcancellarii, duximus roborandam. Actum et datum in Colloquio iuxta Sandomiriam in Blone celebrato, Anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, Idus Iunii, presentibus nostris Nobilibus infrascriptis, Adam Castellano Cracoviensi, Segneo Palatino Sandomiriensi, Nicolao Palatino Cracoviensi, Boguslao Castellano Sandomiriensi, Boguta Castellano Wislicensi, Petro Castellano Lublinensi, Vislao Castellano de Malogosch, Iacobo Castellano de Woynicz, Petro Castellano de Czechow, Iohanne Iudice Sandomiriensi, Nicolao Iudice Cracoviensi, Varshyo Dapifero Sandomiriensi, Falislao Pincerna Sandomiriensi, Guenomiro Dapifero Cracoviensi, Pelca Subcamerario Cracoviensi, Laurentio Subdapifero Sandomiriensi, Michaele Subdapifero Cracoviensi, et aliis Militibus infinitis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione II. Idus Maii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 372. fol. 255.

DLXIII.

Pontifex capitulo Cracoviensi privilegia ab eodem Boleslao duce concessa confirmat.

Benedictus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Licet ea, que pia sunt principum tam ecclesiis quam earum personis largicione concessa, salubriter firma credantur stabilitate persistere, nichilominus tamen illa, ut stabilius firmitate perpetua perseverent, apostolice confirmationis munimine roboramus. Exhibita siquidem nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Cracoviensis petitio continebat, quod dudum recolende memorie Boleslaus Cracovie et Sandomirie Dux omnes villas Capituli Cracoviensis ecclesie concessit plena in perpetuum libertate gaudere, decernens, ut omnes liberi homines eiusdem Capituli, coloni et inhabitatores ipsarum villarum eandem libertatem habeant, que ascripticiis sacre sedis Cracoviensis ab antiquo fore noscebantur indulta, et per ipsum ducem eciam roborata: ita quod iidem coloni et habitatores utpote liberi homines dicti Capituli ab eiusdem ducis, et posterorum suorum, ac Palatinorum et Castellanorum, et quorumlibet iudicum tunc presentium et futurorum iudiciis in perpetuum prorsus essent immunes, et liberi a Scrosa et Stan et Povotz, et aliis

servitutibus ac solutionibus ordinariis et extraordinariis, quocumque eedem nomine censerentur, Prevod militari excepto, quos idem dux voluit dominiorum suorum dumtaxat utilitatibus et serviciis perpetuo mancipari, prout hoc in patentibus litteris sigilli dicti ducis appensione munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti Episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut premissa omnia et singula apostolico fulcire munimine dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem et decretum predicta rata et grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem harum litterarum talis est. In nomine domini Amen. Quoniam, ut ait auctoritas, omnes morimur, et quasi aqua dilabimur, ne mortalium gesta celebri et perpetua memoria semper digna temporum decursu queant in dubium adduci, et eorundem mutabilitate ambiguitatis discrimine imposterum aliquatenus possent pati, opere precium est ea, que huiuscemodi sunt, instrumentis et expressione testium perhennari. Hinc est, quod nos Bolezlaus dei gratia Cracovie et Sandomirie Dux, per oppositum gerere nos volentes Bolezlao quondam Polonorum Regi, reo mortis et sanguinis preclari Christi Martyris et Pontificis Stanizlai, et animadvertentes, quomodo in suis mirabilis deus sanctis, miris virtutum prodigiis dignatus est eundem mirificare plusquam admirabiliter sanctum suum, et ideo cupientes ipsum honorare in terris, quem deus glorificavit in celis, pro remedio felicis anime Patris nostri clare memorie Cracovie et Sandomirie ducis Lezconis, et incolumitate generose nostre genetricis ducisse Grimizlave et nostra, et ingenue consortis nostre Cungundis precordialis filie Regis incliti Hungarorum, intuitu beneficiorum et servitiorum, que nobis Venerabilis in Christo Pater dominus Prandota Episcopus et Capitulum Cracovienses impenderunt, et sunt in futurum, auctore domino, prestituri, omnes villas Capituli Cracoviensis ecclesie, cui memoratus sanctus, dum adhuc ipse vita potiretur presenti, presedit, in eadem pontificali officio digne functus, interventu Venerabilis sponse Christi germane nostre sororis, videlicet Salomee, quondam Galicie Regine, plena imperpetuum gaudere concedimus libertate, Id ex nostra devocione racionis arbitrio decernentes, ut omnes liberi homines Capituli supradicti a nostrorum et nostrorum posterorum, et Palatinorum et Castellanorum, et quorumlibet Iudicum aliorum presentium et futurorum iudiciis penitus imperpetuum sint immunes, et prorsus liberi a Scrosa et Stan et Povotz, et aliis servitutibus et solutionibus ordinariis et extraordinariis, quocumque eedem nomine censeantur, Prevod militari excepto, quos volumus dominorum suorum utilitatibus et serviciis perpetuo mancipari, adicientes, quod si quis hanc donationem et concessionem nostram voluerit infirmare, vel ei ausu temerario contraire, indignationem omnipotentis dei, et beati eius martyris Stanislai, et nostram cum excommunicationis sententia se noverit incursurum. Datum in Cracovia per manum fratris Bartholomei ordinis Minorum, mediatoris inter nos ex una parte, et Capitulum Cracoviense ex altera parte, anno ab incarnatione domini M.CC. quinquagesimo quinto, Indictione XIII., XV. Kal. Iunii, et postmodum confirmatum et publicatum in colloquio habito apud Bansovam eodem anno domini Nonis Septembris, presentibus hiis testibus, quorum nomina sunt hec: Venerabiles patres Fulco dei gratia Gneznensis Archiepiscopus, Prandota Cracoviensis Episcopus, frater Albertus ordinis Minorum domus de Zavichost, Adam Castellanus Cracoviensis, Sengneus Palatinus Sandomiriensis, Bogufalus Castellanus Sandomiriensis, Sulco Castellanus Wisliciensis, Nycolaus Castellanus de Lublin, Bronisius Castellanus de Beych, Nicholaus Iudex Cracoviensis, Petrus Iudex Sandomiriensis, Smil Pincerna Cracoviensis, Sulco Subagazo Cracoviensis, Albertus Subagazo Sandomiriensis, Petrus Subvenator Sandomiriensis, Char Camerarius domini Archiepiscopi, Petrus Dapifer domini Episcopi Cracoviensis, et alii quamplurimi: ad robur autem omnium premissorum presens scriptum nostro sigillo, Venerabiliumque patrum supradictorum, scilicet F. Archiepiscopi et P. Cracoviensis Episcopi, sigillis duximus muniendum. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione II. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 254. fol. 210.

DLXIV.

Ioanni episcopo Cracoviensi, ut quibusdam clericis suae dioecesis de canonicatibus etc. providere possit.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolencia prosequentes, illam tibi libenter gratiam impertimur, per quam te reddere valeas gratiosum. Tuis itaque suppli-

cationibus inclinati, tibi, qui sicut asseris, licet ecclesie tue Cracoviensi, in qua canonicatuum et prebendarum ad te collatio pertinet, iam XIIII. annis prefueris, tamen propter expectantes inhibi apostolica auctoritate prebendas nulli adhuc potuisti de canonicatu et prebenda ipsius ecclesie auctoritate ordinaria providere, recipiendi ac faciendi recipi hac vice auctoritate apostolica in eadem Cracoviensi ecclesia dilectos filios Thomislaum Iacobi, et Swentopelcum Msczugii clericos Cracoviensis diocesis, etiamsi alias beneficiati existant, in Canonicos et in fratres, stallo eis in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris Canonici assignatis, ac reservandi donationi tue duas prebendas, si tempore huiusmodi tue reservationis in ecclesia ipsa vacabunt, vel quamprimum sive simul sive successive vacaverint, quas dicti Thomislaus et Swentopelcus per se vel eorum procuratores ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam eis vel procuratoribus predictis de prebendarum ipsarum vacatione constiterit, duxerint acceptandas, conferendas eisdem Thomislao et Swentopelco post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis, ac inhibendi districtius Episcopis Cracoviensibus, successoribus tuis, ne de huiusmodi prebendis interim, etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod Thomislaus et Swentopelcus vel procuratores predicti illas noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, necnon et huiusmodi prebendas, quas reservabis, si tunc vacabunt vel quamprimum sive simul sive successive vacaverint, ut prefertur, post acceptationem predictam cum iuribus et pertinenciis supradictis eisdem Thomislao et Swentopelco auctoritate predicta conferendi, et providendi de illis, ac inducendi per te vel alium seu alios dictos Thomislaum et Swentopelcum, vel procuratores suos eorum nomine in corporalem possessionem prebendarum ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductos, sibique faciendi de ipsorum canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores quoque auctoritate predicta, appellacione postposita, compescendi, Non obstantibus de certo Canonicorum numero, et quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas expectantibus in eadem, dictos Thomislaum et Swentopelcum in assecutione dictarum prebendarum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem dictarum prebendarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, Aut si Episcopo Cracoviensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis Capitulo eiusdem ecclesie, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia prefate sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, Aut si dicti Thomislaus et Swentopelcus presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia ipsorum per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter illud prestent, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Nos etiam decernimus irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione V. Kal. Iulii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 377. fol. 258.

DLXV.

Regi Polonie, ut quaedam monasteria ord. S. Clarae semel in anno ingredi cum sex honestis viris possit.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Regalis devocionis, qua nos et Romanam revereris ecclesiam, exposcit integritas, ut que a nobis sup-

pliciter postulas, affectu tibi benivolo concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum sex honestis personis Sandecense Cracoviensis diocesis, in quo matertere, que sicut asseris ipsum fundavit et dotavit, ac Regine Polonie genitricis tuarum corpora requiescunt, et sancti Andree Cracoviensis monasteria ordinis sancte Clare, quod progenitores tui bonis plurimis dotaverunt, quibuscumque ipsorum monasteriorum statutis et consuetudinibus, ac quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, semel in anno dumtaxat causa devocionis ingredi valeas, dummodo earum, que monasteriis ipsis prefuerint, ad id accedat assensus, et tu dicteque personc ibidem non comedatis, nec etiam pernoctetis, tenore tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione III. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. ep. 153. fol. 171.

DLXVI.

Episcopo Cracoviensi, ut iuramentum per regem Poloniae praestitum super certis pactis et conventionibus relaxet.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ..... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Eximie devocionis affectus, quem Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris ad nos et apostolicam sedem habere dinoscitur, promeretur, ut ad ea presertim nos sibi reperiat favorabiles et benignos, que anime sue salutem concernere dinoscuntur. Ex oblate siquidem nobis peticionis eiusdem Regis serie nuper accepimus, quod cum dudum gens scismatica Ruthenorum quondam Boleslaum Ducem Russie, ipsius Regis consanguineum germanum de fidelibus procreatum parentibus, veneno impie, ac nonnullos alios Christi fideles eidem Duci, dum viveret, obsequentes immaniter occidissent, idem Rex huiusmodi scelus abhorrens, et zelo ulciscende iniurie fidei christiane accensus, cum exercitu suo terram Russie dictam gentem expugnaturus intravit: et per ipsum eidem genti multis dampnis illatis, ... Capitaneus ipsius gentis ad Usbek Tartarorum Imperatorem, cui gens ipsa tributaria dinoscitur, accedens, contra dictum Regem multitudinem Tartarorum adduxit, et nichilominus ab eodem Imperatore obtinuit, quod ad invadendum et destruendum Regnum Polonie magnum nimis dictorum Tartarorum exercitum destinaret: et tandem dictus Rex diligenter attendens, quod ad huiusmodi prosequendum negocium catholicorum principum vicinorum necessariam assistenciam, licet ipsam postulaverit, non habebat, premissis omnibus et aliis, que ex ipsis sequi poterant, attente pensatis, quodque Capitaneus et gens predicta se dicti Regis mandatis et beneplacitis coaptabant, iidem Rex et Capitaneus atque gens certa convenciones et pacta cum certis serviciis et subiectionibus eidem Regi exhibendis concorditer invicem inierunt. Inter que quidem convenciones et pacta prefatus Rex prestito iuramento promisit, quod Capitaneum et gentem predictos in omnibus tueri debebat, ipsosque in eorum ritibus, iuribus et consuetudinibus conservare: verum quia dictus Rex, sicut asserit, dubitabat, se in hiis prevaricasse domini voluntatem, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis de salutari remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur saluti anime dicti Regis, quantum cum deo possumus, in hac parte salubriter providere volentes, fraternitati tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mendamus, quatenus huiusmodi iuramentum quantum ad huiusmodi pacta et convenciones illicita per Regem prestitum supradictum auctoritate nostra relaxes, iniungens ipsi Regi pro dicto iuramento temerario penitenciam salutarem. Datum Avinione III. Kal. Iulii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 154. fol. 171.

DLXVII.

Eidem episcopo, ut cum Pelcha de Zochow et Margarita uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Exhibite nobis pro parte nobilis viri Pelche Michaelis de Zochow, et nobilis mulieris Margarite nate quondam Iacobi de Pozrcheyn tue diocesis peticionis series continebat, quod olim postquam ipsi, quod se invicem in coniuges deberent recipere, per certas personas intermedias promisissent, dum se pararent hinc inde ad matrimonium inter se tam per verba de presenti, quam per carnalem copulam consumandum, quondam Grivosandus Sinilonis eidem Pelche quarta linea consanguinitatis coniunctus, spiritu dyabolico instigatus, eandem Margaritam, licet nolentem et quatenus potuit renitentem, rapuit violenter, ipsamque per plures septimanas ad diversa loca deducens, violenter et occulte detinuit, volens eam sibi coniugio copulare, et licet ipsa nunquam in huiusmodi matrimonio voluerit consentire, idem tamen Grivosandus

dictam Margaritam licet noluntariam noscitur carnaliter cognovisse, que tandem opportunitate captata furtim ab ipso Grivosando recedens ad prefatum Pelcham tanquam ad illum, cui promiserat fidem, accessit, et demum ipsi consanguinitatem non ignorantes predictam matrimonium inviccm per verba de presenti, ut moris est, solempniter et publice contraxerunt, et carnali inter eos copula subsecuta, per triginta quinque annos vel circa cohabitarunt pariter et prolem ex huiusmodi matrimonio susceperunt, nullo unquam se huiusmodi matrimonio opponente. Cum autem sicut dicta peticio subiungebat, iidem Pelcha et Margareta propter impedimentum, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non possint in dicto matrimonio absque dispensatione apostolica remanere, et ex divorcio ipsorum, si fieret, possent inter ipsorum consanguineos, qui nobiles sunt, inimicitie suscitari, essetque perpetua confusio utriusque, qui eciam de nobilibus noscuntur originem contraxisse, nobis pro parte ipsorum fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de absolutionis ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, et de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum Christi fidelium salutem appetimus, huiusmodi inimicitiis, quantum cum deo possumus, obviare, ac saluti animarum Pelche et Margarete predictorum providere salubriter cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, et tibi videatur expediens, quod dicta dispensatio concedatur, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem Pelcha et Margareta separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, ipsos ab excommunicationis sententia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas, iniuncto eis inter alia sub virtute iuramenti prestandi, quod similia non committant, nec facientibus prestent auxilium, consilium vel favorem, iniunctis ipsis eciam penitentia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et demum cum eisdem Pelcha et Margareta, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante matrimonium de novo invicem contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, auctoritate predicta dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione Nonis Iulii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 156. fol. 172.

DLXVIII.

Regi Poloniae pontifex, quare sententiam contra fratres hosp. S. Mariae Teutonicorum latam approbare non possit, significat.

Benedictus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Dudum Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Cracoviensem, et dilectum filium Nobilem virum Nimirum Militem, tue celsitudinis Nuncios, ad nostram presenciam accedentes, necnon litteras tuas Rogias ab eis nostro apostolatui presentatas solita benignitate recepimus, et que ipsi Nuncii pro parte Regia curaverunt coram nobis proponere, dicteque continebant littere, pleno collegimus intellectu. Cum autem quandam sentenciam per dilectos filios Galhardum de Carceribus Prepositum Titulensis Colocensis diocesis, et Petrum Gervasii Canonicum Aniciensis ecclesiarum, Commissarios super questione inter te, fili carissime, ex parte una, et dilectos filios Magistrum, Commendatores et fratres ordinis beate Marie Theotonicorum ex altera deputatos, super certis ducatibus sive terris infra Regnum tuum Polonie, ut asseritur, consistentibus, auctoritate apostolica latam pro te, ac contra Magistrum, Commendatores et fratres predictos peterent a nobis ex nostra certa sciencia confirmari: Nos petitioni huiusmodi annuere, si iuste valeret fieri, cupientes, processum per dictos Commissarios super predictis habitum, et eandem sentenciam nobis per ipsos Nuncios exhibitos examinari per quosdam ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus fecimus diligenter, et quia per relationem fidelem inde ab ipsis Cardinalibus nobis factam in dicto processu notabiles invenimus deffectus, non potuimus decenter, nec de iure debuimus confirmationem concedere postulatam: sed optantes inter te dictosque Magistrum, Commendatores et fratres super eadem questione mutuam concordiam reformari, tandem cum tuis predictis, et prefatorum Magistri, Commendatorum et fratrum Nunciis apud sedem apostolicam existentibus, mediante dilecto filio nostro Guillelmo tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero Cardinali, tractatore a nobis super hoc deputato, post diversos prolixos tractatus et altercationes multiplices habitas hinc et inde ad certum modum concordie nobis gratum utique fuit deventum, quamobrem nos ad id perficiendum certos Commissarios electos communiter ab ipsis Nunciis duximus in partibus illis per nostras litteras deputandos, sicut in eisdem continetur litteris, et prefati tui Nuncii, quorum prudentiam et solertem diligentiam ab eis super premissis adhibitam commendamus, et moram

ipsorum diucius contractam in Curia, cuius causa fuerunt prolixitas tractatuum predictorum et altercationum, que intervenerunt in eis, diversitas, excusamus, tue magnificentie refferre poterunt viva voce. Porro, fili dilectissime, de te gaudemus in domino et plurimum consolamur, quod sicut gratis et placidis admodum percepimus relatibus, tu ad eum et eandem sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam ingentis gerens devotionis affectum, circa colendum, confovendum et manutenendum in Regno et terris tuis cultum iusticie studiis virtuosis intendens, ad repressionem et depressionem hostium crucis Christi, ac catholice dilatationem fidei magnanimiter et strenue tanquam Princeps christianissimus laudabiliter impendisti hactenus, et iugiter impendere non desistis: Ideoque tuam rogamus excellentiam et in domino attencius exhortamur, quatenus consideranter attendens, quod non inceptantibus, sed perseverantibus est corona glorie repromissa, tam in devotione predicta, que te deo semper acceptiorem efficiet, et prosperabit continue facta tua, quam aliis predictis et ceteris virtuosis et laudabilibus actibus, ex quibus fama tui nominis et honoris incrementa suscipiet felicia, mente sincera et continuatione solida perseveres, ecclesias et personas ecclesiasticas in eisdem Regno et terris tuis consistentes habendo nichilominus in suis iuribus, et libertatibus pro divina et eiusdem sedis reverencia tueque obtentu salutis propensius commendatas, sciturus, fili amantissime, quod si nos et sedes predicta in premissis et aliis virtuosis et deo placibilibus actibus, sicut talem decet Principem, exercendis te sincerum et constantem invenerimus, ut speramus, circa tua et Regni tui commoda reperiemur, quantum cum deo fieri poterit, propicii, favorabiles et benigni. Datum Avinione xv. Kal. Augusti. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. ep. 128. fol. 56.

DLXIX.

Nunciis regis Poloniae datur salvus conductus.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis etc. ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Iohannes Episcopus Cracoviensis, et dilectus filius Nobilis vir Nimirus miles, ambaxatores et Nuncii carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, exhibitores presentium, qui dudum ad presentiam nostram et sedem venerunt apostolicam pro certis expediendis negociis Regem memoratum tangentibus, ab eadem sede de nostro beneplacito recedentes ad Regem prefatum, qui eos miserat, revertantur: Nos eos una cum familiaribus et bonis suis, redeundo ad partes suas, cupientes plena securitate gaudere, Universitatem vestram rogamus, monemus et in domino attentius exhortamur, quatenus ipsos, cum per terras, districtus, portus et loca vestra eundo ad partes predictas transiverint, benigne recommendatos habentes, nullam eis in personis aut rebus eorum, vel familiarium suorum inferatis iniuriam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed eis potius de securo conductu, si a vobis illum petierint, sic prompte pro nostra et eiusdem sedis reverencia providere curetis, quod inde vestra possit devotio merito commendari. Datum Avinione x. Kal. Augusti. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. ep. 263. fol. 109.

DLXX.

Engelbertus ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur, et ut moris est, commendatur.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Engelberto Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque discrimina secum trahat diutina ecclesiarum vacatio, solicite considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impertimur, ut viduatis ecclesiis, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et utilitas persuadet, nunc per debite provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accommode pastores preficiantur ydonei et ministri providi deputentur, quorum eedem ecclesie fulte presidiis et favoribus communite votivis et prosperis, auctore domino, proficiant incrementis. Nuper siquidem Rigensi ecclesia per obitum bone memorie Frederici Archiepiscopi Rigensis, qui apud apostolicam sedem diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos considerantes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se ea vice intromittere poterat, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum cathedralium tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinationi et dispensationi nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contin-

geret attemptari, ac ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, cupientes quoque talem eidem ecclesie secundum cor nostrum presidere personam, que posset eandem in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, ipsamque preservare a noxiis et adversis, post deliberationem, quam super hiis infra nos primo, et deinde cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Episcopum Tarbatensem, consideratis virtutum grandium meritis et donis multiplicium gratiarum, quibus personam tuam altissimus insignivit, et quod tu, qui regimini Tarbatensis ecclesie hactenus laudabiliter et utiliter prefuisti, dictam Rigensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum: intendentes itaque tam Rigensi ecclesie prelibate, quam gregi dominico eiusdem salubriter providere, te a vinculo, quo eidem Tarbatensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam ecclesiam Rigensem transtulimus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Rigensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam intemporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad prefatam Rigensem ecclesiam transeundi, ac deinde palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, a te cum ea, qua decuit, a nobis instancia postulatum per dilectos filios nostros Raymundum sancte Marie Nove et Galhardum sancte Lucie in Silice ac Iohannem sancti Angeli diaconos Cardinales tibi fecimus exhiberi, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prelibata Rigensis ecclesia per tue diligencie studium fructuosum, deo propicio, regetur utiliter, et salubriter dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem huiusmodi eiusdem Rigensis ecclesie tibi commissas gerere studeas fideliter et solerter, gregem dominicum inibi tue commissum fidei doctrina verbi et operis informando, ita quod inde preter divine retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem tibi vendices et ampliorem gratiam merearis. Datum Avinione xv. Kalendas Novembris. Anno Septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Rigensis, Clero et populo civitatis et diocesis Rigensium, universis vassallis et suffraganeis ecclesie Rigensis, et Preceptoribus et fratribus domus beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani in Livonia et Pruscia, ut eidem obedientiam et reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VII. Com. ep. 358. fol. 249.

DLXXI.

Preczlaus de Pogorella ecclesiae Vratislaviensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio Preczlao de Pogorella Electo Wratislaviensi, sal. etc. Providentia Regis eterni, cuius inscrutabili altitudine in regno mundi ordinationem suscipiunt uniuersa, supreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes, ad universas orbis ecclesias aciem nostre considerationis extendimus, et pro earum statu feliciter dirigendo apostolice solicitudinis studium adhibemus: de illis vero propensius cogitare nos convenit, que viduitatis deplorant incommoda, ut eis iuxta cor nostrum pastores preficiantur ydonei, per quorum prudentiam, scientiam et doctrinam ecclesie ipse salubriter et utiliter gubernate statu prospero floreant et accrescant. Dudum siquidem bone memorie Nankero Episcopo Wratislaviensi regimini Wratislaviensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie canonice ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Nankeri, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, reservationis et decreti huiusmodi forsan ignari, te Canonicum ipsius ecclesie, tunc in subdiaconatus ordine constitutum, per viam compromissi in Wratislaviensem Episcopum quamvis de facto concorditer elegerunt, tu qui reservationem et decretum eadem, ut asseris, ignorabas, huiusmodi electioni de te facte ad Capitulum predictorum instantiam consensisti, et tandem reservatione et decreto prefatis tam ad tuam, quam dictorum Capituli deductis notitiam, tu per te ipsum dictumque Capitulum per eorum certos procuratores ydoneos ad sedem predictam accessistis, et huiusmodi electionis negocium proponi fecistis in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes, quod huiusmodi electio utpote facta post et contra reservationem et decretum nostra predicta iuribus minime subsistebat, et ad

provisionem ipsius ecclesie celeriter et feliciter, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponeretur incommodis, solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris sumpsimus diligentem, demum considerantes concordem predictorum te eligentium voluntatem, ad te interim ad sacerdotium rite promotum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, et aliis virtutum donis, prout ex fide digno testimonio percepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Wratislaviensi, quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, de persona tua eidem Wratislaviensi ecclesie de fratrum predictorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis ex laudabilibus tuorum fructibus studiorum, quod gratia tibi assistente divina, eadem Wratislaviensis ecclesia sub umbra tui nominis gubernabitur, regetur et dirigetur solicite, fideliter et prudenter, augmentaque suscipiet commodi et honoris. Impositum igitur a domino in hac parte humeris tuis onus suscipiens reverenter, illudque ferens humiliter et devote, curam (et) administrationem predictas sic gerere studeas diligenter, quod predicta Wratislaviensis ecclesia pastori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, et apud remotos et proximos cum evidentia tuorum operum laudandorum fama tua clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat te opportuno tempore prosequi, tuisque desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione quinto Kal. Februarii. Anno Octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Wratislaviensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Wratislaviensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie et Archiepiscopo Gneznensi, mutatis mutandis etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Com. ep. 37. fol. 369.

DLXXII.

Preczlao episcopo Vratislaviensi licentia ad suam ecclesiam se conferendi datur.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Preczlao Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Pridem Wratislaviensi ecclesia solacio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Epum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per venerabilem fratrem nostrum Petrum Epm Penestrinum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam Wratislaviensem cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retribucionis eterne premuim nostre benevolencie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Dat. Avinione xiiii. Kal. Aprilis. Anno VIII. Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia ep. 27. fol. 366.

DLXXIII.

Registrum residuae decimae sexennalis et denarii B. Petri collectorum per Galhardum de Carceribus in dioecesi Cracoviensi.

Notum sit omnibus de presenti Regestro notitiam habituris, quod ego Galhardus de Carceribus, ecclesie Tituliensis prepositus Colocensis diocesis, apostolice sedis Nuncius, ex commissione eiusdem sedis arripui iter meum de Avinione eundo ad Regnum Polonie ii. die Maii, que fuit sub anno domini m.ccc.xxxiv. Et cum pervenissem ad idem Regnum Polonie eodem anno, videlicet xxii. die Augusti, incepi colligere ea, que inferius continentur, iuxta predicte sedis apostolice commissiones et mandatum. Et est sciendum, quod in dicto meo recessu de Avinione dominus . . . Camerarius clx. flor. michi tradidit pro expensis. Et primo in dyocesi Cracoviensi incepi colligere et recipere residua decime sexannalis, per dnum Clementem papam V. in Concilio Wiennensi imposite, michi per Magistrum Petrum de Alvernia data impendenti: in qua dyocesi xvi. denarii pro grosso, et xlviii. grossi pro marcha solvebantur.

Primo dnus Episcopus Cracoviensis per manus sui Thezaurarii solvit vii. marcas. Item per manus dni. Iacobi de Tervisio solvit vii. marcas.

CAPITULUM ECCLESIE CRACOVIENSIS.

Bodzatha Decanus solvit XIII. scotos et quart. Item Iaroslaus Archidiaconus XIII. scot. et quart. Sbigneus Prepositus XIII. sc. et qu. Petrus Scolasticus XIII. sc. et qu. Martinus Cantor XIII. sc. et qu. Thomislaus Canonicus XIII. sc. et qu. Sveczlaus Can. XIII. sc. et qu. Adam Can. XIII. sc. et qu. Iwo Can. XIII. sc. et qu. Prandotha XIII. sc. et qu. Bartholomeus XIII. sc. et qu. Nassan Can. XIII. sc. et qu. Henricus de Weliczka XIII. sc. et qu. Hermannus procurator domini Regis XIII. sc. et qu. Iohannes Archidiac. Sandomiriensis XIII. sc. et qu. Ottho Cantor Sandomiriensis XIII. sc. et qu. Petrus se Verulis XIII. sc. et qu. Bogufalus Scolasticus Wladislaviensis XIII. sc. et qu. Petrus Prepositus S. Floriani XIII. sc. et qu. Petrus nepos Archidiaconi XIII. sc. et qu. Symon de Marchow XIII. sc. et qu. Paulus Andree XIII. sc. et qu. Wirchoslaus Canonicus XIII. sc. et qu. et pro administratione per ipsum facta in Episcopatu Cracoviensi CXII. marcas et VII. stot. Item solvit pro eodem debito XVIII. marcas. Sequitur

DECANATUS DE CZIRICZ.

Plebanus de Gay solvit III. scotos. Item de Martini villa IX. scotos.

DECANATUS ZATHORIENSIS.

Plebanus de Wosnig solvit X. scotos. Item de Targovicz VIII. scotos.

DECANATUS TARNOVIENSIS.

Decanus ibidem solvit pro ecclesia de Iassan VI. scotos.

DECANATUS BICHOMIENSIS.

Item de Woycovicz solvit XIV. scot. et X. den. de Bandin II. marc. et III. den. De Grodzecz X. scot. cum dimidio et VII. den. De Cosseglov I. marc. III. gross. et IX. den. De Niculczicz III. scotos.

Plebanus de Syravria VI. scot. De Cargow VI. scot. cum dimidio. De Sevor VIII. scot. De S. Margareta XVIII. scot. De Sancovicz VI. scot. De Woycovicz X. scot. De Bandzeu IX. scot. De Groczecz IV. scot. cum dimidio. De Camen VI. scot. De Bicupicz IV. scot. cum dimidio. De Cosseglou XXVIII. scot. De Niculcicz III. gross. De Czelacz V. scotos.

DECANATUS OSSVENCIMENSIS.

Plebanus de Ossvencim solvit III. marcas.

ECCLESIE EXISTENTES IN PREPOSITURA KILCIENSI.

Plebanus de Dambo solvit IV. scotos et IX. denarios.

ALTARISTE IN ECCLESIA CRACOVIENSI.

Vicarius Archidiaconi solvit VI. scotos.

ARCHIDIACONATUS LUBLINENSIS.

Archidiaconus ibidem tam pro residuis decime, quam denarii beati Petri solvit pro suis subditis XV. marcas et XX. scotos. Item pro debito Romancz pro Advocato de Bechna solvit IV. marcas cum dimidia.

Sequitur solucio restauciarum denarii beati Petri. Plebanus de Erbordi villa solvit XI. scot. et quart. Item de Gay VI. scot. cum dimidio et II. den. Item de Tarnowa I. scotum.

DECANATUS PRANCDOCINENSIS.

Plebanus de Mechovia solvit I. marcam et XV. scotos.

DECANATUS ANDRSEOVIENSIS.

Plebanus de Dirscow solvit VIII. scotos. De Obichow III. fertones. De Ondrseow (Andreow) IV. scot. De Moscorsow XVII. scot. De Gemelno X. scotos.

DECANATUS CAZIMIRIENSIS.

Plebanus de Cazimiria solvit I. marcam. Item de Bobino X. scot. De Niculscivicz IV. scot. De Raphalovitz VIII. scot. De Gorzcow XX. scot. De S. Laurencio VI. scotos.

DECANATUS DE IRSAND.

Plebanus de Nakel solvit III scot. De Cromelow XII. scot. De Podloze VIII. scot. De Prsibinow V. scot. De Negova V. scotos.

DECANATUS SLAUCOVIENSIS.

Plebanus de Secovicz solvit VI. scotos. Item de Sewerz VIII. scotos.

DECANATUS KIGE.

Plebanus de Lissow solvit VII. scotos et IV. denarios.

Decanatus Tarnoviensis.

Plebanus de Scepanow solvit vii. scotos.

Decanatus Sandecensis.

Plebanus de Megilnow solvit x. scotos. Item de Sandetz iii. scotos.

Parrochia in Prepositura Visliciensi.

Ecclesia de S. Laurencio prope Wislam solvit viii. scotos. Item Prepositus Scarbimiriensis ii. marcas et xi. grossos.

Decanatus Leloviensis.

Plebanus de Glagossow solvit vi. scot. Item de Irsandz viii. scot. De Strabicz iii. scotos.

Decanatus de Corcin.

Plebanus de Solecz solvit xii. scotos cum dimidio.

Decantus de Czarnecin.

Plebanus de Chroberz solvit xxi. scotos et viii. denarios.

Decanatus Zavichostensis.

Plebanus de Targovistz solvit ix. scot. et postea iii. scot. Item Vicearchidiaconus ii. scot. Item Thezaurarius Cracoviensis pro Martino plebano de Wanzow Wratislaviensis dyocesis solvit xxii. marcas grossorum.

Summa summarum predictarum remanenciarum in dyocesi Cracoviensi clx. flor. ccxxxi. marc. et xii. denarios.

Ratio Collector. Polon. et Hungar. An. 1334 — 1342. fol. 13 — 15.

DLXXIV.

Summarium ex Registro denarii B. Petri collecti per Galhardum de Carceribus in regno Poloniae et dioecesibus Vratislaviensi et Culmensi ab an. mcccxxxv. usque ad an. mcccxlii.

Sequitur recollectio denarii beati Petri per me facta in dyocesi Cracoviensi sub anno domini m. ccc. xxxv. primo anno mee recollectionis: quo anno in toto Regno Polonie parvi grossi et multum precisi solvebantur et currebant.

Civitas Cracoviensis.

Plabanus S. Marie solvit v. marc. xi. scotos cum dimidio. Item de S. Stephano i. marc. xi. scot. De Omnibus Sanctis ii. marc. v. gross. De S. Cruce i. marc. iv. scotos. De Suerfincia (sic) viii. scot. De S. Nicolao vii. scot. De S. Iacobo xvi. scot. De Rupella ix. scot. Item prepositus Scarbimiriensis ii. marc. v. scot. cum dimidio. Sequitur

Decanatus de Cziricz.

Plebanus de Mislimicz solvit vi. scotos. Item de Brsesnicia xx. scot. De Stebmicz vi. scot. De Lossossnia ii, scot. De Cridlina iii. scot. De Cziricz xx. scot. De Sobolow v. scot. cum dimidio. De Erbordi villa ii. scot. et quart. De Zogothe villa iii. scot. De Crisanovicz viii. scotos. De Calin xvi. scot. De Biscupicz i. marc. v. scot. cum dimidio. De Cescessicz viii. scotos. De Glovossow ii. scot. De Iavoring iii. scot. cum dimidio. De Rotembrod ii. scot. De Gay vi. scot. cum dimidio et vii. den. De Wissnice xii. scot. De Lassan ii. scot. De Bechna ii. marc. De Weliczka ii. marc. ix. scot. De Novorudel iv. scot. De Dobsicz xxii. scot. De Drogina viii. scot. De Raczchovicz viii. scot. De Zacliczino iv. scot. De Lipnig xix. scot. De Negovecz i. marc. De Lapcicia x. scot. De Martini villa iii. scot. De Luppanow viii. scot. De Gdow xii. scot. De Cargowa v. scot. De Villa Regis x. scot. cum dimidio. De Saprow iv. scot. De Lubucowa xviii. scot. De Mogilan iv. scot. De Zecanovicz ix. scot. viii. den. De Pogvisdow v. scot. De Bodzanow xv. scot. et quart. De Bizeze x. scot. cum dimidio et iv. den. De Sulcovicz vi. scot. et quart. De Conradi villa ix. scot. cum dimidio.

Decanatus Sandecensis.

Plebanus de Mantina solvit viii. scot. De Welglow xiv. scot. De Longo prato iv. scot. De Novosandecz iii. marc. v. scot. cum dimidio. De Beganovicz vi. scot. De Iacubcovicz ix. scot. cum dimidio iv. den. De Libertate Iohannis iii. scot. De Tangoborsa viii. scot. cum dimidio. De Sbisicz v. scot. De Sedlecz vi. scot. De Antiquosandecz xxii. scot. cum dimidio. De Moscencia v. scot. cum dimidio. De Barcicz iv. scot. De Sedlisci et de Wylczsco xv. scotos. De Podgrodze iii. marc. minus grosso. De Villa ferrea xv. scot. De Lenczsco i. marc. xv. scotos. De Prsissova v. scot. De Nigro-

fluvio IV. scot. De Lucovicz IX. scot. De Iazowscho III. scot. De Smildlno III. scot. IV. den. De Comoravicz VIII. scot. De Libertate Iuconis IV. scot. cum dimidio. De Mislichou VI. scotos. De Sverado IX. scot. cum dimidio. De Mogilnow X. scotos.

DECANATUS BICHOMIENSIS.

Plebanus de Sevor solvit VIII. scot. De Woychovicz II. scot. De Sanzow V. scot. De Sanczkovicz VII. scotos. De Grodzecz IV. scot. cum dimidio. De Mislavicz IX. scot. Item decanus pro ecclesia S. Marie V. fertones. De S. Margaretha IV. scot. De Czelacz V. scot. De Camen VI. scot. De Biscupitz IV. scot. cum dimidio. De Niculicz III. gross. De Nancon V. scot. De Moycovicz II. scot. De Repth VI. scot. De Cozeglow IV. scot. De Pecar V. scot. De Symunia ....

DECANATUS ZATHORIENSIS.

Item de Novo Rudzeszow solvit XII. scotos. De Zathor I. marc. III. scot. De Sirvichow IX. scot. De Petrovicz V. scot. cum dimidio. De Spedzcyovicz IX. scot. cum dimidio. De Blambovicz VI. scot. De Witonovicz VII. scot. De Hermanni villa III. scot. De Panedizeu III. scot. De Antiquosudlou VI. scot. cum dimidio. De Muchar VII. scot. IX. den. De Vadovicz IV. scot. cum dimidio. De Polanka XII. scot. De Tincia XVIII. scot. De Przegina VIII. scotos. De Moravicia XX. scotos cum dimidio. De Grambcicz V. gross. De Villa Zibothonis II. scot. De Poramca marcanis IV. scotos cum dimidio. De Cressin VI. scotos cum dimidio. De Wepis VIII. scot. cum dimidio.

DECANATUS NOVI MONTIS.

Item de Regulicz solvit V. scotos. De Slaucovia I. marc. IX. scot. De Solecz VII. scot. De Ruczlavicz X. scotos. Item decanus ibidem XII. scot. De Chotel V. scot. VIII. den. De Cressovicz IX. scot. De Trebina V. scot. De Tarnovia XV. scot. De Paczoldi villa VI. scot. De Rudavia XII. scotos. De Gorovicz III. sc. De Plog V. sc. De Przegina XIV. scot. De Ilkus V. fertones. De Iavorno VIII. sc.

DECANATUS LELOVIENSIS.

Primo de Wola solvit II. scotos. Item de Czarnovecz I. marc. cum dimidia. Item Archipresbiter de Lelovia I. marc. cum dimidia. Item de Pilcia IX. scot. et IV. den. De Kepl III. scotos. De Sessessin VI. scot. et XX. den. De Racenow III. scot. De Chirdow IV. scot. De Clusicz VI scot. De Potog VI. Scot. De Nakel III. scot. De Mscow IX. De Irzandesch VIII. scot. De Zanthocova III. scot. De Golotol VI. scot. De Przibina V. scot. De Clobuscho I. ferton. De Negova V. scot. De Pedlosse VIII. scot. De Cromolow XII. scot. De Lessnow IV. scot. De Tanssin II. scotos.

DECANATUS DE VISSECICZ.

Primo de Prandecin solvit I. marc. VIII. scot. Item de Zeloneg XVI. scotos. De Imramovicz XIII. scot. XII. den. De Sanspova VI. scot. De Hermanni villa IV. scot. De Bolechevicz XVI. scot. et VIII. den. De Vissecicz XXI. sc. et VIII. den. De Uneyow XIII. scot. De Dscicitia XVI. scot. De Slatvicz III. scot. cum dimidio. De Medzvecz XII. scot. De Raciboravicz XXV. scot. De Moldnitia IV. scot. cum dimidio. De Golcza XXIV. scot. De Scala X. scotos. De Solossin X. scot. VIII. den. De Srnevava I. marc. De Gebolthou V. scot. De Smarssovicz V. gross. De Mechovia I. marc. XV. scot. De Seczechovicz IX. scot. De Mlinoga XVII. scot. De Weczlavicz XX. scot. De Ivanovicz VIII. scot. De Ulma IV. scot. De Zadroze XIV. scot. De Alba VIII. scot. De Gebolthov V. scotos.

DECANATUS PLESSOVIENSIS.

Primo de Comissa solvit I. marc. et VIII. scot. Item de Plessov XII. scot. cum dimidio. De Igelomia XIV. scot. De Luboricia I. marc. De Sulicicz V. scot. De Nagardow X. scot. et quart. De Prossovicz XVIII. scot. De Zambocin XIV. scot. De Pobeding VIII. scot. De Ruska XVI. scotos.

DECANATUS DE LAURENTICZ (OLIM DE CAZMIRIA).

Decanus ibidem solvit XVI. scotos. Item de Withow XIV. sc. De Przimatow XIII. scotos. De S. Laurencio VI. scot. De Niculanssovicz IV. scotos. De Novobresco XVI. scot. De Raphalovicz VIII. scot. De Gorstow XX. scot. De Coscelecz I. marc. De Kazimiria I. mar. De Sandzinoyoviz I. scotum. De Bobino X. scot. De Xegnicz I. marc. et XIII. scot. De Antiquobresco XIV. scotos.

DECANATUS KILCIENSIS.

Primo de Bussco solvit I. marc. Item de Krzifanovicz V. scot. De Szanoricz V. scot. Item Bertoldus archidiac. Lublinensis solvit pro decano Kilciensi III. fertones. De Ianna VI. scotos. De Sancza XI. scot. De Guoyvo X. scot. De Sandzinovicz VI. scot. De Wirczithuy VI. scot. De Persnicia III. scot. De Socolina XVII. scot. De Zagoscz XII. scot. De Lissow VII. scot. IV. den.

Decanatus de Pelczincia.

Primo de Xeze solvit vi. scotos. De Slavossow xii. scotos. De Magno Xeze xiv. scot. De Nassancovicz viii. scot. De Calina iv. scot. De Wrocimovicz x. scotos. De Raczlavicz vi. scotos cum dimidio. De Peltzincia ix. scot. et viii. den. De Msciczow xii. scotos.

Decanatus de Andrzeow.

Primo de Petravicz solvit viii. scot. Item de Wrocizir xvii. scot. De Krzeczanczicz vi. scot. cum dimidio. De Slup viii. sc. De Wladislavia iii. gross. De Naglovicz v. scotos cum dimidio. De Sandzissow xii. scot. De Mironovicz viii. scot. et viii. den. De Mcreczsco xvii. scot. De Andrzeow iv. scot. De Gernebrow x. scot. De Rapassin iii. scotos. De Lupssa ix. scot. et viii. den. De Grodzina xii. scot. De Obichow vi. scot. De Dirschow viii. scotos.

Decanatus de Oswenczim.

Primo de Paramba solvit iii. gross. Item de Grodzecz iii. sc. cum dimidio. De Ossek viii. scot. De Mosgrunt iii. sc. cum dimidio. De Canth xx. scotos. De Duabus Capris iii. scot. cum dimidio. De Bertoldi villa v. scot. De Besscomia vi. scot. De Dampcovicz iii. scot. De Lachemwalth iii. sc. De Girovicz iv. scot. De Villa Scriptoris vi. scot. De Antiquomilanovicz iii. scot. De Lossina vi. scot. De Lipnik vii. scot. De Novomilanovicz vi. scot. De Svicza viii. scotos. De Osswenczim i. marcam cum dimidia.

Ecclesie consistentes in Prepositura Wisliciensi.

Notandum, quod pro Archidiaconatibus et Decanatibus infrascriptis recollegit et solvit Magister Bertoldus Archidiaconus Lublinensis iuxta commissionem sibi factam. Primo pro Decano de Strassin xiv. scot. Item de Kessearnicz iii. fert. De Presslanicz xiv. scot. De Dobrzechow xii. scotos. De Strassow v. scot. De Galussovicz xx. scot. cum dimidio. De Sandzissin i. marc. vii. scot. et vii. den. De Dambicia ix. scot. cum dimidio. De Bitoczincia ii. scotos.

Decanatus Boleslaviensis (dein de Corcin).

Primo ibidem vi. scot. cum dimidia. Item de Othinnow xxii. scot. De Novatrinitate i. marc. iii. scot. et ii. den. De Grabossov vi. scot. De Suimar iv. scot. De Rubea ecclesia i. marc. De Solecz xii. scot. et i. gross. De Strozicz xvi. scot. De Corcino i. marc. et iii. scot. De Opathovecz vii. fert. De Ostrovecz xi. scotos.

Drcanatus Czarnocinensis.

Decanatus Czarnocincnsis nunc translatus est in Parvam Cazimiriam. Primo decanus ibidem solvit iii. scot. et i. gross. Item de Czarnocin viii. scot. De Mlodzow viii. scot. De Stradow xii. scot. De Dzeransna xviii. scot. De Dzalossovicz et de Vola xix. scot. De Bzecz iii. fertones. De Probolovicz viii. scotos. De Pelcziscz i. marc. iii. scot. De Chrobers xxi. scot. viii. den. De Wislicia iii. fertones. De S. Laurencio ii. scotos.

Decanatus de Xegnicz.

Primo ibidem vi. scot. Item de Polantz i. marc. v. gross. De Bothow v. scot. De Cargow v. scot. De Clessintia v. sc. De Ticzamp xii. sc. De Sydlow xii. scotos. De Bansowa episcopali vi. scot. De Conemboth. xx. scot. De Banssova militari. xv. scot. De Paczonovia i. marc. minus scoto. De Chotussow xii. scot. De Stobintia i. marcam.

Decanatus Radomiensis.

Decanus ibidem solvit ii. marc. ii. scot. Item de Nova ecclesia xvi. scot. De Starzsow xiv. scot. De Czepla x. scot. De Wissoka viii. scot. De Stazsicia viii. scotos. De Covale vii. scotos. De Iaroslavicz v. scot. De Chlenicscz ii. scot. De Samogosca tam pro residuis quam pro anno presenti solvit i. marc. et xvi. scotos.

Decanatus Zvecensis.

Plebanus de Iassel solvit xiii. scot. Item de Cleczecz xvi. scot. cum dimidio. Item de reliquis ecclesiis ibidem solvit magister Bertoldus in communi xvii. scot. Item de Bcycza xi. scot. cum dimidio. Decanus Sweconensis i. marc. et v. gross. De Antiquo Smigrod xvi. scot. cum dimidio.

Archidiaconatus Zavichostensis.

Item idem Bertoldus pro eodem archidiaconatu, exceptis ecclesiis immediate sequentibus, solvit in communi v. marcas minus vii. scot. Item ecclesia de Pkanow solvit xx. scot. De Opatow i. marc. cum dimidia. De Targosicz iii. quart. De Stewna xvi. scot. De Badzin xx. scotos.

Dyocesis Gneznensis.

Dominus .... Archiepiscopus Gneznensis pro sua dyocesi solvit LXXV. marcas et XIII. scotos cum dimidio, XLVIII. gross. pro marca computando.

Archidiaconatus Sandomiriensis.

Magister Bertoldus predictus pro eodem archidiaconatu solvit XVII. marcas cum dimidia.

Prepositura Kilciensis.

Prepositus ibidem solvit VIII. marcas.

Archidiaconatus Lubliniensis.

Plebanus de Chotcza solvit VI. scot. Item de Moglua III. scot. De Czanstoborovicz I. scot. De Opul VI. scotos. De Bolecz VI. scot. De Bestricia II. scot. Item pro omnibus aliis ecclesiis solvit idem archidiaconus in communi XXIII. scotos.

Dyocesis Posnaniensis.

Dominus ..... Episcopus Posnaniensis pro sua dyocesi solvit XXXIII. marcas, XLVIII. gross. pro marca computando.

Dyocesis Plocensis.

Dominus ..... Episcopus Plocensis pro sua dyocesi solvit XXIX. marcas, XXXVI. gross. pro marca computando: que summa facit ad numerum Cracoviensem XXI. marc. et III. fertones, eo quod XLVIII. grossi pro marca Cracoviensi computantur.

Dyocesis Wladislaviensis.

Dominus .... Episcopus Wladislaviensis pro duobus annis, videlicet presenti et proxime preterito, in quibus denarius beati Petri, similiter in terra Pomoranie, que est pars sue dyocesis, fuit recollectus, solvit CL. marcas, XIII. scotos et IV. denarios monethe Thorunensis, XX. denar. pro grosso et XXXVI. gross. pro marca computando. Item solvit idem dominus .... Episcopus de terra Cuyavie, que eciam est pars sue dyocesis pro anno presenti XXII. marcas eiusdem numeri et monethe. Que summa facit in totum ad numerum Cracoviensem CXXX. marcas et XX. scotos parvorum grossorum.

Archidiaconatus Opoliensis (Dyocesis Wratislaviensis).

Custos Opoliensis pro eodem denario beati Petri in Ducatu Opoliensi per ipsum recollecto pro anno solvit XX. marcas, XLVIII. gross. pro marca computando.

Summa summarum huius anni CCCCLXXXIV. marce, IX. scot. et XIII. denarii.

Recollectio denarii beati Petri per me facta primo in diocesi Cracoviensi sub anno domini M. CCC. XXXVI. quo anno eciam XVI. denarii parvi grossum faciebant. Dioceses Cracoviensis, Gneznensis et Posnaniensis tantum quantum anno preterito solverunt. Dominus ... Episcopus Wladislaviensis pro terra Pomoranie, que pars est sue dyocesis, assignavit in monetha Thorunensi LXXXI. marcas, II. scotos et XXI. den. videlicet XX. den. pro grosso, et XXXVI. gross. pro marca qualibet computando. Item assignavit de terra Cuyavie etc. in eadem monetha XXVIII. marcas, VII. scotos. Que summa tota facit LXXXII. marc. I. scot. et quart. gross. num. Cracoviensis. Dominus ... Episcopus Plocensis pro sua dyocesi in eadem monetha Thorunensi assignavit XXX. marcas.

Dyocesis Culmensis.

Dominus ... Episcopus Culmensis pro tribus annis, videlicet pro presenti et duobus proxime preteritis in dicta monetha Thorunensi solvit, videlicet XXXVI. gross. pro marca computando, CCXII. marcas minus II. scotos et VIII. denar. Que summa facit in numero Cracoviensi CLIX. marcas minus III. grossis.

Item eodem anno pro Prebenda domini Petri de Verulis Canonici Cracoviensis in Curia vacante recepi XII. marcas parvorum grossorum in civitate et dyocesi Cracoviensi tunc currentium, et VII. scot. cum dimidio, quorum LXII. grossi faciunt marcam grossorum Cracoviensium.

Summa summarum huius anni DCXI. marc. X. scot. et XI. den. ad numerum Cracoviensem.

Recollectio denarii beati Petri facta sub anno domini M. CCC. XXXVII. quo anno eciam XVI. denarii pro grosso currebant. Notandum, quod dominus .... Archiep̃us Gneznensis pro eadem sua diocesi solvit LXXIV. marcas in florenis et I. gross. Item idem dominus .... Archiep̃us pro anno presenti et quatuor proxime preteritis pro sex ecclesiis, que sunt in terra Pomoranie de sua dyocesi solvit CL. florenos.

Dominus .... Episcopus Wladislaviensis de tota sua dyocesi in monetha Thorunensi, ut in annis precedentibus, solvit c. marcas, xxiv. denar. pro grosso et xxx. gross. pro marca computando. Item idem dominus ... Episcopus pro eodem anno et denario assignavit vii. marcas. Que summa facit tota lxvi. marcas in num. Cracoviensi et xxi. scot. in grossis magnis.

Dominus ... Episcopus Plocensis de tota sua dyocesi eiusdem mouethe Thorunensis solvit xxx. marcas, xxiv. den. pro grosso et xxx. gross. latos pro marca computando: que summa facit xix. marcas minus fertone in grossis magnis ad num. Cracoviensem.

Dominus... Episcopus Culmensis pro eadem sua dyocesi in monetha Thorunensi solvit lxxvii. marcas minus ii. scotis: que summa facit xlviii. marcas et iii. gross. in magnis gross. ad num. Cracov.

Thezaurarius Cracoviensis solvit pro... Episcopo Posnaniensi in parvis grossis, xlviii. grossos pro marca computando, xxxiii. marcas.

Dyocesis Cracoviensis.

Ecclesie dyocesis Cracoviensis solverunt quasi in totum, ut superius est notatum, exceptis immediate sequentibus decanatibus.

Decanatus de Zrancino.

Item de Zalancz solvit vii. scotos. De Slavencin x. scot. De Schiben v. scot. cum dimidio. De Lanzir iii. grossos. De Chlevicz xvii. scot. cum dimidio. De Novosmigrod ix. scot. cum dimidio. De Mitarza ii. scot. et quart. De Navossow iv. scotos.

Decanatus de Tarnow.

Ibidem iii. scot. cum dimidio. Item de Woynicz xx. scot. De Iurchow viii. scot. cum dimidio et quart. De Tuchow xi. scot. cum dimidio. De Opathovecz vii. scotos cum dimidio et quart. De Libertate Timonis vii. scot. De Gothfridi villa iv. scot. De Bossodek iv. scot. et quart. De Usssiva v. scot. et quart. De Iassan vi. scot. De Dambno vii. scot. cum dimidio. De Radlow i. marcam. De Cora v. scot. De Czchow viii. scot. De Gostecz iii. scot. De Poramba viii. scotos.

Dyocesis Wratislaviensis.

Custos Opoliensis pro eodem denario beati Petri per ipsum in Ducatu Opoliensi et Strevicensi, qui pars est sui archidiaconatus Opoliensis, de magnis grossis solvit xx. marcas, xlviii. grossos pro marca computando.

Summa receptorum de den. beati Petri in xxxvii. anno d. marche, xviii. scoti et xxii. den.

Recollectio denarii beati Petri facta sub anno domini m. ccc. xxxviii.

Dominus ... Archiepiscopus Gnesnensis pro tota sua diocesi assignavit lxxvi. marcas et iv. scotos parvorum grossorum: que summa facit in num. Cracov. l. marc. et xviii. scot. et xxii. den. eo quod lxxii. grossi parvi marcam Cracov. magnorum gross. in numero ponderabant. Item idem dominus ..... Archiepiscopus pro sex ecclesiis expressis in anno precedenti, que ecclesie sunt de sua dyocesi in terra Pomoranie, solvit xxix. florenos.

Dyocesis Cracoviensis.

Prepositus de Busco pro anno presenti et proxime preterito solvit ii. marcas. Plebanus de Sanspova decanatus Prandocinensis vi. scot. et de Raciborovicz xxv. scot. Item de Nigrofluvio decanatus Sandecensis iv. scot. et de Tangoborsa viii. scotos cum dimidio, et de Przissova solvit v. scotos. Plebanus de Cargow decanatus Xegnicensis v. scot. Plebanus de Simunia decanatus Bichomiensis v. scot. Plebanus de Caprivincia i. marc. Plebanus de Golcza xxii. scotos.

Nota, quod predictus ... Thezaurarius Cracoviensis pro dño Posnaniensi Episcopo in parvis grossis ibi currentibus assignavit xvi. marcas. Item nobis idem dñus ... Episcopus solvit xvii. marcas, xlviii. grossos pro marca computando. Que xxxiii. marce faciunt xxv. marcas num. Cracov. eo quod lxxii. grossi parvi marcam latorum gross. in numero Cracov. ponderabant.

Dominus ... Episcopus Wladislaviensis pro denario et anno predictis de sua dyocesi in monetha Thorunensi, prout in aliis annis precedentibus, assignavit, xxiv. den. pro grosso et xxx. gross. latos sive magnos pro marca computando, c. et vii. marcas, que faciunt ad num. Cracov. lxvi. marc. et xxi. scot.

Dominus ... Episcopus Plocensis pro denario et anno predictis de sua dyocesi in eadem monetha Thorun. solvit xxiii. marcas, que faciunt xx. marc. et xv. scot. in num. Cracov.

Dominus . . . Wratislaviensis Episcopus pro denario et anno predictis de terra Nyssensi assignavit minus tribus quartis cum dimidia I. marcam auri de XXII. karact. minus I. grana. Item idem dñus . . . Epus pro eadem terra pro annis duobus neglectis solvit minus dimidia quarta II. marcas auri de XX. karact. cum dimidio. Item . . . Custos Opoliensis de Archidiaconatu Opoliensi pro anno presenti in magnis grossis solvit XX. marcas grossorum.

Dominus . . . Episcopus Culmensis pro denario et anno predictis de sua dyocesi in monetha Thorun. assignavit LXVIII. marcas: que summa facit ad num. Cracov. XLII. marcas cum dimidia.

Nota, ... Thezaurarius Cracoviensis assignavit pro eodem denario de dyocesi Cracoviensi CLXXXXI. marc. XVII. scot. et IX. den. ad num. Cracoviensem.

Summa summarum huius anni CCCCXX. marce, XXI. scot. cum dimidio et I. den. ad numerum Cracoviensem et III. marce auri minus I. scoto et media quarta.

Nota, quod in isto anno indifferenter inceperant currere magni grossi in Civitate et dyocesi Cracoviensi secundum magnum ferrum deputatum per dictum Regem in fine precedentis anni: tamen in dyocesibus Gneznensi et Posnaniensi currebant parvi grossi et multum precisi, et XLVIII. grossi pro marca computantur, sed LXXII. marcam Cracoviensem ponderabant.

Recollectio denarii beati Petri facta sub anno domini M.CCCXXXIX. Primo dñus . . . Archiepiscopus Gneznensis pro tota sua dyocesi solvit LXXV. marcas parvorum grossorum et I. grossum: que summa facit ad num. Cracov. L. marcas latorum grossorum.

Dominus . . . Episcopus Posnaniensis pro denario et anno predictis de sua diocesi in parvis grossis solvit XXXIII. marcas: que summa facit XXII. marcas num. Cracov.

Dominus . . . Episcopus Plocensis pro sua diocesi monethe et numeri Thorunensis assignavit XXXVII. marcas: que summa facit ad num. Cracov. XXIII. marcas et III. scotos.

Dominus . . . Episcopus Culmensis de sua dyocesi in monetha Thorun. ut in aliis annis assignavit LXII. marcas: que summa facit XXXVIII. marcas et III. fertones ad num. Cracov.

Dyocesis Wratislaviensis.

Martinus plebanus de Wansow solvit pro XIII. annis proxime preteritis, presenti anno incluso, quibus fuit cessatum a solucione denarii beati Petri per suos parrochianos, pro quolibet ipsorum annorum III. fertones grossorum: que summa facit IX. marcas et III. fert. magnorum grossorum.

Custos Opoliensis pro eodem Archidiaconatu solvit XX. marcas. Item solvit pro sede Glivicensi de annis domini M.CCC.XXXV. VI. VII. VIII. et IX. pro quolibet ipsorum annorum III. marcas minus IX. grossis. Que summa facit XIV. marcas et III. grossos latorum grossorum.

Dominus . . . Episcopus Wladislaviensis pro sua dyocesi in monetha Thorunensi solvit CXIX. marcas et V. scotos. que summa facit LXXIV. marcas et IX. scot. ad numerum Cracoviensem.

Item Thezaurarius Cracoviensis solvit pro denario beati Petri de dyocesi Cracoviensi CLXXXVI. marcas cum dimidia minus XII. den. latorum grossorum.

Summa summarum huius anni CCCCXXXVIII. marce XIII. scot. cum dimidio minus I. den. num. Cracoviensis.

Recollectio denarii beati Petri facta sub anno domini M.CCC.XL. Thezaurarius Cracoviensis pro dyocesi Gneznensi solvit LXXVI. marcas parvorum grossorum: que summa facit L. marcas et XVI. scot. eo quod LXXII. grossi parvi marcam numeri Cracoviensis latorum grossorum ponderabant.

Idem Thezaurarius assignavit pro dyocesi Posnaniensi, XLVIII. gross. pro marca computando, XXXIII. marc. gross. parvorum: que summa facit XXII. marcas numeri Cracoviensis.

Dominus . . . Episcopus Culmensis de sua dyocesi in monetha Thorun. ut supra assignavit LXXXII. marcas: que summa facit LI. marc. magnorum gross. et VI. scot. ad num. Cracoviensem.

Dominus . . . Episcopus Wratislaviensis pro sua terra Nissensi de IV. annis solvit IV. marcas auri minus quarta de XX. karact. Custos Opoliensis pro Archidiaconatu Opoliensi solvit XX. marc. grossorum. Item solvit idem pro sede Glivicensi III. marc. grossorum minus IX. grossis.

Dominus . . . Episcopus Wladislaviensis pro sua dyocesi in monetha Thorun. solvit XXXV. marcas: que summa facit XXI. marcas et XXI. scot. num. Cracoviensis.

Dominus . . . Episcopus Plocensis pro sua dyocesi in eadem monetha Thorun. solvit XXXVII. marcas: que summa facit XXIII. marcas et VI. grossos ad num. Cracoviensem.

Item Thezaurarius Cracoviensis solvit pro denario beati Petri huius anni de dyocesi Cracoviensi CLV. marc. XV. scot. cum dimidio latorum grossorum.

Summa summarum huius anni CCCXLVII. marce, IX. scot. num. Cracov. et IV. marce auri minus quarta de XX. karact.

Recollectio denarii beati Petri facta sub anno domini M.CCC.XLI. Thezaurarius Cracoviensis assignavit pro diocesi Cracoviensi CXXX. marcas. Item assignavit idem pro remanenciis anni preteriti et aliorum XII. marcas et VIII. scotos.

Idem Thezaurarius Cracoviensis pro diocesi Gneznensi parvorum grossorum assignavit LXXVI. marcas: que summa facit L. marcas et XVI. scot. numeri Cracoviensis.

Item pro Archidiaconatu Opoliensi idem Thezaurarius solvit XX. marcas latorum gross. Item pro sede Glivicensi III. marc. minus IX. grossis.

Item idem Thezaurarius Cracoviensis pro illis ecclesiis, que sunt in terra Pomoranie Gneznensis diocesis, pro anno presenti et duobus proxime preteritis assignavit XXIII. marcas latorum gross. et XIII. scotos cum dimidio.

Item idem Thezaurarius Cracoviensis pro diocesi Posnaniensi solvit XXXIII. marcas parvorum grossorum: que summa facit XXII. marcas num. Cracov. eo quod LXXII. grossi parvi marcam latorum grossorum numeri Cracoviensis ponderabant.

Summa summarum CCLXII. marce, VI. scoti cum dimidio.

Recollectio denarii beati Petri per me facta sub anno domini M.CCC.XLII. Dominus ... Episcopus Wratislaviensis pro sua terra Nisensi solvit pro quinque annis preteritis V. marcas auri minus IIII. den. de XX. karacteribus. Item solvit pro eodem denario presentis anni et tribus preteritis IIII. marcas auri, I. scot. cum dim. et I. den. de XX. karacteribus.

Item Archidyaconus Glogoviensis pro Archidyaconatu Opoliensi et pro sede Glivicensi solvit XXIII. marcas grossorum minus IX. grossis.

Episcopus Wladislaviensis solvit de sua dyoc. pro anno presenti per manus Nicolai Pensatoris, et preterito pro quolibet ipsorum C. et VII. marc. num. et monete Thorunensis, XXX. grossos pro marca computando, que faciunt CXXXIII. mr. III. fertones ad numerum Cracoviensem. Item idem Ep̄us solvit in dicta monetha pro residuis denarii beati Petri anni XLmi. per manus dicti Nicolai Pensatoris LXXII. marcas, XIX. gross. pro marca computando, que faciunt ad num. Cracoviensem XLV. marcas.

Episcopus Plocensis de sua dyocesi pro anno presenti per manus eiusdem solvit in eadem monetha, et pro anno proxime preterito LXX. marcas et VIII. scotos, XXX. gross. pro marca computando, que faciunt XLIIII. marcas et II. scotos.

Episcopus Culmensis de sua dyocesi pro anno presenti per manus eiusdem in eadem monetha solvit, et pro anno proxime preterito CXXXIX. marcas et IX. scotos, XXX. gross. pro marca computando, que faciunt LXXXVII. marcas minus III. scotis.

Predictam monetham thorunensem debet dictus Nicolaus Pensator solvere Brugis in auro.

Item habui pro debito Heinrici de Drogus Canonici Wratislaviensis IIII. mr. auri et qr. de XX. karact. pro XXX. grossis karacterem computando, que faciunt L. mr. et XII. grossos.

Item habui a Stephano dicto Pexa pro debito magistri Petri de Alvernia in gross. LX. marc.

Item Wirchoslaus pro denario beati Petri presentis anni sui decanatus solvit IIII. marc. IIII. scot. et. V. denarios.

Item Swesco plebanus de Comissa Cracov. diocesis solvit pro anno presenti et duobus preteritis pro parte sui tangente, pro quolibet ipsorum annorum I. marc. et VIII. scotos: que summa facit IV. marcas.

Item recepi a domino Thezaurario domini Episcopi Cracoviensis pro denario beati Petri de dyocesi Cracoviensi LXXXVI. mr. minus fertone, quas assignavit Nicolao Pensatori.

Item recepi ab eodem thezaurario de eodem censu pro auro empto a Petro Wirzingi, videlicet IX. marc. auri cum I. fertone, CXXVII. marcas grossorum et IIII. sc. cum dimidio.

Item recepi ab eodem thezaurario pro denario beati Petri CII. marcas et XVII. scotos.

Primo Nicolaus Pensator tenetur solvere Brugis xv. die mensis Maii xxx. mr. auri de xxii. karact. pro pecuniis per eundem receptis a dominis Episcopis Wladislaviensi, Plocensi et Culmensi pro denario beati Petri pro duobus annis, videlicet xl. primi et secundi, et pro lxxii. marcis receptis a domino Episcopo Wladislaviensi pro anno xl., et ix. marcis receptis pro decima a quodam Plocensi Canonico, et sex marcis auri, quas recepit in grossis a thezaurario domini Episcopi Cracoviensis.

It. idem Nicolaus Pensator tenetur pro Nicolao de Cruczburg ccc. flor. in eodem loco et termino.

Item Petrus Wirsingi tenetur solvere infra festum Iohannis Baptiste ix. marcas auri et i. fertonem de xxii. karact. Et pro antiquo debito pro Iohanne de Orienth sex marc. auri de xxii. karact. in eodem loco et termino.

Item Nicolaus Wirsingi iunior a festo Nativitatis domini proxime preterito ad decem menses tenetur assignare in eodem loco et termino octo marcas auri de xxii. karact.

Item pro antiquo debito tenetur Fredericus Gallicus cum sociis suis vii. marc. auri et ii. karact. de xxii. karact. in medio Maii et in eodem loco.

Item Stephanus Madlo pro Nicolao de Sandecz tenetur duas marcas auri de xxii. karact. in medio Maii et in eodem loco.

Iste sunt expense facte per me Galhardum de Carceribus, apostolice sedis nuncium pro negociis et utilitate Camere eiusdem sedis.

In primis tradidi et assignavi Iohanni Gallico, quando eum misi ad Magistrum generalem pro habenda securitate, et ad sciendum cum eo, an vellent me recipere in terris suis, tam in eundo quam redeundo marcam unam die xxii. Septembris. Item tradidi et assignavi Ionoto Gallico, quando ipsum misi cum monicionibus pro censu beati Petri de tempore preterito ad dominum Episcopum Wladislaviensem et Episcopum Culmensem, triginta quatuor grossos die xxii. Martii. It. tradidi et assignavi Magistro Arnaldo, quando ipsum misi ad Curiam Romanam pro renovandis commissionibus, et ad informandum dominum nostrum papam de omnibus negociis michi commissis, et specialiter super relaxacione interdicti in terra Pomoranie et Culmensi, octo marcas, xv. scot. et unum equum, quem emi pro duabus marcis cum dimidia. It. tradidi et assignavi Iohanni Gallico ad monendum omnes Prelatos, ut censum beati Petri michi mitterent, triginta et quinque grossos pro salario suo et expensis. It. tradidi et assignavi cuidam Cursori pro salario et expensis decem scotos, quando portavit litteras excommunicacionum et interdicti in scriptas sedes, que erant rebelles in solucione census beati Petri, videlicet contra sedem Rathiboriensem, Tesschinensen, Zarensem(?), Glivicensem et Coslensem.

Item tradidi et assignavi Nicolao, qui portavit litteras citatorias contra Nicolaum de Bancz et Heinricum de Drogus, et monitorias contra omnes, quos Magister Petrus de Alvernia in Regestris suis dimisit obligatos racione Sexannalis decime in Civitate et dyocesi Wratislaviensi, x. grossos.

Item cum eciam in Thoron misi quendam cursorem una cum litteris contra Ducem Bregensem et alios inobedientes, tradidi illi pro expensis et labore xv. sc. cum dimidio. It. tradidi et assignavi Mimdono de Moysiaco, quem misi ad Curiam cum multis litteris super negociis Camere, et specialiter super appellacione interposita a Ducibus Slezie, x. florenos xxv. die mensis Octobris. It. quando Archidiaconus Opoliensis adportavit pecunias penes dominum Episcopum Wratislaviensem et Capitulum Opoliense depositas, solvi pro expensis factis per eum et cum familia sua in Civitate Cracoviensi iii. florenos. Item tradidi et assignavi Parotino, quando ipsum misi ad Curiam cum libris racionum super denario beati Petri de tribus annis in terra Pomoranie et Culmensi, prout receperam in mandatis, et processu facto contra Episcopum Caminensem tam pro decima per dominum Clementem papam imposita, quam pro denario beati Petri, qui in eius dyocesi non solvitur, vi. marc. argenti, et unum equm, quem emi pro tribus marcis. Item tradidi et assignavi Iohanni Gallico, quando ipsum misi ad Curiam cum litteris obligacionum et prorogacionibus facte (factis) Civibus Cracoviensibus de mandato domini nostri pape, v. marcas argenti. Item tradidi et assignavi Andree Gallico, quando ipsum misi ad Curiam cum instrumentis obligacionum mercatorum, quibus assignavi pecunias per me recollectas per ipsos in Curia assignandas, cum relacione Registri Petri, quatuor marcas. Item tradidi et assignavi Iesconi Coyn, quando ipsum misi ad dominum Wratislaviensem Episcopum, et Episcopum Poznaniensem, et Abbatem S. Marie in Wratislavia, et ad Decanum et Custodem Glogovienses et Archidyaconum Opoliensem, quando volui in Ungariam de mandato domini nostri pape (ire), ut solverent pecunias, in quibus remanebant

obligati, et cum processibus contra ipsos, I. marcam magnorum grossorum. Item Magistro Iohanni Notario meo, quando ipsum misi ad Curiam cum litteris oblgacionum Nicolai Wirsingi et Nicolai Pensatoris, et ut audiretur racio a societate Azayallorum, si assignaverint Camere totum aurum, quod ego per mercatores feceram eis assignari tam de tempore meo, quam de tempore Magistri Petri de Alvernia, triginta flor. et unum equm, quem emi pro quinque marcis.

Item Nicolao de Mazovia Notario publico, quando ipsum misi cum litteris excommunicacionis et interdicti dño Epo Wratislaviensi contra Cives Wratislavienses et omnes alios rebelles in solucione denarii beati Petri in dyocesi Wratislaviensi, tradidi pro laboribus et expensis quinque fertones.

Item Iohanni Gallico in quatuor vicibus, in quibus ipsum misi de Wissegradu in Poloniam ad dominum Archiepiscopum Gneznensem, et ad suffraganeos suos cum processibus contra rebelles in solucione denarii beati Petri, specialiter contra Cives Civitatis et dyocesis Caminensis, pro qualibet vice pro eundo et redeundo pro expensis suis et equi septem fertones ad numerum Budensem.

Item tradidi Parrotino, quando ipsum misi de Thoron in Curiam Romanam, postquam relaxavi interdictum, cum instrumentis obligacionum super denario beati Petri pro terris Culmensi et Pomeranie pro eundo et redeundo XX. florenos. Item cursoribus, qui portaverunt monicionem contra omnes Duces in dyocesi Wratislaviensi existentes, in quorum dominio denarius beati non solvitur, postquam facta fuit composicio inter dominum Regem Boemie et me super predicto denario, solvi pro laboribus et expensis VI. fertones.

Item postmodum iterum veni in Wratislaviam cum ambaxiatoribus Marchionibus ad requirendum iterum ipsos Duces et Cives Wratislavienses, ut solverent denarium beati Petri secundum ordinacionem factam inter prefatum dominum Regem et me et auctoritate apostolica confirmatam, et dedi cursoribus, qui iverunt ad citandum et monendum prefatos Duces, pro eorum laboribus et expensis V. fertones. Nomina autem ipsorum Ducum, qui in rebellione perseverant, et quos ego excommunicavi, et eorum terras subposui ecclesiastico interdicto, sunt hec: primo Bolko Walkinbergensis, Conradus Olsnicensis, Wenceslaus et Lodvicus Lignicenses, Heinricus Iavorensis, Iohannes Stinaviensis, Nicolaus Rathiboriensis, Nicolaus Munsterbergensis, Kazimirus Koslensis, Heinricus Zaganensis, Bolko Swidnicensis. Insuper Civitatem(s) Wratislaviensem et Glogoviensem, que immediate sunt subiecto domino Regi Boemie, et in nullo litteris apostolicis, nec prefato dño Regi, nec dñi Marchionis filii sui voluerunt obedire.

Et sciendum est, quod Civitatem et dyocesim Caminensem, quia est de Regno Polonie, et infra antiquos Regni limites Polonie, et Cives, inhabitatores et incole ipsarum Civitatis et dyocesis sicut alii Poloni denarium beati Petri solvere tenentur, et ipsum solvere recusant, ecclesiastico subposui interdicto, et singulares personas facio excommunicatos publice nunciari: sed Episcopus et Clerus suus interdictum servare non curant, quia adherent Bavaro maledicto.

Item similiter Civitatem et dyocesim Lubucensem ecclesiastico subposui interdicto, et Cives, inhabitatores et incolas ipsius Civitatis et dyocesis facio excommunicatos publice nunciari, et Episcopus et Clerus suus servant interdictum, quamvis Episcopus sit Theutonicus: sed fratres Minores de iussu filii Bavari, qui ibi dominatur, ibi profanant omnia ecclesiastica sacramenta, et Episcopus ibi excedere non presumit.

(Item computat dñus Galhardus sibi pro salariis suis a die II. mensis Maii de anno XXXIIII. qua die recessit de Curia, usque ad diem XIX. mensis Marcii de anno XLIII. qua intravit Curiam, in quo spacio sunt, computatis duobus diebus bixestilibus, IIIM. C. II. dies, ad racionem unum florenum auri cum dimidio in die IIIIM. DC. LIII. flor. auri.

Summa universalis assignatorum, expensorum et stipendiorum predictorum VM. CC. LXXVIII. marche, VI. scoti, I. den. et CCX. floreni, et XVI. marche minus quam auri de XXII. karatis ad pondus Cracoviense. Quibus deductis de summa receptorum, restat, quod debet dictus dñus Galhardus DCCCXLVIII. marchas, XVI. scot. XIX. den. et CXXIX. florenos. Die XII. Iulii dictus dñus Galhardus solvit Camere dictam summam restantem.)

Ratio Collector. Polon. et Hungar. an. 1334 — 1342. fol. 17 — 66.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VI.

DLXXV.

Iaroslaus archiepiscopus Gnesnensis a sententia excommunicationis absolvitur, et solutio cuiusdam pecuniae prorogatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iaroslao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Eximie devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam geris ecclesiam, rationabiliter promeretur, ut ea tibi favorabiliter concedamus, que serenitatem conscientie tue et quietem animi prospicere dinoscuntur. Cum itaque hodie electionem nuper per dilectos filios . . . Decanum et Capitulum Gneznensis ecclesie, tunc pastore carentis, de persona tua canonice celebratam de fratrum nostrorum consilio in consistorio auctoritate apostolica duxerimus confirmandam, teque ipsi ecclesie prefecerimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo, tuque deinde in nostra constitutus presentia nobis duxeris exponendum, quod ratione certe quantitatis pecunie per Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem Camere nostre debite, statuto termino non solute, ad cuius solutionem te sub excommunicationis pena voluntarie obligaras, te sententia huiusmodi tempore dicte prefectionis fore ligatum, et propterea confirmationem et prefectionem huiusmodi effectum debitum nequivisse sortiri verisimiliter dubitabas, ac demum supplicaveris nobis humiliter, quod super hiis tibi de oportuno remedio providere, dictumque terminum prorogare de benignitate apostolica dignaremur: Nos huiusmodi tuis devotis supplicationibus inclinati, te apostolica auctoritate tenore presentium ab eadem excommunicationis sententia, si eam forsitan incurristi, absolvimus de dono gratie specialis, omneque impedimentum et quemcumque defectum, que circa hec tibi possent obsistere quomodolibet vel nocere, totaliter amoventes, confirmationem et prefectionem huiusmodi, premissis nequaquam obstantibus, perinde valere volumus ac decernimus et tenere, ac si tempore confirmationis et prefectionis huiusmodi ligatus de dicta sententia non fuisses, et nichilominus terminum solutionis dicte pecunie auctoritate predicta usque ad quatuor menses a data presentium computandos in antea prorogamus. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, amotionis, voluntatis, constitutionis et prorogationis infringere etc. Datum Avinione v. Kalendas (? Idus) Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1273. fol. 241.

DLXXVI.

Iaroslaus ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iaroslao Electo Gneznensi, salutem etc. Apostolatus officium nobis quamquam insufficientibus meritis divina dispositione commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, adiuvante domino, cupientes, soliciti reddimur, ut cum de ipsarum

ecclesiarum regiminibus agitur committendis, quantum ab eo permittitur, cuius vices in terris gerimus, eis in pastores tales preficere studeamus, de quibus, consideratis virtutibus desuper eis traditis, presumimus verisimiliter et tenemus, quod creditas sibi animas verbo instruere valeant et exemplo, ac eorum studio loca, que ipsorum fuerint deputata custodie, spiritualium et temporalium, deo propitio, grata suscipiant incrementa. Dudum siquidem ecclesia Gneznensi per obitum bone memorie Ianislai Archiep̃i Gneznensis, qui in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii... Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum ac deliberantes in ipsius electionis negotio per formam procedere compromissi, tibi eiusdem ecclesie Canonico, necnon dilectis filiis Yvoni de Chantin, Alberto Paluke et Andree de Wislitia ac Octoni dicto Lis Concanonicis tuis providendi ea vice de te aut eorum altero, vel de aliis de Capitulo memorato eidem Gneznensi ecclesie de pastore concesserunt unanimiter liberam potestatem: ita tamen quod, postquam tu et iidem college tui, vel maior pars vestrum in aliquam personam ydoneam de vobis ipsis, vel de Capitulo memoratis concorditer consensissetis, unus vestrum suo et collegarum ac Decani et Capituli predictorum nomine personam huiusmodi eligerêt in communi, et provideret de illa Gneznensi ecclesie prelibate. Tu vero et college predicti, huiusmodi potestate recepta, recedentes in partem, post deliberationem, quam inter vos habuistis super huiusmodi negotio diligentem, demum prefati college tui in te, in diaconatus ordine constitutum, direxerunt unanimiter vota sua, et tandem prefatus Andreas ex potestate sibi ac eisdem collegis a prefatis Capitulo, ut premittitur, tradita, et de expresso consensu collegarum ipsorum vice eorum et Decani et Capituli predictorum te in Archiepiscopum Gneznensem elegit, dictique Decanus et Capitulum electionem huiusmodi concorditer approbarunt, ipsamque Clero et populo fecerunt solenniter publicari: tuque postmodum electioni predicte infra tempus a iure statutum ad instanciam dictorum Decani et Capituli humiliter consensisti, et tam tu per te ipsum, quam prefati Decanus et Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ydoneos ad sedem apostolicam propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis ipsius electionis decreto, a nobis suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi de benignitate apostolica dignaremur, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur electionem prefatam, tueque persone merita per Venerabilem fratrem Petrum Episcopum Penestrinum, et dilectos filios nostros Imbertum Basilice duodecim Apostolorum presbiterum ac Raymundum sancte Marie nove diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis super hiis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus relatione plenaria et fideli, quia electionem eandem invenimus de te, viro utique litterarum scientia predito, morum honestate preclaro, in spiritualibus provido et in temporalibus circumspecto, et aliis virtutum meritis multipliciter insignito, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmavimus, teque interim ad sacerdotium rite promotum ipsi Gneznensi ecclesie prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Gneznensis ecclesia per tue diligentie studium, tuamque industriam circumspectam, gratia tibi suffragante divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac salutis et prosperitatis suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione VIII. Idus Iulii. Anno I.

In e. m. Decano et Capitulo ecclesie Gneznensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Gneznensium ac universis suffraganeis ecclesie Gneznensis, ut eidem obedientiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. I. ep. 22. fol. 14.

DLXXVII.

Idem Iaroslaus Casimiro regi Poloniae commendatur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. In amore virtutum et operibus caritatis decet celsitudinem Regiam haberi continue studiosam, maxime cum ex hiis tibi proculdubio retributionis eterne premium et humane laudis preconium acquiratur.

Dudum siquidem etc. usque suscipiet incrementum. Quia igitur, fili carissime, virtutis opus esse dinoscitur, personas ecclesiasticas, et presertim dignitatum titulis insignitas benigno favore prosequi, easque verbis et operibus pro Regis eterne gloria venerari: Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Iaroslaum Electum, ac dictam ecclesiam sue cure commissam habens pro divina et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, dicto Electo circa recuperanda, manutenenda et amplianda bona et iura prefate ecclesie Gneznensis te liberalem exhibeas, et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem Electus Regii favoris fultus presidio in commissa predicte ecclesie sibi cura possit assidue, deo propicio, prosperari, ac tibi exinde a retributore bonorum omnium perennis vite premium rependatur, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum, Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. I. ep. 22. fol. 14.

DLXXVIII.

Eidem Iaroslao pallium conceditur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iaroslao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Pridem nos electionem per dilectos filios Decanum et Capitulum ecclesie Gneznensis dudum de persona tua ad eandem ecclesiam, tunc pastore carentem, canonice celebratam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te ipsi ecclesie prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, ac demum per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, prout in nostris litteris super hiis confectis plenius continetur. Cum autem postmodum pallium, insigne plenitudinis videlicet pontificalis officii, a nobis pro parte tua fuisset cum ea, qua decuit, instancia postulatum: Nos huiusmodi supplicationibus annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Raymundum sancte Marie Nove, et Iohannem sancti Angeli diaconos Cardinales tibi fecimus assignari, ut illo infra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius Gneznensis ecclesie privilegiis continentur, recepto per eos a te postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramento. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat munera et largitur premia, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, ac ecclesiam Gneznensem sponsam tuam cures solicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione v. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1791. fol. 382.

DLXXIX.

Episcopo Cracoviensi, ut cum Vladislao duce Bichomiensi et Lucarde uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Petitio dilecti filii Nobilis viri Wladislai Ducis Bichomiensis, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Lucardis, neptis dilecti filii Nobilis viri Ottonis domini de Stetin Caminensis diocesis, nuper nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignorantes aliquod impedimentum existere inter eos, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, inter se matrimonium publice contraxerunt, et prolem exinde etiam susceperunt, quodque postmodum compertum extitit, quod quondam . . . prior uxor eiusdem Ducis erat, dum viveret, eidem Lucardi quarto consanguinitatis gradu coniuncta, propter quod nequeunt absque dispensatione apostolica in dicto matrimonio remanere. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si divortium fieret inter eos, multa possent inter ipsum Ducem et ipsius Lucardis consanguineos rancores et odia verisimiliter suboriri, ex parte ipsorum Ducis et Lucardis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui salutem et pacem querimus singulorum, volentes huiusmodi odiis et rancoribus, quantum cum deo possumus, obviare, ac de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Wladislao et Lucarde, ut impedimento, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante, in dicto matrimonio licite remanare valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis x. Kal. Aug. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1275. fol. 241.

DLXXX.

Fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum, ut quae Misnensis episcopus suique collegae pro reconcilianda inter ipsos et regem Poloniae pace egerint, exsequantur.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro, Commendatoribus et fratribus domus hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Dudum felicis recordationis Benedictus papa XII. predecessor noster diligenter attendens, quod dissensionis materia, quam inter Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem ex parte una, et vos ex altera, ratione vel occasione terrarum seu ducatuum Culmensis, Pomeranie, Cuiaviensis, Dobrinensis et Michaloviensis suscitare procuraverat hostis pacis, nedum eidem Regi ac vobis, ipsiusque Regis vestrisque subditis, sed et fidei catholice periculosa et dispendiosa nimium existebat, quodque hostes ipsius fidei, blasfemi nominis christiani vicini parcium illarum, exinde superbie sue cornua elevare, ac in christicolas sevire audacius presumebant, et propterea cupiens dissensionem ipsam per viam iustitie vel amicabilis concordie terminari, Venerabilibus fratribus nostris ... Misnensi et ... Cracoviensi ac ... Culmensi Episcopis suas certi tenoris direxit litteras speciales, et licet, sicut intelleximus, per eosdem Cracoviensem et Culmensem Episcopos, prout ex tenore litterarum predictarum poterant, ad certos actus fuerit, adhuc dicto predecessore in humanis agente, processum: quia tamen nondum extiterat terminatum, nos, qui predecessori prefato in apostolatus specula successimus, ex eisdem rationibus, quibus idem predecessor, ut premittitur, movebatur, inducti, volentes negocium dictum iuxta litterarum predictarum tenorem et continentiam terminari, supradictis Episcopis per litteras nostras, in quibus totum tenorem litterarum predictarum dicti predecessoris inseri de verbo ad verbum fecimus, districtius iniungendo mandamus, ut ipsi vel duo ipsorum ad complendum et exequendum contenta in supradictis litteris procederc, fideli et celeri adhibita diligentia, non postponant. Quocirca sinceritatem vestram requirimus et monemus, vobis nichilominus in virtute obedientie districtius iniungentes, quatenus super predictis et ea tangentibus eisdem Episcopis, vel duobus ex eis efficaciter et plene parere, vosque disponere, ut secundum litterarum predictarum seriem terminari dictum negocium, indeque commendari vestra sinceritas valeat, studeatis, circa hec vos taliter habituri, quod super eis apostolica scripta nos non oporteat iterare, cum idem Rex, sicut pro parte sua est nobis expositum, huiusmodi ordinationem servare, quantum in eo fuerit, sit paratus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1796. fol. 383.

DLXXXI.

Iudicibus, ut pacis tractatum inter regem Poloniae et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum resumant et reforment.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Misnensi et ... Cracoviensi ac ... Culmensi Episcopis, salutem etc. Dudum felicis recordationis Benedictus papa XII. predecessor noster diligenter attendens, quod dissensionis materia, quam inter Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem ex parte una, et dilectos filios ... Magistrum, Commendatores et fratres domus hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani ex altera, ratione vel occasione terrarum seu ducatuum Culmensis, Pomeranie, Cuiaviensis, Dobrinensis et Michaloviensis suscitare procuraverat hostis pacis, nedum eidem Regi ac Magistro, Commendatoribus et fratribus ipsorumque subditis, sed et fidei catholice periculosa et dispendiosa nimium existebat, quodque hostes ipsius fidei, blasfemi nominis Christiani vicini parcium illarum, exinde superbie sue cornua elevare, ac in Christicolas sevire audacius presumebant, et propterea cupiens dissensionem ipsam per viam iustitie vel amicabilis concordie terminari, vobis suas direxit speciales litteras, quarum tenorem de Registro ipsius predecessoris sumi de verbo ad verbum fecimus, qui talis est. Benedictus Episcopus servus servorum dei, Venerabilibus fratribus ... Misnensi et ... Cracoviensi ac ... Culmensi Episcopis, salutem etc. Dum diligenter commoda pacis et concordie bonum attendimus, ac dissensionum et discordiarum discrimina fidelium solicite cogitamus, desideranter, prout ex debito, quod ex apostolatus officio nobis incumbit, appetimus, pacem et concordiam in universos sancte matris ecclesie filios velut flumen uberem derivare, libenter opem et efficacem operam impendentes, ut inter fideles quoslibet dissidentes, et presertim paganis et infidelibus contiguos et vicinos, cuiuslibet dissensionis suborta succidatur materia et graviorum, que

possent insurgere, tollatur occasio scandalorum. Dudum siquidem pacis emulo intentore malorum omnium procurante, inter Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem ex parte una, et dilectos filios Magistrum, Commendatores et fratres Hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani super Culmensi, Pomeranie, Cuiaviensi, Dobrinensi et Michaloviensi terris seu ducatibus, quos idem Rex ad se pleno iure spectare, dictosque Magistrum, Commendatores et fratres illos contra iusticiam occupasse et occupatos detinere, ac fructus ipsorum a tempore occupationis huiusmodi recepisse et adhuc recipere, seque propterea multas expensas et dampna innumera pertulisse asserit, Magister vero, Commendatores et fratres predicti prefatas Culmensem, Pomeranie ac Michaloviensem terras se iusto titulo possidere, Dobrinensem vero et Cuiaviensem terras seu ducatus prefatos vigore privilegiorum eis a sede apostolica et Imperio indultorum per bellum iuste occupasse, et occupatos potuisse licite possidere, necnon eis dampna gravia et innumera in personis et rebus predictum Regem, et clare memorie Wladislaum Regem Polonie genitorem suum, associatis sibi Letwinis infidelibus, contra deum et iusticiam intulisse pretendunt, ex altera parte controversia, dissensione ac discordia gravibus pro dolor suscitatis, et multis dampnis, expensis et periculis personarum et rerum occasione huiusmodi hinc inde secutis, ex quibus graviora formidantur verisimiliter subsequi, si non adhiberetur celeriter remedium oportunum: et huiusmodi controversia, dissensione ac discordia per ambaxatores et nuncios utriusque partis ad nos et sedem apostolicam propter hoc specialiter deputatos seriose nobis expositis, nos, qui licet immeriti vices illius in terris gerimus, qui in ortu eius pacem omnibus per angelos nunciavit, cupientes huiusmodi gravioribus scandalis obviare, ac suborta etiam summovere, ipsosque discordes ad pacem et concordiam, auctore domino, revocare, ac considerantes, quod Regis, Magistri, Commendatorum et fratrum predictorum discordia non solum in ipsorum et subditorum suorum dampnum maximum, verum etiam in orthodoxe fidei et fidelium illarum parcium detrimentum non modicum noscitur redundare, quodque dicti pagani et infideles parcium earundem propter huiusmodi discordiam sumunt audaciam non solum indurescendi forcius in eorum perfidia, sed etiam contra fideles et catholicos vicinos eisdem hostiliter insurgendi, ac propterea credentes firmiter, quod dicti Rex, Magister, Commendatores et fratres, premissis in debitam considerationem adductis, debeant eorum animos per viam amicabilem ad pacem et concordiam coaptare, deliberatione ac collatione diversis vicibus cum dictis nunciis et ambaxatore super hiis prehabitis diligenter, de ipsorum ambaxatorum et nunciorum, licet, ut asseruerunt, ad hoc mandatum non haberent, assensu fraternitati vestre per apostolica scripta precipimus et mandamus, quatenus vos vel duo vestrum, si de Regis et Magistri predictorum processerit voluntate, Cuiaviensem et Dobrinensem terras seu ducatus predictos cum omnibus et singulis castris, opidis et fortaliciis ac villis aliisque locis consistentibus in eisdem, iuribus, iurisdictionibus ac universis pertinenciis eorundem, necnon decem milia florenorum auri per Magistrum, Commendatores et fratres prelibatos nobis exhibenda, assignanda et persolvenda ad manus vestras nostro nomine recipere, ipsasque Cuiaviensem et Dobrinensem terras seu ducatus cum castris, opidis, fortaliciis, villis et locis, iuribus, iurisdictionibus et pertinenciis antedictis, necnon huiusmodi decem milia florenorum auri pro fructibus per ipsos Magistrum, Commendatorem et fratres predictos ex huiusmodi Cuiaviensi et Dobrinensi terris seu ducatibus perceptis, ac dampnis et expensis, que dictus Rex propter hoc sustinuisse se dicit, eidem Kazimiro Regi seu certo suo nuncio, ad hoc ab eo specialiter deputato, absque more dispendio assignare ac restituere integraliter studeatis, locis tamen et possessionibus, que ipsi Magister, Commendatores et fratres ante generalem occupationem ipsarum Cuiaviensis et Dobrinensis terrarum seu ducatuum in eisdem Cuiaviensi et Dobrinensi terris seu ducatibus habuerunt et possederunt ab antiquo, prefatis Magistro, Commendatoribus et fratribus, sicut illa tenebant et possidebant hactenus ante generalem occupationem huiusmodi, tenendis et possidendis per eos pacifice remansuris. Ceterum ut inter partes predictas cuiuslibet dissensionis occasio sopiatur, et mutua dilectio firmaque concordia, sicut appetimus, reformarentur et solidarentur in pacis perpetue firmitate, volumus et vobis districte precipimus per presentes, quatenus siquid fuerit vel remanserit questionis inter partes ipsas super ipsis Culmensi, Pomeranie ac Michaloviensi terris seu ducatibus, et super fructibus tam ex eis, quam ex Cuiaviensi et Dobrinensi terris seu ducatibus prefatis per eosdem Magistrum, Commendatores et fratres perceptis, necnon super dampnis et expensis hinc inde secutis, vos super hiis, tanquam pacis fervidi zelatores, iuxta datam vobis a deo prudentiam viis et modis, de quibus expedire videritis, pacem et concordiam amicabiliter tractare, ac nichilominus de iure, quod Regi, seu Magistro, Commendatoribus et fratribus ipsis super

predictis Culmensi, Pomeranie ac Michaloviensi terris seu ducatibus competit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii auctoritate nostra vos informare plenarie ac cum diligentia studeatis, et quecunque super hiis vos tractare ac reperire contingeret, et si qua impedimenta vel obstacula, et quorum occasione seu causa forsan emerserint, circa ea fideliter in scriptis redacta nobis per vestras patentes litteras harum seriem continentes fideliter referre curetis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura, simili appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus editis, per quas vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolidet impediri, seu si dictis Regi, Magistro, Commendatoribus et fratribus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, supendi vel excommunicari, aut civitates, terre, ville, castra et alia loca eorum ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet indulgentiis, privilegiis et litteris generalibus vel specialibus eis, vel eorum alicui sub quacunque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Datum Avinione x. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Septimo. Cum autem vos, fratres Cracoviensis et Culmensis Episcopi, prout iuxta seriem et tenorem litterarum huiusmodi poteratis, super eodem negocio, dicto predecessore adhuc in humanis agente, duxeritis, ut intelleximus, ad actus aliquos procedendum, quamquam tempore, quo ipse, sicut domino placuit, ab hac luce subtractus extitit, nondum fuerit terminatum: Nos, qui predecessori predicto in apostolatus specula successimus, ex eadem dissensione formidantes, si perduraret, quod absit, similia fidei et fidelibus proventura pericula, vel maiora, et propterea volentes per vos ad exequendum et complendum contenta in litteris supradictis fideliter et solerter procedi, fraternitati vestre in virtute obedientie districtius iniungendo mandamus, quatenus vos vel duo vestrum processum alias super negocio ipso per vos, predicti Cracoviensis et Culmensis Episcopi, ut premittitur, habitum resumentes, contenta in eisdem prelibati predecessoris litteris vobis penitus ommittendo de contingentibus iuxta earum continentiam, omni prorsus alia interpretatione seu cunctatione morosa semotis, que expeditionem executionis huiusmodi possent quomodolibet impedire, exequi et complere cum diligentia studeatis, ita quod inde pocius commendari de diligentia, quam redargui de negligentia valeatis, rescripturi nobis super receptione presentium et hiis, que quomodolibet circa executionem huiusmodi egeritis, seu ordinaveritis in hac parte. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Nonas Augusti. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1797. fol. 383.

DLXXXII.

Wesselus praeficitur in episcopum ecclesiae Tarbatensi et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Romana ecclesia, que super omnes alias orbis ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas materne diligentie cura sedulo vigilans, earum profectibus velut solicita mater ardenter intendit, studens, ut per sue providentie ministerium ecclesiis ipsis, presertim que propriis sunt pastoribus viduate, viri preficiantur ydonei in pastores, qui eas in spiritualibus et temporalibus possint et sciant salubriter gubernare. Dudum siquidem felicis recordationis Benedictus papa XII. predecessor noster in sui apostolatus primordiis omnes cathedrales ecclesias apud sedem apostolicam quocunque modo tunc vacantes, et inantea vacaturas dispositioni et ordinationi sue, donec miserationis divine clementia ipsum universalis ecclesie regimini permitteret presidere, reservavit, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: ac deinde dicto predecessore, sicut domino placuit, de hac luce subtracto, nonnullisque ex dictis cathedralibus ecclesiis tempore obitus ipsius predecessoris vacantibus, nos ad apicem eiusdem apostolatus assumpti, cum a nonnullis in dubium verteretur, an de huiusmodi cathedralibus ecclesiis, que tempore huiusmodi obitus prefati predecessoris, ut prefertur, vacabant, posset post ipsius predecessoris obitum per alium, quam per Roma-

num pontificem ordinari, ad cuiuslibet ambiguitatis scrupulum in hac parte tollendum per nostras litteras declaravimus, predictas cathedrales ecclesias fore per reservationem et decretum predicti predecessoris affectas, nec de illis ea vice potuisse vel posse per alium, quam per Romanum pontificem quoquomodo disponi, decernentes irritum et inane, quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan esset hactenus, vel contingeret imposterum attemptari. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia Tarbatensis ex eo vacasse et vacare noscatur, quod idem predecessor Venerabilem fratrem nostrum Engelbertum Archiepiscopum Rigensem, tunc Episcopum Tarbatensem, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo eidem ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Rigensem ecclesiam tunc vacantem duxit auctoritate apostolica transferendum, preficiendo eum eidem ecclesie Rigensi in Archiepiscopum et pastorem: Nos attendentes, quod de provisione eiusdem Tarbatensis ecclesie, de qua idem predecessor, dum viveret, minime ordinavit, nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et declaratione ac decretis obsistentibus antedictis, ad provisionem ipsius ecclesie Tarbatensis celerem et felicem, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Tarbatensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Scolasticum eiusdem Tarbatensis ecclesie, in sacerdotio constitutum, vita laudabilem, scientia preditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, et aliis virtutum donis, prout ex fidedignorum testimonio percepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis: Intendentes igitur tam dicte ecclesie Tarbatensi, quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, de persona tua, nobis et dictis fratribus ob premissorum tuorum meritorum exigentiam accepta, eidem ecclesie Tarbatensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo tibi postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Sabinensem munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod eadem ecclesia, deo auctore, per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, et spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam Tarbatensem sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, illius regimen sic solicite studeas exercere, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis informando, quod eadem ecclesia Tarbatensis per tue circumspectionis ministerium de bono semper in melius augeatur, ac votivis successibus gratuletur, tuque proinde nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam consequi merearis. Datum apud Villamnovam Aviniionensis diocesis VII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Tarbatensium, . . . Archiepiscopo Rigensi, . . . Magistro Livonie et suis preceptoribus ac fratribus ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum in diocesi Tarbatensi constitutis, universis vassallis, et capitulo ecclesie Tarbatensis.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. VI. ep. 57. fol. 153.

DLXXXIII.

Cum Wernero de Chinelik diacono Cracoviensis dioecesis super irregularitate etc. dispensatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Wernero, nato dilecti filii nobilis viri Nivoguey de Chinelik militis, diacono Cracoviensis diocesis, salutem etc. Romani Pontificis precellens auctoritas quandoque iuris rigorem temperat, cum id expedire conspicit, presertim erga illos, pro quibus nobilitas generis et sublimium personarum devota supplicatio super hoc intercedit. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu dudum ecclesiam curatam in Malogoscz Gneznensis diocesis canonice tibi collatam per quinque annos tenuisti, et fructus ex ea percepisti in presbiterum non promotus, licet post annum a tempore, quo ipsam fuisti pacifice assecutus, te feceris ad subdiaconatus et diaconatus ordines promoveri, quodque postmodum tu dictam ecclesiam libere apud sedem apostolicam resignasti in manibus Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Penestrini, de mandato felicis recordationis Benedicti pape XII. predecessoris nostri, tunc viventis, apud sedem ipsam resignationem huiusmodi admittentis, ac fructus predictos per te sic perceptos commode ex integro reddere non valens, sex marchas argenti tantum, prout potuisti, reddere tuo successori curavisti: quare nobis humiliter supplicasti,

ut super remissione aliorum fructuum per te ex ipsa ecclesia, ut premittitur, perceptorum, necnon et super irregularitate et inhabilitate, si quam ex premissis contraxisti, tecum agere misericorditer de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque tui nobilitatis generis et meritorum tuorum, super quibus apud nos fidedigno testimonio commendaris, obtentu, necnon consideratione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Polonie Regis Illustris pro te nobis in hac parte humiliter supplicantis, volentes te prosequi gratiose, tuis etiam supplicationibus inclinati, tecum super irregularitatis et inhabilitatis nota, si quam ex premissis quomodolibet contraxisti, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, teque habilitamus ad quecunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si dignitates aut personatus vel officia existant, obtinenda, si tibi alias canonice conferantur, ac insuper dictos fructus per te perceptos, quos non potes commode reddere, ut prefertur, tibi auctoritate predicta de amplioris dono gratie remittimus et donamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis, remissionis et donationis infringere etc. Datum Avinione VII. Kalendas Aprilis. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1450. fol. 285.

DLXXXIV.

Iaroslao archiepiscopo Gnesnensi, ut cum decem clericis super defectu natalium dispensare possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iaroslao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Tue fraternitatis sincera devotio promeretur, ut illa te gratia favorabiliter prosequamur, per quam aliorum statui et saluti consulere valeas, teque illis reddere gratiosum. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, dispensandi auctoritate apostolica cum decem personis, clericis videlicet seu scolaribus, in scientia ydoneis, defectum patientibus natalium, de soluto genitis et soluta, quod huiusmodi non obstante defectu, possit eorum quilibet ad omnes ordines promoveri, ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dummodo ipsi, consideratis circumstantiis universis, que circa ydoneytatem eorum attendende fuerint, paterne incontinentie non extiterint sectatores, sed bone conservationis et vite, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, aliaque merita suffragentur eisdem ad huiusmodi dispensationis gratiam obtinendam, prout secundum deum saluti animarum ipsorum videris expedire, plenam et liberam fraternitati tue concedimus tenore presentium facultatem, Proviso quod quilibet dictorum clericorum sive scolarium ad ordines, prout requiret onus beneficii, quod eum post dispensationem huiusmodi obtinere contigerit, statutis temporibus promoveri se faceat, et personaliter resideat in eodem. Datum Avinione VI. Kal. Aprilis. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. IX. ep. 539. fol. 309.

DLXXXV.

Iudicibus, ut cardinalem S. Mariae in Cosmedin de quibusdam praebendis in ecclesia Vratislaviensi provideant.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati monasterii sancti Vincentii Wratislaviensis, et Guidoni de Calma Decano sancti Aredii Lemovicensis diocesis, Capellano nostro, ac ... Archidiacono Glogoviensis Wratislaviensis diocesis ecclesiarum, sal. etc. Decens et debitum esse conspicimus, ut venerabiles fratres nostri sancte Romane ecclesie Cardinales, quos dominus tamquam precipuas et sublimes ecclesie predicte columpnas prerogativa sublimavit honoris, quique in ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum defensione, ac ipsorum conservatione libertatum et iurium indesinenter studia et labores impendunt, in eisdem ecclesiis recipiant pro suis oportunitatibus relevamen. Nuper siquidem dilectus filius noster Guillelmus S. Marie in Cosmedin Diaconus Cardinalis virtute gratie, dudum de beneficiis ecclesiasticis quibuscunque usque ad certum valorem in Gneznensi, et certis aliis provinciis vacantibus vel vacaturis per nostras certi tenoris litteras ei facte, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum ecclesie Wratislaviensis, in eadem Gneznensi provincia constitute, per obitum quondam Henrici de Wirbna, eiusdem ecclesie Wratislaviensis canonici et archidiaconi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantes acceptavit, si de iure deberent eidem: Nos etiam vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, intendentes de dictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu, si predicto vel alio quocunque modo et ubicunque vacabant, per apostolice sedis providentiam ordinari, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum eosdem, si, ut prefertur, vacabant, et in eis non erat tunc alicui alii specialiter ius quesitum, ea vice collationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandos, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate

scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cupientes igitur eidem Cardinali, ut incumbentia expensarum onera facilius supportare valeat, de alicuius subventionis auxilio providere, discretioni vestre motu proprio, non ad ipsius Cardinalis vel ulterius pro eo nobis oblate peticionis instantiam, sed de mera nostra liberalitate per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in eo casu, in quo reservatio et decretum nostra huiusmodi acceptationem predictam forte precesserint, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos sic vacantes, si, ut premittitur, tempore reservationis nostre predicte non erat in eis alii specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Cardinali auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel procuratorem suum pro eo in corporalem possessionem canonicatus et prebende ac archidiaconatus, iurium et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum vel procuratorem eundem ipsius nomine ad eandem prebendam in prefata ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris canonici assignatis, et ad eundem archidiaconatum, ut est moris, admitti, sibique de ipsorum canonicatus et prebende ac archidiaconatus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus etc. Dat. Avinione XIII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. VI. ep. 91. fol. 104.

DLXXXVI.

Cum Stanislao de Cracovia ex ord. Praed. dispensatur, ut non obstante defectu natalium, in episcopum eligi possit.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Stanislao de Cracovia ordinis fratrum predicatorum, Penitenciario nostro, salutem etc. Apostolice sedis circumspecta benignitas personas morum venustate conspicuas, quibus talenta scientie ad erudiendum gregem dominicum dominus ministravit, consuevit prerogativa favoris attollere, et circa eas interdum iuris rigorem per dispensationis gratiam mitigare. Hinc est, quod nos personam tuam, quam gratiarum largitor omnium dote scientie, maturitate morum et aliis multiplicibus virtutum meritis insignivit, volentes prosequi gratiose, tuis supplicationibus inclinati tecum, qui defectum in natalibus pateris, de presbitero genitus et soluta, ut in Episcopum licite promoveri valeas et assumi, defectu huiusmodi ac generalis concilii et quibuslibet aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione XI. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1447. fol. 285.

DLXXXVII.

Universis fidelibus ad instaurandam ecclesiam Gnesnensem eleemosynas largientibus indulgentiae conceduntur.

Clemens episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ecclesiarum fabricis manum porrigere adiutricem pium apud deum et meritorium reputantes, frequenter Christi fideles ad impendendum ecclesiis ipsis auxilium nostris litteris exhortamur, et ut ad id eo forcius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum se speraverint adhipisci, non nunquam pro hiis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, videlicet remissiones et indulgentias, elargimur. Cum itaque, sicut Venerabilis frater noster Iaroslaus Archiepiscopus Gneznensis nuper nobis exposuit, ecclesia Gneznensis, que pre aliis ecclesiis in partibus Polonie nobilis et insignis existit, propter sui antiquitatem parietibus eius cadentibus, reedificari cepit sollempniter novis muris et opere sumptuoso, ad cuius consumationem operis ipsius ecclesie redditus, cum sint tenues et exiles, minime sufficere dinoscuntur, nisi Christi fidelium caritativis subsidiis opus huiusmodi supportetur: Universitatem vestram rogamus et ortamur in domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus attendentes provide, quod inter holocausta virtutum illud deo acceptabilius redditur, quod de pinguedine caritatis offertur, de bonis vobis a deo collatis prefate ecclesie pro huiusmodi reedificatione ipsius pias clemosinas, et grata caritatis subsidia errogetis, ut per subventionem vestram opus ipsum valeat consumari, et nos per hoc et alia bona, dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eidem ecclesie manus ad hoc porrexerint adiutrices, unum annum, et unam quadragennam de iniunctis sibi penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime

valituris, quas mitti per questuarios districtius inhibemus, cas, si secus actum fuerit, carere iuribus decernentes. Datum Avinione VI. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. V. ep. 1546. fol. 310.

DLXXXVIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Magistro Henrico Sweymen Scolastico ecclesie Tarbatensis, salutem etc. Confert ipsi Scolastriam dicte ecclesie, quam Wesselus Episcopus Tarbatensis tempore sue provisionis obtinebat. Datum Avinione V. Id. Octobris. Anno Primo.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Wittinghe Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et quondam ex prebendis mediis in dicta ecclesia, quos idem Electus Tarbatensis obtinebat. Datum ut supra.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Magistro Bernardo de Novodompno Canonico Wratislaviensi, legum doctori, Capellano nostro, salutem etc. Confert ipsi dictum canonicatum, quem Arnestus Electus Pragensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Avinione XVII. Kal. Maii. Anno Primo.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni nati Iohannis de Lubek Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Bohemie canonicatum in dicta ecclesia. Dat. Avinione Id. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Ulrico Leupoldi Canonico Wratislaviensi, Magistro in artibus, salutem etc. Confert ipsi, qui Scolaris est in Theologia et Rector dudum universitatis Scolarium Parisiis studentium exstitit, canonicatum et prebendam in dicta ecclesia. Dat. Avinione XV. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Kerstiano Loiteke Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi, qui Capellanus Electi Tarbatensis existit, quamdam ex minoribus prebendis dicte ecclesie. Datum Avinione V. Id. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Octoni de Russin Rectori parrochialis ecclesie de Brunsberg Warmiensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi dictam ecclesiam. Datum Avinione II. Id. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. VI. fol. 197. Lib. VII. fol. 33, 102, 265, 380 et 394. Lib. VIII. fol. 62.

DLXXXIX.

Episcopo Pomesaniensi, ut Nicolaum de Risemburg de fabricandis falsis litteris apostolicis accusatum capi faciat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Dudum ad audienciam venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Penestrini, sancte Romane ecclesie vicecancellarii, tam infamia publica, quam multorum fidedignorum relatione deducto, quod Nicolaus Nicolai de Risemburg alias dictus de Pruscia, qui pro presbitero se gerit tue diocesis, falsas litteras sub nominibus felicis recordationis Iohannis XXII. et Benedicti XII. predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum fabricaverat, et etiam fabricabat, et quod multis de partibus Alamannie huiusmodi falsas litteras in personis eorum de beneficiis conferendis eisdem conceptas vendiderat et vendebat, ac dilectum filium Iohannem de Frankeham rectorem ecclesie in Germo dicte diocesis, quam ipse Iohannes canonice assecutus extiterat et pacifice possidebat, procuraverat et fecerat per huiusmodi falsas litteras spoliari in ipsius Nicolai et multorum aliorum periculum animarum: dictus vicecancellarius volens caute et secrete inquirere super istis, nonnullos testes super hoc in Romana curia recepit et examinavit etiam diligenter, et quia tam per depositiones dictorum testium, quam per quasdam falsas litteras per ipsum Nicolaum fabricatas coram eo exhibitas eundem Nicolaum de falsitatibus huiusmodi diffamatum plurimum reperit et suspectum, ipsum in Romana curia tunc presentem capi mandavit personaliter et etiam arestari, sed ipse Nicolaus id presciens latitavit per dies aliquos, et deinde de curia predicta tamquam sibi male conscius occulte aufugit. Postmodum vero cum idem Nicolaus pridem ad dictam curiam rediisset, et dilectus filius Helias Abbas monasterii sancti Florencii de Salmuro ordinis sancti Benedicti Andegavensis diocesis tunc officium gerens dicti vicecancellarii ab eadem curia de mandato nostro tunc absentis, eum capi mandasset, idem Nicolaus iterato aufugit clandestine a curia memorata. Cum autem dictus Nicolaus taliter diffamatus et suspectus propter fugas huiusmodi de dictis falsitatibus reddiderit

quodam modo se convictum, et propterea nolentes tam gravis criminis et tante perversitatis audaciam conniventibus oculis pertransire, fraternitati tue in virtute sancte obediencie districte precipimus et mandamus, quatenus tam ex nostro officio, quam ad requisitionem ipsius Iohannis prefatum Nicolaum, ubicumque ipsum sive in dicta diocesi sive extra ipsam reperiri continget, capi personaliter facias, ipsumque carcerali custodie mancipari, et cum bona diligencia custodiri, et nichilominus super falsitatibus huiusmodi iuxta articulos, quos tibi dictus Episcopus Penestrinus, qui interim ad dictam curiam rediit, sub suo sigillo transmittit inclusos, contra dictum Nicolaum et quoslibet alios eius complices et culpabiles in falsitatibus ipsis ex dicto officio inquiras diligencius veritatem, faciens tibi per dictum Nicolaum huiusmodi falsas litteras, si quas secum habuit, vel per quoscunque alios, penes quos illas forsan deposuerit, exhiberi, vel saltem locum, ubi dicte detinentur littere, nominent et revelent, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, dictoque Nicolao diligenter in ipso carcere custodito, quousque de ipso per sedem eandem fuerit aliter ordinatum, processum super hiis per te habendum, seu eius copiam, in publicam formam redactum nobis sub sigillo tuo per fidelem nuncium destinare procures, ut inquisitione ipsa visa, quid de ipso Nicolao agendum fuerit, ordinare certius valeamus, Non obstantibus, quod si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione v. Kal. Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Lib. III. ep. 1829. fol. 449.

DXC.

Episcopis Cracoviensi, Culmensi et Misnensi, ut ad pacem reconciliandam inter fratres hospitalis B. Mariae Teutonicorum et regem Poloniae iuxta formam (Nro. DLXXXI.) datam procedant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Cracoviensi et ... Culmensi ac ... Misnensi Episcopis, salutem etc. Dudum diligenter attendens et pie considerans felicis recordationis Benedictus papa XII. predecessor noster, quod dissensiones, quas inter Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem ex parte una, et dilectos filios ... Magistrum, Commendatores et fratres hospitalis beate Marie Teuthonicorum Ierosolimitani ex altera super eo, quod dictus Rex asserebat Culmensem, Pomeranie, Cuiaviensem, Dobrinensem et Michaloviensem terras seu ducatus ad se pleno iure spectare, dictosque Magistrum, Commendatores et fratres terras seu ducatus huiusmodi occupasse, et detinere contra iusticiam occupatos, et recepisse fructus etc. minus iuste etc. ut supra Nro. DLXXXI. pag. 452. usque, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialem oporteret in litteris eiusdem Benedicti predecessoris nostri fieri mentionem, sicut in eisdem litteris inde confectis plenius continetur. Sane postmodum eodem Benedicto predecessore, sicut domino placuit, ab hac luce subtracto, nos, qui deinde divina miseratione fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, fidedignis relatibus intellecto, quod vos fratres Cracoviensis et Culmensis Episcopi, sicut poteratis, iuxta tenorem litterarum ipsarum super eodem negocio, dum adhuc dictus predecessor in humanis ageret, ad actus aliquos processistis, quamquam eo vivente non extiterit huiusmodi negocium terminatum, pie intentioni predecessoris predicti super hiis inherentes, et cupientes, sublatis eisdem dispendiosis dissensionibus inter partes predictas, pacis utilis et deo grate concordiam reformari, et propterea volentes vos ad exequendum et complendum contenta in litteris supradictis fideliter et solerter intendi, vobis ac tibi, frater Episcope Misnensis, iniunxisse districtius in virtute obedientie meminimus et mandasse, ut vos vel duo vestrum processum alias super negocio predicto per vos, predicti Cracoviensis et Culmensis Episcopi, ut prefertur, habitum resumentes, super eodem negocio iuxta tenorem et continenciam litterarum predictarum, quarum seriem de verbo ad verbum extrahi de Registro dicti predecessoris, et in nostris inseri litteris fecimus, nichil penitus ommittendo de contingentibus, omni prorsus alia interpretatione seu cunctatione morosa, que possent negocii executionem huiusmodi quomodolibet impedire, semotis, cum diligentia procedere curaretis, prout in nostris predictis litteris plenius est expressum. Postmodum autem nos, qui pacem inter cunctos fideles, et illos maxime, qui hostibus fidei catholice vicini et propinqui existunt, vigere desideriis affectamus intensis, intra nostra precordia revolventes, quod pro pacis et veritatis concordia inter partes predictas, cum reformata foret durabilius et solidius permansura, eidem videbatur negocio expedire, quod ad reformationem pacis huiusmodi pri-

mo et principaliter, ac deinde quasi simul super restitutione terrarum seu ducatuum predictorum, ac solutione dictorum decem milium florenorum auri facieudis Regi prcfato procederetur iuxta supradictarum litterarum continenciam et tenorem, vobis Cracovicnsi et Culmensi Episcopis supradictis per alias litteras meminimus districtius iniungendo mandasse, ut quantum ex laboribus vestris circa premissa impensis et impendendis apud deum potcratis mereri, diligencius attendentes, ad huiusmodi pacem et concordiam inter partes reformandam predictas studiosis et indefessis sollicitudinibus intendere, ac ectera contenta in prefatis eiusdem predecessoris litteris simul cum eadem pace, sicut commodius et salubrius fieri possit, exequi et complere, nichil ommittendo de contingentibus, quibusvis aliis litteris emanatis a nobis in contrarium nequaquam obstantibus, curaretis. Verum quia ex huiusmodi ultimis litteris nostris siuistre iuterprctatioues contra intentionem nostram exoriri valerent forsitan, vel negocium huiusmodi plus debito prorogari, nos super hiis providere volentes, fraternitati vestre per apostolica scripta districtius iniungendo mandamus, quatinus vos vel duo vestrum circa pacem et concordiam huiusmodi reformandas inter partes easdem primo et priucipaliter, sicut per prefatas ultimas litteras vobis mandavimus, laborantes, et quantum poteritis, insistentes, si ad eas infra sex mensium spacium a presentacione presentium computandum attingere poteritis, ut optamus, quasi simul cum eiusdem reformatione pacis ad restitucionem terrarum seu ducatuum predictorum, et solutionem dictarum decem milium florenorum fieri faciendam secundum priorum eiusdem predecessoris litterarum contineuciam procedatis: si vero, quod absit, reformatio dicte pacis infra sex menses predictos fieri non valeret, extunc eisdem elapsis, ad execucionem contentorum in litteris predecessoris eiusdem, non obstantibus litteris nostris prcdictis ultimis, per vos procedi volumus absque interpretatione ac cunctatione quacunque, nullatenus ommitteudo propter hoc, quomiuus restitutioue terrarum seu ducatuum predictorum et solutione dictorum decem milium florenorum auri perfectis totaliter et completis, tam super reformatione dicte pacis, quam aliis per nostras et eiusdem predecessoris litteras, earum forma servata, vobis in hac parte commissis procedere, solerti et fideli adhibita diligencia, studeatis, certificaturi nos dc hiis, que quomodolibet egeritis in premissis. Datum Avinione VI. Idus Iunii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 70. fol. 24.

DXCI.

Iudicibus, ut donationem quarumdam decimarum monasterio de Cziritz Cracov. dioec. factam confirment.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori de Lapide et ... Preposito in Sandek per priorem et prepositum solitorum gubernari monasteriorum, ac ... Thesaurario ecclesie sancti Martini Scepusiensis Strigoniensis diocesis, salutem etc. Sinceritas devotionis, quam dilecti filii ... Abbas et Conventus monasterii de Cziritz Cisterciensis ordinis Cracoviensis diocesis ad nos et apostolicam sedem gerunt, meritaque religionis eorum rationabiliter promerentur, ut eorum peticionibus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis ipsorum Abbatis et conventus peticio continebat, quod olim bone memorie Wislaus Cracoviensis Episcopus, prout spectabat ad ipsum, cum perceptio decimarum novalium in dicta diocesi ad Episcopum Cracoviensem, qui est pro tempore, pertineret, prout pertinet de antiqua consuetudine ac etiam approbata, cum expresso consensu dilectorum filiorum sui Capituli ecclesie Cracoviensis condam Theodorico Palatino Cracoviensi, intendenti construere ecclesiam in honore sancte Marie in territorio ipsius prefate diocesis, quod vulgariter Ludemer nuncupatur, construendi ecclesiam huiusmodi in dicto loco concessit auctoritate ordinaria potestatem, decimas novalium de toto nemore et de omuibus silvis in dicto territorio consistentibus, que tunc et imposterum extirpari possent, cidem ecclesie liberaliter conferendo, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum Episcopi et Capituli sigillis munitis prefati Abbas et conventus asserunt plenius contineri: Quare prefati Abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum dictus Theodoricus dictam ecclesiam primo, et deinde monasterium circa eam de bonis propriis canonice in dicto loco construxerit et legitime fundaverit, ac ipsa ecclesia sancte Marie dicto monasterio auctoritate dicti Episcopi concessa fuerit, concessionem et donationem huiusmodi dccimarum confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur de predictis certam noticiam non habentes, ac dictos Abbatem et conventum sic favorabiliter volentes prosequi, ut non derogemus in premissis iuribus aliorum, gerentes quoque de vestre circumspectionis industria in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus ve-

strum per vos vel alium seu alios concessionem et donationem de predictis decimis eidem ecclesie, ut premittitur, factas sine iuris alieni preiudicio auctoritate apostolica confirmetis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Nonas Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Lib. III. ep. 1077. fol. 212.

DXCII.

Episcopo Vratislaviensi, ut decimam ex reditibus beneficiorum ecclesiasticorum Ioanni regi Bohemiae per biennium concessam in sua dioecesi colligat, et eidem regi tradat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Paterna consideratione pensantes, quantum Carissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Boemie Illustris erga nos, et Romanam ecclesiam matrem suam tanquam benedictionis filius et devotus fidelitate ac devotionis sinceritate fervere dinoscitur, ipsamque Romanam ecclesiam studet multipliciter honorare, dignum reputamus et congruum, ut prefatum Regem ac Regnum suum, suosque fideles et subditos favoribus et presidiis apostolicis prosequamur. Cum itaque, sicut ad noticiam nostram et fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium sua et aliorum fide digna relatione pervenit, et facti evidentia manifestat, nonnulli hostes dei et eiusdem ecclesie manifesti eorumque sequaces, qui in profundum malorum demersi, et ad mala continue perpetranda parati dictam Romanam ecclesiam, eiusque fideles et devotos eorum nephariis ausibus, quantum in eis est, hostiliter persecuntur, propter fidelitatis constantiam et devotionem eximiam, quas idem Rex, Regnum et subditi sui ad defendendum honorem ipsius sancte matris ecclesie, ac se contra hostes ipsos viriliter opponendum habere noscuntur, Regnum et terras dominio suo subiectas invadere et impugnare ac offendere nisibus totis anhelent et continue machinentur, ac eorum nequam propositum iam in actum deduxerint, et subditis suis ac Regno suo conati fuerint dampna inferre plurima ac iacturas, et propterea tam pro defensione honoris Regni et terrarum predictorum, ipsorumque hostium repressione dictum Regem oporteat maxima subire profluvia expensarum, ad que supportanda nequit sufficere per ipsum, nobis humiliter supplicavit, ut sibi ac Regno et terris predictis de oportune subventionis auxilio de solita sedis apostolice gratia providentes, decimam omnium ecclesiasticorum redditum et proventuum in tuis, ac Pragensi et Olomucensi civitatibus et diocesibus, necnon comitatu Lucemburgensi, ad ipsum Regem spectante, consistentium usque ad certum tempus concedere dignaremur. Nos igitur considerantes, quod eiusdem Romane ecclesie honoris defensio in hac parte tangitur, et tum ob hoc, tum pro memorati Regis et subditorum suorum predictis gravaminibus relevandis, ac pro defensione dictorum Regni, terrarum et subditorum suorum contra invasiones, molestias, aggressiones et offensiones hostium eorundem volentes eum in hac parte favoribus prosequi ac auxiliis oportunis, suis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio sepedicto Regi decimam omnium ecclesiasticorum redditum, et proventuum predictorum in civitatibus et diocesibus ac comitatu predictis consistentium exigendam, et colligendam ab universis Archiepiscopis et Episcopis, ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus et diocesibus ac comitatu redditus et proventus huiusmodi obtinentibus, quantacunque prefulgeant dignitate, seu cuiuscunque preminentie, conditionis aut status, ordinis vel religionis existant, quibus et eorum alicui nulla privilegia et indulgentias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, preterquam ab eisdem fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus dignitates, seu alia beneficia ecclesiastica quecunque, cum cura vel sine cura, seu quoscunque redditus et proventus ecclesiasticos in episcopatibus et comitatu predictis obtinentibus, qui in solicitudinis partem assumpti nobiscum universalis ecclesie onera sortiuntur, necnon a dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos omnes a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, usque ad biennium a data litterarum nostrarum computandum auctoritate apostolica tenore litterarum ipsarum duximus concedendam, volentes exactionem et collectionem huiusmodi decime in civitate et diocesi ac comitatu predictis per te, quem tenore presentium in tuis, et Venerabiles fratres nostros . . . Pragensem et . . . Olomucensem Episcopos, quos singulos in suis civitatibus et diocesibus, necnon dilectos filios sancti Huberti et sancte Marie in Lucembourch Leodiensis et Treverensis diocesium monasteriorum Abbates, ac ... Archidiaconum Treverensem, quos in comitatu predicto collectores huiusmodi decime per alias nostras litteras specialiter deputamus, tam a te et ipsis, quam omnibus

Archiepiscopis et Episcopis, ac personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscumque, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus diocesibus ac comitatu redditus et proventus ecclesiasticos, ut prefertur, habentibus, de eisdem redditibus et proventibus dumtaxat, preterquam a Cardinalibus, Magistro et fratribus prelibatis, fieri absque iniuria et oppressione quacunque, et quod tu et alii collectores predicti, et vestrum singuli per vos, et subcollectores vestros, quos ad hoc duxeritis deputandos, prefatos Archiepiscopos et Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas seculares et regulares predictas ad solutionem dicte decime de omnibus redditibus, et proventibus ecclesiasticis eorundem in eisdem civitatibus et diocesibus ac comitatu consistentibus, ut prefertur, secundum modum et morem ac consuetudinem in exactione et collectione huiusmodi decime hactenus observatos, per huiusmodi biennium in terminis infrascriptis vobis seu subcollectoribus prelibatis, vel personis aliis, quas ad hoc duxeritis deputandas, et per vos et vestrum singulos dicto Regi, seu personis, quas ipse Rex ad hoc deputandas duxerit, integraliter assignandam sub forma et moderamine infrascriptis per censuram ecclesiasticam, et etiam sequestrationem fructuum, redditum et proventuum suorum ecclesiasticorum in ipsis civitatibus et diocesibus ac comitatu consistentium, si expedire videritis, appellatione postposita, compellatis: ita quod ad fructus, redditus et proventus extra civitates et dioceses ac comitatum predictos consistentes huiusmodi compulsionis officium nullatenus extendatis, nec ad compulsionem ipsam faciendam in aliquo casu per vos vel alium seu alios invocetis, nec (per) personas a vobis vel vestrum aliquo ad collectionem huiusmodi deputandas invocari permittatis, auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solventium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem foret apostolicam ordinatum. Huiusmodi autem solutio fiet quolibet anno dicti biennii in terminis infrascriptis. Siquidem solutionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti biennii primum terminum fore statuimus festum Nativitatis domini proximo venturum, secundum vero terminum solutionis medietatis alterius festum nativitatis beati Iohannis Baptiste, prefatum festum nativitatis domini proximo secuturum, in altero anno in solutione predicta similibus terminis observandis. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur atteute, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ab omnibus et siugulis personis ecclesiasticis tuarum civitatis et diocesis, et aliis quibuscunque redditus et proventus ecclesiasticos in ipsis civitatibus et diocesibus obtinentibus, preterquam a Cardinalibus, Magistro et fratribus supradictis, huiusmodi decimam de omnibus redditibus et proventibus ecclesiasticis eorundem, in dictis tuis civitate et diocesi cousistentibus, per te seu subcollectores tuos, clericos tamen, quos ad hoc duxeris deputandos, secundum taxationem dicte decime, si secundum taxationem eandem solvere consueverint, alioquin secundum modum et morem ac consuetudinem in collectione et solutione ipsius decime hactenus observatos, per dictum biennium in prefatis terminis, medietatem videlicet in quolibet terminorum ipsorum, absque iniuria et oppressione quacunque exigere et recipere studeas diligenter, universas personas easdem ad solutionem huiusmodi decime faciendam secundum premissum modum auctoritate nostra per censuram eccleaiasticam, et etiam sequestrationem fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum suorum in eisdem tuis civitate et diocesi consistentium, si expedire videris, appellatione remota, compellas, tuque etiam de redditibus et proventibus tuis ecclesiasticis decimam huiusmodi secundum taxationem aut modum, vel morem et consuetudinem supradictos per dictum biennium in eisdem terminis cum integritate persolvas, assignandam prefato Regi, aut illi vel illis, quem vel quos idem Rex ad receptionem huiusmodi decime deputabit, ita quod tu et alie persone ecclesiastice supradicte tuarum civitatis et diocesis non teneamini monetam, que pro huiusmodi decima persolvetur, deferre vel destinare, vel solutioncs eius facere extra tuas civitatem et diocesim prelibatas, et quod huiusmodi solutio decime fiat absque aliquo onere illorum, a quibus decima huiusmodi persolvetur, nisi te et personis ipsis forte deficientibus in eiusdem decime solutione in terminis prelibatis, ob huiusmodi tuum et ipsarum defectum expensas fieri oporteret, ad quarum restitutionem te et ipsas teneri volumus et astringi. Quod si forte te vel subcollectores predictos per te ad colligendum et recipiendum huiusmodi decimam deputandos, aut aliquem vel aliquos ex eisdem deficere forsan contiget in solutione dicte decime in terminis antedictis, taliter deficientem seu deficientes similes sententias, quas per te vel subdelegatos ipsos ad executionem collectionis huiusmodi decime deputandos proferri contigerit, incurrere volumus ipso facto, a quibus post satisfactionem debitam per aliquem ex vicinioribus Episcopis, excommunicationis sententia non ligatum, et alias gratiam et communionem apostolice sedis habentem, facta sibi prius fide de satisfactione huiusmodi, possit absolutionis beneficium ac dispensationem super

irregularitate, si quam sic ligati celebrando divina, vel vos ingerendo eisdem forsitan contraxeritis, obtinere, iniuncto super hoc vobis, quod de iure fuerit iniungendum. Et ne de moneta, de qua fiet solutio dicte decime, seu fieri debebit, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propterea quandoque viri ecclestastici sunt perpessi, dicta decima ad monetam usualem communiter levetur, et etiam exigatur iuxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alterius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, quodque iuxta constitutionem eiusdem Viennensis concilii calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis offitiis deputata ex causa pignoris, vel distractionis cuiuspiam tu, seu subcollectores per te ad receptionem vel collectionem huiusmodi decime, ut premittitur, deputandi capere seu recipere, distrahere vel occupare nullatenus presumatis. Non obstantibus, si tibi et predictis personis ecclesiasticis, et aliis quibuscunque communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod ad solutionem huiusmodi decime minime teneamini, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis ordinum, locorum et personarum earundem nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, ac litteris apostolicis quibuscunque dignitatibus seu ordinibus eorum, specialiter Cistercientibus, Premonstratensibus, Cluniacensibus, Cartusiensibus, vel Universitatibus et personis singularibus generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel expressione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris plena, specialis et expressa mencio sit habenda. Ceterum tibi presentium auctoritate concedimus, quod tu per te vel alium seu alios eos, quos pro retardatione solutionis decime supradicte, vel impedimento alio prestito super ea, vel alias circa commissum tibi officium exercendum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiis involvi contigerit, vel ecclesias sive loca ecclesiastico interdicto supponi contigerit, possis post satisfactionem condignam iuxta ecclesie formam a sententiis ipsis absolvere, necnon suspensiones et interdicta huiusmodi relaxare, ac cum eis, qui dictis ligati sententiis celebrando divina vel se illis immiscendo, non tamen in contemptum clavium, maculam irregularitatis contraxerint, super irregularitate ipsa, iniuncto eis, quod de iure iniungendum fuerit, auctoritate apostolica misericorditer dispensare. Dat. Avinione v. Idus Iulii. Anno II. Ex Reg. orig. An. II. Lib. VI. ep. 51. fol. 67.

DXCIII.

Archiepiscopo Gnesnensi commissionem denarii B. Petri colligendi per Galbardum de Carceribus factam pontifex confirmat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Sicut dilecti filii Magistri Galhardi de Carceribus Prepositi ecclesie Titulensis Colocensis diocesis relatio patefecit, dudum cum ipse Prepositus, qui pro colligendo censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, ecclesie Romane in Regno Polonie debito per Regnicolas dicti Regni, et aliis certis negociis ipsam ecclesiam tangentibus olim cum litteris oportunis apostolicis ad partes destinatus easdem, se disponeret ad sedem apostolicam certis rationabilibus causis redire, te, frater, de cuius fidelitate ac zelo devotionis et reverencie, quem ad eandem geris ecclesiam, nobis per eum multipliciter commendatis, confidens, collectorem dicti census in tuis Civitate ac diocesi sub certis modis et formis auctoritate apostolica sibi commissa deputare ac constituere procuravit. Nos igitur deputationem huiusmodi ratam habentes et gratam, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super collectione huiusmodi per te, vel alium seu alios a te, sicut expediens fuerit, deputandos super hoc intendere diligenter et fideliter, quousque per nos inde aliud ordinatum extiterit, non postponas, Contradictores etc. Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede sit indultum predicta, quod interdici etc. usque de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Episcopis Cracoviensi, Posnaniensi, Wladislaviensi, Plocensi et Culmensi.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 153. fol. 54.

DXCIV.

Eidem, ut denarium B. Petri per se et episcopum Posnaniensem collectum ad cameram apostolicam mittat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ec-

clesie Romane in tuis ac Posnaniensi Civitatibus et diocesibus debita, per te ac Venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum Posnaniensem, vel vestros subcollectores collectas ad nostram Cameram fideliter destinari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi pecunias per prefatum Episcopum Posnaniensem vel eius subcollectores, ut prefertur, collectas recipiens ab Episcopo Posnaniensi predicto, illas una cum hiis, quas tu per te vel tuos subcollectores collegisse dinosceris, mittere ad nostram Cameram cum integritate procures, certificaturus eandem, sicut commodius poteris, de premissis. Volumus autem, quod eundem Posnaniensem Episcopum et alios, quorum intererit, possis absolvere plenius et quitare de hiis, que inde receperis ab eodem: Nos quoque tibi de sufficientis quitationis cautela faciemus, cum easdem pecunias ad Cameram ipsam miseris, provideri. Datum Avinione III. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 154. fol. 55.

DXCV.

Episcopo Cracoviensi, ut denarium B. Petri, quem collegerit, ad cameram apostolicam mittat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in eis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis Civitate et diocesi debito, per te tuosque subcollectores collectas ad nostram Cameram fideliter destinari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus pecunias huiusmodi, quantocius commode poteris, ad Cameram ipsam mittas, eam certificaturus, sicut commodius poteris, de premissis: Nos enim tibi de sufficientis quitationis cautela faciemus, cum easdem pecunias ad Cameram ipsam miseris, provideri. Datum Avinione III. Idus Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 158. fol. 55.

DXCVI.

Ep̄o Vladislaviensi, ut denarium B. Petri per se et Plocensem ac Culmensem ep̄os collectum ad cameram apostolicam mittat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in eis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis ac Plocensi et Culmensi Civitatibus et diocesibus debito, per te, frater, ac Venerabiles fratres nostros ... Plocensem et ... Culmensem Episcopos, vel vestros subcollectores collectas ad nostram Cameram fideliter destinari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi pecunias per prefatos Episcopos ... Plocensem et ... Culmensem, aut eorum subcollectores, ut prefertur, (collectas) ab eisdem Ep̄is recipiens, illas una cum hiis, quas tu per te tuosque subcollectores in tuis Civitate ac diocesi collegisse dinosceris, mittere ad nostram Cameram cum integritate procures, certificaturus eandem, sicut commodius poteris, de premissis. Volumus autem, quod eosdem Plocensem et Culmensem Episcpos et alios, quorum intererit, possis absolvere plenius et quitare de hiis, que inde receperitis ab eisdem: Nos autem tibi de sufficientis quittationis cautela faciemus, cum easdem pecunias ad Cameram eandem miseris, provideri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 162. fol. 56.

DXCVII.

Episcopis Plocensi et Culmensi, ut denarium B. Petri per se collectum episcopo Vladislaviensi assignent.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Plocensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis Civitate ac diocesi debito, per te tuosque subcollectores collectas ad nostram Cameram fideliter destinari, Venerabili fratri nostro ... Episcopo Wladislaviensi per litteras nostras mandamus, ut pecunias ipsas a te recipiens, eas una cum illis, quas per se suosque subcollectores de dicto censu in suis Civitate ac diocesi noscitur collegisse, ad Cameram transmittat eandem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem pecunias per te ac tuos subcollectores de dicto censu, ut prefertur, collectas eidem Episcopo studeas integraliter assignare: Nos autem prefato Episcopo te quittandi de hiis, que inde sibi assignaveris, per predictas concedimus litteras potestatem. Datum ut supra. In e. m. Episcopo Culmensi.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 163. fol. 57.

DXCVIII.

Episcopo Posnaniensi, ut eundem denarium B. Petri per se collectum archiepiscopo Gnesnensi tradet.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Posnaniensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis Civitate et diocesi debito, per te, tuosque subcollectores collectas, ad nostram Cameram fideliter destinari, Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Gneznensi per litteras nostras mandamus, ut pecunias ipsas a te recipiens, eas una cum illis, quas per se suosque subcollectores de dicto censu in suis Civitate ac diocesi noscitur collegisse, ad Cameram supradictam transmittat. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem pecunias per te, ac tuos subcollectores de dicto censu, ut prefertur, collectas, eidem Archiepiscopo studeas integraliter assignare. Nos autem prefato Archiepiscopo te quitandi de hiis, que inde sibi assignaveris, per predictas litteras concedimus potestatem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 156. fol. 56.

DXCIX.

Arnesto episcopo Pragensi, ut cum civibus Vratislaviensibus super denario B. Petri solvendo componat, et deinceps interdictum, cui civitas Vratislaviensis, quod dictum denarium solvere cessaverat, supposita erat, relaxet.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Arnesto Episcopo Pragensi, salutem etc. Nuper ad nosticiam nostram extitit relatibus fidedignis perductum, quod dudum ex eo, quod dilecti filii cives, habitatores et incole civitatis Wratislaviensis a solutione census annui, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus Nobis et ecclesie Romane debiti, cessaverant per aliqua tempora et cessabant, eandem ecclesiam possessione dicti census, in qua erat et ab antiquo fuerat, quantum erat in eis, temere spoliando, diversi processus facti fuerant auctoritate apostolica diversis temporibus contra eos, quodque subsequenter cum inter Carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Regem Boemie Illustrem, cui eadem civitas ac terre vicine alique sunt subiecte, ac dilectum filium Magistrum Galhardum de Carceribus Prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in partibus Regnorum Ungarie et Polonie apostolice sedis Nuncium, super solutione dicti census per subditos eiusdem Regis Boemie prestanda ecclesie Romane predicte futuris extunc temporibus quedam compositio seu concordia esset facta, videlicet quod subditi Regis eiusdem in partibus Slezie consistentes annis singulis in Quadragesima pro quolibet humano capite unum denarium currentis, et cursualis monete illius patrie pro dicto censu ecclesie Romane predicte absque contradictione quacumque solvere perpetuis temporibus, dolo et fraude cessantibus, tenerentur, se ad hoc sollenniter et efficaciter obligando, prefati cives, habitatores et incole premissa et alia, que continebantur in compositione seu concordia predicta, volentes adimplere, cessaverunt a solutione census huiusmodi, sicut prius, propter quod prefatus Nuncius, eorundem civium, habitatorum et incolarum rebellione, contumacia et inobediencia exigentibus, civitatem eandem ecclesiastico supposuit interdicto, et adversus singulares personas eorum excommunicationis sentencias promulgavit. Sane pridem ad nostram veniens presenciam dilectus filius Thilo de Lignicz, civis Wratislaviensis, Universitatis civium, habitatorum et incolarum predictorum procurator et sindicus, nobis humiliter supplicavit, ut super iuribus ad nos et ipsam ecclesiam ratione dicti census in predicta civitate spectantibus per aliquos probos viros deputatos super hoc informationem recipi, ac ordinare, quod certa summa pecunie per prefatos cives, habitatores et incolas pro dicto censu suis periculis et sumptibus apud sedem apostolicam perpetuis temporibus annis singulis solveretur, eisque gratiose illa, que debent de censu eodem pro tempore preterito, quo cessaverunt a solutione illius, ut premittitur, remittere dignaremur. Nos igitur attendentes, quod in antiquis registris eiusdem Romane ecclesie continetur expresse, quod ipsi ad prestationem et solutionem dicti census tenentur astricti, et indubitatum existat, quod illum consueverant eidem ecclesie ab antiquis temporibus solvere, ac solverunt, quousque, ut superius est expressum, a paucis citra temporibus, non sine contemptu et preiudicio ecclesie memorate suarumque animarum periculis, per decem septem annos proximo iam elapsos a solutione cessaverunt illius, et insuper quod modum solucionis antique dicti census, quem ob reverenciam beatorum Petri et Pauli apostolorum, ac propter alias honestas et rationabiles causas estimamus fuisse pie ac rationabiliter introductum, mutare de facili expediens non videtur, supplicationi huiusmodi

non duximus annuendum, sed prefatis civibus, habitatoribus et incolis civitatis predicte per modum alium favorabiliter providere super hiis intendimus, videl. quod si prefati cives, habitatores et incole se sollenniter et efficaciter obligent ad solvendum, sicut premissum est, futuris perpetuis temporibus dictum censum, super illis, ad que tenentur ratione dicti census pro tempore preterito, graciose agemus cum eis, terminosque super solutione illorum sibi faciemus competentes concedi, ac predictum interdictum de speciali gracia relaxari, personisque ipsorum singularibus beneficium absolutionis impendi. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus quantum communiter singulis decem septem annis proximo iam elapsis, quibus incluso hoc anno presenti, cessaverunt prefati cives, habitatores et incole a solutione predicta, valere potuit dictus census, te fideliter et solerter informans, nos exinde clare, particulariter et distincte, ut melius scire possimus, quid et qualiter per nos agendum erit circa hec, efficere studeas, quantocius comode poteris, certiores, et nichilominus ab eisdem civibus, habitatoribus et incolis, ac eorum procuratoribus et sindicis super hoc legitime constitutis, super solvendo dicto censu annis singulis in quadragesima perpetuis futuris temporibus ecclesie Romane predicte, videlicet uno denario currentis et cursualis monete illius patrie pro quolibet humano capite, liberaliter et fideliter absque contradictione quacumque obligacionem sollennem et efficacem nostro, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrancium, et ecclesie predicte nomine recipias, et exinde confici facias publicum instrumentum presencium seriem continens, quod nobis e vestigio studeas destinare. Postquam autem obligationem receperis antedictam, interdictum, cui civitas ipsa propter premissa subiacere noscitur, relaxare, ac singularibus personis predictis, que absolutionis beneficium ab eadem excommunicationis sentencia pecierint humiliter, illud impendere iuxta formam ecclesie auctoritate nostra procures: adiecto tamen, quod si Universitatem civitatis eiusdem contra obligationem predictam non solvendo dictum censum, ut premissum est, venire, quod absit, contingeret, eo ipso civitas eadem interdicto simili subiaceat, et persone singulares predicte, que dictum censum non solverent, in easdem relabantur sentencias ipso facto. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septemb. Anno Secundo. Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 259. fol. 82.

DC.

Exsecutoribus, ut Sbigneo praeposito ecclesiae Cracoviensis canonicatum in ecclesia Sandomirieusi Cracov. dioecesis conferant.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati monasterii de Czirzicz et ... Preposito sancti Michaelis ac ... Cantori Sandomiriensis ecclesiarum Cracoviensis diocesis, sal. etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas et alia virtutum merita, quibus personam dilecti filii Sbignei Prepositi ecclesie Cracoviensis fidedigno commendatam testimonio iuvari percepimus, promerentur, ut ipsum favore apostolico prosequentes, sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Sandomiriensis Cracoviensis diocesis, quos Venerabilis frater noster Iaroslaus Archiepiscopus Gneznensis dudum tempore promocionis sue ad Gneznensem ecclesiam, tunc pastore carentem, obtinuit, per munus consecrationis eidem Iaroslao impensum vacaverint et vacent ad presens: Nos volentes prefato Sbigneo premissorum meritorum suorum intuitu, necnon consideracione carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie illustris, cuius idem Sbigneus Cancellarius existit, nobis super hoc per suas litteras humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios canonicatum et prebendam predictos sic vacantes, eciam si munus consecrationis huiusmodi eidem Archiepo auctoritate apostolica et apud sedem apostolicam sit impensum, dummodo tempore date presencium non sit in eisdem canonicatu et prebenda alicui ius specialiter quesitum, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Sbigneo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende, ac iurium et pertinentiarum eorundem eadem auctoritate, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum Sbigneum vel procuratorem suum pro eo ad eandem prebendam in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie Sandomiriensis cum plenitudine iuris canonici assignatis, sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII. Kal. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Lib. I. ep. 737. fol. 349.

DCI.

Vratislaviensis, Lubucensis et Caminensis episcopi collectores denarii S. Petri in suis dioecesibus confirmantur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Sicut dilecti filii Magistri Galhardi de Carceribus Prepositi ecclesie Titulensis Colocensis diocesis relatio patefecit, dudum cum ipse Prepositus, qui pro colligendo censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, ecclesie Romane in Regno Polonie debito per regnicolas dicti Regni, et aliis certis negociis ipsam ecclesiam tangentibus olim cum litteris oportunis apostolicis ad partes destinatus easdem, se disponeret ad sedem apostolicam certis rationabilibus causis redire, te, frater, de cuius fidelitate ac zelo devotionis et reverencia, quam ad eandem geris ecclesiam, nobis per eum multipliciter commendaris, confidens collectorem dicti census in tuis civitate ac diocesi sub certis modis et formis, auctoritate apostolica sibi commissa, deputare ac constituere procuravit. Nos igitur deputationem huiusmodi ratam habentes et gratam, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus super collectione huiusmodi per te vel alium seu alios a te, sicut expediens fuerit, deputandos super hoc intendere diligenter et fideliter, quousque per nos inde aliud ordinatum extiterit, non postponas, Contradictores etc. Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede sit indultum predicta, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione vi. Idus Octobris. Anno Secundo. In e. m. Episcopis Lubucensi et Caminensi.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 375. fol. 113.

DCII.

Vratislaviensi, Lubucensi et Caminensi episcopis, ut denarium B. Petri per se et subcollectores suos collectum archiepiscopo Gnesnensi assignent.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in tuis civitate et diocesi debito, per te tuosque subcollectores collectas et imposterum colligendas ad nostram Cameram fideliter destinari, Venerabili fratri nostro ... Archiepo Gneznensi per litteras nostras mandamus, ut pecunias ipsas a te recipiens, eas ad Cameram supradictam transmittat. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus easdem pecuuias per te ac tuos subcollectores de dicto censu, ut prefertur, collectas, et ut premittitur, colligendas eidem Archiepiscopo studeas integraliter assignare: Nos autem prefato Archiepiscopo te quittandi de hiis, que inde sibi assignaveris, per predictas litteras concedimus potestatem. Datum Avinione vi. Id. Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo. In e. m. Episcopis Lubucensi et Caminensi.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 375. fol. 113.

DCIII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut dictas pecunias recipiat et ad cameram apostolicam mittat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Volentes pecunias de censu annuo, qui denarius beati Petri vulgariter in illis partibus nuncupatur, nobis et ecclesie Romane in Wratislaviensi, Lubucensi et Caminensi civitatibus et diocesibus debito, per venerabiles fratres nostros ... Wratislaviensem, ... Lubucensem et ... Caminensem Episcopos, vel eorum et cuiuslibet ipsorum subcollectores collectas et imposterum colligendas ad nostram Cameram fideliter destinari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi pecunias per prefatos Wratislaviensem, Lubucensem et Caminensem Episcopos, vel eorum aut cuiuslibet ipsorum subcollectores, ut prefertur, collectas, et ut premittitur, colligendas recipiens ab Episcopis supradictis, illas mittere ad nostram Cameram cum integritate procures, certificaturus eandem, sicut commodius poteris, de premissis. Volumus autem, quod eosdem Wratislaviensem, Lubucensem et Caminensem Episcopos et alios, quorum intererit, possis absolvere plenius et quittare de hiis, que inde receperis ab eisdem: Nos quoque tibi de sufficientis quitationis cautela faciemus, cum easdem pecunias ad Cameram ipsam miseris, provideri. Datum Avinione vi. Idus Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 378. fol. 113.

DCIV.

Exsecutoribus, ut in Poloniae partibus decimam omnium proventuum ecclesiasticorum colligendam curent, et regi Poloniae ad comprimendos Tartaros, Ruthenos et Lithuanos regnum suum infestantes tradant.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, et dilectis filiis . . . in Sulcow ac . . . in Claratumba monasteriorum Abbatibus Gneznensis et Cracoviensis diocesium, salutem etc. Dum nostris et apostolice sedis placida commemoratione representatur obtutibus ingens et sincera devotio summaque fidelitas, quibus erga nos et sedem eandem Carissimus in Christo filius noster Cazmirus Polonie Rex Illustris clarere dinoscitur, et quibus ipse studet Romanam ecclesiam tanquam ipsius spiritualis filius et devotus multipliciter honorare, dumque intuemur necessitates sibi pro defensione Regni sui, ad eandem Romanam ecclesiam immediate spectantis, et subditorum suorum tam a paganis et infidelibus, quam ab aliis hostibus suis assidue incumbentes, dignum et congruum fore conspicimus, ut dicto Regi ac Regno predicto ac subditis eorum obviando dispendiis, quantum cum deo possumus, eiusdem sedis favorem et gratiam impendamus. Cum itaque, sicut ad notitiam nostram et fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium dicti Regis et aliorum fidedignorum relatione pervenit, et facti etiam evidentia manifestat, prefati pagani et infideles, videlicet Tartari, Rutheni et Litfani, hostes fidei christiane Regnum et subditos prelibatos aggrediantur multipliciter et frequenter impugnent, ac ipsis Regno et subditis multa dampna, violentias et iniurias atroces intulerunt hactenus, et inferre conentur, et tum ob hoc, tum pro honore eiusdem sancte Romane ecclesie, quam nonnulli rebelles et hostes ipsius notorii persequi totis conatibus moliuntur in ipsis partibus, defendendo, ipse Rex multa subierit hactenus, et eum subire oporteat onera expensarum, ad que supportanda nequit sufficere per se ipsum, nobis humiliter supplicavit, ut sibi ac Regno et terris predictis de oportune subventionis auxilio de solita sedis apostolice gratia providentes, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et reddituum in Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi, Cuyaviensi, Plocensi, Lubucensi et Caminensi civitatibus et diocesibus consistentium usque ad certum tempus concedere dignaremur. Nos igitur considerantes, quod fidei orthodoxe ac eiusdem Romane ecclesie honoris defensio in hac parte tangitur, et tum ob hoc, tum pro Regis et subditorum predictorum gravaminibus relevandis, ac pro defensione dictorum Regni, terrarum et subditorum suorum contra invasiones, molestias, aggressiones et offensiones hostium eorundem volentes eundem Regem in hac parte favoribus et auxiliis prosequi oportunis, ipsius supplicationibus inclinati, de nostrorum fratrum consilio dicto Regi decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et reddituum predictorum in civitatibus et diocesibus predictis consistentium exigendam, et solvendam ab universis Archiepiscopis et Episcopis, ceterisque personis ecclesiasticis quibuscumque, etc. ut supra Nro. DXCII. pag. 461. Datum Avinione Kalendis Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Lib. VI. ep. 408. fol. 152.

DCV.

Casimiro regi Poloniae decima omnium ecclesiasticorum proventuum in Gnesnensi, Cracoviensi, Posnaniensi, Cuiaviensi, Plocensi, Lubucensi et Caminsnsi civitatibus et dioecesibus usque ad biennium conceditur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Cazmiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Dum nostris et apostolice sedis placida commemoratione representatur obtutibus ingens et sincera devotio summaque fidelitas, quibus erga nos et sedem eandem clarere dinosceris, et quibus studes Romanam ecclesiam tanquam ipsius spiritualis filius et devotus multipliciter honorare, dumque intuemur necessitates tibi pro defensione Regni tui, ad eandem Romanam ecclesiam immediate spectantis, et subditorum tuorum tam a paganis et infidelibus, quam ab aliis hostibus tuis assidue incumbentes, dignum et congruum fore conspicimus, ut tibi ac ipsis Regno et subditis eorum obviando dispendiis, quantum cum deo possumus, eiusdem sedis favorem et gratiam impendamus. Cum itaque, sicut ad notitiam nostram et fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium tua et aliorum fidedignorum relatione pervenit, et facti etiam evidentia manifestat, prefati pagani et infideles, videlicet Tartari, Rutheni et Litfani, hostes fidei christiane Regnum tuum et subditos prelibatos aggrediantur multipliciter et frequenter impugnent, ac ipsis Regno et subditis multa dampna, violentias et iniurias atroces intulerunt hactenus, et inferre conentur, et tum ob hoc, tum pro honore eiusdem sancte Romane ecclesie, quam

nonnulli rebelles et hostes ipsius notorii persequi totis conatibus moliuntur, in ipsis partibus defendendo multa subieris hactenus et subire te oporteat onera expensarum, ad que supportanda nequis sufficere per te ipsum, nobis humiliter supplicasti, ut tibi ac Regno et terris predictis de oportune subventionis auxilio de solita sedis apostolice gratia providentes, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et redditum in Gnesnensi, Cracoviensi, Poznaniensi, Cuiaviensi, Plocensi, Lubucensi et Caminensi civitatibus et diocesibus consistentium usque ad certum tempus concedere dignaremur. Nos igitur considerantes, quod fidei orthodoxe ac eiusdem Romane ecclesie honoris defensio in hac parte tangitur, et tum ob hoc, tum pro tuis et subditorum tuorum gravaminibus relevandis, ac pro defensione dictorum Regni, terrarum et subditorum tuorum contra invasiones, molestias, aggressiones et offensiones hostium eorundem volentes te in hac parte favoribus et auxiliis prosequi oportunis, tuis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio tibi decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et redditum predictorum in civitatibus et diocesibus predictis consistentium exigendam, et solvendam ab universis Archiepiscopis et Episcopis, ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus et diocesibus redditus et proventus huiusmodi obtinentibus, quantacunque prefulgeant dignitate, seu cuiuscunque preminentie, conditionis aut status, ordinis vel religionis existant, quibus et eorum alicui nulla privilegia et indulgentias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, preterquam ab eisdem fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus dignitates seu alia benefitia ecclesiastica quecunque cum cura vel sine cura, seu quoscunque redditus et proventus ecclesiasticos in civitatibus et diocesibus predictis obtinentibus, qui in solicitudinis partem assumpti nobiscum universalis ecclesie onera sortiuntur, necnon a dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos omnes a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, usque ad biennium a proximo futuro festo Penthecostes computandum auctoritate apostolica tenore presentium duximus concedendam, volentes exactionem et collectionem huiusmodi decime in civitatibus et diocesibus supradictis per Venerabilem fratrem nostrum . . . Archiepiscopum Gneznensem, et dilectos filios . . . in Sulcow ac . . . in Claratumba monasteriorum Abbates Gneznensis et Cracoviensis diocesium, quos ad hoc in eisdem civitatibus et diocesibus collectores huiusmodi decime per alias nostras litteras specialiter deputamus, tam a se ipsis, quam ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis et personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus et diocesibus redditus et proventus ecclesiasticos, ut prefertur, habentibus, de eisdem redditibus et proventibus dumtaxat, preterquam a Cardinalibus, Magistro et fratribus prelibatis, fieri absque iniuria et oppressione quacunque, et quod collectores ipsi et eorum singuli per se et subcollectores eorum, quos ad hoc duxerint deputandos, prefatos Archiepiscopos et Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas seculares et regulares predictas ad solutionem dicte decime de omnibus redditibus, et proventibus ecclesiasticis eorundem in eisdem civitatibus et diocesibus consistentibus, ut prefertur, secundum modum et morem, ac consuetudinem in exactione et collectione huiusmodi decime hactenus observatos, per huiusmodi biennium in terminis eis seu subcollectoribus prelibatis, vel personis aliis, que ad hoc deputantur, faciendam, et per eos et eorum singulos tibi, seu personis, quas ad hoc deputandas duxeris, integraliter assignandam, sub forma et moderamine infrascripto per censuram ecclesiasticam, et etiam sequestrationem fructuum, redditum et proventuum suorum ecclesiasticorum in ipsis civitatibus et diocesibus consistentium, si expedire viderint, postposita appellatione, compellant: ita quod ad fructus, redditus et proventus extra civitates et dioceses predictas consistentes huiusmodi compulsionis officium aliquatenus non extendant, nec ad compulsionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per se vel alios invocent, nec (per) personas ab eis ad collectionem huiusmodi deputandas invocari permittant auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solventium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem eandem fuerit ordinatum. Huiusmodi autem solutio fiet quolibet anno dicti biennii in terminis infrascriptis: siquidem solutionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti biennii primum terminum fore statuimus festum omnium Sanctorum proxime venturum, secundum vero terminum solutionis medietatis alterius festum ascensionis domini prefatum omnium Sanctorum proximo secuturum, in altero anno in solutione predicta similibus terminis observandis. Tu igitur, fili carissime, ob divinam et apostolice sedis ac nostram reverentiam ecclesias, et personas ecclesiasticas civitatum et diocesium predictarum sic favore benigno prosequi, sicque illas in singulis earum oportunitatibus habere studeas

efficaciter commendatas, quod deum ac nos et sedem eandem tibi merito reddas propitios, et erga oportunitates tuas, quotiens expedierit, promptiores. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, concessionis, deputationis et statuti infringere etc. Datum Avinione Kalendis Decembris. Anno Secundo.

In e. m. . . . Archiepiscopo Gneznensi, et . . . Cracoviensi, . . . Poznaviensi, . . . Cuyaviensi, . . . Plocensi, . . . Lubucensi et . . . Caminensi Episcopis, ac dilectis filiis . . . Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus Cistertiensis, Cluniacensis, Premostratensis, sancti Benedicti et sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, necnon sancte Marie Theotonicorum et aliorum hospitalium sive domorum Magistris, Prioribus et Preceptoribus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per Gneznensem, Cracoviensem, Poznaniensem, Cuyaviensem, Plocensem, Lubucensem et Caminensem civitates et dioceses constitutis.

Ex Reg. orig. An. II. Lib. VI. ep. 407. fol. 151.

DCVI.

Archiep̄us Gnesnensis et duo abbates conservatores monasterio Tinciensi O. S. B. Cracov. dioecesis constituuntur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, et dilectis filiis . . . de Claratumba et . . . de Chapsdorf in Cyps Cracoviensis et Strigoniensis diocesium monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Militanti ecclesie licet immeriti, disponente domino, presidentes, circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solercia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina (gratia) cooperante, salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum . . . Abbatis et conventus monasterii Thinciensis ord. s. Benedicti Cracoviensis diocesis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi ceterique ecclesiarum prelati et clerici, ac ecclesiastice persone tam religiose, quam seculares, necnon duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et alie singulares persone civitatum et diocesium et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad Abbatem et conventum predictos spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus prestant consilium, auxilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum, diocesium et partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Abbati et conventui super predictis castris, villis et locis aliis, terris, domibus, possessionibus, iuribus et iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorundem, et quibuscunque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus predictis ad predictos Abbatem et conventum spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas: quare dicti Abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligencia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem Abbati et conventui remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, prefatis Abbati et conventui efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad Abbatem et conventum predictos spectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu dampna, vel iniurias irrogari, facturi dictis Abbati et conventui, cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, iurisdictionum, iurium et bonorum mobilium et immobilium, redditum quoque ac proventuum, et aliorum quorumcunque bonorum, necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iusticie complementum, occupatores seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo etc.

Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur etc. usque mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data presentium sit vobis et cuilibet vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, et eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante, presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione XII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Lib. VI. ep. 85. fol. 45.

DCVII.

Arnaldo de Lacaucina, ut processus per Galhardum de Carceribus contra denarium B. Petri non solventes habitos exsequatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacaucina Canonico ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in Ungarie et Polonie Regnis ac partibus circumvicinis apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Perlatum nuper extitit ad nostri apostolatus auditum, quod licet dudum pro eo, quod Cives, habitatores et incole Caminensis et Lubicensis Civitatum et diocesium censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, nobis et ecclesie Romane per ipsos debitum, aliquibus temporibus solvere recusarunt, sicut adhuc recusare dicuntur, per dilectum filium Magistrum Galhardum de Carceribus Prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, Collectorem census eiusdem auctoritate apostolica deputatum, diverse sententie promulgate canonice, necnon civitates ac dioceses predicte supposite fuerint ecclesiastico interdicto: tamen Venerabilis frater noster . . . Episcopus Caminensis, et dilecti filii Caminensis et Lubicensis ecclesiarum Capitula et Clerus civitatum et diocesium predictarum interdictum huiusmodi observare nimis dampnabiliter negligunt vel contempnunt, quod non indigne moleste ferimus, si est ita. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios prefatis Episcopo, Capitulis et Clero pro parte nostra mandes districtius et iniungas, ut interdictum huiusmodi, quousque plene nobis et ecclesie Romane predicte de dicto censu pro toto tempore, quo ab ipsius solutione cessarunt, satisfactum fuerit, observent et faciant inviolabiliter observari, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Porro quia si forsan prelibati Episcopus, Capitula et Clerus se rebelles super observatione interdicti huiusmodi exhiberent, nequaquam expediret: Nos tante tamque dampnabilis et perniciose temeritatis et transgressionis audaciam (nolentes) conniventibus oculis absque correctione debita pertransire, super hiis simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii recepta informatione fedeli, nos exinde de transgressoribus huiusmodi nominatim et distincte, videlicet ut possimus, exigente iusticia, procedere contra eos, efficere studeas certiores. Datum Avinione V. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 1039. fol. 251.

DCVIII.

Eidem, ut processus per eundem Galhardum factos contra Nicolaum de Bancz canonicum Vratislaviensem et Boleslaum ducem Brigensem aggravare possit.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacaucina Canonico ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in Ungarie et Polonie Regnis ac partibus circumvicinis apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum, sicut intelleximus, dilectus filius Magister Galhardus de Carceribus Prepositus ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, dudum in partibus Regnorum Ungarie et Polonie apostolice sedis nuncius, adversus Nicolaum de Bancz Canonicum Wratislaviensem, et nobilem virum Boleslaum Ducem Bregensem ratione quorundam proventuum ad Cameram nostram spectantium, in quibus tenebantur, sicut adhuc tenentur eidem, certos processus tam excommunicationis, quam alias penas et sententias continentes auctoritate litterarum sedis apostolice sibi directarum super hoc fecerit, iusticia exigente, quibus ipsi parere nondum, sicut asseritur, curaverunt: discretioni tue prosequendi et aggravandi dictos processus, vel alios de novo, sicut expedire videris, contra ipsos Canonicum et Ducem et eorum

quemlibet iuxta tenores litterarum prefato Preposito, ut premittitur, super hiis directarum faciendi, et alias contenta in eisdem litteris, ac si tibi directe fuissent et tu in predictis processisses, auctoritate ipsarum exequendi plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione v. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex reg. orig. An. II. Secret. ep. 1043. fol. 252.

DCIX.

Eidem, ut Iacobo de Malabayla de pecuniis per ipsum collectis usque ad summam centum marcarum auri possit assignare.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacaucina Canonico Titulensi Colocensis diocesis, in Ungarie et Polonie Regnis ac partibus circumvicinis apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Cum de tue fidelitatis et discretionis industria in domino fiduciam obtinentes, te collectorem proventuum ad nos et ecclesiam Romanam ac Cameram nostram in Ungarie et Polonie Regnis et vicinis eis partibus spectantium duxerimus deputandum, volumus, quod de pecuniis de dictis proventibus collectis, vel per te imposterum colligendis possis per personas, de quibus tibi videbitur, fide ac facultatibus ydoneos, dilecto filio Iacobo de Malabayla mercatori Astensi, Curiam Romanam sequenti, vel eius sociis aut factoribus in villa de Brugis Tornacensis diocesis, usque ad summam centum marcharum auri de vigintiduobus caracteribus [valeas] singulis vicibus assignare, per eundem mercatorem postmodum dicte Camere persolvendam, sic tamen quod cum huiusmodi summam, ut preferetur, assignaveris mercatori, socii vel factoribus supadictis, summam consimilem non assignes, quousque tibi per litteras dicte Camere vel alias legitime constiterit illam fuisse ipsi Camere persolutam: nos autem predicto mercatori, quod per se vel socios et factores predictos te de hiis, que inde sibi assignanda duxeris, ut premittitur, absolvere valeat plenius et quittare, plenam concedimus per alias litteras facultatem. Volumus autem, quod eandem Cameram de assignatione huiusmodi, quotiens eam feceris, efficere studeas per publicum instrumentum certiorem. Datum Avinione v. Nonas Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 1044. fol. 253.

DCX.

Iacobo de Malabayla, ut dictam summam recipere possit.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iacobo de Malabayla mercatori, salutem etc. Volentes, quod dilectus filius Arnaldus de Lacaucina Canonicus ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, Collector proventuum ad nos et ecclesiam Romanam ac Cameram nostram in Regnis Ungarie et Polonie, ac partibus eis circumvicinis spectantium auctoritate apostolica deputatus, de pecuniis collectis de dictis proventibus vel colligendis per ipsum tibi, vel sociis aut factoribus tuis in villa Brugensi Tornacensis diocesis usque ad summam centum marcharum auri de vigintiduobus caracteribus, quotiens expedire viderit, per personas fide ac facultatibus ydoneas faciat assignari, per te postmodum eidem Camere fideliter exsolvendam, ita tamen, quod cum unam summam huiusmodi tibi vel eisdem sociis seu factoribus assignaverit, ut prefertur, donec per litteras prefate Camere vel alias sibi constiterit, quod illam supradicte Camere solveris, aliam non assignet, et inde sibi nostras litteras dirigamus, ut summam huiusmodi, quotiens cum tibi vel eisdem sociis seu factoribus modo premisso assignaverit, per te seu socios aut factores predictos, quos ad hoc duxeris specialiter deputandos, recipere ac eundem Canonicum et quosvis alios assignantes absolvere plenius valeas de hiis, que tibi vel eisdem sociis aut factoribus assignata exinde fuerint, et quitare, plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione II. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 1045. fol. 253.

DCXI.

Archiepo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut pecunias, quas nomine camerae apostolicae receperint, ad eandem mittant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Grate relationis assertio perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod super collectione tam census, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus, quam aliis proventibus in partibus illis Cameram nostram contingentibus, dudum per dilectum filium Magistrum Galhardum de Carceribus Prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, tunc Collectorem census et proventuum huiusmodi auctoritate apostolica deputatum, vobis commissa, vos gessistis solerter, fideliter et

prudenter. Vestram igitur fidelem in hac parte diligentiam multipliciter in domino commendantes, volumus et fraternitati vestre mandamus, quatenus omnes pecunias per vos de predictis collectas, cum per dilectum filium Arnaldum de Lacaucina Canonicum eiusdem ecclesie Titulensis, nunc Collectorem in predictis partibus deputatum, requisiti et exhortati fueritis, ad prefatam Cameram transmittatis, eam clare certificaturi nichilominus de quibus proventibus collecte fuerint pecunie huiusmodi, quas mittetis. Datum Avinione v. Nonas Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. ep. 1040. fol. 252.

DCXII.

Episcopo Cracoviensi, ut quasdam sententias pro Alberto de Lelovia in palatio apostolico latas exsequatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Officii nostri debitum tunc diligenter exequimur, cum clericis et personis ecclesiasticis paupertate gravatis et in eorum iure oppressis iustitiam mandamus et facimus ministrari. Exhibita siquidem nobis dilecti filii Alberti Gregorii de Lelovia Rectoris ecclesie sancti Nicolai iuxta Cracoviam petitio continebat, quod olim ipse super provisione sibi facienda de aliquo ecclesiastico beneficio secundum sue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura, consueto ab olim clericis secularibus assignari, spectante communiter vel divisim ad collationem vel presentationem dilectorum filiorum ... Abbatis et conventus monasterii Tynchiensis ordinis sancti Benedicti Cracoviensis diocesis, si quod in civitate vel diocesi Cracoviensi tunc vacabat, vel quam primum ad id se facultas offerret, felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri sub ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiendis idem predecessor tunc scripsit ad te, litteras impetravit, tuque de vita et conversatione ipsius Alberti diligentius inquisito iuxta formam huiusmodi litterarum, eoque reperto et pronuntiato ydoneo ad huiusmodi beneficium obtinendum, fecisti processus in talibus consuetos, et in ulteriori executione provisionis huiusmodi nonnullis aliis commisisti totaliter vices tuas, et demum dicta ecclesia sancti Nicolai, ad collationem vel presentationem dictorum Abbatis et conventus spectante, per obitum quondam Henrici eiusdem ecclesie Rectoris vacante, prefatus Albertus ecclesiam ipsam, que sibi iuxta dictarum litterarum formam competens beneficium existebat, tamquam sibi debitam vigore litterarum ipsarum infra tempus debitum acceptavit, seque fecit in ipsius corporalem possessionem induci, tuque postmodum Albertum Iohannis notarium tuum contra litteras et alia supradicta ad presentationem dictorum Abbatis et conventus in eadem ecclesia instituisti et investivisti de illa pro libito voluntatis, et quod idem Albertus Iohannis a processibus et provisione Alberti Gregorii predictis ad sedem apostolicam appellavit, et causa appositionis huiusmodi et negocii principalis per eundem predecessorem in palatio apostolico commissa, idem Albertus Gregorii tres pro se et contra dictum Albertum Iohannis definitivas sententias reportavit, et super executione sententiarum huiusmodi ad quondam Iesselinimum(?) de Cansanhis Canonicum Narbonensem, et duos alios eius in ea parte collegas insolidum predecessoris eiusdem in consueta forma litteras impetravit, dictusque Iesselinus auctoritate nostra huiusmodi super executione dictarum sententiarum obtentarum processus fecit in talibus consuetos. Et subsequenter huiusmodi ultimis processibus in dicta sancti Nicolai et ceteris aliis parrochialibus et collegiatis ecclesiis publicatis, prefatus Albertus Gregorii cum in dicta diocesi propter ipsius Alberti Iohannis malitiam manere non audens, ad loca remota duodecim dietarum ad servitia se posuit aliorum, et in expensis non sufficiens cum executoriis de remotis partibus sepe sepius ad hoc duxisset ad diocesim memoratam, pro eo quod per personas ipsius diocesis, metu secularium et regularium personarum dicto Alberto Iohannis adherentium et faventium in hac parte, executionem non poterat facere fieri memoratam, quodque dictus Albertus Iohannis in dictis sententias contentas processibus vilipendens, eas per duodecim annos vel circa sustinuit animo indurato, ac per sui facti potentiam per se et alios fructus ecclesie rapuit memorate, et demum eam pro ecclesia in Bochua dicte diocesis cum quodam alio octuagenario vel circiter permutavit. Quo sublato de medio, Ulbertinus Cristini, qui pro clerico se gerit dicte diocesis, pretendens se beneficium ecclesiasticum ad collationem vel presentationem dictorum Abbatis, et conventus pertinens pretextu quarundam litterarum apostolicarum expectare, dictam ecclesia sancti Nicolai occupavit de facto et detinet occupatam, seque facit per potentes illarum partium et alias personas ecclesiasticas et seculares in ipsius ecclesie occupatione ac possessione defendi: quare prefatus Albertus Gregorii nobis humiliter supplicavit, ut sibi sic afflicto et oppresso super premissis providere de opportuno remedio dignaremur. Nos

igitur eidem Alberto Gregorii pio in hac parte compatientes affectu, ac volentes, ut prefate diffinitive sententie executioni debite demandentur, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus prefatas diffinitivas sententias studeas auctoritate nostra, sicut iustum fuerit, executioni debite demandare, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione XII. Kalendas Iunii. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Lib. III. ep. 1. fol. 121.

DCXIII.

Casimiro regi Poloniae, quod conservatores episcopo et capitulo ecclesiae Vratislaviensis dati vigore huius muneris contra eum procedere non potuerint, nec possint, declaratur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Cazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut petitiones tuas, illas presertim, que tuum regnique tui statum et commodum conspiciunt, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane dudum pro parte Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Wratislaviensis nobis exposito, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi aliique ecclesiarum prelati, et clerici ac ecclesiastice persone, tam religiose quam etiam seculares, necnon reges, duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac alie singulares persone civitatum et diocesium, ac aliarum partium diversarum occuparant, et occupari fecerant castra, villas, oppida, insulas, ecclesias, capellas, silvas et alia loca, terras, domos, possessiones, vineas, prata, molendina, piscarias, stagna sive lacus, servos, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus dictorum Episcopi et Capituli, ac nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad dictos Episcopum et Capitulum communiter vel divisim spectantia, et ea detinebant indebite occupata, seu detinentibus ea prestabant auxilium, consilium et favorem, et quod nonnulli etiam civitatum et diocesium ac partium predictarum, qui nomen divinum in vacuum recipere minime formidabant, eisdem Episcopo et Capitulo super predictis castris, villis, opidis, insulis, ecclesiis, capellis, silvis et locis aliis, terris, domibus, vineis, pratis, molendinis, piscariis, stagnis vel lacubus, servis, possessionibus, iuribus et iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorundem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ad eosdem Episcopum et Capitulum communiter et divisim spectantibus multiplices molestias et iniurias inferebant et iacturas, ac pro parte dictorum Episcopi et Capituli nobis humiliter supplicato, ut cum eis valde redderetur difficile pro singulis querelis huiusmodi ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos adversus occupatores, presumptores, detemptores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem Episcopo et Capitulo remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis precludatur aditus similia committendi, Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Culmensi, et dilectis filiis . . . Preposito Budissinensis Misnensis diocesis, ac . . . Decano Olomucensis ecclesiarum nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, etiamsi essent extra loca, in quibus deputati erant conservatores et iudices, prefatis Episcopo et Capitulo efficacis defensionis presidio existentes, non permitterent eos super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus, ad ipsos Episcopum et Capitulum communiter vel divisim spectantibus, ab eisdem vel quibuscunque aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu dampna vel iniurias erogari, facturi dictis Episcopo et Capitulo, cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo requisiti essent, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, opidorum, insularum, ecclesiarum, capellarum, silvarum, vinearum, pratorum, molendinorum, piscariarum, stagnorum vel lacuum, servorum, possessionum, terrarum et aliorum locorum, iurium et iurisdictionum, ac bonorum mobilium et immobilium, redditum quoque ac proventuum, et aliorum quorumcunque bonorum, necnon de quibuslibet molestiis et iniuriis atque dampnis, in illis videlicet, que indaginem iudicialem requirerent, summarie de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exigeret, iustitie complementum, occupatores seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et

rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existerent, etiam si regali dignitate fulgerent, quandocunque et quotienscunque expedirct, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus constitutionibus contrariis quibuscunque, prout in nostris inde confectis litteris plenius et seriosius continetur. Nos igitur tui ac Regni predicti tranquillitatem et pacem, quantum cum deo possumus, summis desideriis affectantes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore presentium declaramus, intentionis nostre nequaquam fuisse seu esse, quod predicti Episcopus, Prepositus et Decanus, vel eorum aliquis per se vel alium seu alios potuerint seu possint per prefatas nostras litteras contra te procedere quovis modo, Nos insuper eisdem Episcopo, Preposito et Decano et eorum cuilibet districtius inhibentes, ne prefatis litteris contra te uti quoquomodo presumant, decernentes irritum et inane, si secus super hiis scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari. Nulli ergo etc. nostre declarationis, inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione Kalendis Iulii. Anno Tertio.

In e. m. Venerabili fratri . . . Episcopo Culmensi, et dilectis filiis . . . Preposito Budissinensis Misnensis diocesis ac . . . Decano Olomucensis ecclesiarum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Lib. III. ep. 41. fol. 129.

DCXIV.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut censum ecclesiae Romanae in Caminensi et Lubicensi civitatibus et dioecesibus debitum colligat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Cum in Caminensi et Lubicensi civitatibus et diocesibus census annuus, qui denarius beati Petri nuncupatur in illis partibus, nobis et ecclesie Romane per habitatores et incolas dictarum civitatum et diocesium debeatur, fraternitati tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios censum huiusmodi tam pro preterito, quo solutus non fuerit, quam futuro tempore usque ad nostrum beneplacitum petere, exigere, colligere ac recipere in predictis civitatibus et diocesibus nostro et ecclesie predicte nomine cum integritate procures, Contradictores quoslibet et rebelles super hiis, cuiuscumque status, ordinis, preminentie, dignitatis vel condicionis existant, etiamsi pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si eis vel corum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod eos, qui tibi vel deputandis a te super hiis solverint dictum censum, possis absolvere plenius et quitare de hiis, que inde duxerint persolvenda, sic tamen, quod exinde Cameram nostram particulariter et distincte studeas efficere certiorem. Rursus omnes et singulos clericos et laycos, qui ex eo, quod non solverint tempore debito dictum censum, excommunicationis sententia fuerint innodati, eos post plenam et integram satisfactionem exinde tibi prestitam ab eadem sententia iuxta formam ecclesie absolvendi, ac interdictum, cui ecclesie vel loca ipsorum propterea subiacerent, relaxandi, necnon processus per dilectum filium Magistrum Galhardum de Carceribus, prepositum ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, super predictis vel ea tangentibus habitos auctoritate apostolica relaxandi vel aggravandi, prout obedientia vel inobedientia illorum, quos tangunt, exegerit, et alia faciendi, gerendi et exercendi, que circa premissa fuerint quomodolibet oportuna, plenam eidem fraternitati potestatem tenore presentium elargimur, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Avinione Idibus Iulii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 116. fol. 43.

DCXV.

Episcopo Vratislaviensi et collegae suo, ut pallium Arnesto, olim episcopo, nunc archiepiscopo Pragensi tradant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Wratislaviensi et . . . Narathenensi Episcopis, salutem etc. Nuper suadentibus rationabilibus causis Pragensem ecclesiam, olim suffraganeam ecclesie Maguntine ac de provincia Maguntina existentem, Venerabili fratri nostro Arnesto Episcopo olim Pragensi in Archiepiscopum Pragensem Electo regimini eiusdem Pragensis ecclesie presidente, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis in Archiepiscopalem et metropolita-

nam ereximus, et honoribus et insigniis sedis metropolitice duximus decorandam, ac attendentes, quod ipse Arnestus regimen eiusdem Pragensis ecclesie, dum episcopalis existebat, hactenus gessit fideliter et prudenter, et quod illud imposterum attencius gereret, prefatum Arnestum ipsi ecclesie Pragensi in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem illius eidem Arnesto in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte prefati Arnesti per dilectum filium Nicolaum de Luceburgko Canonicum Pragensem, nuncium suum, fuerit a nobis cum ea, qua decuit, instancia postulatum: Nos ipsius precibus annuentes palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per vos vel vestrum alterum assignandum secundum formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus interclusam, per prefatum Nicolaum Hostizlay de Horavicz presbiterum Pragensis diocesis duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum ipsum iuxta premissam formam sibi assignare curetis, et ab ipso Arnesto Archiepiscopo nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam vobis sub eadem Bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipere iuramentum: formam autem iuramenti, quod ipse Archiepiscopus prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III.(II). Lib. III. ep. 1821. fol. 447.

DCXVI.

Pretzlao episcopo Vratislaviensi, ut ad colligendam in sua dioecesi decimam regi Bohemiae concessam procedat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Pretzlao Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Pro parte carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Boemie Illustris nuper fuit propositum coram nobis, quod nos dudum ex certis rationabilibus causis nos ad id moventibus decimam proventuum ecclesiasticorum, tam in tuis Wratislaviensi, quam Pragensi et Olomucensi civitatibus et diocesibus, ac terris aliis eidem Regi subiectis consistentium, exigendam et solvendam in certis terminis eidem sub certis modis, formis et conditionibus auctoritate apostolica duximus concedendam, te collectore decime predicte in tuis predictis civitate et diocesi deputato, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut eiusdem Regis peticio continebat, presentatis tibi et per te reverenter huiusmodi (litteris) receptis, tu ad earum executionem, ut tenebaris, procedens, clerum dictarum tuarum civitatis et diocesis monueris et requisieris, eisque auctoritate apostolica per processus tuos, quos auctoritate litterarum ipsarum, ut est moris, fecisti, continentes excommunicationis et alias spirituales penas et sententias per te contra rebelles et inobedientes super hiis promulgatas, mandandum duxeris et etiam iniungendum, ut eandem decimam certis terminis exhibere ac solvere dicto Regi iuxta tenorem concessionis nostre huiusmodi procurarent; ipsi per procuratorem seu sindicum suum ad impediendum exactionem et collectionem dicte decime in tuis prelibatis civitate ac diocesi inter cetera proponentes, quod concessio dicte decime facta per nos Regi prefato, ut premittitur, ex multis causis per procuratorem predictum allegatis et propositis nulla erat, nec tu per consequens ad executionem litterarum nostrarum predictarum ex eo inter cetera poteras procedere quoquomodo, quod prelibatus Rex propter obsidionem, hostilem invasionem et occupationem castri dicti Militz ad tuam Wratislaviensem ecclesiam pertinentis, et alia per ipsum Regem aut gentem suam eius nomine vel mandato adversus ipsam ecclesiam, iura, bona, homines et subditos ipsius tam in eodem castro eiusque pertinentiis, quam in Cathedrali et aliis ecclesiis civitatis Wratislaviensis, ac personas et bona ecclesiarum ipsarum commissa, et alios excessus tam ibidem, quam alibi adversus ecclesias et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis predictarum perpetratos, tam cuiusdam statuti olim per bone memorie Gentilem tituli sancti Martini in Montibus presbiterum Cardinalem, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum, editi, quam processuum per bone memorie Nambertum (Nankerum) Episcopum Wratislaviensem predecessorem tuum premissorum ratione, vel occasione habitorum auctoritate tempore concessionis dicte decime multis et diversis erat excommunicationis sententiis innodatus, et nichilominus iniuriosus invasor et persecutor ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum predictarum notorius existebat, a te tuisque predictis processibus a sedem apostolicam appellarunt, adhuc exhibere ac solvere memorato Regi eandem decimam recusantes: quare Rex ipse nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi de oportuno in hac

parte remedio dignaremur. Nos igitur attendentes, quod antequam nos Regi prefato predictam concederemus decimam, ipse tecum et ecclesia tua predicta tam super dicto castro, quam aliis, super quibus tibi et ecclesie predicte iniurias, offensas et dampna per se vel suos irrogasse vel intulisse dicebatur, cum tuis procuratoribus in nostra presentia concordavit, et deinde a predictis sententiis, quibus propter predicta vel eorum occasione fuerat innodatus, per nos extitit iuxta formam ecclesie absolutus, Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus oppositionibus et appellationibus predictis nequaquam obstantibus, ad executiouem tibi super collectione dicte decime per supradictas litteras commissam, iuxta tenorem et continentiam earundem procedere non postponas, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Nonas Septembris. Pontificatus uostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Lib. III. ep. 109. fol. 145.

DCXVII.

Pontifex, abbate monasterii Tiuciensis Cracoviensis dioecesis petente, quasdam litteras ex Regesto Benedicti XII. quibus cavetur, ne professores ordinum mendicantium ad ordines S. Benedicti et Cisterciensem transeant, excribi fecit.

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Benedicti pape XII. predecessoris nostri in Regestro ipsius predecessoris repertum, ad dilecti filii ... Abbatis monasterii Tinciensis ordinis sancti Benedicti Cracoviensis diocesis suplicationis instanciam de Regestro ipso de verbo ad verbum transcribi, et presentibus annotari fecimus: qui talis est. Benedictus Episcopus servus servorum dei, ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam professis sic expedit subtrahi omnem inquietudinis et turbationis materiam, quod in contemplationis suavitate quiescere valeant et tranquillum domino reddere famulatum. Cum igitur ex eo, quod professores ordinum mendicantium ad Monachorum nigrorum et Cisterciensem ordines consueverunt plerumque transire, multas in dictis ordinibus turbationes, infestationes, molestias, dampna et scandala provenisse experiencia doceat manifeste: Nos hiis ex debito pastoralis officii pro futuro tempore occurrere cupientes, de consilio fratrum nostrorum decrevimus, ne quis cuiusvis ordinis mendicantium professor ad aliquem dictorum duorum ordinum quoquomodo transire valeat sine Romani Pontificis licencia speciali, plenam et expressam faciente de constitutione huiusmodi mentionem, non obstantibus privilegiis apostolicis quibuscunque concessis in contrarium dictis ordinibus mendicantium, seu eorum prelatis aut aliquibus eorumdem, que quoad hoc nullius exnunc fore deceruimus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinione IV. Nonas Iulii Anno Primo. Ceterum, ut earundem tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, et illud idem robur eamque vim, eundem vigorem dictus teuor per omnia habeat, quem haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhabitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense: per hoc autem nullum ius de novo alicui acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostre constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinioneusis diocesis VI. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Lib. III. ep. 142. fol. 152.

DCXVIII.

Iacobo episcopo Sambiensi, ut ad suam ecclesiam cum apostolica benedictione sese transferat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Epō Sambiensi, salutem etc. Providentia Regis eterni, cuius inscrutabili altitudine in Regno mundi ordinem suscipiunt universa, supreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes, ad universas orbis ecclesias aciem nostre considerationis extendimus, et pro earum statu feliciter dirigendo apostolici favoris studium adhibemus: de illis vero propensius cogitare nos convenit, que viduitatis deploraut iucommoda, ut eis iuxta cor nostrum pastores preficiantur ydonei, per quorum prudentiam, scientiam et doctriuam ecclesie ipse salubriter et utiliter gubernate statu prospero floreant et accrescant. Olim siquidem bone memorie Iohanne Epō Sambieusi

regimini Sambiensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Iohannis, qui in partibus illis diem clausit extremum pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto predictis obsistentibus, ne ipsa ecclesia longe vacationis incommoda pateretur, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes talem eidem ecclesie preesse personam, que sciret, vellet et posset eam in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Prepositum ipsius ecclesie, in sacerdocio constitutum, litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, prudencia spiritualium et temporalium providentia aliisque virtutum meritis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attente discussis, de persona tua, nobis ac dictis fratribus consideratione premissorum accepta, prefate Sambiensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Sambiensis ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, ac fecimus tibi postmodum per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Ostiensem apud sedem apostolicam munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod eadem ecclesia, deo auctore, per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis ac adversis, ac spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam Sambiensem sponsam tuam cum nostre gratia benedictionis accedens, illius regimen sic solicite studeas exercere, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis informando, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis ministerium de bono semper in melius augeatur ac votivis successibus gratuletur, tuque proinde nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius exinde consequi merearis. Datum Avinione III. Nonas Novembris. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Lib. I. ep. 30. fol. 52.

DCXIX.

Ioanni regi Bohemiae de gestis Ludovici de Bavaria et Casimiri regis Poloniae responsum datur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Iohanni Regi Boemie Illustri, salutem etc. Intellectis, que nobis pro parte tue Celsitudinis dilectus filius Petrus de Walen tuus Nuncius explicavit, licet super quibusdam eorum responderimus, aliis tamen respondendum non duximus, cum per dilectum filium Magistrum Geraldum de Magnaco, Capellanum nostrum, quem pridem ad tuam presentiam destinavimus, responsionem tue Magnificentie miserimus super eis. Porro super facto Ludovici de Bavaria noviter audivimus, quod eius Nuncii, videlicet Nobilis vir ... Comes de Ottingen et Magister Wlricus, circa instans festum Resurrectionis dominice ad nostram presentiam sunt venturi, et nisi mandatis sufficientibus et aliis, que sufficere videantur super negocio, de quo agitur, sint muniti, facere novos processus, et antiquos recensere ac publicare in proximo festo Ascensionis dominice intendimus, sicut nobis expedire videbitur contra ipsum. De hiis autem, que Carissimum in Christo filium nostrum Casimirum Regem Polonie Illustrem commisisse percepimus, dolemus admodum, providere super illis, quantum cum deo et honestate iusticie poterimus, intendentes. Demum quia tuis beneplacitis libenter, prout cum honestate potest fieri, annuimus, petitionem super dispensatione matrimonii dilecti filii Nobilis viri ... Domini de Lippia nobis oblatam tui consideratione ad exauditionis gratiam favorabiliter duximus admittendam. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII. Idus Marcii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. ep. 856. fol. 223.

DCXX.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut denarium B. Petri per se et alios collectum ad cameram apostolicam transmittat, et suffraganeos suos ad solvendum praedictum censum compellat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Dudum exigendi, colligendi et recipiendi censum annuum, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, nobis

et ecclesie Romane in partibus Regni Polonie debitum, concessimus dilecto filio Arnaldo de Lacaussina Canonico ecclesie Titulensis Colocensis diocesis per nostras certi tenoris litteras, sicut in eis continetur plenius, potestatem. Volentes igitur pecunias de dicto censu tam per eundem Canonicum, quam quosvis alios collectas et colligendas ad nostram Cameram fideliter destinari, fraternitati tue, de qua fiduciam in domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus non derogando iu aliquo commissioni dicto Canonico super predictis aut processibus per ipsum factis, quoscunque debitores census predicti tuarum, nec non Wratislaviensis, Posnaniensis, Lubicensis et Caminensis civitatum et diocesium ad solvendum censum ipsum per te vel alium seu alios, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellere non postponas, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et nichilominus easdem pecunias collectas una cum prefato Canonico, si presens fuerit, alias per te ipsum certis mercatoribus fide ac facultatibus ydoneis assignare procures, qui eorum periculis et expensis pecunias ipsas eidem Camere vel in villa Brugensi Tornacensis diocesis dilecto filio Iacobo de Malabayla mercatori Astensi, vel eius sociis aut factoribus ibidem morantibus infra octo vel decem menses a die assignationis, que per te facta eis fuerit de dictis pecuniis computandis, persolvere debeant integraliter et perfecte, faciendo super assignatione, quam de dictis pecuniis feceris, ut prefertur, publica instrumenta confici, per te ad ipsam Cameram, quam certificare studeas nichilominus super hiis, fideliter transmittenda. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Venerabili fratri . . . Ep̄o Cracoviensi. Dudum etc. tuarum civitatis et diocesis etc.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 20. fol. 41.

DCXXI.

Ottoni de Russin rectori ecclesiae Brunsbergensis conservatores constituuntur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Sambiensi, et dilectis filiis . . . Preposito Sambiensis ac . . . Archidiacono de Ripasili Astoricensis ecclesiarum, salutem etc. Constituuntur Conservatores Octoni de Russin, Rectori parrochialis ecclesie iu Brunsberg Warmiensis diocesis, pro observatione constitutionis Clementis V. super Cathedram contra fratres mendicantes. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIV. Kal. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. IV. Part. II. ep. 209. fol. 87.

DCXXII.

Episcopo Vladislaviensi, ut interdictum, cui quidam ducatus, petente rege Poloniae, suppositi erant, relaxet.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Nuper carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris nobis sua fecit petitione monstrari, quod olim temporibus guerrarum, que inter ipsum ex parte una, et dilectos filios . . . Magistrum et fratres domus hospitalis beate Marie Theutonicorum de Prussia ex altera, peccatis exigentibus, ingruebant, ducatus Brestensis et Radzeyoviensis tue Wladislaviensis, ac Dobrinensis et (?) Polocensis diocesium in Regno suo Polonie consistentes, quos tunc dicti Magister et fratres tenebant indebite occupatos, per Venerabilem fratrem nostrum Galhardum Episcopum Veeprimiensem, tunc Prepositum Titulensis Colocensis diocesis, et dilectum filium Petrum Gervasii Canonicum Aniciensis ecclesiarum, apostolice sedis in partibus illis Nuutios, et specialiter auctoritate apostolica super hoc delegatos, ecclesiastico suppositi fuerunt ratione occupationis huiusmodi, exigente iusticia, interdicto: cuius quidem occasione interdicti solucio census annui nobis et ecclesie Romane debiti, qui denarius beati Petri vulgariter nuncupatur, retardata in eisdem ducatibus extitit aliquibus temporibus, et etiam retardatur. Cum autem prenominati Magister et fratres, saniori ducti consilio, dictos ducatus restituendos duxerint, sicut eadem subiungebat petitio, dicto Regi, sicque causa cesset, propter quam in eisdem ducatibus appositum, ut prefertur, huiusmodi extiterat interdictum, nobis prefatus Rex humiliter supplicavit, ut interdictum predictum mandare relaxari, ac providere personis ecclesiasticis utriusque sexus religiosis et secularibus, que in dictis ducatibus et locis cis subiectis interdicto durante huiusmodi divina ibidem celebrarunt officia, seu in suis ordinibus ministrarunt, vel alia presumpserunt, propter que penas canonum inflictas talibus

incurrerunt, de benignitate apostolica dignaremur. Nos supplicationi huiusmodi benignius inclinati, ut si est ita, et incole seu habitatores ducatuum predictorum solutionem dicti census pro tempore, quo per eos ab illa cessatum extitit, et imposterum etiam annis singulis effectualiter et realiter velint ecclesie Romane libere absque contradictione quacunque prestare, predictum interdictum relaxare auctoritate nostra, nec non et quibuscunque personis ecclesiasticis utriusque sexus religiosis et secularibus, que non tamen in contemptum clavium, dicto interdicto durante in eisdem ducatibus et eorum pertinentiis divina celebrarunt officia, vel ministrando in suis ordinibus immiscuerunt se illis, aut ad sepulturam ecclesiasticam defunctorum corpora receperunt, ab excommunicationis sententiis, quas propter ea vel eorum aliqua incurrerunt, auctoritate nostra de absolutionis beneficio hac vice iuxta formam ecclesie providere valeas, super irregularitate, quam inde contraxerint, eadem auctoritate cum eis nichilominus misericorditer dispensando, et iniungendo, quod de iure propter hoc videris iniungendum, plenam fraternitati tue concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione Nonis Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 922. fol. 411.

DCXXIII.

Summarium ex Registro denarii B. Petri, decimae etc. collectorum in Polonia ab an. MCCCXLIV. usque ad an. MCCCLVIII.

In nomine domini Amen. Computus brevis redditus per Venerabilem virum dominum Arnaldum de Caucina Canonicum Titulensem Colocensis diocesis, in Regnis Polonie et Ungarie apostolice sedis nuncium, de omnibus per eum receptis, solutis, assignatis et expensis, a XIII. die mensis Octobris Anno domini MCCCXLIIII. usque ad mensem Ianuarii de Anno domini MCCCLIX. Omnium infra dictum tempus summa receptorum sequitur. Et est primo sciendum, quod marcha argenti grossorum communiter valet XLVIII. grossos Pragenses vel XXIIII. scotos. Item in qualibet marcha sunt IIII. fertones. Item VI. scoti valent unum fertonem. Item unus scotus valet duos grossos Pragenses. Item unus grossus Pragensis valet XVI. denarios.

Et primo computat recepisse de denarii beati Petri restantibus ad solvendum, ab anno domini MCCCXXXVII. usque ad annum domini MCCCXLV. inclusive, videlicet de arreragiis debitis et restantibus ad solvendum de tempore bone memorie domini Galhardi episcopi Cenadiensis, olim in illis partibus collectoris, in universo CCXXXVIIII. marchas, I. scotum et IX. den.

Item computat recepisse de eisdem restantibus ad solvendum, et receptis per Archiepiscopum Gneznensem, quia tunc in illis partibus non erat collector apostolicus, de tribus annis, videlicet XLIII. XLIIII. XLV., CCLXXI. marchas de sua diocesi et Poznaniensi. Item a domino Iohanne Episcopo Poznaniensi de eisdem residuis I. marcham et XVIII. scotos.

Item a dño Iohanne Episcopo Cracoviensi de similibus restantibus ad solvendum DII. marchas. Item ab eodem de fructibus Archidiaconatus Cracoviensis Camere debitis XXX. marchas. Item ab eodem domino Iohanne Episcopo de eisdem denarii beati Petri receptis tempore supradicto CCXXXVII. marchas, XIII. scotos cum dimidio et XI. denarios.

Item a domino Mathia Episcopo Wladislaviensi de eisdem denar. beati Petri receptis per eum tempore supradicto et restantibus ad solvendum tam de sua, quam Culmensi et Plocensi diocesibus CCCIX. march. III. scot. cum dimidio et VIII. den. ad monetam Cracoviensem: que faciunt ad monetam Thorunensem CCCCXII. march. et V. scot.

Item computat recepisse a domino Wirchoslao, quia debebat ratione administrationis Episcopatus Cracoviensis, II. march. et XV. scot. cum dimidio.

Item computat recepisse a dño Boleslao Duce Bregensi, qui multis annis receperat in terra sua dictos denar. beati Petri, facta composicione cum eo ad CC. marchas, CL. marchas: et restant L. marche ad solvendum.

Summa universalis omnium receptorum per supradictum Arnaldum de denar. beati Petri restantibus ad solvendum de tempore dicti Galhardi, predecessoris sui in officio collectoris illarum partium, que ipse dominus Arnaldus recuperavit ab anno domini MCCCXXXVII. usque ab annum XLV. inclusive, MDCCXLIII. march. III. scot. et XII. den. ad pondus Cracoviense.

De ordinario denario B. Petri.

Item computat recepisse de eisdem den. beati Petri a prelatis et personis ecclesiasticis Regni Polonie per eos recollecti in anno MCCCXLVI. LXVI. march. II. scot. X. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de eisdem den. sancti Petri recollectis a prelatis et clero Regni Polonie pro anno MCCCXLVII. CCCCLXIIII. march. VI. sc. IIII. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de eisdem den. sancti Petri in Regno Polonie pro anno MCCCXLVIII. CCCCLVI. march. XIX. scot. VI. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de eisdem den. sancti Petri in anno MCCCXLIX. et in Regno predicto CCCCLIX. march. XVIII. scot. VI. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de supradictis denar. beati Petri in prefato Regno Polonie in anno domini MCCCL. in summa CCCCLIIII. march. XI. scot. VIII. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de eisdem den. sancti Petri in Regno Polonie in anno dñi MCCCLI. CCCCXXV. march. X. scot. cum dimidio, X. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de dictis den. beati Petri in predicto Polonie Regno debitis recollectis a prelatis et clero Regni predicti in anno dñi MCCCLII. CCCCXLI. march. II. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de eisdem den. a prelatis et clero Regni Polonie recollectis in anno MCCCLIII. CCCCIII. march. IX. scot. cum dimidio, XII. den. et XXIX. flor.

Item computat recepisse de cisdem den. recollectis a prelatis et clero Polonie Regni in anno MCCCLIV. CCCCXXXVI. march. IX. scot. cum dimidio, VI. den. et XXIX. flor.

Item computat recepisse de denar. supradictis a prelatis et clero Regni supradicti in anno MCCCLV. CCCCXLIIII. march. XV. scot. XIII. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de supradictis den. Regni prefati in anno MCCCLVI. CCCCVIII. marchas, XVI. scot. X. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de eisdem denar. sancti Petri in supradicto Regno in anno domini MCCCLVII. CCCCVI. march. XI. scot. cum dimidio, VI. den. et XXIX. flor. auri.

Item computat recepisse de supradictis denar. sancti Petri in Regno predicto in anno domini MCCCLVIII. CCCCIX. march. XV. scot. cum dimidio et VII. den.

Item computat recepisse de supradictis denar. sancti Petri in civitate et dyocesi Wratislaviensi ab anno domini MCCCXLIII. usque ad annum domini MCCCLVIII. inclusive, in quo spacio sunt XV. anni, DCCXXXVI. march. I. scot. cum dimidio, et XI. den.

Summa universalis ordinarii denarii beati Petri in Regno Polonie tam in diocesi Cracoviensi et aliis, et Wratislaviensi diocesi ab anno domini MCCCXLVI. usque ad annum domini MCCCLVIII. inclusive VIIIMDCCXIII. march. IIII. scot. cum dimidio, VIII. den. et CCCXLVIII. flor. auri.

Item computat recepisse a domino Bodzacha Ep̄o Cracoviensi de bonis Petri Birzik olim Ep̄i Cracoviensis antecessoris sui, qui diem in curia Romana clausit extremum, CCCXCVI. marchas et I. gross.

Summa receptorum tam de arreragiis annorum precedentium, videlicet ab anno MCCCXXXVI. usque ad annum MCCCXLV. inclusive, quam de ipsis denar. ordinariis ab annis XLVI. usque ad annum LVIII. inclusive XMCCCCLII. march. IX. scot. cum dimidio, IIII. den. et CCCXLVIII. flor. auri.

Recepta de decimis.

Sequitur recepta diversarum decimarum in Regno Polonie diversis temporibus per Summos Pontifices impositarum. Et primo computat recepisse de decima triennali per felicis recordationis dñum Clementem papam sextum imposita, videlicet in Regno dicto annis MCCCXLV. XLVI. XLVII., IVMCCXXXIIII. marchas, XVI. scot. et IIII. den.

Item computat recepisse de decima biennali per eundem dominum Clementem imposita in Regno predicto pro annis domini MCCCL. et LI. IIMXCI. marchas et III. scotos.

Item computat recepisse de duobus annis decime quadriennalis imposite per prefatum dñum Clementem, videlicet pro anno domini MCCCLIIII. et LV., quia duo precedentes anni, videlicet LII. et LIII. recepti fuerunt per dominum Regem Polonie ex concessione apostolica, MMDCXIIII. march. VI. scotos cum dimidio et XI. den.

Item computat recepisse de duobus annis decime quadrieunalis imposite in Regno predicto per dominum nostrum Summum Pontificem, videlicet pro annis domini MCCCLVI. LVII. LVIII. et LIX. que decima couiunctim levatur et postea dividitur, videlicet pro parte Cameram tangente de levatis mille CCCCXLIX. march. et IX. scot. Restant multa ad levandum.

Summa omnium receptorum per supradictum dominum Arnaldum de decimis supradictis universalliter XMCCCLXXXIX. march. X. scot. cum dimidio et XIIII. den.

Sequitur de fructibus unius anni beneficiorum ecclesiaticorum per sedem apostolicam collatorum. Et primo computat recepisse de fructibus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum collatorum per sedem apostolicam in civitatibus et diocesibus Cracoviensi, Gneznensi et Wladislaviensi diversis diebus et annis DCCLIIII. march. et XVII. scot.

Item computat recepisse de fructibus primi anni beneficiorum per sedem apostolicam collatorum in civitate et diocesi Wratislaviensi diversis diebus et annis DLXXII. march. cum media, II. scot. et VIII. denarios.

Item computat recepisse de fructibus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum collatorum per sedem apostolicam in civitatibus et diocesibus Strigoniensi, Colocensi, Transilvaniensi, Quinqueecclesiensi, Sirmiensi, Zagrabiensi, Waciensi, Wesprimiensi, Agriensi, Waradiensi, Cenadiensi, Nitriensi, Iauriensi, Boznensi diversis diebus et annis IIIIMDCC. XXXIX. flor. auri.

Summa universalis omnium receptorum per supradictum dominum Arnaldum, tam de arreragiis denarii beati Petri receptis ab anno domini MCCCXXXVII. usque ad annum domini MCCCXLV. inclusive, in quo spatio sunt IX. anni, quam de ordinariis dictorum denariorum ab anno domini MCCCXLVI. usque ad annum domini MCCCLVIII. inclusive, quam de decimis certorum annorum impositis in Regno Polonie, quam de fructibus beneficiorum consistentium in predictis Regnis collatorum per sedem apostolicam XXIIMDLXIX. march. ad pondus Cracovie et IIII. scot. cum dimidio, X. den. et VMLXXXVII. flor. auri.

De quibus quidem pecuniarum summis per ipsum dñum Arnaldum receptis idem dñus Arnaldus docet per publica Instrumenta, quod ab anno domini MCCCXLVI. et die VI. mensis Iulii, usque ad annum domini MCCCLVIII. et XIII. die mensis Augusti, prout infra per annos, menses, dies particulariter distinguetur, ipse dñus Arnaldus fecit assignari Brugis mercatoribus de Malabayla, habentibus per litteras apostolicas plenum et speciale mandatum recipiendi omnes et singulas pecuniarum summas, ac auri et argenti quantitates, quas dictus dominus Arnaldus duceret assignandas, ac ipsum quitandi de hiis, que assignaret sive faceret assignari: assignari fecit mercatoribus supradictis diversis annis, mensibus et diebus, de quibus habet ab ipsis mercatoribus quitationis publica instrumenta, quasdam et infrascriptas auri quantitates, que converse ad marcham argenti grossorum Boemicalium ascendunt in universo ad XIMCCCCLXXXI. march. VII. scotos cum dimidio, VIMDCCCCXXVII. flor. cum dimidio et MMDCXX. scutos Comit. Flandrie.

Summa universalis omnium assignatorum Brugis pro parte dicti domini Arnaldi, expensis et nunciis assignatorum et vadiorum suorum predictorum inclusis, DCXXVIII. florenis auri et VI. solidis monete Avinionensis assignatis domino Thesaurario, assignatis per manus Raymundi de Causina, fratris dicti domini Arnaldi.

Item docet assignasse Raymundo de Sancto Michaele servienti armorum domini nostri pape, habenti per litteras apostolicas potestatem recipiendi quascunque pecuniarum summas per prefatum dominum Arnaldum recollectas, et quitandi eundem, quas idem Raymundus asserit recepisse pro vadiis suis, CCCCL. flor. auri et valoris CXXVI. march. XIII. scot. cum dimidio.

Item computat et fidem facit se assignasse Raymundo fratri suo habenti per litteras apostolicas similem potestatem, sicut predictus Raymundus de Sancto Michaele, pro expensis suis CCLXXIIII. flor. auri, valentes LXXIIII. march. VI. scot. cum dimidio grossorum.

Item computat dedisse diversis nunciis, ad Regna Polonie et Ungarie et ad Romanam Curiam missis diversis vicibus, in spacio XIIII. annorum XXIII. march. et CXII. flor. cum dimidio.

Item sunt dicto domino Arnaldo pro stipendiis suis pro toto tempore XIIII. annorum, ad rationem unius floreni cum dimidio, detractis sibi de summa totius temporis supradicti mille flor. pro tempore, quo fuit in beneficiis suis, VIMDCLXIIII. flor.

Et sic est summa universalis omnium assignatorum, solutorum, expensorum et vadiorum supradictorum XIMDCC. march. XIIII. scot. XIIMDCCIV. flor. auri. et MMDCXX. scut. Comit. Flandrie.

Anno domini MCCCLIX. die XII. Augusti fuit facta conclusio infrascripta.

Facta autem deductione de omnibus receptis per prefatum dominum Arnaldum ad assignata, expensa, soluta et ad vadia sua predicta restat, quod dominus Arnaldus debet, deductis omnibus deducendis, XMDCCLXIII. march. XIII. scot. cum dimidio.

Prefato autem dño Arnaldo debentur VIIMDCXVII. flor. et IIMDCXX. scut. Comit. Flandrie. Qui quidem floreni et scudati conversi ad marchas argenti Boemicalium faciunt IIMDCCCCV. marc. et X. scotos.

Et sic deductis de dicta summa restante supradictis MMDCCCCV. marchis X. scotis pro supradictis VIIMDCXVII. flor. auri et MMCCCXX. scudatis Comit. Flandrie supradicto domino Arnaldo debitis, ut prefertur, restat, quod deductis omnibus deducendis, debet camere prefatus dominus Arnaldus VIIMDCCCCLVIII. march. et IIII. scot. cum dimidio.

De qua quidem summa restante, ut supra proximum dicitur, idem dominus Arnaldus supradicta die XII. Augusti solvit realiter Reverendo patri domino Raynaldo Episcopo Eduensi, domino pape thesaurario, MLIIII. flor. auri de Ungaria pro ..... march. XI. scot. cum dimidio, singulis florenis pro XIII. grossis cum dimidio Boemicalibus computatis.

Rationes collect. Polon. et Hungar. an. 1346. etc. fol. 127 — 131.

DCXXIV.

Guillelmo de Pusterla nuncio apostolico super pace inter Bohemiae et Poloniae reges reconcilianda.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Guillelmo de Pusterla Preposito ecclesie Possoniensis Strigoniensis diocesis, Capellano nostro, apostolice sedis Nuntio, salutem etc. Etsi iuxta pastoralis officii debitum etc. Vide Theineri Monum. Hungar. Tom. I. Nro. MXLVI. pag. 691. Datum Avinione XV. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 526. fol. 75.

DCXXV.

Eidem, ut si praedicti reges suis monitis acquiescere noluerint, treugas inter eos auctoritate apostolica indicat.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Guillelmo de Pusterla etc. Etsi iuxta pastoralis officii debitum etc. Vide Theineri Monum. Hungar. Tom. I. Nro. MXLVIII. pag. 693. Datum Avinione XV. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 527. fol. 75.

DCXXVI.

Ioanni regi Bohemiae, ut treugas cum Casimiro rege Poloniae inire velit.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Iohanni Regi Boemie Illustri, salutem etc. Relatibus percepimus fide dignis, quod dudum inter te, carissime fili, ex una parte, et Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem ex altera, periculosis dissensionibus hoste procurante humani generis suscitatis, et ex illis guerrarum motis insultibus, tandem bonis viris mediantibus et tractantibus, inter vos invicem treuge pacis representantes ymaginem, ommissis guerrarum huiusmodi fremitibus, inite fuerunt usque ad festum beati Martini venturum proximo durature. Verum quia treugarum predictarum terminus appropinquat, nos verentes, quod post lapsum eiusdem termini, hostis predicti malitia instigante, tu et Rex predictus ad offensiones mutuas et hostiles congressus, ex quibus lapsus rerum, excidia personarum et animarum amarius deploranda pericula, innumeraque alia non facile reparanda dispendia sequi possent, prorumperetis hinc inde, cupientesque huiusmodi dispendiosis periculis obviari salubriter, et mutue pacis et unitatis federa inter nos invicem reformari, Excellentiam rogamus Regiam et in domino attentius exhortamur, quatenus premissis et aliis, que Regie considerationi circa ea possunt occurrere, diligenter attentis, ad huiusmodi pacem et concordiam, pretermissis omnino congressibus bellicis, animum Regium abilitans et disponens, treugas inire cum Rege predicto usque ad certi competentis temporis spatium, infra quod pacis huiusmodi concordia, circa quam vacare studiosis operibus intendimus, tractari et reformari, suffragante gratia divina, valeat, duraturas procures, tuos nichilominus Ambassiatores et Nuntios sufficienter instructos et ydonea potestate suffultos ad nostram presentiam, cum idem scribamus prefato Regi Polonie, super hiis transmissurus. Sane quia negocium huiusmodi ex causis predictis insidet admodum nobis cordi, dilectum filium magistrum Guillelmum de Pusterla Prepositum ecclesie Possoniensis Strigoniensis diocesis, Capellanum nostrum, apostolice sedis Nuntium, virum utique litterarum scientia preditum, probitatis et circumspectionis maturitate conspicuum, ad tuam et memorati Regis presentiam cum aliis nostris oportunis litteris providimus propterea destinandum, nostris precibus et exhortationibus adicientes predictis, ut ea, que ipse tue celsitudini pro parte nostra circa premissa duxerit explicanda, plene intelligens et benigne, ipsius persuasionibus, exhortationibus et monitis salubribus sic acquiescas efficaciter in hac parte,

quod bona, quc optamus, inde domino largiente proveniant, timore malorum sublato, Regalisque devotionis prudentia digne laudis et commendationis preconiis attollatur. Datum Avinione xv. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. dicto Regi Polonie. Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 528. fol. 75.

DCXXVII.

Carolo marchioni Moraviae super eodem negotio.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Carolo, Primogenito Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Boemie Illustris, Marchioni Moravie, salutem etc. Relatis percepimus fidedignis, quod dudum inter Carissimos in Christo filios nostros Iohannem Boemie genitorem tuum ex parte una, et Kazimirum Polonie Reges Illustres ex altera, periculosis dissensionibus etc. ut supra usque in finem, verbis competenter mutatis. Quocirca Nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus premissa, prout in te fuerit, diligenter et benivole facias et procures. Datum Avinione xv. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 529. fol. 76.

DCXXVIII.

Casimiro regi Poloniae, ut a parentela cum Ludovico Bavaro resiliat, et nullum schismaticis favorem prestet.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Regalis tue Magnificentie binas recepimus litteras inter cetera continentes, te, fili carissime, quibusdam amicis tuis de Romana Curia nuntiantibus percepisse, quod aliqui tui emuli ad tui detractionem et infamiam in eadem Curia seminarant, te cum Latwinis scismaticis, eos contra christianos iuvando, ac Ludovico de Bavaria dampnato per ecclesiam, tractando parentelam cum ipso, confederationes et amicitias feceras, et inieras adversus ecclesiam sanctam dei, quamobrem te tueque devotionis, quam ad Romanam geris ecclesiam, super hiis excusando per easdem litteras descripsisti, quod propter guerras, quas contra te ac terras et subditos tuos Carissimus in Christo filius noster Iohannes Boemie Rex Illust. movit terribiliter et potenter, tu consideranter attendens, quod predictis scismaticis guerras adversus te, sicut habent de more, moventibus, resistere commode non poteras hostilitati et potentie dicti Regis, treugas fecisti cum ipsis scismaticis, et nichilominus quod . . . Natam tuam (nato) prefati Ludovici de Bavaria copulares matrimonialiter, ut fortior contra dictum Regem propter hoc existeres, tractatus aliquos habuisti, quamvis tractatus ipsi ad effectum perducti non fuerint, et esto, quod consummati fuissent, et in domo Ludovici predicti multas tuas filias matrimonialiter collocasses, propter hoc cum ipso, nec cum aliquo alio infideli aut rebelli et hoste eiusdem ecclesie te opponeres quomodolibet contra eam, nec predictis scismaticis prestitisti, prestas vel prestares adversus christianos auxilium vel favorem, quin pocius si dissensiones inter te dictumque Regem Boemie cessarent et guerre, paratus esses diffidare Ludovicum predictum, et exercere contra dictos scismaticos vires tuas. Sane, fili dilectissime, licet nobis multa relata fuerint de premissis, nos tamen attendentes puritatem devotionis tue, et illa, que te ad ea exequenda, que beneplacitum et honorem concernunt eiusdem ecclesie, debent, suadente gratitudinis debito, inducere, attentius meditantes predictis sinistris relatibus plene nequivimus dare fidem: subsequenter autem nobis predictis tuis litteris presentatis, et contentis in eis intellectu pleno collectis, letamur et consolamur in domino super eis, credentes verisimiliter scripta tua Regia huiusmodi facti veritate fulciri. Porro tuam excellentiam, fili dilectissime, non credimus ignorare, cum in omnibus mundi partibus, in quibus catholice fidei viget cultus, tam per litteras et processus aliquos, quam alias publice fuerit divulgatum, quod dictus Ludovicus de Bavaria olim in Regem Romanum electus propter graves excessus, et detestanda crimina per ipsum contra deum, et eandem Romanam ecclesiam fidemque catholicam perpetrata diversis excommunicationum sententiis innodatus, ac omnibus bonis et feudis, que ab eadem Romana vel quibusvis aliis ecclesiis aut Imperio quomodolibet obtinebat, ac iure, si quod ei ad Regnum vel Imperium Romanum quomodolibet competebat, privatus, ac de diversis heresibus et scismatibus, que in tocius christianitatis et cunctorum cetus fidelium contumeliam et opprobrium nequissime suscitaverat et perpetraverat, seque illis dampnabiliter involverat, publice ac notorie iusto iuditio extitit condempnatus; quas quidem sententias cum multis aggravationibus tam adversus eum, quam quosvis fautores, sequaces et adherentes suos, prout rationabiliter et iuste fieri po-

tuit, subsecutis, per longa tempora tanquam infidelis aversus a deo, et in profundum malorum demersus pro dolor sustinuit, et adhuc, licet nos processus predictos recensendos in Consistorio nostro publico duximus, animo sustinet dampnabiliter indurato: ideoque tua Regalis serenitas videat et recogitet diligenter, si Regalem prosapiam de domo catholica descendentem deceat cum homine sic dampnato, ac a Deo et hominibus reprobato, vel eius prole propter crimen lese maiestatis divine infecta, facere parentelam, et si talis et tanta macula, que poneretur ex hoc procul dubio in gloria Regie dignitatis, de facili posset abstergi. Cum autem nos inter te dictumque Regem Boemie mutuam concordiam, sicut per alias tibi scribimus litteras, reformari desideriis optemus intensis, et propterea nostrum specialem Nuntium ad te dictumque Regem et partes illas providerimus destinandum: Celsitudinem rogamus Regiam et in domino attentius exhortamur, quatenus premissis intra precordia Regia prudenti et matura deliberatione discussis, cum eodem Ludovico vel suis tractatus huiusmodi, qui possent in magnum tuum redundare dispendium, non admittas, et si forsan predicta non advertens admiseris, ab illis resilias festinanter. Difficile quidem vel forsitan impossibile, si procederetur, quod absit, ad tractatus consummationem huiusmodi, reputaretur merito, presertim attentis vinculis et circumstantiis matrimonii, te, fili amantissime, a participatione ipsius Ludovici, per quam penas et sententias promulgatas in dictis processibus incurreres, posse preter gravem offensam dei et ecclesie remanere immunem. Caveas etiam, quesumus, prudenter et sedule, ne gentes, officiales et subditi tui supradictis scismaticis contra christianos prestent directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem: sic te, fili precarissime, super hiis habiturus, quod deum tibi magis propicium constituas non indigne, obturesque labia, que sinistris oblocutionibus lacerare in hac parte nituntur multipliciter famam tuam. Datum Avinione xv. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 533. fol. 78.

DCXXIX.

Apetzco de Frankenstein ecclesiae Lubucensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Apeczconi de Frankinsteyn Electo Lubucensi, salutem etc. Quam sit onusta periculis, quam plena discordiis, quantaque secum incommoda protrahat ecclesiarum diuturna vacacio, solicite cogitantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impertimur, ut viduatis ecclesiis pastores preficiantur ydonei et ministri providi deputentur, quorum fulte presidiis et favoribus communite malignorum insultus non metuant et pravorum non vereantur incursus, quinimmo, auctore domino, felicibus proficiant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Stephano Ep̃o Lubucensi regimini Lubucensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Lubucensis dispositioni nostre et dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia Lubucensi per obitum eiusdem Stephani, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa diutine vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum ipsius ecclesie Lubucensis, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, morum et vite honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum assercione percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Lubucensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Lubucensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus committendo plenarie, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem Lubucensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter et suavi eius oneri humiliter colla submittens, eiusdem Lubucensis ecclesie solicitam curam geras, gre-

gem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur, tuque preter eterne retribucionis premium benevolencie nostre gratiam uberius valeas promereri. Datum Avinione XIIII. Kal. Novembris. Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Lubucensis, Clero et populo civitatis et diocesis Lubucensium, universis vassallis ecclesie Lubucensis, ut eidem obedientiam et reverentiam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. II. ep. 19. fol. 47.

DCXXX.

Idem electus commendatur archiepiscopo Gnesnensi.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, divine propiciacionis intuitu oportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Dudum siquidem etc. usque suscipiet incrementa. Quia igitur, ut idem electus in commissa sibi eiusdem ecclesie Lubucensis cura facilius proficere valeat, sibi favor tuus esse noscitur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eundem Apeczconem electum et commissam sibi ecclesiam tibi metropolitico iure subiectam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia commendatos, in eiusdem ecclesie ampliandis et conservandis iuribus sic eum tui favoris presidio prosequaris, quod ipse per auxilium gratie tue se possit in commisso sibi ecclesie supradicte regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et dicte sedis benevolenciam exinde valeas uberius promereri. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. II. ep. 20. fol. 48.

DCXXXI.

Casimiro regi Poloniae, ut eundem electum commendatum habeat.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Cazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Gracie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si prelatis ecclesiarum, et hiis presertim, qui pontificali sunt prediti dignitate, condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem etc. usque suscipiet incrementa. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus dei ministros digno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Apeczconem electum, et prefatam Lubucensem ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem electus celsitudinis tue fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propitio, prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. II. ep. 21. fol. 49.

DCXXXII.

Ioanni regi Bohemiae, ut treugas et pacem cum rege Poloniae conservare velit.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Iohanni Regi Boemie Illustri, salutem etc. Dudum, sicut intelleximus, inter te, fili carissime, et carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem gravis dissensionis materia, per quam, hoste procurante humani generis, ad guerrarum et congressuum hostilium fremitus invicem processistis seu inchoastis procedere, periculose nimium suscitata, tandem viris quibusdam pacificis mediantibus et tractantibus, treuge pacis representantes ymaginem inter vos hinc inde inite fuerunt, usque ad instans festum beati Martini proximo durature. Cum autem finis treugarum ipsarum instare noscatur, nos timentes, quod tu et Rex predictus post dictum terminum ad offensas mutuas et congressus bellicos, ex quibus lapsus rerum, excidia personarum et animarum amarius deploranda pericula, nec non dispendium fidei catholice, cuius hostes blasfemi et persecutores illis partibus sunt propinqui, aliaque mala innumera, nisi obviaretur salubriter, possent sequi, eisque occurrere paterne solicitudinis studiis cupientes, dilectum filium Magistrum Guillelmum de Pusterla Prepositum ecclesie Possoniensis Strigoniensis diocesis, Capellanum nostrum, apostolice sedis Nuntium, virum utique providum, litterarum scientia, circumspectionis et fide-

litatis industria preditum, pacis, veritatis et iustitie zelatorem, ad tuam et eiusdem Regis presentiam, et partes illas propterea providimus cum aliis nostris oportunis litteris destinandum. Verentes igitur, quod infra predictum terminum ad partes illas pervenire dicto Nuntio non valente, attemptarentur aliqua, hostis predicti malitia instigante, que negocium reformationis pacis mutue inter te dictumque Regem exasperarent, vel difficiliorem redderent viam pacis eiusdem, circa quam procurandam laborare intendimus solicitudinibus studiosis, tibi, dilectissime fili, et Regi prefato celeriter super hiis scribendum providimus oportune. Quocirca Regalem excellentiam attentius rogandam duximus et hortandam, quatenus premissis diligenter attentis, sufferentiam usque ad adventum predicti Nuntii cum Rege predicto super premissis recipias, et ab omnibus commotionibus, novitatibus, noxiis et congressibus bellicis procures pro nostra et apostolice sedis reverentia penitus abstinere, pro certo sciturus, quod si contrarium, quod absit, faceres, et nostris huiusmodi exhortationibus salubribus non acquiesceres cum effectu, nobis displicibile redderetur: nam simili modo dicto Regi scribimus, et prenominatus Nuntius ad partes predictas festinat, quantum potest commode, iter suum. Datum Avinione III. Kal. Novembris. Pontifitificatus nostri Anno Quarto.

Item in e. m. dicto Regi Polonie. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 534. fol. 80.

DCXXXIII.

Carolo primogenito regis Bohemiae super eodem argumento.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Carolo Primogenito Carissimi in Christo filii nostri Iohannis Regis Boemie Illustris, Principi Moravie, sal. etc. Dudum, sicut intelleximus, inter Carissimos in Christo, filios nostros Iohannem Boemie genitorem tuum, et Kazimirum Polonie Reges Illustres gravis dissensionis materia, per quam, hoste procurante humani generis, ad guerrarum et hostilium congressuum fremitus invicem processerant, seu intendebant procedere, periculose nimium suscitata, tandem quibusdam viris pacificis mediantibus et tractantibus, treuge pacis representantes ymaginem inter eos hinc inde inite fuerunt usque ad instans festum beati Martini proximo durature. Cum autem finis treugarum ipsarum instare noscatur, nos timentes, quod Reges ipsi post dictum terminum ad offensas mutuas et congressus bellicos, ex quibus etc. usque oportune, verbis competenter mutatis: quamobrem prefatum Regem genitorem tuum exhortamur attente, ut premissis consideratis attente, sufferentiam usque ad adventum predicti Nuntii cum eodem Rege super predictis recipiat, et ab omnibus commotionibus, novitatibus, noxis et congressibus bellicis penitus abstinere procuret, sciens pro certo, quod si contrarium, quod absit, faceret, vel nostris huiusmodi exhortationibus salubribus non acquiesceret cum effectu, nobis displicibile plurimum redderetur, cum simili modo scribamus dicto Regi, et Nuntius prelibatus festinet ad partes illas, quantum potest, comode iter suum. Quocirca Nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus ad hoc eundem genitorem tuum inducere, tuque premissa promovere, et quantum in te fuerit, facere non postponas. Datum Avinione III. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. II. ep. 536. fol. 81.

DCXXXIV.

Archiep̃o Gnesnensi et ep̃is Vratislaviensi et Cracoviensi, ut falsarios litterarum apostolicarum capi faciant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi ac ... Wratislaviensi et ... Cracoviensi Episcopis, vel eorum vicariis in spiritualibus, salutem etc. Nuper exhibitas nobis quasdam litteras falso sub felicis recordationis Iohannis pp. XXII. predecessoris nostri nomine fabricatas, inter alia continentes, quod prefatus Iohannes predecessor noster per quemdam Boguscomem pro Abbate monasterii sancte Maric in Orlavia ordinis sancti Benedicti tue dyocesis, frater Ep̃c Wratislaviensis, sicut asseritur, se gerentem, sibi exposito, quod ipse Bogusco olim ordinem sancti Benedicti in Orlavia intrans, eundem ibi professus fuerat, et quod tandem, duobus super Abbatia litigantibus, monasterium predictum ad tantam inopiam devenerat, quod dictus Bogusco in eo commode non poterat sustentari, propter quod de monasterio et ordine predictis exiens aliquamdiu in seculo permanserat, et deinde ordinem fratrum predicatorum in Ratibor ingressus, ibi professionem fecerat, et sicut professus in eodem ordine omnes ordines receperat, et in eisdem etiam ministrarat, et quod demum

afflictus indebite per aliquos fratres ipsius ordinis, de predicto ordine de licencia . . . Prioris provincialis Polonie iterum ad ordinem sancti Benedicti in monasterio Tinciensi Cracoviensis diocesis se transtulerat, ubi multis annis sub abbate dicti monasterii continuum famulatum domino reddiderat, et tandem ad regendum prefatam abbatiam Orlaviensem dictis abbati et monasterio Tinciensi subiectam promotus extiterat, et quod receptio supradicta ipsius Bogusconis in dicto monasterio de Orlavia ad dictum ordinem sancti Benedicti minus canonica fuerat, ex eo quod abbas Orlaviensis potestatem recipiendi monachos non habebat, quod ipse Bogusco pro tunc ignorabat, nec erat notorium ipsum ibidem fuisse receptum atque professum, ac supplicato per eundem Bogusconem se ab excommunicationis sentencia, quam demittendo habitum et ordinem monachalem incurrerat, absolvi, et secum super irregularitate, et ut in sic susceptis ordinibus ministrare posset, et super constitutione contraria, si indigeret, dispensari, et receptionem suam legitimari, et dictam abbatiam, quam de facto occupaverat, sibi per eundem predecessorem conferri, et quicquid minus canonicum in eo existeret, de plenitudine apostolice potestatis suppleri, dictus predecessor ad supplicationem devoti filii sui Wradislai Regis Polonie ad ipsius Bogusconis conscienciam servandam, et ne emuli ipsius contra eum labia detractionis aperirent, ipsum ab excommunicationis sentencia, quam demittendo habitum monachalem incurrerat, absolvit, et super irregularitate, et ut in sic susceptis ordinibus ministrare posset, eciam dispensavit, et cum prima professio et non secunda dictum Bogusconem distringeret, ipsum non incidisse in constitutionem concilii Viennensis, que incipit: Ut Professores, declaravit, et receptionem dicti Bogusconis, quam idem Bogusco asseruerat minus canonicam, voluit robur canonicum obtinere, et de abbatia Orlaviensi de iure vacante providerat eidem, et quicquid ex predictis minus canonicum in dicto Boguscone existebat, auctoritate apostolica supplevit, predicta et aliis constitutionibus seu statutis non obstantibus quibuscunque, omnem inhabilitatis maculam in eodem Boguscone ex primis obortam etiam obolendo, recepimus et examinavimus diligenter, et quia illas in carta, scriptura, stilo et earum serie ac appensione bulle clare et dilucide invenimus esse falsas, quecunque earumdem litterarum falsarum pretextu facta et secuta sunt, quatenus processerunt de facto, nulla, vacua et inania prorsus esse decernimus, nec per eas robur aliquod datum esse. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum insolidum auctoritate nostra prefatas litteras, quarum copiam de verbo ad verbum sub bulla nostra vobis mittimus interclusam, ubicunque expedire videbitis, et presertim in dicto monasterio de Orlavia denuncietis publice et nunciari per alios faciatis falsas esse et fuisse, et quecunque sunt illorum occasione presumpta, nullius prorsus existere firmitatis, ac nichilominus fabricatorem sive fabricatores litterarum ipsarum capi caute, si fieri et reperiri poterunt, faciatis, tam eosdem fabricatores, quam ceteros alios, de quibus litteris illis scientes se usos esse vobis constiterit, iuxta constitutionem contra falsarios editam auctoritate apostolica punientes, invocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Lib. III. ep. 5. fol. 1.

DCXXXV.

Summae denarii B. Petri in Polonia quibusdam mercatoribus ad camerae apostolicae solvendum per Arnoldum de Caucina assignatae ab an. MCCCXLV. usque ad an. MCCCLIV.

Anno domini MCCCXLV. Notandum est, quod de pecunia per me pro censu denarii beati Petri et aliorum iurium cameram domini nostri pape contingentium in Regno Polonie percepta assignavi primo Nicolao Werzingi, Hermanno Pensatori et Laurencio filio Nicolai Pensatoris cum ipsorum sociis Civibus Cracoviensibus XXIIII. marcas auri de viginti duabus karactis, emendo karactam pro viginti VIII. grossis cum dimidio, et marca auri predicti valet XIII. marcas grossorum Pragensium et III. grossos. Que summa predictarum XXIIII. marcarum auri ascendunt ad CCCXIII. marcas cum dimidia grossorum predictorum.

Item assignavi Iohanni Torniatori et Rudloni sororio suo Civibus Cracoviensibus III. marcas auri de XX. duabus karactis, emendo karactam pro viginti VI. grossis Pragensibus, et marca auri predicti valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis, et predicte tres marce auri fuerunt empte pro XXXV. marcis et tribus fertonibus grossorum predictorum.

Item assignavi Petro Wigandi et Nicolao Pensatori cum sociis eorum Civibus Cracoviensibus octo marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis Pragensibus, et marca auri predicti valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis, et predicte octo marce auri fuerunt empte pro nonaginta V. marcis et octo scotis grossorum predictorum.

Item assignavi Petro de Muchow cum sociis suis Civibus Cracoviensibus octo marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis Pragensibus, et marca auri predicta valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis, et predicte octo marce auri fuerunt empte pro nonaginta quinque marcis et octo scotis grossorum predictorum.

Item assignavi Nicolao Werzingi, Hermanno Pensatori et Laurencio filio suo cum ipsorum sociis Civibus Cracoviensibus XXVI. marcas auri de XXII. karactis, emendo marcam auri pro duodecim marcis grossorum: que marce auri omnes faciunt CCCXII. marcas minus septem grossis.

Item assignavi domino Dirsconi Canonico Cracoviensis et Sandomiriensis ecclesiarum et Zacliotze de Poramba cum sociis ipsorum IIII. marcas auri de XXII. karactis, marca auri predicti valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis, et predicte IIII. marce. auri faciunt quadraginta octo marcas grossorum minus octo scotis.

Item assignavi Iohanni Braseatori Cracoviensi et Gyskoni de Sandecz Civibus cum ipsorum sociis novem marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis Pragensibus, et marca auri predicti valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis: que novem marce auri faciunt centum septem marcas grossorum cum fertone.

Item assignavit Nicolao Grych cum sociis suis XLVII. marcas grossorum et XVI. scotos. pro IIII. marcis auri de XXII. karactis ad solvendum Brugis, emendo marcam auri pro XII. marcis grossorum minus duobus scotis.

Nota, sub anno domini MCCCXL.sexto assignavi Conrado Albo cum sociis XII. marcas auri de viginti duabus karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis, et valet marca auri XII. marcas minus duobus scotis: que duodecim marce auri faciunt CXLIII. marcas grossorum.

Item assignavi Henricho Torniathori cum sociis suis octo marcas auri de XX.duabus karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis, et valet marca auri XII. marcas grossorum minus duobus scotis. et octo marce auri faciunt nonaginta V. marcas grossorum cum VIII. scotis.

Item assignavi Hermanno Pensatori, Nicolao Werzingi et Laurencio XXX. marcatas auri de XX.duabus karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis, et valet marca auri XII. marcas grossorum minus IIII. grossis, et XXX. marce auri faciunt CCCL.septem marcas grossorum cum dimidia.

Item assignavi Consulibus XL.septem marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis, et marca auri valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis, et quadraginta VII. marce auri faciunt quingentas sexaginta marcas grossorum et II. scotos.

Nota, quod in predicto auro fuerint sedecim marce auri minus V. scotis, que fuerunt michi assignate pro censu denarii beati Petri per dominum Episcopum Wratislaviensem, et assignavit michi ipsas pro C. octoginta novem marcis grossorum cum dimidia, et in predicto auro fuerunt octo marce cum dimidia et III. scoti de XX. karactis, et septem marce auri et IIII. scoti de XXI. karactis, et tunc quando idem dominus Episcopus dictum aurum emit, tantum valuit, et postea quando predictum aurum consulibus predictis assignavit, non valuit nisi C. septuaginta V. marcas minus uno scoto, et in predicto auro perdite fuerunt XIIII. marce grossorum et XIII. scoti.

Anno domini MCCCXL.septimo. Assignavi Nicolao Werzingi et Wilczkoni III. marcas auri de XX.duabus karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis, et marca auri valet XII. marcas grossorum minus duobus scotis, que marce auri faciunt XXXV. marce et III. fertones.

Item assignavi consulibus XXXIII. marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro viginti sex grossis cum dimidio, et marca auri valet XII. marcas grossorum et VII. grossos, et XXXIII. marce auri faciunt CCCC. marcas grossorum, decem et novem scotos cum dimidio.

Item assignavi Petro Vigandi X. marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis cum dimidio, et marca auri valet XII. marcas grossorum et VII. grossos, et X. marce auri faciunt CXXI. marcas grossorum et XI. scotos.

Item assignavi Nicolao Werzingi et Gisconi de Sandecz X. et septem marcas auri de XXII. karactis, emendo karactam pro XXVI. grossis cum dimidio, et marca auri valet XII. marcas grossorum

et septem grossos: decem et septem marce auri faciunt cc. et sex marcas grossorum et xi. scotos cum dimidio.

Item assignavi Nicolao Werzingi octo marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. cum dimidio, et marca auri valet xii. marc. grossorum et vii. gross. et octo marce auri faciunt nonaginta septem marcas grossorum et iiii. scotos.

Item assignavi Hermanno de Muchow cum fratre suo viii. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. cum dimidio, et marca auri valet xii. marc. gross. et vii. grossos, et viii. marce auri faciunt nonaginta septem marc. gross. et iiii. scot.

Anno domini mcccxlviii. Item assignavi Laurencio Pensatori cum sociis xxviii. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. grossis, et marca auri facit xii. marc. gross. minus ii. scotis, et xxviii. marce faciunt cccxxxiii. marc. gross. et xvi. scot.

Item assignavi Petro Vigandi cum suis sociis x. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. grossis, et marca auri facit xii. marc. gross. minus ii. scotis, et x. marce auri faciunt cxix. marcas grossorum et iiii. scotos.

Item assignavi Henricho Culpe cum sociis ix. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. grossis, et marca auri facit xii. marc. gross. minus ii. scot. et ix. marce auri faciunt cvii. marc. gross. et vi. scotos.

Anno domini mcccxl.nono. Primo assignavi Fredricho Gallico cum sociis suis xvi. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. et marca auri facit xii. marcas minus ii. scotis, et xvi. marce auri faciunt cxi. marc. gross. et xvi. die mensis Marcii.

Item assignavi Consulibus Cracov. cum aliis certis personis xxxiiii. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. grossis, et marca auri facit xii. marc. grossorum minus ii. scotis, et xxxiiii. marce auri faciunt ccccv. marcas grossorum et iiii. scotos.

Item assignavi Petro Werzingi v. marcas auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. cum dimidio, et marca auri facit xii. marc. gross. et vii. scot. et v. marce auri fac. lx. marc. gross. et iii. fertones minus i. grosso.

Item assignavi Nicolao Werzingi septem marcas auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. cum dimidio, et marca auri facit xii. marc. gross. et vii. marce auri faciunt lxxxiiii. marc. gross. et iiii. scot. cum dimidio.

Item assignavi Petro Vigandi et Laurencio Pensatori x. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. et marca auri facit xii. marc. gross. et ix. scot. et x. marce auri faciunt cxxiiii. marc. et iii. fertones.

Anno dñi mccc.quinquagesimo. Assignavi Nicolao Werzingi cum sociis suis xx. marcas auri de xxii. kar. emendo marcam auri pro xiii. marcis gross. et xx. marce auri faciunt cclx. marc. gross.

Item assignavi Consulibus xxxiiii. marc. auri de xxii. kar. emendo mercam auri pro xiii. marcis grossorum, et xxxiiii. marce auri faciunt ccccxxvii. marcas grossorum.

Anno domini mcccl.primo. Primo assignavi Petro Werzingi sex marcas auri de xxii. kar. emendo marc. auri pro xiii. marc. gross. et sex marce faciunt lxxviii. marcas grossorum.

Item assignavi xxviii. marc. auri de xxii. kar. emendo marc. auri pro xiiii. marc. gross. et xxviii. marce auri faciunt ccclxiiii. marcas grossorum.

Item assignavi viii. marc. auri de xxii. kar. emendo marc. auri pro xiii. marc. gross., et viii. marce auri faciunt ciiii. marcas grossorum.

Item assignavi Iohanni Tartaro decem marc. auri de xxii. kar. emendo marc. auri pro xiii. marc. gross. et x. marce faciunt cxxx. marcas grossorum.

Item assignavi Consulibus, videlicet Iohanni Romancio et Petro Werzingi, et aliis sociis eorum xvi. marc. auri de xxii. kar. emendo marc. pro tredecim marc. gross. et xii. marce auri fac. ccviii. marcas grossorum.

Item assignavi Nicolao Romancz quatuor marc. auri de xxii. kar. emendo marcam auri pro xii. marc. gross. et iiii. marce auri faciunt l.duas marcas grossorum.

Anno domini cccl.secundo. Primo assignavi Consulibus l. marcas auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvii. gross. et marca auri facit xii. marcas gross. et novem scot. et l. marce auri faciunt dcxviii. marc. gross. et x. et viii. scotos.

Item assignavi Gisconi et Nicolao Werzingi vi. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvii. gross. et marca auri facit xii. marc. gross. et ix. scot. et sex marce auri faciunt xxiiii. marc. grossorum cum fertone.

Item assignavi Consulibus xxxiiii. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvii. gross. et marca auri facit xii. marc. gross. et ix. scot. totum aurum fac. cccc. marc. gross. minus iiii. marc.

Anno domini mcccliii. Primo assignavi Nicolao Werzingi x. et viii. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. et marca auri facit xii. marcas gross. minus iiii. gross. totum aurum facit ccxiiii. marcas cum dimidia.

Item assignavi Nicolao Werzingi x. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvi. gross. marca auri fac. xii. marc. gross. minus iiii. gross. totum aurum facit cxix. marc. et ii. gross.

Item assignavi Petro Werzingi vi. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvii. gross. et marca auri fac. xii. marc. gross. et ix. scot. totum aurum facit lx. et iiii. marc. et i. fertonem.

Item essignavi Henricho Torniatori vii. marc. auri de xxii. kar. emendo kar. pro xxvii. gross. et marca auri facit xii. marc. gross. et ix. scot. totum auri facit lxxxvi. marc. cum dim. et iii. scotos.

Anno domini mcccl.quarto. Assignavi Consulibus l. marcas auri de xxii. kar. emendo kar. pro viginti viii. gross. marca auri facit xiii. marc. gross. minus iiii. scot. totum aurum facit sexingentas et xxxx.unam marc. gross. et xvi. scotos.

Item assignavi Nicolao Werzingi duas marc. auri de xxii. kar. emendo karactam pro xxviiii. grossis, marca auri facit xiii. marcas grossorum minus quatuor scotis: totum aurum facit xxv. marcas grossorum et xvi. scotos.

Summa universalis octo millia quadringentas lxxxi. marc. et xviii. scoti cum dimidio.

Rationes collect. Polon. et Hungar. an. 1346. etc. fol. 86.

DCXXXVI.

Regi Poloniae, ut nuntios apostolicos ad regem Hungariae missos commendatos habeat et adiuvet.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Cum Venerabiles fratres nostros Bertrandum Patriarcham Aquilegensem et Franciscum Episcopum Tergestinum, apostolice sedis Nuntios, viros utique profunde scientie preditos, fidelitatis constantia et circumspectionis maturitate conspicuos, ac in arduis expertos negociis, ad Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Ungarie Illustrem et partes illas pro certis per nos eisdem impositis negociis destinemus, Magnificentiam tuam Regiam rogamus attente, quatenus eosdem Patriarcham et Ep̄um, si ad te, fili carissime, recurrerint, habens pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter commendatos, eisdem super hiis, de quibus pro parte nostra tuam requirendam duxerint excellentiam, velis assistere consiliis et favoribus oportunis, ita quod nos devotionem Regiam exinde cum gratiarum actionibus possimus merito commendare. Datum Avinione v. Idus Ianuarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. ep. 799. fol. 263.

DCXXXVII.

Episcopo Lubucensi munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam accedendi datur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Apeczconi Episcopo Lubucensi, salutem etc. Pridem ecclesia Lubucensi solacio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Sabinensem tibi fecerimus munus consecracionis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad prefatam ecclesiam cum nostre benediccionis gracia te personaliter conferens, sic te in administracione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, tuque preter retribucionis eterne premium benivolencie nostre graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione ii. Kal. Februar. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. IV. Part. II. ep. 625. fol. 195.

DCXXXVIII.

Episcopo Vratislaviensi, ut Petrum praepositum de Reichenbach ord. S. Augustini ab irregularitate absolvat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Oblata nobis dilecti filii Petri Prepositi domus sepulchri dominici Icrosolimitani extra muros opidi Richembach ordinis sancti Augustini tue diocesis peticionis series continebat, quod eodem in dicta domo quodam sero in crepusculo in sua camera existente, Nicolaus de Richembach dicti ordinis portam dicte domus cum uno lapide impetuose pulsavit, quem cum intromitti fecisset idem Prepositus, ipse Nicolaus, qui in dicto ordine excessus eciam alias commiserat, verbis turpibus tractans dictum Prepositum sibi ad verba huiusmodi respondentem, in eum irruit, propter quod dictus Prepositus se ab ipso defendendo, illum super collum suum cum manu percussit, et subsequenter tam Prepositus quam Nicolaus predicti se ceperunt per pilos capitum et invicem se traxerunt: quibus deinde per fratres et familiam predicte domus ab invicem separatis, dictus Nicolaus magno arrepto fuste seu ligno iterato irruens in Prepositum supradictum, ipsum cum dicto ligno super scapulas acriter verberavit, ex quo idem Prepositus iterum se defendens, prefatum Nicolaum per pilos cepit, et traxit eciam sicut prius, et eis tandem modo simili ab invicem separatis, idem Nicolaus in crastinum sanus existens, die tercia in lecto decubuit, et in eo infirmatus per dies quatuor diem clausit extremum. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predictus Nicolaus ex ruptura vesice, quam, dum per alios traheretur, ipso se trahi non permittente, sed renitente, incurrit, mortuus secundum medici sui iudicium asseratur, nec verisimile videatur, quod ex defensione dicti Prepositi, qui nuda manu absque defendiculo aliquo se defendit, sic mors huiusmodi subsecuta: idem Prepositus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipso super irregularitate, siquam forte contraxit ex premissis, dignaremur ad cautelam misericorditer dispensare. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue presencium tenore committimus et mandamus, quatinus, si est ita, cum prefato Preposito super irregularitate, siquam propter premissa contraxit, iniuncta ei pro premissis pro modo culpe penitencia salutari, auctoritate nostra dispenses. Datum Avinione v. Id. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. IV. Part. II. ep. 781. fol. 270.

DCXXXIX.

Eidem episcopo, ut de sufficiente numero canonicorum reditibus et ecclesiae Luthomislensis inquirat et referat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. In ecclesiis et monasteriis tot sunt iuxta normam canonicam dumtaxat instituende persone, quot ex earum facultatibus possint absque penuria sustentari, ne illarum multitudo nimium excessiva confusionem afferat, et ipsis officiat inopia facultatum, vel ex paucitate nimia earundem excellencie divine dignum et debitum obsequium, per quod salutis eterne fructus acquiratur immarcescibilis, subtrahatur. Cum itaque, sicut pro parte Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi et dilectorum filiorum Capituli Luthomuslensium nobis nuper exhibita peticio continebat, in ecclesia Cathedrali, olim monasterii Luthomuslensis Premonstratensis ordinis Pragensis diocesis, per nos dudum in ecclesiam Cathedralem erecta, nonaginta vel circa Canonici regulares dicti ordinis sint professi, ipsa ecclesia in suis redditibus non sufficiat tot personis secundum statum et decenciam earundem, pro parte ipsorum Episcopi et Capituli nobis extitit humiliter supplicatum, ut ordinare ac statuere, quod certus videlicet viginti quatuor Canonicorum numerus dumtaxat in eadem ecclesia haberetur, auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis noticiam non habentes, ac de tue circumspeccionis industria plenam fiduciam obtinentes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de facultatibus ac redditibus ipsius ecclesie, et quotus Canonicorum numerus in eadem ecclesia sufficeret iuxta facultates et redditus memoratos, aliis omnibus oneribus predicte ecclesie subportatis, necnon de universis aliis circumstanciis in talibus attendendis auctoritate apostolica diligencius te informes, et quecunque super hiis per informacionem huiusmodi repereris, fideliter in scriptis redacta sub tuo sigillo inclusa nobis quantocius referre ac intimare procures, ut nos per relacionem ac intimacionem huiusmodi de premissis sufficienter instructi, quid super hiis expediens fuerit, auctore domino, securius agere valeamus. Datum Avinione VII. Id. Maii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Lib. IV. Part. II. ep. 763. fol. 265.

DCXL.

Regi Poloniae, ut ad pacem inter ipsum et regem Bohemiae reconciliandam ad curiam Romanam suos nuntios mittat.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kasimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Attendentes varia personarum et rerum dispendia, et animarum amarius plangenda pericula, que dissensiones et guerre, quas hostis antiquus humani generis inter te, carissime fili, ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Regem Boemie Illustrem eiusque natos ex altera suscitare studuit, produxerunt, et periculosius, nisi provideretur aliter, producere comminantur, considerantes quoque varia commoda, que non solum tibi ac eisdem Regi et natis, sed toti patrie illi, que hostes et emulos catholice fidei habere vicinos noscitur, mutue pacis et unitatis concordia ministraret, Nos, qui vices illius in terris quamvis insufficientibus meritis gerimus, qui cogitationes pacis et non afflictionis se cogitare testatur, summis desideriis affectamus, ut sopitis amicabiliter dissensionibus huiusmodi, et omissis guerrarum fremitibus, quibus deus pacis provocatur, huiusmodi pacis et concordie unitas inter te dictosque Regem et natos, dante domino, proveniret, propter quod pridem litteras nostras speciales super hoc tue celsitudini direximus, te ad reformationem pacis huiusmodi paternis monitis et exhortationibus inducentes. Sane, fili dilectissime, tuis receptis litteris responsalibus nobis super hoc destinatis, per quas te promptum ad pacem reformandam huiusmodi, cum ... Nuncius noster, quem ad partes predictas nos per dictas litteras nostras missuros scripsimus, venerit, obtulisti, Magnificentiam tuam Regiam ex inde cum gratiarum actionibus multipliciter in domino commendantes, Serenitatem tuam volumus non latere, quod nuper Rege predicto ac dilecto filio nobili viro Carolo, eius primogenito, Marchione Moravie apud sedem apostolicam in nostra presencia constitutis, nos ipsos super huiusmodi reformatione pacis et concordie commonendos duximus et exhortandos, qui tandem nobis benivole respondentes, se super hoc ordinationi et voluntati nostre pro se ac omnibus vassallis et subditis suis, et ipsorum cuiuslibet super quibuscunque questionibus, quas ipsi coniunctim vel divisim tecum habent vel habere possunt ex quibuscunque (sic) vel occasionibus, totaliter summiserunt sub pena decem milium marcharum auri, nichilominus promittentes efficaciter, et ad sancta dei evangelia manu tacta iurantes, eidem ordinationi et voluntati stare, parere ac tenere, perficere et complere, quicquid duxerimus super hiis ordinandum, confectis exinde nichilominus publicis instrumentis. Quocirca tuam Regiam excellenciam rogamus, requirimus et hortamur attente, quatinus hiis, que premissa sunt, consideranter attentis, reformationi pacis et unitatis huiusmodi tuum dirigens animum et inclinans, procuratores tuos ad summissionem et obligationem similes tuo nomine faciendas, ydoneo mandato suffultos, ad nostram presenciam evestigio destinare procures, et nichilominus, ne congressus bellici vel offensiones mutue reformationis pacis negocium, circa quod laborare intendimus, ut prefertur, impedire valeant, vel etiam perturbare, ad suffrenciam vel treugas cum eisdem Rege et Marchione faciendas et ineundas usque ad certi temporis competentis spacium, infra quod negocium ipsum perfici, divina suffragante gratia, valeat, cum hoc idem per ipsos Regem et Marchionem velimus fieri, efficaciter te disponas. Et quia pro vitandis dictis periculis, et bonis, que utrique parti ac fidei et fidelibus partium illarum ex reformatione dicte pacis provenire poterunt, gratia largiente divina, eadem reformatio insidet admodum cordi nostro, dilectum filium nobilem virum Guamotum de Sanctoalbino, servientem nostrum armorum, ad te, fili amantissime, specialiter destinamus, ut per ipsum efficiamur celeriter de voluntate tua super hiis certiores. Datum Avinione xi. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 25. fol. 8.

DCXLI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut eumdem regem ad supradicta, quo modo melius poterit, inducat.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Attentis gravibus periculis, que hoste procurante humani generis, dissensiones et guerre inter carissimos in Christo filios nostros Kasimirum Polonie et Iohannem Boemie Reges Illustres, ac dilectum filium et nobilem virum Carolum, dicti Regis Boemie Primogenitum, Marchionem Moravie invicem suscitate secum traxerunt hactenus et trahere, nisi provideretur aliter, comminantur, ad obviandum eisdem periculis libenter, et reformanda inter dissidentes eosdem mutue pacis et unitatis federa interponimus solicitudinis nostre partes, quamobrem eidem Regi Polonie inde scribimus iuxta formam, quam cedula continet

presentibus interclusa. Ideoque fraternitatem tuam requirimus et hortamur attente, tibique nichilominus iniungentes, quatinus consideranter advertens, quod ad tui presulatus spectat officium, inter discordes pacis concordiam procurare, et nichilominus intra tua prccordia diligenter revolvens, quot bona ex concordia Regum et Marchionis predictorum utrique parti, ac fidei et fidelibus in partibus illis degentibus provenire poterunt, si eam dederit pacis actor, Regem memoratum Polonie, ut nostris in hac parte requisitionibus et monitis salubribus effectualiter et celeriter acquiescat, viis et modis, quibus melius poteris et tibi videbitur expediens, elaborare, fideli et solerti adhibita diligentia, non postponas, nobis per dilectum filium nobilem virum Guamotum de Sanctoalbino, servientem nostrum armorum, quem illuc propter hoc specialiter mittimus, quid actum circa hoc extiterit, evestigio rescripturus. Dat. ut supra.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep. 26. fol. 9.

DCXLII.

Archiepiscopis Gnesnensi et Pragensi, ut quisque Gamoto de Albinio ad reges Poloniae et Hungariae ad pacem intsr reges Poloniae et Bohemiae reconciliandam misso de CL. flor. auri ad vitam uecessariis provideant.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepo Gneznensi, salutem etc. Cum dilectum filium Nobilem virum Gamotum de Albinio, Servientem nostrum armorum, ad Carissimos in Christo filios nostros Ludovicum Ungarie et Kazimirum Polonie Reges Illustres pro quibusdam causis arduis, prefatum Polonie ac Carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Regem Boemie Illustrem, et dilectum filium Nobilem virum Carolum, dicti Regis Boemie Primogenitum, Marchionem Moravie tangentibus, destinemus: Nos volentes eidem Gamoto de suis necessariis provideri decenter, fraternitatem tuam requirimus, rogamus et hortamur attentius, tibique per apostolica scripta districtius iniungendo mandamus, quatenus eidem Gamoto centum quinquaginta florenos auri mox, cum te requirendum duxerit, de tua pecunia pro huiusmodi suis necessitatibus facias assignari, ac deinde illos a prelatis et aliis personis ac locis ecclesiasticis tuarum Civitatis, diocesis ac provincie, distribuendo eos rationabiliter, sicut tibi expedire videbitur, exigere, tibique pro satisfactione illorum, quos prefato Gamoto tradideris et assignaveris, applicare procures: Nos enim tibi contradictores super hiis auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam concedimus tenore presentium facultatem, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione III. Nonas Iunii. Anno V.

In e. m. Archiepo Pragensi. Ex Reg. orig. An. V. Secret. ep 41. fol. 18.

DCXLIII.

Cum Alberto nato ducis Saxoniae, fratre hospitalis S. Mariae Teutonicorum, super defectu natalium dispensatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Alberto, nato nobilis viri Erici ducis Saxonie, fratri hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Apostolice sedis copiosa benignitas nonnunquam rigorem canonum mansuetudine temperans, erga personas, presertim religiosas, quibus alias religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque probitatis merita suffragantur, in exhibitione gratie se interdum propiciam exhibet et benignam, concedens eis aliqua religionis favore, que solent aliis interdici. Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim nobilis mulier Elizabet, nata dilecti filii nobilis viri Buslai principis Slavorum et Cassubie, mater tua, iuvencula existens ignara, quod inter eam et nobilem virum Ericum ducem Saxonie, patrem tuum, aliquod impedimentum existeret, quod matrimonium impediret, de voluntate eiusdem principis patris sui aliorumque magnatum consanguineorum suorum cum dicto Erico duxit matrimonium solemniter contrahendum, carnaliter inter eos copula subsecuta, teque et plures alios filios mares et feminas procrearunt, quodque post huiusmodi inter ipsos matrimonium consummatum ante procreationem dictorum filiorum ad noticiam dicte Elizabet pervenit, quod ipsa et idem Ericus in tertio consanguinitatis gradu se invicem contingebant, et quod idem Ericus circa annum quartum decimum etatis sue fuerat in subdiaconum ordinatus, licet in adulta etate pro laico publice se gessisset. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, divortium inter ipsos sine gravi scandalo non potuisset postea celebrari, ac defectus huiusmodi in illis partibus sit occultus, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi ac statui tuo super hoc de oportuno dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sicut habet fidedignorum assertio, huius-

modi defectum, quem pateris, religionis zelo, honestate morum et vite aliisque virtutum meritis recompensas, volentesque propterea personam tuam favore prosequi gracioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum, ut premissis ac quibusvis constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum ac ordinum quorumcunque contrariis nequaquam obstantibus, possis ad omnes sacros ordines promoveri, ac quecunque qualiacunque beneficia, administrationes seu officia ecclesaistica sibi invicem compacientia, etiam si dignitates, personatus vel officia in cathedralibus, regularibus ecclesiis seu monasteriis existant et curam habeant animarum, etiam si per electionem quis assumatur ad illa, tibi alias canonice conferantur seu ad ea electus fueris, semel et pluries recipere ac licite retinere, et ad abbacialem et quamvis aliam dignitatem, preterquam episcopalem et superiorem dignitatem, licite eligi et assumi valeas, auctoritate apostolica de speciali dono gratie dispensamus, teque ad omnes actus legitimos honoresque ecclesiasticos alios plene de apostolice potestatis plenitudine habilitamus, et proinde habilem reddimus, ac si esses de legitimo thoro natus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis, habilitationis et restitutionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Kalendis Iulii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 212. fol. 124.

DCXLIV.

Cum Magno nato eiusdem ducis Saxoniae super defectu natalium dispensatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Magno, nato nobilis viri Erici ducis Saxonie, scolari, salutem etc. Sedis apostolice circumspecta benignitas nonnunquam rigorem canonum mansuetudine temporans etc. usque dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sicut habet fidedignorum assertio, tu huiusmodi defectum, quem pateris, honestate morum et vite aliisque virtutum meritis recompensas, volentesque propterea personam tuam favore prosequi gracioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum, qui ascribi desideras milicie clericali, ut premissis ac quibuscunque etc. usque infringere etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 213. fol. 124.

DCXLV.

Cum Ioanne clerico dioecesis Cracoviensis, ut non obstante, quod latrones quosdam nominaverit, qui eam ob causam morte condemnati fuerint, ad minores ordines promoveri possit, dispensatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Petri clerico Cracoviensis diocesis, salutem etc. Laudabile testimonium, quod tibi de vita perhibetur et moribus, nos inducit, ut iuris mitigando rigorem te dono specialis gratie prosequamur. Sane oblata nobis tua petitio continebat, quod olim tecum quodam iudice temporalis curie commorante, quidam serviens eiusdem curie a quibusdam peciit, utrum aliquos fures scirent, ipsisque taliter interrogatis respondentibus, scimus, aliquos nominando, dictoque serviente, postmodum idem, quod prius a quibusdam aliis inquirente, ac ipsis respondentibus, quod non tu, quod illi dixissent, quod sic intelligens nullamque super hoc credens incurrere penam iuris, dixisti, vicini vestri duos tales asserunt esse latrones, iidemque responderunt, postquam vos dicitis vicinos vestros hoc dicere, et nos idem asserimus de eisdem: qui quidem latrones ex relatione huiusmodi per dictum iudicem capti, ac deinde morte condempnati executione secuta fuerunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu in eorundem latronum mortem alias consilium vel auxilium non dederis aut favorem, nobis humiliter supplicasti, ut tecum, quod ad minores ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum unum sine cura licite valeas obtinere, dispensare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque volentes tecum, premissorum tuorum meritorum obtentu, quantum cum deo possumus, agere graciose, tuis supplicationibus inclinati, tecum, ut ad minores dumtaxat ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum sine cura obtinere valeas, premissis et qualibet constitutione in contrarium edita nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica misericorditer dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione xv. Kalendas Augusti. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 310. fol. 150.

DCXLVI.

Instrumentum, quo cives quidam Cracovienses ad octo marcas auri camerae apostolicae solvendas sese obligatos dicunt.

In nomine domini amen. Anno nativitate eiusdem domini m.ccc.xlvi. indictione xiv. Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Clementis divina providentia pape VI. anno quinto,

die III. mensis Augusti, hora quasi tertia, in domo fratrum Predicatorum monasterii Cracoviensis, in mei infrascripti publici Notarii et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presencia constituti viri providi ac circumspecti, domini Henricus Torneator, Cunradus Tutinbach Pellifex, Pesco Iandir et Heynko de Wislicia cives Cracovienses, (et) quilibet eorum insolidum non vi nec metu, non dolo nec fraude, sed sponte, provide et ex certa sciencia recognoverunt et publice confessi fuerunt se in deposito habuisse, et nomine veri et puri depositi recepisse, sibique datas, numeratas et ponderatas esse, et fuisse realiter et cum effectu a venerabili viro domino Arnoldo de Lacaucina Canonico ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in Polonie et Ungarie regnis apostolice sedis nuncio, dante, assignante, numerante, ponderante et deponente nomine camere domini nostri pape atque suo octo marcas auri de vigintiduabus karactis auri inquam boni, puri et legittimi ponderis Crcoviensis, de pecunia dicte Camere domini nostri pape per ipsum dictum nuncium in regno Polonie pro censu denarii beati Petri et aliorum iurium recepta, iidem cives et quilibet eorum insolidum exceptioni non habitarum, non receptarum, non numeratarum, nec ponderatarum predictarum marcarum auri renunciantes simpliciter et expresse: quas quidem marcas auri, ut premittitur, pridicti cives et quilibet eorum insolidum promiserunt nomine predicte camere et dicti domini nuncii solvere, et realiter assignare in villa de Brugis Iacobo Malabayla mercatori Astensi vel eius sociis, aut cui dominus noster papa ibidem duxerit committendum, a predicta III. die mensis Augusti ad decem menses, renunciantes omni exceptioni fortuitus et casus, videlicet furti, incendii, naufragii, ruine et rapine, eorum periculo, sumptibus et expensis, promittentes nichilominus dicti cives et quilibet eorum insolidum predicto domino nuncio sollempniter, stipulanti pro dicta camera atque pro se, solvere, reddere et resarcire omnia et singula dampna et expensas per dictum dominum nuncium vel suum procuratorem, aut per quemcunque alium eidem camere vel per ipsam cameram quoquomodo in iudicio vel extra factas occasione retardate solucionis auri, ut premittitur, supradicti, et pro predictis omnibus et singulis inviolabiliter observandis et complendis prefati cives, et quilibet eorum insolidum obligaverunt se suosque successores in perpetuum, et heredes predicto dño nuncio, pro se et predicta camera sollempniter stipulanti, domos suas omniaque sua et cuiuslibet eorum bona mobilia et immobilia, patrimonialia et matrimonialia, presentia et futura, ubicunque consistant, et in quibuscunque locis inventa fuerint vel reperta, de quibus omnibus bonis posuerint eundem dominum nuncium nomine sedis apostolice et camere supradicte exnunc prout extunc in possessione pacifica et quieta, et confessi fuerunt se predicta bona nomine sedis apostolice et predicte camere usque ad integram solutionem depositi supradicti, dampnorum et expensarum precario nomine possidere, promittentes quilibet eorum per proprium iuramentum, tactis sacrosanctis ewangeliis, omnia et singula supra et infrascripta inviolabiliter observare, et non contrafacere in aliquo vel venire iure vel de facto per se vel alium, clam vel palam, tacite vel expresse, sub pena excommunicationis, quam idem dominus nuncius in eosdem cives et eorum quemlibet volentes et consencientes, predicto termino pro canonica monicione et peremptorio assignato, in scriptis exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc protulit, cum predicti cives certificati de iure suo cohercioni supradicte camere, iurisdictioni et cohercioni supradicti domini nuncii se sponte submisissent, et expresse eius iurisdictionem in se in premissis omnibus prorogantes, si in premissis omnibus vel aliquo premissorum aut parte aliqua solucionis supradicti depositi, restitucione dampnorum vel expensarum deficerent quoquomodo. Et nichilominus prefati cives et quilibet eorum se sponte submiserunt cohercioni prelibate camere et iurisdictioni auditoris vel viceauditoris eiusdem, et ibidem fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suos veros et legittimos procuratores venerabiles viros dominos . . . clericos camere memorate et dñum regestratorem litterarum apostolicarum, et quemlibet eorum insolidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus inceperit, alter prosequi, mediare valeat et finire, dantes et concedentes eisdem et cuilibet eorum insolidum plenam et omnimodam potestatem predictum depositum in presencia, et coram predictis dominis auditore vel viceauditore camere confitendi et recognoscendi idem depositum, dampna et expensas propterea factas solvere promittendi, ipsos et eorum quemlibet iurisdictioni et cohercioni camere auditoris vel viceauditoris predictorum submittendi, moniciones, excommunicacionis et interdicti sentencias et alias, quas idem auditor vel viceauditor mandare, facere vel iniungere voluerit, petendi et recipiendi, appellacioni cuilibet, que contra presentem contractum posset interponi de iure vel de facto, renunciandi, et omnia alia faciendi, que veri et legittimi procuratores possent et debent facere, et que iidem constituentes in premissis omnibus et singulis facerent, si personaliter interessent, eciam si mandatum exi-

gant speciale, ratum et gratum habituri, quicquid per eosdem vel eorum alterum substitutum vel substituendum ab eis vel eorum altero in premissis, vel aliquo premissorum recognitum, confessatum, promissum, receptum vel etiam fuerit procuratum, renunciantes expresse predicti constituentes et quilibet eorum, quod eosdem procuratores substitutum vel substituendos ab eis vel eorum altero revocare non valeant, neque possint, nisi de predicto deposito seu debito, dampnis et expensis omnibus inde sequeudis propter retardacionem solucionis dicti depositi, ut prefertur, fuerit integraliter satisfactum, volentes etiam dicti constituentes dictos procuratores suos et eorum quemlibet substitutum vel substituendum ab eis vel eorum altero relevare ab omni onere satisdandi, promiserunt michi notario publico infrascripto ut persone publice, legittime stipulauti nomine antedicte camere atque dñi nuntii supradicti, et nomine illorum, quorum interest vel interesse poterit in futurum, atque suo, iudicio sisti et iudicatum solvi cum omnibus suis clausulis necessariis seu etiam oportunis sub hypotheca et obligatione suorum et cuiuslibet eorum bonorum presencium et eciam futurorum. Preterea etiam voluerunt et consensum prebuerunt prelibati cives et quilibet eorum quo supra nomine, quod officiales serenissimi Principis domini Regis Polonie Illustris de bonis ipsorum et cuiuslibet eorum possint tantum distrahere et recipere seu vendere, ipsis vocatis seu non vocatis, si in solucione dicti depositi, ut prefertur, quoquomodo deficerent, donec de eodem deposito, dampnis et expensis esset integraliter satisfactum: de quibus dampuis et expensis promiserunt stare et credere simplici verbo ipsius domini nuncii vel eius procuratoris, seu alterius super hiis a sede apostolica mandatum habentis, renunciantes in premissis omnibus et singulis exceptioni doli mali cives prenotati ex certa sciencia per pactum expresse appositum, excepcioni non sic celebrati contractus huiusmodi se alias fuisse dictum quam scriptum, et econverso, ac condicioni indebiti et sine causa vel ob iustam causam et in factum accioni, privilegio crucis et fori, omni tempori feriato et quadrimestri, omni appellacionis remedio, omni consuetudini et statuto, constitucionibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. quarum prima cavetur, ne quis, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam extra suam civitatem vel diocesim, secunda, ne reus alterius diocesis per litteras apostolicas ad iudicium evocetur, quam de duabus dietis in concilio generali et quibuscunque aliis super hoc editis, iuri revocandi domum, convencioni iudicum et locorum, beneficio restitucionis in integrum, condicioni litterarum apostolicarum, omnibus graciis et privilegiis apostolicis concessis et concedendis, omni peticioni et dacioni libelli et copie presentis instrumenti, omnique alii excepcioni et defensioni rei, iuris canonici et civilis auxilio generali et speciali, quod contra hoc instrumentum vel factum posset obici vel opponi, et specialiter iuri dicenti generalem renunciacionem non valere, nisi precedant speciales. Voluerunt eciam predicti cives, quod ipsorum sigillis presenti instrumento appensis vel non appensis, corruptis vel non corruptis, ipsum instrumentum suum obtineat robur firmitatis. Actum anno, indictione, pontificatu, die, mense, hora et loco quibus supra, Presentibus venerabili viro domino Clemente custode Wratislaviensis et canonico Cracoviensis ecclesiarum, et discretis viris Henrico dicto Zer, Petro Scylder, Angelino et Michaele aurifabris germanis civibus Cracoviensibus, Paulino Cavallo filio quondam Hugeti Cavalli cive Ianuensi et Cracoviensi, Ianoco et Laurencio scutiferis domini apostolice sedis nuncii supradicti testibus ad premissa.

(L. S.) Et ego Albertus quondam Cristini de Turbya clericus Cracoviensis dioc., apostolica et imperiali auctoritate Notarius publicus, recognitioni, promissioni, submissioni, sentencie prolationi et aliis premissis omnibus una cum Iohanne notario publico infrascripto et testibus prescriptis presens interfui, et hec omnia in hanc publicam formam redigens conscripsi, meo nomine et signo solito consignando in testimonium omnium premissorum.

(L. S.) Et ego Iohannes quondam Dzeczkonis de Rathibor clericus Wratislaviensis dyoc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, premissis omnibus una cum Alberto notario et testibus prescriptis presens interfui, et ad requisitionem supradicti domini apostolice sedis nuncii me huc cum signo meo consueto iu presenti instrumento subscripsi in testimonium et memoriam omnium requisitus.

Ex Instrum. miscell. Caps. 209. Nro. 7.

DCXLVII.

Episcopo et Capitulo Lubucensi, ut sedem episcopalem ad locum tutiorem eiusdem dioecesis transferre, eumque in civitatem exigere possint.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo et dilectis filiis Capitulo Lubucensibus, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio, quo sumus universis orbis ecclesiis obligati, ecclesiarum

ipsarum presertim cathedralium ac earum prelatorum et aliarum personarum in cis degentium tenemur invigilare profectibus, ac eorum indempnitatibus, quantum cum deo possumus, obviare. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod dudum viginti anni sunt elapsi, quondam Henricus de Wltow Miles, advocatus territorii Lubucensis, officiatus Ludovici iunioris de Bavaria asserentis se Marchionem Marchionatus Brandeburgensis, exercitu de eiusdem Ludovici subditis personis congregato, villam Goriciam Lubucensis diocesis, ubi tunc sedes episcopalis et cathedralis Lubucensis ecclesia consistebant, et omnia edificia vestra et aliarum personarum ipsius ecclesie ausu nephario funditus diruit et destruxit, et deinde lapso modico intervallo, dicta ecclesia cathedralis, cum nulli clerici tunc residerent in illa, fuit conbusta incendio sic, quod ex tunc vos ac alie persone ipsius ecclesie a solo proprio profugi coacti fuistis, et cogimini miserabiliter exulare, dictaque villa Goricia, in qua ecclesia et sedes episcopalis Lubucensis predicte site erant, ut prefertur, nemine inibi habitante, facta est campus et ager, in quo semina seminantur. Nos igitur volentes vobis consulere, quantum cum deo possumus, salubriter in hac parte, vestris devotis supplicationibus inclinati, ut ecclesiam et sedem episcopalem Lubucenses predictas possitis ad aliquem locum ydoneum eiusdem diocesis Lubucensis transferre, ipsumque locum post translationem huiusmodi in civitatem erigere, et civitatis honore ac nomine insignire, cuiuscunque tamen alterius iure salvo, vobis auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione IIII. Nonas Septembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 114. fol. 86.

DCXLVIII.

Ioannes de Vishusen ecclesiae Tarbatensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Vishusen Electo Tarbatensi, salutem etc. In supreme dignitatis specula ex divini dispositione consilii constituti, de universis orbis ecclesiis, quarum cura nobis iminet generalis, iuxta pastoralis officii debitum, quantum nobis ex alto permittitur, solicite cogitamus, sed earum propensior nos angit, quas propriis pastoribus destitutas vacationum conspicimus expositas detrimentis, ut per nostre providentie studium pastores eis preficiantur ydonei ac Rectores providi deputentur, sub quorum regimine huiusmodi ecclesie spiritualibus proficiant incrementis et temporalibus commodis gratulentur. Olim siquidem bone memorie Wesselo Episcopo Tarbatensi regimini Tarbatensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum illam quovis modo vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero eadem ecclesia Tarbatensi per obitum eiusdem Vessceli, qui nuper in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti ignari te Canonicum Tarbatensem, in sacerdotio constitutum, per formam compromissi, licet de facto, in Tarbatensem Episcopum concorditer elegerunt, tuque similiter predictorum reservationis et decreti inscius electioni huiusmodi de te facte prestitisti assensum, licet de facto, ad instantiam Capituli predictorum: deinde vero reservatione et decreto prefatis ad tuam deductis noticiam, huiusmodi negotium proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi attemptatam reputantes, prout erat, irritam et inanem, ac ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam ad preficiendum eidem ecclesie personam utilem, que sciret, vellet et posset ecclesiam ipsam in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium prudentia et providentia temporalium, ac aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus ac eciam concordi eorumdem Capituli te eligentium voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate Tarbatensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente

propitia, prefata Tarbatensis ecclesia per tue circumspectionis et providentie ministerium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac honoris et commodi, dante domino, multiplicibus proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione x. Kal. Novembris. Anno Quinto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Tarbatensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Tarbatensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie, et dilecto filio Magistro Livonie et suis preceptoribus ac fratribus ordinis hospitalis sancte Marie domus Theotonicorum in Tarbatensi diocesi constitutis etc.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. III. ep. 29. fol. 55.

DCXLIX.

Executoribus, ne episcopum et clerum Caminenses occasione decimae regi Poloniae concessae molestari permittant.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Havelbergensi, et dilectis filiis ... Preposito Glogoviensis Wratislaviensis diocesis ac ... Diacono Lubucensis ecclesiarum, salutem etc. Apostolice sedis circumspecta benignitas in suis actibus diligens equitatem ad id libenter intendit, sueque partes solicitudinis interponit, ut sic ipsius gratia illis, quibus conceditur, suffragetur, quod in aliorum iniuriam seu preiudicium non redundet. Sane dudum ex certis causis rationabilibus, pro parte carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie Illustris tunc nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus expositis, nos volentes prefatum Regem prosequi favoribus et auxiliis oportunis, ipsius Regis supplicationibus inclinati, de dictorum fratrum nostrorum consilio eidem Regi decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et redditum in Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi, Cuyaviensi, Plocensi, Lubucensi et Caminensi civitatibus et diocesibus consistentium exigendam, et solvendam ab universis Archiepiscopis et Episcopis ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus et diocesibus redditus et proventus huiusmodi obtinentibus, quacunque dignitate fulgerent, seu cuiuscunque preminentie, conditionis aut status, ordinis vel religionis existerent, quibus et eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa voluimus suffragari, preterquam ab eisdem fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus dignitates seu alia beneficia ecclesiastica quecunque cum cura vel sine cura, seu quoscunque redditus et proventus ecclesiasticos in civitatibus et diocesibus predictis obtinentibus, qui in solicitudinis partem assumpti nobiscum universalis ecclesie onera sortiuntur, nec non a dilectis filiis ... Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos omnes a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, usque ad certum tempus per nos tunc prefixum auctoritate apostolica per nostras litteras duximus concedendam, volentes exactionem et collectionem huiusmodi decime in civitatibus et diocesibus supradictis per Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Gneznensem, et dilectos filios ... in Bulcow ac ... in Claratumba monasteriorum Abbates Gneznensis et Cracoviensis diocesium, quos ad hoc in eisdem civitatibus et diocesibus collectores huiusmodi decime duximus per alias nostras litteras specialiter deputandos, tam a se ipsis, quam ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis et personis aliis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus et diocesibus redditus et proventus ecclesiasticos, ut prefertur, habentibus, de eisdem redditibus et proventibus dumtaxat, preterquam a Cardinalibus, Magistro et fratribus prelibatis, fieri absque iniuria et oppressione quacunque, et quod collectores ipsi et eorum singuli per se et subcollectores eorum, quos ad ducerent deputandos, prefatos Archiepiscopos et Episcopos aliasque personas ecclesiasticas seculares et regulares predictas ad solutionem dicte decime de omnibus redditibus, et proventibus ecclesiasticis eorundem in eisdem civitatibus et diocesibus consistentibus, ut prefertur, secundum modum et morem et consuetudinem in exactione et collectione huiusmodi decime hactenus observatos, per prefatum tempus in certis terminis eis seu subcollectoribus prelibatis, vel personis aliis, quas ad hoc idem Rex deputandas duceret, integraliter assignandam, sub certis forma et moderamine per censuram ecclesiasticam, et etiam sequestrationem fructuum, redditum et proventuum suorum ecclesiasticorum in ipsis civitatibus et diocesibus consistentium, si expedire viderent, postposita appellatione, ducerent compellendos, ita

quod ad fructus, redditus et proventus extra civitates et dioceses predictas consistentes huiusmodi compulsionis officium aliquatenus non extenderent, nec ad compulsionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per se vel alios invocarent, nec personas ab eis ad collectionem huiusmodi deputandas invocari permitterent auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solventium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem eandem existeret ordinatum: ac deinde dicto Archiepiscopo Gneznensi, et Venerabilibus fratribus nostris ... Cracoviensi, Poznaniensi, Cuyaviensi, Plocensi, Lubucensi et Caminensi Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis, conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti et sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, necnon sancte Marie Thcotonicorum et aliorum hospitalium sive domorum Magistris, prioribus, preceptoribus ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per Gneznensem, Cracoviensem, Poznaniensem, Cuyaviensem, Plocensem, Lubucensem et Caminensem civitates et dioceses predictas constitutis per alias certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut, ob divinam et eiusdem sedis reverentiam atque nostram suorum ecclesiasticorum redditnum et proventuum decimam, ut premittitur, per dictum tempus libere et integre eisdem collectoribus et subcollectoribus deputandis ab eis in predictis terminis, omni occasione postposita, dicerent persolvendam. Quodque postmodum pro parte dictorum Episcopi Caminensis, ac prelatorum et personarum ecclesiasticarum dictarum civitatis et diocesis Caminensis coram nobis exposito, quod licet ecclesia Caminensis eidem sedi immediate subiecta, ac etiam civitas et diocesis Caminensis non in Regno seu de Regno Polonie predicto consisterent, prefatus tamen Archiepiscopus Gneznensis eundem Episcopum Caminensem, et omnes de Capitulo ipsius ecclesie Caminensis, necnon personas ecclesiasticas quascunque, exemptas et non exemptas, redditus et proventus ecclesiasticos in dictis civitate et diocesi Caminensi obtinentes monuerat, ut ipsi in certis terminis in prefatis litteris nostris expressis eandem decimam de omnibus redditibus et proventibus ecclesiasticis supradictis per predictum tempus in prefatis litteris nostris, ut prefertur, expressum, cum integritate persolverent Regi Polonie memorato: que quidem solutio decime absque scandalo principum illarum partium, in quorum districtibus ecclesia predicta Caminensis consistit, ac sine periculo ipsius ecclesie nequibat sortiri effectum, ac pro parte dictorum Episcopi et Capituli Caminensium, ac prelatorum et personarum ecclesiasticarum civitatis et diocesis Caminensis predictorum nobis humiliter supplicato, ut providere eis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos volentes huiusmodi scandalis et periculis salubriter obviare, auctoritate apostolica declaravimus, nostre intentionis tempore huiusmodi concessionis eiusdem decime dicto Regi facte seu extunc nequaquam fuisse nec esse, quod concessio dicte decime seu littere prefate nostre vel processus se extendissent vel extenderent ad Ep̄um ac Capitulum Caminenses, ac prelatos et personas ecclesiasticas dictarum civitatis et diocesis Caminensis predictos quoad redditus et proventus, quos in eisdem civitate et diocesi Caminensi obtinent, ut prefertur, nisi civitas et diocesis prefate in Regno essent seu de Regno existerent Polonie prelibato, prout in diversis nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut eorundem Episcopi, prelatorum et personarum ecclesiasticarum dictarum civitatis et diocesis Caminensis iterata non sine querela nobis insinuatio patefecit, predicte civitas et diocesis Caminensis in eodem Regno seu de Regno Polonie non existant, ipsisque Episcopo et prelatis ac personis dictarum civitatis et diocesis Caminensis occasione dicte concessionis post et contra declarationem nostram huiusmodi multa dampna, molestie ac iniurie sint illate, ac similia inferri dubitent in futurum, pro parte ipsorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hiis paterna diligentia curaremus. Nos igitur ex apostolice sedis gratia eidem Regi, ut prefertur, concessa, (ne) prefati Ep̄us et persone dictarum civitatis et diocesis Caminensis contra iusticiam pregraventur, volentes eis de oportuno remedio providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, vocatis, qui fuerint evocandi, si premissis veritas suffragetur, eisdem Episcopo, prelatis et personis dictarum civitatis et diocesis Caminensis facientes super huiusmodi dampnis, molestiis et iniuriis iusticie complementum, non permittatis eos occasione dicte concessionis contra declarationem nostram huiusmodi quomodolibet molestari, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque preeminencie etc. Testes autem etc. Non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne etc. Datum Avinione II. Idus Novembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 237. fol. 130.

DCL.

Episcopo Tarbatensi, munere consecrationis impertito, ad ecclesiam suam accedendi licentia datur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Pridem Tarbatensi ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per venerabilem fratrem nostrum Iohannem Epum Portuensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclsiam Tarbatensem cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolentie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione XIII. Kal. Decembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 214. fol. 124.

DCLI.

Universis fidelibus ecclesiam Tarbatensem visitantibus indulgentiae conceduntur.

Clemens episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia Tarbatensis in ultramarinis partibus constituta, et in honorem et sub vocabulo beatorum Petri et Pauli apostolorum fundata existit, et perversorum nationibus, videlicet Ruthenis scismaticis et Lethwinis infidelibus, contigua et vicina, neophitis seu de novo conversis ad fidem ac novella plantatione fidei radicata, in (?) orthodoxe fidei iam uberius divino iuvamine coalescit, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et eorundem beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis dictorum apostolorum, unum annum et unam quadragenam, illis vero, qui nativitatis, resurrectionis, ascensionis domini et pentecostes, ac quatuor principalibus beate Marie virginis, beatique Iohannis Baptiste, ac omnium sanctorum festivitatibus dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, centum dies de iniunctis eis penitentiis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Dat. Avinione XI. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 400. fol. 183.

DCLII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut cum duce Masoviae et uxore eius super matrimonio contracto dispenset.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Semonici ducis Mazovie tue diocesis, ac dilecte in Christo filie nobilis mulieris Eufamie, nate dilecti filii nobilis viri Nicolai ducis Opanie Olomucensis diocesis, in eadem tua diocesi commorantis, petitio continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum existere, quod inter eos matrimonium impediret, matrimonium, bannis prius secundum morem patrie editis, per verba de presenti in facie ecclesie publice contraxerunt, et deinde carnali inter eos copula subsecuta, sobolem procrearunt, quodque postmodum ad eorum pervenit noticiam, quod ipsi tertio et quarto consanguinitatis gradibus se contingunt, propter quod non possunt in ipso matrimonio sine dispensatione apostolica licite remanere: quare prefatus Semonicus et Eufamia nobis humiliter supplicarunt, ut cum verisimiliter timeant, quod si divortium fieret inter eos, possent ex hoc gravia scandala et discrimina suboriri, providere ipsis in hac parte de oportuno dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter inter Christi fideles, maxime nobiles et potentes, quietis et pacis commoda procuramus, dictorum Semonici et Eufamie animarum saluti consulere, nec-

non dictis scandalis et discriminibus obviare salubriter intendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de cuius circumspectione plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum cisdem Semonico et Eufamia, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, possint in huiusmodi matrimonio licite remanere, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione II. Nonas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 31. fol. 151.

DCLIII.

Andreas ecclesiae Posnaniensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Andree Electo Poznaniensi, salutem etc. Quam sit onusta periculis, quam plena dispendiis, quantaque secum incommoda protrahat ecclesiarum vacatio diutuurna, sollicite considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impertimur, ut viduatis ecclesiis pastores preficiantur ydonei et ministri providi deputentur, quorum fulte presidiis et favoribus communite malignorum insultus non metuant, et pravorum non vereantur incursus, quinimmo, auctore domino, felicibus proficiant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem eccclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Poznaniensis dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Iohannis, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromitterc potuit, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Poznaniensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Prepositum dicte ecclesie Poznaniensis, in diaconatus ordine constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum assercione percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Poznaniensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Poznaniensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et tua eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem Poznaniensis ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Poznaniensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benivolentie gratiam uberius valeas promereri. Datum Avinione XI. Kal. Martii. Anno Quinto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Poznaniensis, Clero et Populo Civitatis et diocesis Poznaniensis, universis Vassallis dicte ecclesie ac Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. III. ep. 63. fol. 77.

DCLIV.

Casimiro regi Poloniae idem Andreas commendatur.

Clemens etc. Carissimo in Christo filio Cazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Divine retributionis premium et preconium humane laudis acquiritur, si Prelatis ecclesiarum, et hiis presertim, qui Pontificali dignitate sunt prediti, condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem etc. usque suscipiet incrementa. Cum itaque, fili Carissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis eterna gloria venerari, excellentiam Re-

giam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Andream Electum et prefatam Poznaniensem ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, ipsosque benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Electus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit, deo propitio, prosperari, et tibi exinde a deo perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. III. ep. 63. fol. 77.

DCLV.

Andreae episcopo Posnaniensi munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam accedendi datur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Andree Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Pridem Poznaniensi ecclesia solatio destituta pastoris, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem postmodum per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Ostiensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad dictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione III. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. II. ep. 449. fol. 201.

DCLVI.

Nicolao de Heylsberg in ecclesia Varmiensi beneficium ecclesiasticum confertur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nicolao nato quondam Tilonis dicti Blumentrit de Heylsberg, clerico Warmiensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas, et alia tue probitatis merita, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, nos inducunt, ut te dono specialis gratie prosequamur. Hinc est, quod nos volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Warmiensis, et dilectorum filiorum . . . Decani et Capituli singulorumque Canonicorum ecclesie Warmiensis collationem, provisionem, presentationem, vel quamcumque aliam dispositionem pertinens communiter vel divisim, si quod vel quamprimum vacare contigerit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius beneficii vacatione constiterit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem Episcopo, Decano et Capitulo singulisque Canonicis, ne de huiusmodi beneficio interim et ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Datum Avinione Nonis Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Dilectis filiis . . . Pomezaniensis et . . . Sambiensis Decanis ac . . . Sacriste Avenionensis ecclesiarum, ut eidem Nicolao tale beneficium conferendum curent etc.

Ex Reg. orig. An. V. Lib. II. Part. I. ep. 228. fol. 100.

DCLVII.

Arnaldus ecclesiae Pomesaniensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Arnaldo Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Pastoralis officii, cui licet immeriti, disponente domino, presidemus, nos cura solicitat, ut de universis orbis ecclesiis cogitantes, ad illas, que propriis destitute pastoribus viduitatis incomodis exponuntur, eo atten-

tionis solicitudinis studium dirigamus, quo magis ille noscuntur nostre provisionis remedio indigere. Dudum siquidem bone memorie Bertholdo Episcopo Pomezaniensi regimini Pomezaniensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Bertholdi, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie cclerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia diutine vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Scolasticum ecclesie supradicte, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, morum et vite honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum assertione didicimus, insignitum, pro quo etiam dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie nobis humiliter supplicarunt, convertimus oculos nostre mentis, quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Pomezaniensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem apud sedem apostolicam tibi fecimus munus consecrationis impendi, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem Pomezaniensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad dictam Pomezaniensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, eiusdem ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Nonas Iunii. Anno Sexto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo Pomezaniensi, Clero et populo Civitatis et diocesis Pomezaniensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie ac Venerabili fratri Archiepiscopo Rigensi. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. I. Part. I. ep. 1. fol. 27.

DCLVIII.

Eidem episcopo Pomesaniensi conceditur, ut MM. flor. auri mutuum contrahere possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Arnaldo Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Cum sicut in nostra proposuisti presencia constitutus, tam pro tuis expensis necessariis, quam ecclesie tue Pomezaniensis negociis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam duorum milium florenorum auri mutui contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi licenciam elargiri dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie utiliter promovenda et expedienda negocia circumspeccione ac diligencia plenius in domino confidentes, nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigenciam paciaris, vel quod eadem negocia inexpedita remanere contingat, tuis supplicacionibus inclinati, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc ad summam predictam duorum milium florenorum auri nomine tuo et ipsius ecclesie Pomezaniensis, ac te et successores tuos Episcopos Pomezanienses et predictam ecclesiam, ac tua et eorum bona mobilia et immobilia, presencia et futura, usque ad summam predictam propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi, et renuntiandi de duabus dietis edite in concilio generali, et felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et quibuscunque aliis constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, et beneficio restitucionis in integrum, omnibus litteris et indulgenciis apo-

stolicis impetratis, ac etiam impetrandis, et omni Iuris canonici et civilis auxilio, ac conventioni iudicum et locorum, si eorundem creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contigerit impetrari, necnon et omnibus aliis excepcionibus, per quos contra creditores eosdem tu dictique tui successores possetis imposterum vos tueri, plenam auctoritate presencium concedimus facultatem. Volumus insuper et concedimus, iuxta quod postulasti a nobis, quod tu et successores tui creditoribus ipsis huiusmodi pecuniam de bonis dicte ecclesie solvere, ac dampna, expensas et interesse reficere teneamini, si in termino, qui ad hoc de tuo et ipsorum creditorum consensu fuerit constitutus, eadem pecunia non fuerit persoluta, quodque ipsis creditoribus pretextu alicuius constitucionis canonice vel civilis, aut cuiuscunque privilegii vel indulgencie sedis predicte, de quibus in nostris litteris plena et expressa, ac de verbo ad verbum oporteat fieri mencionem, et per que tu et successores prefati valeatis ulterius vos tueri, dictam pecuniam in iam dicte ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui fatentis confessio in instrumentis conficiendis super mutuo huiusmodi quantitatis inserta sufficiens, plena et efficax probacio irrefragabiliter habeatur. Ceterum, ne in hoc vorago locum sibi vendicet usurarum, nostre intentionis existit, et volumus, quod tu et iidem successores ac in dicta ecclesia Pomezaniensi tua seu sua vel ipsius bona per has nostras litteras per cuiuspiam fraudis, seu calliditatis astutiam sub quovis pallio seu colore verborum ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cauciones et recogniciones seu promissiones per eas seu auctoritate vel occasione factas quo ad obligaciones usurarum huiusmodi decernentes irritas et inanes, et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quoad premissa omnia, que usurarum pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis, nec usurarum pretextu maliciose aliquatenus impugnandis. Volumus insuper, quod dicta ecclesia ac bona ipsius pretextu nostre concessionis huiusmodi ultra biennium ab obligationis huiusmodi tempore numerandum nullatenus remaneant obligata, presentes litteras et earum effectum quoad ipsam ecclesiam et bona eiusdem extunc omnino carere iuribus decernentes. Datum Avinione VIII. Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. II. ep. 675. fol. 239.

DCLIX.

Conservatores Arnaldo episcopo Pomesaniensi constituuntur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Zwerinensi, et dilectis filiis ... Abbati monasterii de Novocampo Zwerinensis diocesis ac ... Archidiacono Beneventano, salutem etc. Ad hoc nos deus pretulit in familiam domus sue etc. usque dignitatis titulo insigniti. Sane Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Pomezaniensis conquestione percepimus, quod nonnulli Episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici, et ecclesiastice persone tam religiose, quam etiam seculares, necnon Comites, Barones, Nobiles, Milites et laici, communia civitatum, universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum (locorum), et alie singulares persone civitatum et diocesium et aliarum partium diversarum occuparunt, et occupari fecerunt castra, opida, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura, tributa et iurisdictiones, necnon decimas, fructus, census, redditus et proventus, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad mensam suam Episcopalem spectantia etc. usque recipere non formidant, eidem Ep̄o super predictis castris, opidis, villis et locis aliis, terris, domibus, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, decimis, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eiusdem, et quibuscunque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad eandem mensam spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsi [super hoc] et dicte mense super hoc paterna diligencia curaremus etc. usque illo volentes eisdem Episcopo et mense remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur: Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, prefatis Episcopo et mense efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eundem Episcopum super hiis et quibuscunque aliis bonis et iuribus ad mensam predictam spectantibus ab eisdem, vel quibuscunque aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi dicto Episcopo, cum ab eo vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo etc. usque super restitutione huiusmodi castrorum, opidorum, villarum etc. redditum quo-

que et decimarum ac proventuum etc. usque auctoritate presentium ad iudicium non trahatur etc. usque edita non obstante, Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione XII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. IV. ep. 29. fol. 46.

DCLX.

Ep̄o Pomesaniensi, ut monasterium monialium sub habitu et regula fratrum B. Mariae Teutonicorum fundare et dotare, et eidem monasterio duas ecclesias parrochiales civitatis suae unire possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Arnaldo Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Piis desideriis gratum nos decet assensum prestare, et ea, que augmentum religionis cultusque divini respiciunt, ut votivum consequantur effectum, affectu prosequi gratioso. Sane et ex serie petitionis tue nobis nuper exhibite collegimus, quod tu de salute propria cogitans, et pie desiderans transitoria in eterna felici commertio commutare, gerensque ad ordinem fratrum ordinis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani specialis devotionis affectum, intendis in aliquo territorio tuarum civitatis vel diocesis Pomezauiensis, ad mensam tuam Episcopalem Pomezauiensem pertinente, in honorem et sub vocabulo eiusdem beate Marie unum monasterium monialium, que sub habitu et regula fratrum et ordinis predictorum, ac sub clausura perpetua vivere debeant, fundare, construere de bonis tuis propriis et dotare: quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi fundandi, construendi et dotandi monasterium predictum, nec non etiam uniendi, ac incorporandi eidem monasterio, postquam monasterium ipsum fundatum et constructum extiterit, duas parrochiales ecclesias infra civitatem et diocesim predictas consistentes, que tibi ad hoc magis apte et utiles videbuntur, quarum una ad Episcopi, qui est pro tempore, et altera ad dilectorum filiorum Capituli Pomezaniensium collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem pertineant, ita tamen, quod Abbatisse, et monialium positio in eodem monasterio hac vice primaria, et subsequenter imperpetuum confirmatio, vel infirmatio Abbatissarum, que pro tempore electe in ipso monasterio fuerint, ac ipsius monasterii Abbatisse et monialium visitatio et correctio ad te et successores tuos Episcopos Pomezanienses debeant tantummodo pertinere, facultatem concedere dignaremur. Nos itaque huiusmodi tuum pium et laudabile propositum in domino commendantes, cultusque divini et religionis augmentum adaugeri ferventi desiderio affectantes, huiusmodi tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue fundandi, construendi et dotandi monasterium predictum cum ecclesia, campanili, domibus, cimiterio et aliis competentibus et necessariis officinis in eisdem civitate vel diocesi in territorio, ad mensam tuam Episcopalem predictam, ut premittitur, pertinente, in honore et sub vocabulo dicte beate Marie, in quo Abbatisse et moniales sub habitu et regula fratrum et ordinis eorundem, et sub clausura perpetua virtutum domino perpetuo famulentur, iure parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, nec non et ponendi hac vice Abbatissam et monialis in monasterio prelibato ac tradendi eisdem Abbatisse et monialibus, et dandi eisdem licentiam recipiendi et assumendi regulam et habitum eiusdem ordinis beate Marie supradictos, ac vivendi etiam inibi continue in communi, et quod confirmatio et infirmatio electionum Abbatissarum, que pro tempore in dicto monasterio electe fuerint, ac monasterii et Abbatissarum et monialium predictorum visitatio et correctio ad te et successores tuos Pomezanienses Episcopos debeant tantummodo pertinere, necnon uniendi et incorporandi auctoritate apostolica dicto monasterio, postquam fundatum et constructum, ut premittitur, extiterit, duas parrochiales ecclesias cum omnibus iuribus et pertinentiis suis infra dictas civitatem vel diocesim Pomezanieusem, ut predicitur, consistentes, quarum una ad Episcopi, qui est pro tempore, et altera ad Capituli predictorum collationem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem pertineant, ut prefertur, ita quod cedentibus Rectoribus ecclesiarum ipsarum, qui tunc erunt, vel alias easdem parrochiales ecclesias dimittentibus, liceat Abbatisse et conventui dicti monasterii, que tunc erunt, per se vel alium seu alios dictarum parrochialium ecclesiarum, ac iurium et pertinentiarum earundem possessionem corporalem auctoritate propria apprehendere, earumque fructus, redditus et proventus in utilitatem ipsorum Abbatisse, monialium et monasterii convertere, tua vel successorum et Capituli predictorum, et cuiuslibet alterius licentia minime requisita, reservatione tamen prius per te de ipsarum ecclesiarum fructibus, redditibus et proventibus supradictis congruis portionibus assignandis singulis perpetuis vicariis in singulis ipsarum ecclesiarum perpetuo domino servituris, ex quibus quidem portionibus dicti vicarii possint congrue sustentari, iura Episcopalia solvere, et alia eis

incumbentia onera supportare, Non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de parrochialibus, vel aliis ecclesiis seu beneficiis ecclesiasticis ad eorundem Episcopi et Capituli collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus in illis partibus speciales, vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ad dictas parrochiales ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem ecclesiarum et beneficiorum aliorum preiuditium generari, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si predictis Capitulo Pomezaniensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, Contradictores quoque, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem: Nos enim irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione XII. Kal. Septembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. IV. Part. II. ep. 256. fol. 131.

DCLXI.

Nicolao de Hollandia clerico beneficium ecclesiasticum in dioecesi Pomesaniensi confertur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Hollandia Clerico Pomezaniensi, salutem etc. Laudabilia tue probitatis merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod nos volentes tibi, pro quo etiam Venerabilis frater noster Arnaldus Episcopus Pomezaniensis nobis super hoc humiliter supplicavit, premissorum intuitu gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura, triginta, si vero sine cura fuerit, viginti marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedat, spectans communiter vel divisim ad collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem dilectorum filiorum ... Prepositi, ... Decani et Capituli ecclesie Pomezaniensis, si quod in ecclesia aut civitate vel diocesi Pomezaniensi vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem Preposito, Decano et Capitulo, ne de dicto beneficio interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illum nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Datum Avinione XII. Kal. Septembris Anno Sexto.

In e. m. Venerabili fratri Ep̄o Warmiensi, et dilectis filiis ... Abbati monasterii de Polpelyn Wratislaviensis diocesis ac ... Preposito ecclesie Warmiensis, ut predictas litteras exequi curent.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. II. ep. 165. fol. 78.

DCLXII.

Instrumentum, quo Wilczko notarius regis et Nicolaus Werzingi III. marcas auri camerae apostolicae se debere confitentur.

In nomine dñi amen. Anno a nativitate eiusdem M. CCC. XLVII. Indictione XV. mensis Augusti die XXII. hora quasi tercia in domo habitacionis reverendi in Christo patris dñi Ioraslai Archiepiscopi Gneznensis, Pontificatus beatissimi in Christo patris et domini nostri, domini Clementis divina providentia pape Sexti, anno sexto, In mei Notariii publici et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presencia constituti viri providi ac circumspecti dñi Wilczko, Notarius dñi Regis Polonie, et Nicolaus Werzingi iunior cives Cracovienses, quilibet eorum insolidum non vi nec metu, non dolo nec fraude, sed sponte, provide et ex certa sciencia recognoverunt et publice confessi fuerunt, se in deposito habuisse, et nomine veri et puri depositi recepisse, sibique datas, numeratas

et ponderatas esse et fuisse realiter et cum effectu a venerabili viro domino Arnaldo de Lacaucina canonico et scolastico ecclesie Cracoviensis dante, assignante, numerante, ponderante et deponente nomine Camere domini nostri pape atque suo tres marcas auri de vigintiduabus karactis auri inquam boni, puri et legitimi ponderis Cracoviensis, de pecunia dicte camere domini nostri pape per ipsum dominum Arnaldum, nuncium apostolicum in Polonie et Hungarie Regnis, in eodem Regno Polonie pro censu denarii beati Petri et aliorum iurium recepta: iidem cives et quilibet eorum insolidum etc. ut supra Nro. DCXLVI. pag. 495. Actum Cracovie Anno, Indictione, mense, die, hora, loco et pontificatu, quibus supra, Presentibus providis viris dominis Alexio, Theodorico, Clemente et Iacobo Francisci civibus Cracoviensibus, Miroslao Imperiali auctoritate Notario publico, Adam presbitero et Iohanne de Strigonio testibus ad premissa.

(L. S.) Et ego Albertus quondam Cristiani de Turbya clericus etc. Notarius publicus etc.

(L. S.) Et ego Iohannes quondam Dzeczkonis de Rathibor clericus etc. Notarius etc.

Ex Instrum. miscell. Caps. 210. Nro. 76.

DCLXIII.

Instrumentum, quo consules Cracovienses XXXIII. marcas auri camerae apostolicae solvere sese obligatos confitentur.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem M.CCC.XLVII. Indictione prima, mensis Novembris die XXI. hora quasi completorii in pretorio civitatis Cracoviensis, Pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Clementis divina providencia pape Sexti, anno sexto, In mei Notarii publici infrascripti et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presentia constituti providi viri ac circumspecti domini Nicolaus Pensator, Villusius Pellifex, Nicolaus Werzingi iunior, Iohannes de Altadomo et Iohannes Amley consules civitatis Cracoviensis, eorum ac illorum, qui post eos erunt et eligentur in consules, tociusque communitatis et civitatis eiusdem Cracoviensis nomine, quilibet eorum insolidum non vi nec metu etc. ut supra Nro. DCXLVI. pag. 495. nomine Camere domini nostri pape atque suo triginta tres marcas auri de vigintiduabus karactis auri inquam boni, puri etc. a predicta XXI. die mensis Novembris usque ad duodecim menses etc. sub pena excommunicationis, quam idem dominus nuntius in eosdem consules et eorum quemlibet, ac in illos, qui post eos eligentur in consules totamque communitatem civitatis Cracoviensis predictam volentes et consentientes predicto termino pro canonica monicione etc. ut supra usque in finem. Actum Cracovie Anno, Indictione, mense, die, hora, loco et pontificatu, quibus supra, Presentibus et ad premissa consensum suum prebentibus discretis viris dominis Iohanne dicto Romancz, Andrea de Bochna, Petro de Muchow, Martino Institore, Nicolao advocato de Losslavia et Conrado notario civitatis Cracoviensis civibus Cracoviensibus, Iohanne de Ladimiria viceplebano ecclesie beate Marie virginis Cracoviensis, Iohanne predicatore et Nicolao de Zar vicariis ecclesie beate virginis eiusdem, Iohanne de Brabancia et Iohanne de Strigonio familiaribus domini . . . apostolice sedis nuntii supradicti.

(L. S.) Et ego Albertus quondam Cristini de Turbya clericus etc. Notarius publicus etc.

(L. S.) Et ego Iohannes quondam Dzeczkonis de Rathibor clericus etc. Notarius etc.

Ex Instrum. miscell. Caps. 209. Nro. 17.

DCLXIV.

Episcopus Vratislaviensis et duo abbates conservatores Andreae episcopo Posnaniensi constituuntur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Wratislaviensi, et dilectis filiis sancti Vincentii et sancte Marie in arena Arrazien (sic) Wratislaviensis diocesis monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Ad hec nos deus pretulit etc. Datum Avinione IV. Kalendas Decembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. IV. Part. II. ep. 28. fol. 45.

DCLXV.

Petrus Stanslai ecclesiae Cracoviensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Petro Stanslai Electo Cracoviensi, salutem etc. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis nos apostolice servitutis necessitas obligat, earum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exolvamus in eo potissime, ut illarum regimina, que propriis sunt destitute pastoribus, personis talibus

committantur, per quarum solerciam circumspectam ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus valeant feliciter adaugeri. Olim siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Cracoviensi regimini Cracoviensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum illam quovis modo vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice disposicioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia Cracoviensi per obitum eiusdem Iohannis, qui in illis partibus debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, dilecti filii . . . Decanus et Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservacionis et decreti ignari, te ipsius ecclesie Canonicum, in subdiaconatus ordine constitutum, per formam scrutinii in Cracoviensem Episcopum, quamvis de facto, concorditer elegerunt, tuque huiusmodi reservacionis et decreti similiter inscius, ad ipsorum Decani et Capituli instanciam eleccioni huiusmodi de te facte consenciens, a Venerabili fratre nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi loci Metropolitano, ignaro similiter reservacionis et decreti predictorum, obtinuisti de facto eciam eleccionem huiusmodi confirmari. Deinde vero vacacione ipsius ecclesie, ac eleccione et confirmacione predictis pro parte tua expositis in Consistorio coram nobis, nos eleccionem et confirmacionem predictas utpote post et contra reservacionem et decretum huiusmodi attemptatas reputantes, prout erant, irritas et inanes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te interim ad Diaconatus ordinem rite promotum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate preclarum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus, ac eciam concordi predictorum Decani et Capituli te eligencium voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua, nobis ac eisdem fratribus consideracione premissorum accepta, prefate Cracoviensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia Cracoviensis sub tuo felici regimine, gracia tibi suffragante divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus honoris et commodi multiplicia suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, sic te in eiusdem ecclesie cura sollicite, prudenter et fideliter exercenda exhibeas graciosum, quod eadem ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde premium eterne retribucionis acquiras, ac nostram et eiusdem sedis benediccionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Id. Decembris. Anno Sexto.

In e. m. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, dilectis filiis . . . Decano et Capitulo ecclesie Cracoviensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Cracoviensis, mutatis mutandis etc.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. I. Part. I. ep. 30. fol. 18.

DLXVI.

Donatio et ordinationes per Henricum episcopum Vratislaviensem eiusque fratrem ac nepotes de ecclesia parochiali in Virbena abbati et conventui de Camentz Cisterc. ord. dioecesis Vratislaviensis factas confirmantur.

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis interdum, que pro monasteriorum ac personarum ipsorum et eorum necessitatibus favorabiliter conceduntur, ut illa futuris perpetuis temporibus illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Ex serie siquidem petitionis dilectorum filiorum . . . Abbatis et Conventus monasterii de Camentz Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis nuper nobis exhibite percepimus, quod dudum viginti et octo anni sunt elapsi, bone memorie (Henricus) Ep̃us Wratislaviensis et quondam Iohannes de Wyrbena Decanus ecclesie Wratislaviensis germanus, et nonnulli alii nepotes eiusdem Episcopi ius patronatus parrochialis ecclesie de villa Wirbena prefate diocesis, ad Henricum Episcopum, Iohannem Decanum ac nepotes predictos iure hereditario tunc pertinens, ad hoc spiritu donationis inducti, in Abbatem et Conventum dicti monasterii transtulerunt, et quod deinde prefatus Henricus Episcopus de consensu dilectorum filiorum sui Capituli ecclesie Wratislaviensis ac Iohannis Rectoris predicte ecclesie ville in Wirbena solicite advertens,

quod ipsi Abbas et Conventus ac monasterium multarum adversitatum et tribulationum angustias et alia incommoda sustinuerant diutius propter guerrarum et predonum insultus in illis partibus ingruentes, et quod propterea proventus ipsius monasterii adeo diminuti extiterant, quod onera eisdem Abbati et conventui ac monasterio incumbentia non poterant commode supportare, idem Henricus Episcopus volens predictorum Abbatis et conventus ac monasterii necessitatibus huiusmodi suffragiis succurrere oportunis, certos redditus et proventus dicte parrochialis ecclesie, ut illos, cedente vel decedente ipsius parrochialis ecclesie Rectore, qui tunc erat, ipsi Abbas et conventus eorum usibus pro dictis necessitatibus et oneribus eorum facilius supportandis applicare valerent, concessit in perpetuum et etiam applicavit, aliis certis fructibus et redditibus ipsius ecclesie in Wirbena per ipsum Henricum Episcopum pro perpetuo Vicario in ipsa ecclesia servituro relictis, prout in diversis patentibus Henrici Episcopi ac Plebani seu Rectoris predictorum litteris, eorum et dictorum Capituli Wratislaviensis sigillis munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, continetur. Quare ipsi Abbas et conventus nobis humiliter supplicavit, ut translationem, applicationem et ordinationem predictas, ut premittitur, factas ex certa scencia..., et omnem defectum, si quis in eis intervenit, supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, translationem, concessionem, applicationem et ordinationem prefatas, ut premittitur, factas ratas et gratas habentes, illas cum moderamine infrascripto auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan in eis intervenerit, de apostolice plenitudine potestatis, per hoc autem adieccionem seu clausulam in dictis litteris eiusdem Henrici Ep̃i contentam, in qua inter alia continetur, quod si per Abbatem et fratres dicti monasterii, qui pro tempore fuerint, postquam ipsi possessionem redditiuum habuerunt predictorum, prenotata ipsius Episcopi dispositio de eisdem observata non fuerit in premissis vel quolibet premissorum, extunc iidem redditus et proventus omnes et singuli dicto monasterio, ut premittitur, applicati ad ipsius Episcopi et successorum suorum mensam Episcopalem sine spe restitutionis integraliter devolverentur, in huiusmodi confirmatione nostra non intendimus aliquatenus comprehendi. Volumus insuper, quod si sufficiens portio pro dicto Vicario perpetuo in eadem ecclesia domino servituro non fuerit assignata, de ipsius ecclesie redditibus et proventibus portio congrua per loci ordinarium assignetur, ex qua idem Vicarius valeat congrue sustentari, iura Episcopalia solvere, et alia sibi incumbentia onera supportare. Tenor vero dictarum litterarum talis est.

Henricus dei gratia Episcopus Wratislaviensis, Religiosis viris fratribus .... Abbati et Conventui monasterii in Camenz nostre Wratislaviensis diocesis ordinis Cisterciensis, salutem cum sincera in dn̄o caritate. In ecclesie firmamento Cisterciensis vester ordo claro nitore choruscans, universalem gregis dominici aulam illuminat, et currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis bravium facilius pervenitur. Nos quidem ob hoc, et propter magne devotionis affectum, quem ad nos et nostram Wratislaviensem ecclesiam geritis et habetis, ordinem ipsum ac vos necnon vestrum in Kamenz monasterium, quod predecessorum nostrorum olim Wratislaviensium Ep̃orum clare memorie multis piis donationibus dignoscitur esse dotatum, et personas in ipso monasterio consistentes intima caritate prosequimur, et sinceris affectibus excitamur ad vestra et eiusdem monasterii vestri commoda, quibus digne possumus, promovenda: ideoque premissorum intuitu sollicite advertentes, quod propter multarum tribulationum angustias, quas propter guerras maxime et predonum insultus, qui nunc permissione divina in nostris partibus invaluere, diutius sustinetis, ut de hospitalitate nimia, quam tenetis assidue, et aliis incommodis, que frequenter vobis eveniunt, taceatur, vestri et iamdicti monasterii vestri proventus sunt adeo diminuti, ut onera incumbentia vobis et ipsi monasterio in expensis et aliis non possitis commode supportare, Cupientesque vestris necessitatibus suffragiis succurrere oportunis, ad votivas precum vestrarum instantias auctoritate presentium de consensu nostri Wratislaviensis Capituli vobis concedimus gratiose, ut redditus et proventus parrochialis ecclesie in Wirbena, in qua ex nostra, necnon dilecti nobis in Christo fratris domini Iohannis Decani nostri Wratislaviensis, germani nostri, dicti de Wirbena, et nepotum nostrorum filiorum quondam Stephani de Wirbena, fratris nostri felicis memorie, pia concessione ius patronatus habetis, cedente vel decedente ecclesie eiusdem Rectore moderno, vestris possitis, ut infra exprimitur, usibus applicare: ita tamen, quod Capellano seu perpetuo Vicario in iam dicta ecclesia perpetuo servituro de eisdem redditibus et proventibus pro sustentatione portio competens reservetur, que portio consistat in redditibus et obventionibus omnibus et singulis, qui sequuntur: Primo enim

predicte Wirbnensis ecclesie perpetuus Vicarius sive Rector habebit pro suo aratro et pro dote sex mansos in ipsa villa Wirbna, prout prius habuit, cum silva, pratis aliisque pertinentiis earundem; Item de taberna ibidem in Wirbna in censu annis singulis quatuor marchas pecunie usualis; Item de omnibus ortis ibidem in censu annuo pullos quinquaginta vel amplius, quotquot esse possunt; Item omnes annonas missales de omnibus parrochialibus ipsius ecclesie, qui ad viginti maldratas annone duplicis se extendunt; Item oblationes et offertorium, testamenta et alia, que de ipsa ecclesia possunt obvenire; Item in ecclesia in Bunslavitz, que predicte ecclesie Wirbnensi tamquam matrici filia est subiecta, mansum cum dimidio ad dotem ipsius ecclesie pertinetem, redditus vero et proventus alios omnes et singulos ad predictam parrochialem ecclesiam in Wirbna quocunque modo licito et de iure spectantes, tam (?) in decimis, censibus, pensionibus quibuscunque, una cum possessionibus, mansis, agris, pratis, ortis et pertinentiis aliis quibuscunque prefato in Kamenz monasterio duximus applicandos. Quos quidem redditus et proventus in predicto monasterio annis singulis in subscriptos usus deputari volumus et expendi: Primo enim pro consolatione et refectione fratrum infirmorum decumbentium in ipso monasterio decem marchas usualis pecunie deputamus, pro communi vero refectorio fratrum de conventu similiter annuatim sexdecim marchas usualis pecunie assignamus; Item, ut parentum et progenitorum nostrorum, de quorum pia donatione et procuratione dicte Wirbnensis ecclesie provenisse noscuntur redditus antedicti, singulis annis in exequiis et divinis officiis pro defunctis in prenotato monasterio in Kamenz anniversarius celebretur, quatuor marchas usualis pecunie, et tres mensuras tritici pro pane, necnon triginta ollas vini australici ipsis fratribus illo die pro pitantia deputamus, simili modo et post nostrum decessum in anniversario obitus nostri die tamtundem in pecunia, pane et vino expendi in dicto monasterio volumus annuatim pro nostris ibidem exequiis etiam celebrandis; Insuper et singulis septimanis quatuor sexagenas panum, die dominico videlicet sexgenam, quarta feria unam, sexta feria unam, et unam die sabbati sexagenam de pane pro elemosina pauperibus ante portam preter elemosinam consuetam, quam ipsi fratres in dicto monasterio facere consueverunt, duximus deputandas; Pro fabrica vero seu structura ipsius monasterii annuatim duodecim marcas usualis pecunie de premissis redditibus assignamus; Reliqua autem omnia, que superfuerint, in usus eiusdem monasterii quoslibet, prout Abbati, qui pro tempore fuerit, utilius videbitur, relinquimus convertenda: nichilominus hoc adiecto specialiter et expresse, quod si per Abbatem et fratres dicti monasterii in Kamenz, qui pro tempore fuerint, postquam idem possessionem redditum habuerint predictorum, prenotata nostra dispositio de eisdem observata non fuerit in premissis vel in quolibet premissorum, extunc iidem redditus et proventus omnes et singuli dicto monasterio, ut predicitur, applicatos ad nostram et successorum nostrorum mensam Episcopalem sine spe restitutionis integraliter devolvantur. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem presentes nostro et predicti Wratislaviensis Capituli nostri sigillis duximus roborandas. Datum Wratislavie II. Kalendas Septembris Anno dñi Millesimo ccc. XVIII. Presentibus dominis supradicto Iohanne Decano, Henrico Archidiacono, et Vito Cantore, Bogussio Opoliensis et Nicolao sancte Crucis Wratislaviensis ecclesiarum Propositis, Magistro Arnaldo Glogoviensi et Andrea de Wisemburch Opoliensi Archidiaconis, Magistro Conrado Offitiali nostro Wratislaviensi, Henrico de Droguz, Tusconc de Panovicz, Meyuardo de Svoynia, et Henrico de Hescotel Prelatis et Canonicis nostris Wratislaviensibus, et aliis. Item in nomine domini Amen. Noverint Universi, quibus nosse fuerit oportunum, quod coram nobis Conrado Dozbere Decano, Canonico et Offitiali Wratislaviensi constitutis discretis viris, domino videlicet Iohanne Plebano de Wirbna prope Swidenicz ex parte una, et religioso viro fratre Thilone Priore monasterii in Kamentz ordinis Cisterciensis, ac Magistro Frantzcone sindico et procuratore monasterii supradicti nomine ipsius monasterii ex parte altera, idem Plebanus non per errorem, sed ex certa scienciа asserebat dictam suam ecclesiam de Wirbna ex iustis et legitimis causis fore dimembratam, unitam et incorporatam predicto monasterio Kamentz per Venerabilem in Christo patrem dñum Henricum bone memorie olim Wratislaviensis ecclesie Episcopum et pastorem: quam quidem dimembrationem, unionem ac incorporationem sic rationabiliter et legitime factam ipse dominus Iohannes Plebanus laudans et approbans, ratam et gratam habuit atque firmam, eique dimembrationi consentiens sponte libere, non per errorem, non coactus, non deceptus, nec illectus, sed ex certa sciencia pure propter deum, et pro anime sue remedio renuntiavit et cessit omnibus illis dimembratis redditibus et proventibus predicte sue ecclesie de Wirbna, sive fuerint in decimis campestribus, sive in fractionibus decimalibus, vel agris seu aliis proventibus quibuscumque, quocunque

nomine censeantur, prout in ipsius monasterii instrumento demembrationis per dictum dominum Epum sibi dato plenius continetur, ipsosque tradidit monasterio supradicto, volens per huiusmodi renuntiationem, cessionem et traditionem omnium redditum et proventuum, ut predicitur, demembratorum, quorum possessionem ipsum monasterium post mortem tantum ipsius domini Iohannis Naustici debuit, ipse dominus Iohannes in idem monasterium exnunc transferre integram possessionem ac plenum dominium et directum. Nos igitur offitialis predictus huiusmodi renuntiationem, cessionem et traditionem, quas Magistro Frantzco procuratorio nomine dicti monasterii acceptavit, auctoritate, qua fungimur, ratificamus et auctorizamus, quantum in nobis est, presentibusque firmamus. Actum Wratislavie in Stuba seu Estuario nostro Nonis Aprilis Anno domini Millesimo Tricentesimo XXVI. presentibus honorabili viro domino Paschone Archidiacono Lygnicensi, domino Fritzcone Plebano de Fridberg, Theodoro nostro notario, per quem presentia sunt conscripta, Iohanne clerico nostro, et aliis testibus ad hoc rogatis, in quorum omnium testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, suppletionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II. Kalendas Ianuarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. IV. Part. II. ep. 344. fol. 154.

DCLXVII.

Episcopo Cracoviensi, ut cum Ioanne Boguta et Prikka de Ruduo uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii Nobilis viri Iohannis Bogute Domicelli, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Prikke de Ruduo tue diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipsi Iohannes et Prikka ignorantes fore aliquod obstaculum inter eos, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba de presenti, bannis publice in facie ecclesie editis, et solemnitatibus secundum morem illius patrie observatis, nemine se opponente, invicem contraxerunt, ac carnali copula inter eos subsecuta, prolem inde procrearunt; quodque postmodum, prout eadem petitio subiungebat, ad ipsorum Iohannis et Prikke pervenit noticiam, quod dicta Prikka quendam Helene priori uxori dicti Iohannis in tertio et quarto consanguinitatis gradibus, dum viveret, attinebat, et propterea Iohannes et Prikka prefati non possunt licite in huiusmodi matrimonio remanere, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, et quod, si divorcium fieret inter eos, possent exinde inter eorundem amicos et consanguineos publica scandala, strages et pericula verisimiliter exoriri: Quare pro parte ipsorum Iohannis et Prikke fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum, huiusmodi scandalis, stragibus et periculis, quantum cum deo possumus, obviare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Iohanne et Prikka, ut ipsi, impedimento huiusmodi non obstante, in dicto matrimonio sic contracto licite remanere valeant, apostolica auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione XVI. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. IV. Part. II. ep. 535. fol. 212.

DCLXVIII.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum emptio donatioque ducatus Aestoniae, insertis regis Danorum litteris, confirmatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio ... Magistro generali et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Hiis, que pietatem sapiunt et continent equitatem cultusque divini respiciunt incrementum, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod vos a carissimo in Christo filio nostro Waldemaro Danorum Rege Illustri Ducatum Estonie ad eundem Regem, alias ad dilectum filium Ottonem germanum dicti Regis hospitalis vestri hereditario iure, si in seculo remansisset, spectantem, pro certa emistis pecunie quantitate, et licet dictus Ducatus plus valeat, quam sit quantitas supradicta, idem tamen Rex id, quod dictus Ducatus plus valeat seu valere posset, vobis et hospitali predicto in sue ac progenitorum et successorum eiusdem Regis animarum remedium ac intuitu divino donavit, prout in patentibus litteris testimonialibus eiusdem Regis sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissis

robur confirmationis apostolice adicere dignaremur. Nos itaque vestris in hac parte supplicationibus inclinati, emptionem et donacionem predictas ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica et certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrociuio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis est. Sanctissimo in Christo Patri ac domino dño Clementi divina providencia sacrosancte Romane ac Universalis ecclesie summo Pontifici, sacroque dominorum Cardinalium Collegio, Waldemarus dei gratia Danorum Sclavorumque Rex cum summa reverencia oscula tam debita pedum quam parata beatorum. Sciat vestra Sanctitas, et Venerabilitas sacri Collegii dominorum Cardinalium, quod nos, ex quo sincerissimus frater noster Otto deo et beate Marie eius expresse voverat ordinem hospitalis beate Marie fratrum Theutonicorum Ierosolimitani iugredi, quantocius posset, de maturo concilio et assensu fidelium consiliariorum Regni nostri hoc approbantes, et in salutem anime sue summe laudantes, Ducatum nostrum Estonie ad ipsum iure hereditario pertinentem cum se [et] suo ordini predicto dedicaverit, de voluntate eiusdem fratris nostri Magistro, fratribus et ordini predictis in remissionem peccatorum nostrorum, progenitorum successorumque, et insuper cupientes nos participes fieri omnium bonorum operum, que fiunt per fratres in ordine predicto, donavimus inter vivos et traduximus in possessionem pacificam et quietam, et nichilominus ex certis et rationabilibus causis nos et Regnum nostrum tangentibus vendicionis nomine, et [ex]emptionis titulo pro eodem ducatu ab eisdem Magistro, fratribus et ordine decem et novem milia marcharum puri argenti fatemur nos integraliter recepisse, et sepedictos Magistrum et fratres pro nobis nostris creditoribus, quos ipsis deputavimus, plenarie persolvisse, et si predictus ducatus nunc plus precii valet, vel in futurum valere posset, eis donacionis pure titulo eo remisisse. Si qui emuli nostri et fratrum predictorum sanctitati vestre aliquid suggerent, hoc scribimus, ut veritas non occultetur, et malis via detrahendi precludatur. In cuius rei testimonium presentibus nostrum est appensum maius sigillum. Datum et hactum in Hafenis in die beati Iohannis Baptiste anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis etc. Datum Avinione VI. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. II. ep. 817. fol. 270.

DCLXIX.

Petro episcopo Cracoviensi licentia a curia recedendi ad suam ecclesiam datur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Pridem Cracoviensis ecclesia solacio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Epum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Arnaldum Epum Tusculanensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad dictam ecclesiam Cracoviensem cum uostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benedictionis gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione II. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. II. ep. 810. fol. 268.

DCLXX.

Albertus ecclesiae Posnaniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Alberto Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Regimini pastorali universalis ecclesie quanquam iusufficientibus meritis, disponente domino, presidentes, de universis orbis ecclesiis pro earum statu salubriter dirigendo solicite cogitamus, sed earum propensior solicitudo nos urget, quas vacaciouis incommodis conspicimus subiacere, ut eis per apostolice sedis providenciam de utilibus provideatur Rectoribus, qui eas possint spiritualiter et temporaliter, auctore domino, augmentare. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, nostre operacionis ministerio ydoneam preesse persouam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni

nostre et sedis apostolice ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Iohannis, qui in partibus illis diem clausit extremum, patsoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, reservacionis et decreti huiusmodi forsan ignari, te tunc Canonicum eiusdem ecclesie in Episcopum Poznaniensem, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque, eorundem decreti et reservacionis, ut asseris, inscius, eleccioni huiusmodi tuum prestans assensum, eleccionem eandem a Venerabili fratre nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi loci Metropolitano, eorundem reservacionis et decreti, ut asseritur, similiter inscio, obtinuisti auctoritate Metropolitica confirmari, tibique munus consecracionis impendi, teque administracioni spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie ingessisti. Nosque huiusmodi vacacione fidedignis relatibus intellecta, de persona Venerabilis fratris nostri Andree Episcopi Zwerinensis, tunc Prepositi dicte ecclesie Poznaniensis, eidem ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice disponere poterat, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum predicte ecclesie in Episcopum et pastorem, et tandem prefata ecclesia Poznaniensi ex eo apud dictam sedem vacante, quod nos prefatum Andream a vinculo, quo eidem Poznaniensi ecclesie tenebatur, auctoritate apostolica absolventes, ipsum apud dictam sedem constitutum ad Swerinensem ecclesiam tunc vacantem eadem apostolica auctoritate duximus transferendum, preficiendo eum prefate Swerinensi ecclesie in Episcopum et pastorem, nos eleccionem et confirmacionem huiusmodi ad nostram interim deductas noticiam, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta factas, reputantes irritas et inanes, et ad provisionem ipsius Poznaniensis ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice disponere potest, pro eo, quod nos ante ultimam vacacionem huiusmodi dicte Poznaniensis ecclesie provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem quocunque modo vacancium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinacioni et disposicioni nostre et sedis predicte duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, apostolice solicitudinis studium dirigentes, post deliberacionem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, quem litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis laudabiliter insignitum ex testimoniis fidedignis accepimus, convertimus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideracione premissorum accepta, prefate Poznaniensi ecclesie de fratrum ipsorum consilio predicta auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Poznaniensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, munusque consecracionis tibi, ut prefertur, impensum, necnon alia per te alias rite gesta et administrata in ipsa Poznaniensi ecclesia eadem apostolica auctoritate ex certa sciencia approbando, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos, prefata Poznaniensis ecclesia per tuam curiosam solerciam tuumque ministerium studiosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad prefatam Poznaniensem ecclesiam cum gracia nostre benediccionis accedens, curam et administracionem predictas sic geras fideliter et solerter, quod ipsa Poznaniensis ecclesia sponso utili et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius difundatur, tuque preter retribucionis eterne premium nostrum et eiusdem sedis benediccionis et gracie merearis continuum percipere incrementum. Datum Avinione XVI. Kal. Aprilis. Anno Sexto.

In e. m. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Poznaniensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Poznaniensis, necnon Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, mutatis mutandis, ut eidem Alberto reverentiam etc. debitam exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. III. Part. I. ep. 79. fol. 64.

DCLXXI.

Andreas ab Posnaniensi ad Swerinensem ecclesiam transfertur et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Andree Episcopo Zwerinensi, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut iuxta cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sic prospiciat di-

ligenter, quod per eius providenciam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translacionis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit, singulis ecclesiis pastor accedat ydoneus ac Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum per suam circumspeccionem providam et prudenciam circumspectam salubriter regat et dirigat, ac bona ecclesie sibi commisse gubernet utiliter et eciam adaugmentet. Dudum siquidem bone memorie Henrico Episcopo Zwerinensi ecclesie Zwerinensis regimini presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operacionis nostre ministerio secundum cor nostrum ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie, cum vacaret, ordinacioni et disposicioni nostre ac sedis apostolice ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata Swerinensi ecclesia per obitum eiusdem Henrici, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, Nos vacacione eiusdem ecclesie fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum Poznaniensem convertimus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam ipsi Zwerinensi ecclesie, quam gregi dominico eiusdem salubriter providere, ac sperantes, quod tu, qui Poznaniensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, prefatam Zwerinensem ecclesiam, auctore domino, salubriter et utiliter gubernabis, te a vinculo, quo prefate Poznaniensi ecclesie, cui tunc tenebaris, preeras, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad eandem Zwerinensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Zwerinensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad eandem Zwerinensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Zwerinensis ecclesia, gracia tibi suffragante divina, per tue provide circumspeccionis industriam defendetur a noxiis, et preservabitur etiam ab adversis, ac in eisdem spiritualibus et temporalibus votivis proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi onus a domino devote supportans, curam et administracionem predictas sic prudenter et sollicite studeas exercere, quod eadem Zwerinensis ecclesia provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retribucionis premium nostram et eiusdem sedis benediccionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione XVI. Kal. Aprilis. Anno Sexto.

In e. m. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Bremensi, dilectis filiis Capitulo et Vassallis ecclesie Zwerinensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Zwerinensis, necnon Nobili viro . . . Comiti Zwerinensi, mutatis mutandis, ut eidem Episcopo debitam reverenciam et obedienciam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. I. Part. I. ep. 57. fol. 32.

DCLXXII.

Vromoldus Rigensi ecclesiae in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Vromoldo Electo Rigensi, salutem etc. Celestis dispositione consilii, per quod in mundi machina ordinationem recipiunt universa, supreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes, super gregem dominicum nostre vigilancie creditum vigilis speculatoris officium exercemus, circa illa potissime intentum animum dirigendo curamque impendendo solicitam, per quod divini cultus augmentum, exaltacio katholice fidei et commoda salutis perveniant animarum, que, prout firma spes nobis suggerit, facilius et efficacius subsequi poterunt, si ecclesiis pastorum gubernacione carentibus, ne prolixe vacacionis exponantur incommodis, earumque bona et iura protectoris destituta presidio perversorum presumptuosa temeritas occupet, avidaque manus diripiat malignorum, pastores preficiamus ydoneos et rectores providos deputemus, quorum ecclesie ipse salubri ducte regimine ac opportuno munimine circumfulte spiritualiter et temporaliter, auctore domino, augeantur. Nuper siquidem Rigensi ecclesia per obitum bone memorie Engilberti Archiepiscopi Rigensis, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, Nos considerantes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se hac vice intromittere potest, pro eo, quod nos ante vacacionem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem vacancium, et vaca-

turarum in posterum apud eam ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, ne longe vacacionis deploraret incommoda, solicitis studiis intendentes, ac cupientes talem eidem ecclesie presidere personam, que sciat, velit et possit eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et eciam adaugere, post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Priorem dicte ecclesie Rigensis, quem litterarum sciencia preditum, elegancia morum conspicuum, decorum honestate, vite mundicia nitidum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis insignitum ex testimoniis fidedignis accepimus, convertimus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob premissorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Rigensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi ecclesie in Archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prelibata Rigensis ecclesia per tue circumspeccionis industriam et diligencie tue studium fructuosum ab incommodis preservabitur et adversis, ac proficiet in eisdem spiritualibus et temporalibus votivis, auctore domino, prosperitatis commodis et honoris. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, et suavi eius oneri colla humiliter flectens, in plantandis virtutibus et viciis extirpandis te reddere satagas vigilem et attentum, et dicte Rigensis ecclesie commissum tibi regimen sic exercere fideliter et prudenter, quod eadem Rigensis ecclesia sponso utili ac gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde premium retribucionis eterne, ac nostram et dicte sedis benediccionem et graciam plenius consequi merearis. Datum Avinione XVI. Kal. Aprilis. Anno Sexto.

In e. m. Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Rigensis, dilectis filiis Capitulo et Vassallis ecclesie Rigensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Rigensis, necnon Magistro, Preceptoribus et fratribus domus sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani in Livonia et Pruscia, mutatis mutandis, ut eidem Vromoldo obedienciam et reverenciam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. III. Part. I. ep. 72. fol. 65.

DCLXXIII.

Vromoldo archiepiscopo Rigensi, munere consecrationis impertito, ad suam ecclesiam licentia se transferendi datur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Vromoldo Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Pridem Rigensi ecclesia solatio destituta pastoris etc. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripsa mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, et ad dictam ecclesiam Rigensem cum nostre benedictionis gracia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione III. Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Lib. IV. Part. II. ep. 536. fol. 212.

DCLXXIV.

Nuntio apostolico, ut pecunias ex decimis in Polonia et Hungaria collectas fratribus Malabayla assignet.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo Lacaucina Canonico ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, nostro et apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum dilecti filii Antonius et Guidetus Malabayla fratres, Cives Astenses, ad reddendum et solvendum ac assignandum nostre Camere omnes et singulas pecunias, cuiuscunque speciei fuerint, ac quantitates auri et argenti tangentes Cameram ipsam, quas per te vel alium seu alios eis, vel eorum procuratori seu nuncio, ad hoc ab ipsis Antonio et Guideto speciale mandatum habenti, in Polonie et Ungarie Regnis assignaveris, se duxerint efficaciter obligandos, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes et singulas pecunias per te collectas et colligendas in Regnis eisdem tangentes eandem Cameram, que penes te fuerint, quociens expedire videris, Antonio et Guideto aut nuncio seu procuratori predictis assignare procures, faciendo

super singulis assignationibus huiusmodi duo confici consimilia publica instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum ad eandem Cameram destinare, eamque super hoc certificare quantocius non postponas. Nos enim prefatis Antonio et Guideto pecunias huiusmodi per se vel procuratorem seu nuncium eorum, ad hoc ab eis habente mandatum, sicut predicitur, speciale, recipiendi teque quitandi et absolvendi de hiis, que inde sibi duxeris assignanda, plenam concedimus per alias nostras litteras facultatem. Datum Avinione IIII. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. ep. 74. fol. 19.

DCLXXV.

Antonio et Guideto Malabayla fratribus mandatur, ut illos, a quibus pecunias camerae apostolicae debitas in regnis Poloniae et Hungariae nomine camerae predictae receperint, absolvant.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis Antonio et Guideto Malabayla fratribus Civibus Astensibus, salutem etc. Cum vos ad restituendum, solvendum et assignandum omnes et singulas pecuniarum summas, cuiuscunque speciei fuerint, et quantitates auri vel argenti Cameram nostram tangentes, quas a quibuscunque mercatoribus seu personis regnorum Polonie et Ungarie, seu alterius eorundem nomine ac vice dilecti filii Arnaldi de Lacaucina Canonici ecclesie Titulensis Colocensis diocesis, in eisdem Regnis ipsius Camere nomine collectorum ac colligendorum inantea, vobis contigerit assignari, prefate Camere duxeritis efficaciter obligandos: Nos vobis huiusmodi pecunias et quantitates, quotcunque et qualescunque fuerint, prefate Camere nomine recipiendi, prefatum collectorem et quosvis alios huiusmodi quantitates vobis assignantes quittandi et absolvendi de hiis, que inde receperitis ab eisdem, plenam vobis concedimus tenore presencium potestatem. Datum Avinione IIII. Non. Iunii. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. ep. 73. fol. 18.

DCLXXVI.

Vromoldo archiepiscopo Rigensi pallium traditur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Vromoldo Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Pridem Rigensi ecclesia Pastoris regimine destituta, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Archiepum prefecimus et pastorem, curam et administracionem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tibique deinde fecimus per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum munus consecrationis impendi, prout in nostris diversis inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum palleum, insigne plenitudinis videlicet Pontificalis officii, a nobis ex parte tua fuisset cum ea, qua decuit, instancia postulatum: Nos huiusmodi supplicacionibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Galhardum sancte Lucie in Silice, ac Iohannem sancti Angeli dyaconos Cardinales tibi fecimus assignari, ut illo infra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius Rigensis ecclesie privilegiis continentur, recepto per eos a te primitus nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramento. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat munera et largitur premia, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et ecclesiam Rigensem sponsam tuam cures solicite, actore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione IIII. Id. Iunii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. V. Part. II. ep. 15. fol. 38.

DCLXXVII.

Bodzatha ecclesiae Cracoviensi praeficitur in episcopum et ut moris est, commendatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Bodzathe Electo Cracoviensi, salutem etc. Ad universalis ecclesie regimen exercendum divina dispositione vocati, circa cuiuslibet statum ecclesie aciem solicite considerationis extendimus, partes pastoralis officii vigilantius adhibentes, ut earum singule, presertim pastoralis regimine destitute, sic pastoribus gubernentur ydoneis et rectoribus providis committantur, quod ecclesie ipse illorum circumspectione provida et prudencia circumspecta, eius cooperante clementia, qui pastorum pastor et rector agnoscitur, spiritualium et temporalium proficiant incrementis. Nuper

siquidem Cracoviensi ecclesia per obitum bone memorie Petri Episcopi Cracoviensis, qui apud apostolicam sedem diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem celerem et felicem ipsius ecclesie, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se hac vice intromittere possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ne vacationis incommodis diutius remaneret exposita, solicite cogitantes, ac cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que eam sciret et vellet in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Decanum ipsius ecclesie, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum meritis laudabiliter redimitum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod gratia tibi assistente divina, eadem ecclesia sub tuo felici regimine utiliter et prospere dirigetur, grataque honoris et commodi suscipiet incrementa. Iugum itaque tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione Idibus Iunii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Cracoviensis, clero et populo civitatis et diocesis Cracoviensium, Archiepiscopo Gneznensi et Kasimiro Regi Polonie, ut eidem Electo reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. IV. Part. I. ep. 6. fol. 22.

DCLXXVIII.

Eidem licentia MMD. flor. auri mutuum contrahendi conceditur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Bozate Electo Cracoviensi, salutem etc. Cum, sicut in nostra proposuisti presencia constitutus, tam pro tuis expensis necessariis, quam ecclesie tue Cracoviensis negociis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam duorum milium et quingentorum florenorum auri mutui contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licenciam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie utiliter promovenda, et expedienda negocia circumspeccione ac diligencia plenius in domino confidentes, nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigenciam paciaris, vel quod eadem negocia inexpedita remanere contingat, tuis supplicacionibus inclinati, tibi contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam duorum milium et quingentorum florenorum auri nomine tuo et ipsius ecclesie, ac te et successores tuos Episcopos Cracovienses et predictam ecclesiam, ac tua et eorundem bona mobilia et immobilia, presencia et futura, usque ad summam predictam propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi, et renunciandi de duabus dietis edite in Concilio generali, vel felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. ut in forma solita. Datum Avinione III. Kal. Iulii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. V. Part. II. ep. 54. fol. 46.

DCLXXIX.

Eidem munere consecrationis impertito licentia ad suam ecclesiam accedendi datur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Bodzathe Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Pridem Cracoviensi ecclesia solatio destituta Pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum perfecimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie com-

mittentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Ostiensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam Cracoviensem cum nostre benedictionis gracia te personaliter conferens, sic te in administracione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus lacius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione XIV. Kal. Augusti. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. V. Part. II. ep. 70. fol. 49.

DCLXXX.

Universis fidelibus ecclesiam Cracoviensem visitantibus indulgentiae conceduntur.

Clemens episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperancium tunc precipue benigno favore persequitur, cum devota ipsarum humilitas beatorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia Cracoviensis congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libencius causa devotionis confluant ad eandem, quo uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis Nativitatis domini, Circumcisionis, Epiphanie, Pasce, Ascensionis, Pentecostes ac in omnibus principalibus beate Marie, nec non sanctorum Wencislay et Stanislay, quorum prefata ecclesia est vocabulo insignita, festivitatibus prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, centum dies de iniunctis eis penitenciis, singulis videlicet dictarum festivitatum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione X. Kal. Augusti. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. III. ep. 673. fol. 302.

DCLXXXI.

Vromoldo archiepiscopo Rigensi licentia testandi conceditur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Vromoldo Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Quia presentis vite condicio statum habet instabilem, et ea, que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse, tu hoc salubri meditatione premeditans, diem tue perigrinationis extremum dispositione suprema desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus a te per ecclesiam tuam Rigensem ordinis sancti Augustini, cui preesse dinosceris, licite acquisitis, que altaris seu altarium ipsius ecclesie ministerio seu alcui speciali eorundem divino cultui seu usui non fuerint deputata, pro decentibus et honestis expensis tui funeris, ac pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverant, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum, moderate tamen, disponere et erogare possis, prius tamen de omnibus predictis ere alieno et hiis, que pro reparandis domibus seu edificiis consistentibus in locis predicte ecclesie culpa vel negligencia tua, vel procuratorum tuorum destructis seu deterioratis, nec non restaurandis domibus et aliis iuribus ipsius ecclesie ex culpa vel negligencia supradictis deperditis fuerint oportuna, deductis, (et) in pios usus ac licitos convertere valeas, non obstante, quod dicti ordinis professor existis, plenam et liberam auctoritate tibi presencium concedimus facultatem. Volumus autem, quod in eorundem dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga prefatam ecclesiam te liberalem exhibeas, prout consciencia tibi dictaverit et anime tue saluti videris expedire. Datum Avinione III. Idus Septembris. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. III. ep. 747. fol. 313.

DCLXXXII.

Praeposito et capitulo Rigensi conceditur, ut pricratum ecclesiae Rigensis viro idoneo conferre possint.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis . . . Preposito et Capitulo ecclesie Rigensis, salutem etc. Exigit vestre devocionis affectus, quo nos et Romanam ecclesiam reveremini, ut que ad vestrum et ecclesie vestre statum bonum cedere valeant, vobis affectu benevolo concedamus. Cum itaque Prioratus ecclesie Rigensis, cui cura imminet animarum, quem venerabilis frater noster Vromoldus Archiep̃us

Rigensis tempore promotionis per nos facte de ipso ad eandem ecclesiam obtinebat, per huiusmodi promotionem suam, et consecrationis munus apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum eidem apud sedem eandem vacare noscatur ad presens, nullusque preter nos de prioratu ipso hac vice disponere possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes prioratus, dignitates, personatus, officia ceteraque beneficia ecclesiastica, tam secularia, quam regularia, cum cura vel sine cura, tunc apud dictam sedem quocunque modo vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, et prioratum predictum, sicut ex tenore nobis per eundem Archiepiscopum exhibite peticionis accepimus, consueverunt pro tempore per electionem a vobis Capitulo factam, et ipsius electionis confirmationem a Prepositis, qui fuerint pro tempore, subsecutam priores assumi: Nos volentes devotionem vestram favore prosequi gratie specialis, dicti Archiepiscopi supplicationibus inclinati, vobis Capitulo eligendi et assumendi ad prioratum eundem personam ydoneam, tibique, Preposite, electionem huiusmodi confirmandi hac vice iuxta prefatam ipsius ecclesie consuetudinem, reservatione et decreto premissis nequaquam obstantibus, plenam et liberam discretioni vestre tenore presentium auctoritate apostolica de speciali gratia concedimus facultatem. Datum Avinione IIII. Idus Septembis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. III. ep. 1142. fol. 399.

DCLXXXIII.

Instrumentum, quo procurator Cracoviensis, quod ille fratrum Malabayla MMCCXXIII. scutata non accepit, protestatur.

In nomine domini amen. Universis ac singulis seriem Instrumenti publici presentis visuris vel audituris pateat evidenter, quod anno Nativitatis eiusdem Millesimo tricentesimo quadragesimooctavo, Indictione secunda, mensis Octobris die octava, Pontificatus in Christo Sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis divina providencia pape Sexti anno septimo, in presentia mei notarii publici et testium infrascriptorum providus et discretus vir Guisco de Zanditz, mercator et civis Cracoviensis, procurator et nuntius dicte civitatis Cracoviensis, necnon domini Nycholai de Wersingi iunioris, Iohannis Modil et Iasconis gener dicti domini Nycholai, procuratoris nomine ipsorum et uniuscuiusque optulit manualiter, presentialiter et efficaciter in parata pecunia se soluturum, et velle solvere et pagare ad opus Romane ecclesie et summi pontificis, primo pro dicta civitate Cracoviensi et pro dño Nycholao de Wersingi memorato quadragintaseptem marcas auri de vigintiduobus caracteris ponderis Cracoviensis, seu valorem earundem estimatione facta condigna in villa Brugensi, videlicet mille septingentos nonagintaquinque florenos auri ad scutum (et) quinque denarios grossorum turonensium, cum duobus sterlingis monete flandrensis, Item pro Iohanne Modil predicto sex marcas auri de vigintiduobus caracteris ponderis predicti, valentes ducentos vigintinovem florenos auri ad scutum cum quatuor denariis grossorum turonensium monete predicte, Item pro Iascone predicto quatuor marcas auri ponderis predicti, valentes centum quinquagintaduos florenos auri ad scutum et tredecim denarios grossorum turonensium monete priusdicte, discreto viro Rafaeli Damiani civi et mercatori Astensi, procuratori substituto ab Anthonio et Guideto Malabayla fratribus civibus Astensibus, prout patet manu Thome de Mox clerici Taurinensis diocesis, apostolica et Imperiali (auctoritate) publici notarii, receptoribus pecuniarum et quantitatum auri et argenti, ecclesiam Romanam seu dominum summum Pontificem tangentium, sicut liquet litteris papalibus vera bulla plumbea filo canapino pendenti bullatis. Quas vero litteras papales et procuratorum ego .... Notarius infrascriptus vidi diligenter atque legi, dum tamen dictus Rafael vellet eundem Guisconem quitare nomine quo supra et omnium et singularum predictorum de summis omnibus et singulis superius annotatis, ipsumque et dominos suos prelibatos necnon dominum Arnaldum de Lachaucina collectorem in regnis Ungarie et Polonie nomine domini pape et ecclesie Romane, et omnes singulos supradictos indempnes conservare. Qui quidem Rafael denegavit precise nolle promittere ipsum Guisconem et dominos suos predictos servare indempnes de solutione predicta, et predictus Guisco protestatus est coram me notario et testibus subscriptis nomine suo, et omnium et singulorum supradictorum omnium modo, iure et forma, quibus melius potuit et debuit, quod per eum non steterit nec stat, nec per dominos suos supradictos, quin solutio fuerit et sit facta tempore debito et promisso per eosdem, sed per dictum Rafaelem, qui eosdem non vult promittere servare indempnes de solutione summarum predictarum. Acta sunt hec in Villa Brugensi in

domo habitationis Rafaelis antedicti sita iuxta ecclesiam beati Petri, sub anno, indictione, mense, die, pontificatuque prescriptis, presentibus ibidem personis fidedignis, videlicet Arnoldo dicto Poltus, opidano Brugensi, Heinrico de Loen de Lubeke, Godescalco Wint de Zusato, Alberto Mummelare de Hontscote, et Petro de Furno famulo dicti Rafaelis Testibus ad premissa vocatis et rogatis specialiter in testimonium prescriptorum.

(L. S.) Et ego Petrus dictus Marre clericus Traiectensis dyocesis, sacrosancta apostolica et imperiali publicus auctoritate notarius, premissis una cum prenominatis testibus presens fui, ideo hic me subscripsi, signum meum solitum presentibus apponendo, rogatus.

Ex Instrum. miscell. Caps. 210. Nro. 17.

DCLXXXIV.

Ramwoldo Schaschonis domicello Vratislaviensis dioecesis indulgetur, ut cum sex hominibus loca sacra terrae sanctae visitare, ipsisque semel plenam peccatorum remissionem confessor elargiri possit.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Ramwoldo Schaschonis Domicello Wratislaviensis diocésis, salutem etc. Exigit paterne devotionis affectus, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut peticiones tuas, illas presertim, que animarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque hodie tibi per nostras certi tenoris litteras duxerimus indulgendum, ut sepulchrum dominicum et alia loca terre sancte cum sex personis catholicis, quas duxeris eligendas, visitare valeas, tuis supplicationibus inclinati, ut confessor ydoneus, quem tu et quelibet personarum predictarum duxeritis eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis, in sinceritate fidei et unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrancium existentibus, auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus: sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per heredes vestros, si tunc transieritis, faciendam iniungat, quod vos vel illi facere teneamini, ut prefertur, et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod ex confidencia remissionis huiusmodi alia forte committeretis, quoad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II. Kalendas Decembris. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. III. ep. 869. fol. 340.

DCLXXXV.

Vromoldo archiepiscopo Rigensi conceditur, ut ecclesias et coemeteria violata per idonsos presbyteros reconciliare possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Bromoldo Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Tue devotionis precibus benignum impartientes assensum, libenter ea tibi concedimus gratiose, que tue quietis commodum respicere dinoscuntur. Cum itaque, sicut pro parte tua fuit propositum coram nobis, sepe contingat ecclesias et cimiteria tuarum civitatis et diocesis per effusionem sanguinis vel seminis, et alias etiam per infideles et scismaticos violari, que non potes reconciliare commode per te ipsum, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ecclesias et cimiteria supradicta per aliquem sacerdotam ydoneum reconciliare valeas, quotiens fuerit oportunum, aqua prius per te vel alium antistitem, ut moris est, benedicta, presentium tibi auctoritate concedimus facultatem, per hoc autem constitutioni, que id precipit per Episcopos tantum fieri, nullum volumus imposterum preiudicium generari, Presentibus post decennium minime valituris. Datum Avinione Nonis Decembris. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. III. ep. 909. fol. 348.

DCLXXXVI.

Episcopo Vladislaviensi eiusque collegis, ut constitutionem Benedicti XII. circa apostatas pro Nicolao de Dirsovia observandam curent.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, et dilectis filiis . . . Archidiacono et . . . Precentori ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Dudum felicis recordacionis Benedictus papa XII. predecessor noster animarum periculis desideranter affectans occurrere, circa quorumlibet ordinum apostatas, et eciam de suis ordinibus eiectos, et quosvis alios religiosos sine prelatorum

suorum licencia per seculum evagantes, nonnulla salubria et utilia duxit auctoritate apostolica ordinanda: inter cetera namque voluit et ordinavit auctoritate prefata, quod universi et singuli tam exempti, quam non exempti prelati quorumcunque religiosorum quorumlibet ordinum, a quibus temere apostatarant ipsi apostate, illos ad habitum et religionem eorum priorem recipere tenerentur. Quod si forte dicti prelati, Capitula ecclesiarum, conventus, monasteria seu fratres eorum et locorum eorundem recusarent apostatas recipere prelibatos, ipsi prelati, Capitula, conventus et fratres per certos executores, super hoc a sede apostolica deputandos, ad eos recipiendos, salva ordinis disciplina, quam voluit et mandavit circa illos, qui sponte redirent, ea vice, ut infra scribitur, misericorditer temperari, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellacionis obstaculo, cogerentur. Voluit quoque et ordinavit circa eos ex dictis apostatis, qui ordinum mendicancium forent, quod si apostate ipsi ordinum mendicancium predictorum in suis primis locis eorundem suorum ordinum recipi commode nequirent, in aliis locis ordinis cuiusque ipsorum vel alterius ordinis dictorum mendicancium, si alii mendicantes huiusmodi apostatas recipere vellent, illa vice collocarentur, et nichilominus religiosi predictorum locorum eiusdem ordinis ad recipiendum iam dictos apostatas, qui transeundi ad alia loca ipsius ordinis haberent licenciam, ad recipiendum eosdem apostatas in locis huiusmodi per executores a dicta sede super hoc similiter deputandos, si opus foret, censura simili arcerentur. Rursus voluit et ordinavit erga omnes apostatas supradictos et quemlibet ipsorum per eorum prelatos, servato subscripto moderamine, provideri, scilicet quod ipsi prelati circa huiusmodi apostatas, eciam si ante vel post eorum apostasiam excessus in ordine suo vel extra illum commiserint, et proinde vel eciam ex quacunque alia causa in apostasiam huiusmodi lapsi fuerint, vel ordinis sui carceres effugerint, seu ab ipsis evaserint, pro predictis eis penam seu penitenciam salutarem imponerent iuxta eorundem ordinum antiqua statuta: quam tamen penam seu penitenciam sic eciam voluit misericorditer temperari, quod apostate ipsi terrore ulcionis seu pene non retraherentur a resumpcione religionis et habitus eorundem, memoratis insuper prelatis eorundem apostatarum dictos apostatas, qui ad religionem suam pristinam vel aliam mendicancium, ut pretangitur, redirent, absolvendi ea vice iuxta formam ecclesie ab excommunicacionis sentencia, in quam apostatando taliter inciderunt, et cum eis super irregularitate, quam occasione apostasie, vel alias forsan sic ligati divina officia celebrando, ymmo verius prophanando, aut illis se immiscendo dampnabiliter incurrerunt, prout eorundem apostatarum saluti dicti prelati expedire conspicerent, dispensandi plenam atque liberam eadem auctoritate potestatem concessit, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus quorumlibet ordinum, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum predictorum iuramento, confirmacione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, vel eciam privilegiis, indulgenciis aut litteris apostolicis, seu aliis quibuscunque, que premissis possent quomodolibet obviare, prout in litteris dicti predecessoris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut dilectus filius Nicolaus de Dirssovia, monachus Monasterii in Bissovia ordinis Cirsterciensis Wladislaviensis diocesis, lator presencium, nobis humiliter exposuit, ipse certis ex causis nobis expositis ab eodem Monasterio sit eiectus, nos eiusdem Nicolai deo et ipsi ordini reconciliari cupientis devotis supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios voluntates, ordinaciones, mandata et concessionem huiusmodi dicti predecessoris circa eundem Nicolaum faciatis firmiter observari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus omnibus supradictis, seu si Abbati et Conventui dicti Monasterii, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione XII. Kal Ianuarii. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Lib. V. Part. II. ep. 312. fol. 95.

DCLXXXVII.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut quaestionem inveteratam cum archiepiscopo Rigensi amicabiliter componant.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis Magistro et Conventui hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Quot et quanta sumptuum onera inveterata et agitata diutius questio inter vos et venerabilem fratrem nostrum . . . Archiepiscopum Rigensem utrique parti hactenus intulerit, quot et quanta dispendia generarit, ut labores corporum et inquietudines mencium taceamus, frequenter ad memoriam revocantes et cogitantes attente, quot et quanta, si iudiciarius finis dissensionis

huiusmodi expectetur, sit verisimiliter paritura, desideramus attencius, illam amicabiliter terminari, ut sicut litigio, sic expensarum oneribus finis decetero imponatur. Proinde discretionem vestram attente precamur, paternis vobis et sinceris affectibus suadentes, quatinus premissa et alia, que circa hec considerationi vestre possunt occurrere, super dissensione huiusmodi cum dicto Archiepiscopo, qui ad partes ipsas ad presens revertitur, pro nostra et apostolice sedis reverencia, et premissorum intuitu concordetis, nobis in hac parte non modicum placituri. Datum Avinione Kal. Martii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. ep. 785. fol. 162.

DCLXXXVIII.

Carolo regi Romanorum Vromoldus archiepiscopus Rigensis commendatur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Karolo Regi Romanorum Illustri, sal. etc. Venerabilis frater noster Vromoldus Archiepiscopus Rigensis ad ecclesiam Rigensem suc cure commissam duxit se presencialiter conferendum, quem nos pro meritis suis favorabiliter prosequentes, serenitatem tuam attente rogamus, quatinus Archiepum et ecclesiam predictos, ac alias sibi subditas ecclesias et personas ecclesiasticas pro divine maiestatis reverencia, et nostre interventionis obtentu benigne recipias commendatos, et in eorum oportunitatibus tui favoris presidio sic efficaciter prosequaris eosdem, quod et ipsi potencie tue protegantur auxilio, et nos sublimitati tue ad graciarum merita teneamur. Datum Avinione Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Secret. ep. 785. fol. 162.

DCLXXXIX.

Praelatis Poloniae, ut indulgentiam anni MCCCL. fidelibus basilicas apostolorum et Lateranensem in Urbe visitantibus concessam promulgent.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis, salutem etc. Dudum de fratrum nostrorum consilio et plenitudine apostolice potestatis indulgentiam, quam felicis recordationis Bonifacius papa VIII. predecessor noster omnibus vere penitentibus et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum basilicas de Urbe in anno a nativitate domini millesimo trecentesimo, et extunc quolibet anno centesimo secuturo certo modo visitarent, concessit, ad annum quinquagesimum duximus reducendam, statuentes, quod quicunque voluerit indulgentiam huiusmodi assequi, basilicas predictas ac Lateranensem ecclesiam in anno a nativitate eiusdem domini millesimo trecentesimo quinquagesimo proxime secuturo, et extunc de quinquaginta in quinquaginta annis certo modo visitare deberet, prout continetur plenius in confectis super hoc litteris nostris: quarum tenor talis est. Clemens episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Unigenitus dei filius de sinu patris in uterum dignatus est descendere matris, in qua et ex qua nostre mortalitatis substantiam divinitati sue in suppositi unitate ineffabili unione coniunxit, id quod fuit, permanens, et quod non erat, assumens, ut haberet, unde hominem lapsum redimeret, et pro eo satisfaceret deo patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, et adoptionem reciperent filiorum: Ipse namque factus nobis a deo sapientia, iusticia, sanctificatio et redemptio, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, eterna redemptione inventa. Non enim corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati precioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis pro nobis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, que tamen propter unionem ad verbum pro redemptione tocius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem nulla sanitas inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tante effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti ecclesie acquisivit, volens suis thesaurare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, dei amicitie participes sunt effecti: quem quidem thesaurum non in subdario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum celi clavigerum eiusque successores suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum, et pro piis ac rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pene temporalis pro peccatis debite tam generaliter quam specialiter, prout cum deo expedire cognoscerent, vere penitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum beate dei genetricis et omnium electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum prestare noscuntur, de cuius consumptione seu diminutione non

est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut predictum est, merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahunt ad iusticiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Quod felicis recordationis Bonifacius papa VIII. predecessor noster pie, sicut indubie credimus, considerans, et attenta meditatione revolvens, quanta apud homines gloriosi principes terre Petrus et Paulus, per quos evangelium Christi Rome resplenduit, et per quos ecclesia religionis sumpsit exordium, qui facti christiani populi per evangelium genitores, gregisque dominici pastores, fidei lucerne, ecclesiarum columpne pre ceteris peculiari quadam prerogativa in Christo salvatore fidei virtute precellunt, quorum uni, scilicet apostolorum principi, sicut bono dispensatori claves regni celorum commisit, alteri tamquam ydoneo doctori magisterium ecclesiastice eruditionis, in speciali veneratione (sic) haberi debeant, et debita honorificentia venerari, pro ipsorum memoria recolenda crebrius et reverentia a cunctis Christi fidelibus eis devotius exhibenda, ipsorumque patrocinio favorabilius assequendo, inconsumptibilem thesaurum huiusmodi pro excitanda et remuneranda devotione fidelium voluit aperire, decernens de fratrum suorum consilio, ut omnes, qui in anno a nativitate domini millesimo trecentesimo et quolibet anno centesimo extunc secuturo ad dictorum apostolorum basilicas de Urbe accederent reverenter, ipsasque, si Romani, ad minus triginta, si vero peregrini aut forenses, quindecim diebus continuis vel interpolatis saltem semel in die, dum tamen vere penitentes et confessi existerent, personaliter visitarent, suorum omnium obtinerent plenissimam veniam peccatorum. Nos autem attendentes, quod annis quinquagesimis in lege Mosayca, quam non venit dominus solvere, sed spiritualiter adimplere, iubileus remissionis et gaudii, sacerque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur, quodque ipse quinquagenarius numerus in Testamentis, veteri quidem ex legis datione, in novo ex visibili sancti spiritus in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur, quodque huic numero plura et grandia divinarum adaptantur misteria scripturarum, et clamorem peculiaris populi nostri Romani videlicet hoc humiliter supplicantis, ac nos ad instar Moysi et Aaron per proprios et solennes nuncios, ad hoc specialiter destinatos, orantis pro toto christiano populo et dicentis: Domine aperi eis Thesaurum tuum, fontem aque vive; desiderantes benignius exaudire, non quidem, ut sicut illius populi Israelitici indurati cessit murmuratio, sed ut istius predilecti populi et cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, caritas vehementius incalescat, volentesque quam plurimos huiusmodi indulgentie fore participes, cum pauci multorum respectu propter vite hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, de fratrum nostrorum consilio predictam concessionem eiusdem indulgencie ex suprascriptis et aliis iustis causis ad annum quinquagesimum ducimus reducendam, statuentes de fratrum consilio predictorum et apostolice plenitudine potestatis, ut universi Christi fideles, qui vere penitentes et confessi in anno a nativitate eiusdem domini millesimo trecentesimo quinquagesimo proxime futuro, et deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in quinquaginta annis predictas eorumdem apostolorum Petri et Pauli basilicas ac Lateranensem ecclesiam, quam inclite recordationis Constantinus, postquam per beatum Silvestrum, sicut per eosdem apostolos, deo revelante, cognovit, renatus fonte baptismatis fuerat, et contagio lepre mundatus, in honorem salvatoris construxisse, quamque idem beatus Silvester novo sanctificationis et crismationis genere dedicasse leguntur, et in cuius ecclesie parietibus prefati salvatoris ymago depicta primum toti populo Romano visibiliter apparuit, devotius veneranda, quam ex hiis et aliis certis et rationabilibus causis, ut ipsa ecclesia pariter indulgentie predicte privilegio decoretur, et devotus populus ab eodem salvatore, qui in prefatis apostolis mirabilis predicatur, eorum meritis et precibus indulgentie mereatur percipere largitatem, in hoc censuimus honorandam, causa devotionis modo premisso visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequantur, ita videlicet, ut quicunque voluerint huiusmodi indulgentiam assequi, si Romani, ad minus triginta continuis vel interpolatis saltem semel in die, si vero peregrini aut forenses, modo simili quindecim diebus ad predictas basilicas et ecclesiam accedere teneantur; ac adicientes, ut hii etiam, qui pro ea consequenda ad easdem basilicas et ecclesiam accedentes, post iter arreptum impediti legitime, quominus ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut in via vel dierum pretaxato numero non completo in dicta Urbe decesserint vere penitentes, ut premittitur, et confessi, eandem indulgentiam consequantur. Omnes nichilominus et singulas indulgencias per nos vel predecessores nostros Romanos pontifices tam prenominatis, quam aliis basilicis et ecclesiis de dicta Urbe concessas ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica confirmamus et approbamus, ac etiam innovamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo

omnino hominum liceat hanc paginam nostre reductionis, constitutionis, adiectionis, confirmationis, approbationis et munitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et dictorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum. Datum Avinione VI. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus predictas litteras nostras subditis vobis clero et populo publicetis et intelligibiliter exponatis, ut adiuvante domino ad promerendam huiusmodi indulgentiam se disponant. Ceterum, quia presentes littere nequirent forsitan propter viarum discrimina vel alia impedimenta legitima singulis vestrum commode presentari, volumus, quod per te, frater Archiepiscope, dictarum litterarum transsumptum manu publica scriptum tuoque munitum sigillo vobis, fratres suffraganei, transmittatur, cui velut originalibus litteris adhiberi volumus plenam fidem. Datum Avinione XV. Kal. Septembris. Anno Octavo.

In e. m. Archiep̄o Rigensi et eius suffraganeis, et aliis Archiep̄is eorumque suffraganeis.

Ex Reg. orig. An. VIII. Lib. I. Part. I. ep. 1. fol. 1.

DCXC.

Nuntio apostolico, ut ep̄um Cracoviensem ad restituendam certam pecuniam camerae apostolicae reservatam compellat.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacalcina Scolastico ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Dudum bone memorie Petro Episcopo Cracoviensi in humanis agente, nos disposicionem bonorum mobilium debitorum et creditorum ipsius Episcopi, que haberet vel pertinerent tempore sui obitus ad eundem, nobis ex certis causis racionabilibus duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero, sicut testimonio plurium fidedignorum accepimus, eodem Episcopo apud sedem apostolicam rebus humanis exempto, Venerabilis frater noster Bodzata Episcopus Cracoviensis, immediatus successor eiusdem Petri, quadraginta septem marchas auri ad eundem Petrum Episcopum pertinentes auctoritate propria occupans, eas propriis usibus applicavit et applicat pro sue libito voluntatis. Volentes igitur super hoc de oportuno remedio providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel alium seu alios summarie, simpliciter ac de plano ac sine strepitu et figura iudicii de hiis, si expedire videris, te informans, si inveneris ita esse, eundem Bodzatam Episcopum sive quoscunque alios dictarum quadraginta septem marcharum auri detentores ad tradendum, assignandum et restituendum illas tibi, necnon contradictores, cuiuscunque status, ordinis, dignitatis aut preminencie fuerint, auctoritate nostra, appellacione remota, compellas, non obstante, si eis aut eorum aliquibus, aut quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Secret. fol. 68.

DCXCI.

Regi Poloniae, ut archiepiscopus Gnesnensis sacerdotes ad Lithuanos ad fidem catholicam conversuros mittat.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kaczmiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Magnificat anima nostra dominum, et in deo salutari nostro iubilat et exultat, quod ipse, qui est vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, (in) corda nobilium virorum Kerstutis et germanorum suorum ducum Litwanorum, tuo cooperante studio, lumen vere lucis infundens, sic illa veritatis sue radio illustravit, quod ipsi, prout te insinuante percepimus, cece paganitatis expurgatis erroribus et tenebris effugatis, ad catholice fidei veritatem una cum subditis populis concitis gressibus venire festinant, de quo ei, qui ad liberandum suscepturus hominem non orruit ergastula uteri virginalis, quique devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna celorum, laudes et gracias referentes, eum in humilitate spiritus suppliciter exoramus et petimus, ut eos in hac zeli rectitudine, in hoc fervore spiritus, in hac veritatis sinceritate confortans, det ipsis sic vere fidei lumen vere cognoscere, quod renati fonte baptismatis et turmis fidelium aggregati, una cum eisdem populo Regni celestis gaudia post resolucionem corporum consequi mereantur. Cum autem, fili Carissime, Kerstutim et germanos eosdem per alias nostras litteras exhortemur, ut ipsi solicite agant, quod te nobis, sicut prefertur, significante per-

cepimus, agant, ad quod gracia divina preambula preparare (?) dicuntur, festinent ad sempiterne salutis premia, ad felicitatis eterne gaudia concite studeant preparare, ut ille, a quo omnis potestas est, potentes ipsos in hoc mundo potenciores efficiat, et post huius incerte ac labilis vite cursum inter sanctos et electos suos in tabernacula sue immarcessibilis et indeficientis glorie pius et misericors introducat; eis etiam per easdem litteras pollicemur, quod eos dictosque populos, postquam purificati unda sacri lavacri nostre fidei susceperint documenta, intendimus, prestante deo, apostolicis communire presidiis, favoribus proeequi et auxiliis confovere, ipsosque Kerstutim atque germanos ac heredes et successores eorum insignire titulo regio et regalibus insigniis decorare, iustique favoris presidio ipsos in eorum conservare iuribus et tueri: Serenitatem tuam requirimus attente et hortamur, rogantes tibique tue salutis obtentu nichilominus iniungentes, quatinus dictos duces in hiis confortare, animare ac accendere studeas, et considerans provide, quante tibi glorie titulos in hoc mundo, et quam magnum meritum in celesti patria comparabis, quantumque gaudium erit dei angelis, quibus, evangelica veritate testante, maius gaudium est super uno peccatore penitenciam agente, quam supra nonaginta novem iustis, qui non indigent penitencia, in conversione tot milium personarum, quas tu promotor fidelis et operator sedulus ad salutem dirigens perducas ad gaudia paradisi, persta, labora solicite et annitere fortiter, ut opus deo propicio inchoatum, ipso prestante studio tuo virtutem, fine laudabili et felici exitu consummetur. Ut autem opus huiusmodi, iactis solidis fidei fundamentis, in structuram crescat auctore domino firmiorem, Venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi aliis nostris litteris damus expressius in mandatis, ut ipse sacerdotes dei, viros utique timoratos et in lege domini eruditos, ad eosdem ducem et populos celeriter mittere studeat, qui illos sacri baptismatis unda regenerent, in eadem fide fideliter instruant, salubriter dirigant recteque informent, ut qui dudum, seducente diabolo, fuerunt tenebrarum filii et erroris, nunc autem, inspirante domino, per nostre regenerationis lavacrum filii lucis fiant et hereditatis dominice coheredes. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Secret. fol. 80.

DCXCII.

Archiepiscopo Gnesnensi super eodem argumento.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, salut. etc. Magnificat etc. usque mereantur, verbis competenter mutatis. Cum autem frater etc. ut supra usque tueri: fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus aliquos presbiteros viros probos, deum timentes et in lege domini eruditos, seculares vel regulares, cuiuscunque sint religionis vel ordinis, de quacunque civitate sive diocesi, qui auctoritate nostra dictos duces ac alios Litwanos in eadem fide fideliter instruant, salubriter dirigant, recteque informent, et baptismatis renovent sacramento, ad partes illas eadem auctoritate transmittas, contradictores etc. Non obstantibus exemptionis et aliis quibuscunque privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, nec non locis, ordinibus et nominibus propriis oporteat in nostris litteris specialem et expressam fieri mencionem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. Secret. fol. 81.

DCXCIII.

Kerstuti eiusque germanis ducibus Lithuanorum ad fidem catholicam conversuris pontifex congratulatur.

Clemens episcopus etc. Nobilibus viris Kerstuti eiusque germanis ducibus Litwanorum, veram fidem agnoscere et agnitam custodire. Gaudemus et exultamus in domino, quod ipse, qui est vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, cordibus vestris lumen vere lucis infundens, sic illa veritatis radio illustravit, quod sicut, carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Rege Polonie Illustri nobis intimante, percepimus, vos cece paganitatis expurgatis erroribus et tenebris effugatis, ad catholice fidei veritatem una cum subditis vobis populis concitis gressibus properatis, de quo ei, qui ad liberandum suscepturus hominem non orruit ergastula uteri virginalis, quique devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna celorum, laudes et gracias referentes, ipsum in humilitate spiritus suppliciter exoramus et petimus, ut vos in hac zeli rectitudine, in hoc fervore spiritus, in hac veritatis

puritate confortans, det vobis sic vere fidei lumen agnoscere, ut renati fonte baptismatis, una cum eisdem populis celestis regni gaudia possitis in dumino promereri. Agite itaque, viri fortes, quod de vobis, eodem Rege significante, percepimus, agite, ad quod gracia divina preambula dicimini properare, festinate ad sempiterne salutis premia, ad gaudia felicitatis eterne concite properate, ut ille, a quo omnis ubique potestas est, et in hoc mundo vos potenciores efficiat, et post huius incerte ac labilis vite cursum inter sanctos et electos suos in tabernacula sue indeficientis glorie pius et misericors introducat, tenentes indubie, quod vos dictosque populos, postquam purificati unda baptismatis nostre fidei receperitis documenta, intendimus, prestante deo, apostolicis communire presidiis, favoribus prosequi et auxiliis confovere, vosque ac successores vestros titulo regio insignire, et regalibus insigniis decorare, ac in vestris manutenere et conservare iuribus et tueri. Ut autem ad agnicionem eiusdem fidei cicius et rectius pervenire possitis, Venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi per alias nostras litteras damus expressius in mandatis, quod ipse sacerdotes dei eruditos in lege domini ad vos cito mittere studeat, qui vos baptismatis unda regenerent, in eadem fide instruant, dirigant et informent, ut iactis per eos in vobis eiusdem fidei solidis fundamentis, sanctum domini crescatis in templum, et qui dudum eratis filii tenebrarum, nunc per vestre regeneracionis lavacrum sitis lucis filii et hereditatis dominice coheredes. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Secret. fol. 81.

DCXCIV.

Archiepiscopo Gnesnensi eiusque suffraganeis, ut sectam flagellantium ab eorum dioecesibus arceant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis, salutem etc. Inter sollicitudines innumeras et immensas, quibus ultra vires ex apostolice servitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissimum insidet, et ad hoc attentius studia nostra convertimus et conatus, ut apud omnes christiani nominis professores orthodoxa fides fulgeat, et sic catholice et apostolice ecclesie norma sine cuiusque simulationis, fictionis seu velaminis palliis pure et inviolabiliter observetur, quod a vinea domini Sabaoth, cuius cura et custodia nobis licet immeritis est commissa, vepres et urtice tam periculose quam dampnabiliter succrescentes evellantur raditus, et vulpecule, que ipsam demoliri nituntur, per apostolice sedis providentiam abigantur. Sane molesta nobis licet fidedigna magnorum relatio et multorum assertio nostrum et fratrum nostrorum non mediocriter turbavit auditum, quod in partibus Alamannie et ei convicinis quedam sub pretextu devotionis et agendi penitentie varia religio et supersticiosa adinventio, procurante satore malorum operum, insurrexit, per quam profana multitudo simplicium hominum, qui se flagellatores appellant, decepta verbis fictis et mendacibus malignorum asserentium, salvatorem nostrum Ierosolimis Patriarche Ierosolimitano apparuisse, cum tamen a longis citra temporibus nullus ibidem presentialiter fuerit Patriarcha, et sibi aliqua dixisse, que colorem non habentia nec saporem in quibusdem (sic) scripture sacre obviare noscuntur, in illam cordis vesaniam et inane dampnationis precipitium est deducta, et de die in diem suggestione hostis antiqui se, ut dominicum gregem devoret, transferentis in lucis angelum, nimium succrescendo deduci cornua trahente (?) cortinam periculosius formidatur, quod se per societates et conventiculas, licet caudas invicem collegatas habeat dividentes, diversas circuivit patrias, ceterorum vitam et statum contempnendo se iustificavit, et claves ecclesie vilipendunt (?) ac in contemptum discipline ecclesiastice crucem domini ante se, et habitum certum nigrum, videlicet ante et retro ipsius vivifice crucis impressum habens signaculum, sine superioris licentia deferentes, sub nomine penitentie vitam gerunt insolitam, congregationes conventuales et coadiuvationes, que a iure sunt prohibite, faciunt, et ad alios actus prosiliunt a vita et moribus communibus et observantia fidelium alienos, ordinationes et etiam statuta, quibus utuntur, seu verius abutuntur, propria temeritate fecerunt, erroris suspicione non vacua et iudicio carentia rationis: sed ex eo tanquam deo et hominibus amplius odiosa turbamur acerbius et durius anxiamur, quod quidem religiosi, presertim de ordinibus mendicantium, qui alios ab invio revocare debuerant et ad viam reducere veritatis, ab utero matris ecclesie velud maledictionis filii nequiter aberrantes, linguas suas, ut alios pertrahant in errorem, acuunt, quibus corda debilia vulnerant infirmorum, et ignorantes dei iusticiam et suc prudentie inicientes, dum legi dei nolunt esse subiecti, alios in persuasibilibus humane sapientie verbis predicando et dogmatizando contra ecclesiasticam libertatem et fidei

catholice puritatem, ab ipsa fidei veritate subducere moliuntur, et ut efficacius officiant et conceptum virus latenter effundant, blandis prorsus sermonibus auditores, quasi bonum vinum primum ponendo, satagunt irretire, ut cum inebriati fuerint, illud, quod est deterius, ingerentes cum ipsis in perditionis laqueum incidant, ac in profundum malorum pariter demergantur. Nos igitur tam pernicioso et periculoso principio, per quod ultro divine maiestatis offensam magnum reipublice paratur periculum, et apud fideles scandalum generatur, ne deteriores processus pariat et successus, obstare volentes, et considerantes, quod cum plerique ex ipsis seu adherentes eisdem sub pietatis colore ad impietatis opera laxantes crudeliter manus suas, Iudeorum, quos pietas christiana recipit et sustinet, offendi eos aliquatenus non permittens, et frequenter christianorum sanguinem effundere, et opportunitate captata bona clericorum et laicorum dirripere et suis usibus applicare, ac superiorum iurisdictionem usurpare, et ad multa alia illicita prorumpere minime vereantur, timendum est, quod tam presumpta temeritas et temeraria presumptio, nisi ei per salubre antidotum occurratur, paritura sint non levem perniciem, et aliquorum morborum letali contagio serpens in plurimos sero recipiat medicinam; attendentes insuper, quod error, cui non resistitur, quodammodo approbari videtur, et quod ex officio nobis iniuncto compellimur, ut quos per iter devium errando currere et plures in precipicium secum trahere perspicimus, ac in dispersione multarum gentium ambulare, revocemus a devio, et ut in viam veritatis et iusticie gressus suos dirigant, providere per opportuna remedia studeamus, Fraternitati vestre per apostolica scripta committimus, et districte precipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus per vos, vel alium seu alios adinventiones huiusmodi et ritus profanos, quos una cum societatibus, conventiculis et congregationibus, ac statutis et ordinationibus per supradictos, qui se, ut premittitur, flagellatores appellant, temerarie attemptatis de fratrum nostrorum consilio perpetue prohibitioni subiecimus, et tamquam illicita reprobavimus, auctoritate nostra reprobos et illicitos publice nuncietis, ac omnes tam clericos seculares et regulares, quam laycos de predicta supersticiosa secta seu societate, quocumque appellantur nomine, existentes vel eam sectantes auctoritate predicta monere et inducere studeatis, ut ab huiusmodi observantia, secta et vanagloria taliter desistere et resilire procurent, quodque nullus deinceps predictam sectam seu conventiculam presumat intrare, aut ritus et statuta societatum huiusmodi observare, Contrarium facientes per censuram ecclesiasticam cohercendo, nec non et eos, in quos temporalem iurisdictionem habetis, per penas temporales, de quibus expedire videritis, appellatione postposita, compellatis. Sane ut religiosi et alii errorum magistri, qui predicando et dogmatizando simplices decipiunt, et ceci ducatum cecis prebentes ipsos in foveam secum trahunt, etsi non divino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito revocentur, omnes et singulos, cuiuscumque sint ordinis, religionis, dignitatis, preminentie sive status, quos in predictis vobis constiterit deliquisse, capi, non obstante quocumque privilegio vel indulto, quod in hoc eis suffragari nolumus, faciatis, et tandiu captos detineatis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: per predicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi canonice penitentiam vel etiam non impositam, dummodo recta intentione et pura devotione ad illam peragendam procedant, in suis hospiciis vel alias absque suspicionibus congregationibus, societatibus et conventiculis supradictis possint facere, et se in bonis operibus exercendo, virtutum domino, prout ipse inspiraverit, in humilitatis spiritu deservire. Ceterum, cum presentes littere nequirent singulis vestrum propter viarum discrimina commode presentari, volumus, quod te, frater Archiepiscope, earum transumptum publica manu scriptum et tuo communitum sigillo vobis suffraganeis transmittatur, cui adhiberi volumus plenam fidem. Datum Avinione XIII. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia, Lib. I. Part. I. ep. 56. fol. 3.

DCXCV.

Carolo regi Romanorum de eius nunciis receptis, circa negocia Herbipolensis et subiectionis Vratislaviensis ecclesiarum ad curiam Romanam missis, respondetur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Karolo Regi Romanorum Illustri, sal. etc. Serenitatis tue litteras, quas nobis dilectus filius Henricus Prepositus Iderasiensis Pragensis, ordinis sancti Augustini, ac nobilis vir Iohannes de Kalemburc miles Pragensis diocesis, eiusdem serenitatis nuncii, nobis pro parte tua noviter presentarunt, ipsosque nuncios contemplatione tua benigne recepi-

mus, et auditis, que dicti nuncii pro parte tua nobis super Erbipolensis et subiectionis Wratislaviensis ecclesiarum negociis retulerunt, nos beneplacita tua, quantum cum deo possumus, favorabiliter prosequentes, super huiusmodi eiusdem ecclesie Erbipolensis negocio, preter et contra voluntatem nonnullorum fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, negocium ipsum omuino infactibile asserencium, petitioni tue duximus annuendum. Super negocio vero subiectionis huiusmodi dilectus filius .... Cancellarius Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris pro parte Regis ipsius, ad impediendum super hoc votum tuum iu Consistorio multa proposuit, ob quod tibi adhuc plene non possumus respondere, sed habita super hoc cum fratribus deliberatione predictis, et adhibitis per nos viis et modis, quos pro contentatione tua putabimus adhibendos, sublimitati tue quicquid deliberabitur, intimabimus seriose. Dat. Aviuione Nonis Febr. Anno VIII. Ex Reg. orig. An. VIII. Secret. fol. 142.

DCXCVI.

Ioannes ecclesiae Varmiensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Regis eterni providencia, cuius iuscrutabili altitudine in regno mundi etc. Dudum siquidem bone memorie Hermanno Episcopo Warmiensi regimini Warmiensis ecclesie presidente, Nos intendentes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisiouem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Hermanni Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie ignorantes, ut dicitur, reservationem et decretum nostrum huiusmodi, te tunc Decanum ipsius ecclesie, in sacerdocio constitutum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter ignarus, ut asseris, electioui huiusmodi illius tibi presentato decreto consensisti: et deinde tu dubitans de reservatione predicta ad sedem eandem personaliter accessisti, et huiusmodi electionis tue negocio pro parte tua et Capituli predictorum exposito coram nobis, Nos attendentes electionem ipsam post et contra reservationem et decretum predicta attemptatam fuisse, ipsam reputavimus, prout erat, irritum et inane, et ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice disponere potuit neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus antedictis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite mundicia, honestate morum, spiritualium prudentia et temporalium providencia aliisque virtutum multiplicium meritis, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, considerata etiam predictorum te eligencium unanimi voluntate, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Portuensem tibi fecimus apud eandem sedem munus consecrationis impendi, firma spe fidueiaque conceptis, quod eadem ecclesia, deo auctore, per tue circumspectionis industriam preservabitur a noxiis et adversis, ac spiritualiter et temporaliter salubria suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione supportans, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kalendas Maii. Anno Octavo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Warmiensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Warmiensis, universis Vassallis diete ecclesie ac Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Rigensi etc.

Ex Reg. orig. An. VIII. Lib. III. Part. I. ep. 125. fol. 73.

DCXCVII.

Eidem conceditur, ut IIIM. flor. auri mutuum contrahere possit.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Concedit ipsi licentiam usque ad summam trium millium florenorum auri mutuum contrahendi. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. Lib. II. ep. 1515. fol. 448.

DCXCVIII.

Iacobus ecclesiae Culmensis episcopus confirmatur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Culmensi, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quo nos et Romanam revereris ecclesiam, necnon litterarum scientia, vite et morum honestas et alia multiplicia dona virtutum, quibus, ut habet multorum fidedigna relatio, adiuvaris, exposcunt, ut votis tuis favorabiliter annuamus. Sane pro parte tua fuit nobis nuper expositum, quod ecclesia Culmensis, cui preesse dinosceris, per obitum bone memorie Ottonis Episcopi Culmensis, qui in partibus illis decessit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie te in Culmensem Episcopum canonice elegerunt, et quod tu consentiens electioni huiusmodi de te facta obtinuisti illam auctoritate metropolitica confirmari, tibique munus consecrationis impendi, teque administracioni eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus ingessisti. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum tu timeas eandem ecclesiam electionis, confirmationis et consecrationis predictarum aut alicuius earum temporibus fuisse dispositioni apostolice reservatam, et quod perinde possis imposterum molestari, providere tibi et statui tuo de oportuno remedio dignaremur. Volentes itaque te prosequi favoribus gratiosis, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod electio, confirmatio et consecratio huiusmodi perinde valeant, et robur obtineant firmitatis, quacumque reservatione speciali per nos de ipsa ecclesia forte facta nullatenus obsistente, ac si ecclesia ipsa huiusmodi electionis, confirmationis et consecrationis aut alicuius earum temporibus reservata per nos specialiter non fuisset, omnia et singula per te tamquam Episcopum Culmensem alias rite gesta et administrata auctoritate predicta approbantes et confirmantes. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, concessionis, approbationis et confirmationis infringere etc. Datum Avinione xv. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Lib. III. Part. II. ep. 259. fol. 61.

DCXCIX.

Iacobo episcopo Culmensi licentia IIIM. flor. auri mutuum contrahendi conceditur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Episcopo Culmensi, salutem etc. Cum sicut pro parte tua fuit expositum coram nobis, tam pro tuis expensis necessariis, quam ecclesie tue Culmensis negociis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam Trium milium florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licenciam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie utiliter promovenda et expedienda negocia circumspectione ac diligentia pleuius in domino confidentes, nec volentes, quod propter ipsarum expensarum defectum indigentiam patiaris, vel quod eadem negocia inexpedita remanere contingat, tuis supplicationibus incliuati, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam trium milium florenorum auri nomine tuo et ipsius ecclesie Culmensis, ac te et successores tuos Episcopos Culmenses et predictam ecclesiam, ac tua et eorumdem bona mobilia et immobilia presentia et futura usque ad summam predictam propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi, et renunciandi de duabus dietis edite in Concilio generali, et felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. ut in forma solita. Datum Avinione octavo Kal. Septembris. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Lib. III. Part. II. ep. 156. fol. 43.

DCC.

Episcopo Osiliensi eiusque collegis, ut omnibus earumdem partium mercatoribus prohibeant, ne arma, ferrum, equos et victualia Ruthenis catholicae fidei inimicis vendere aut portare praesumant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Osiliensi et ... Tarbatensi Episcopis, ac dilecto filio ... Preposito ecclesie Rigensis, salutem etc. Nuper ex parte Carissimi in Christo filii nostri Magni Regis Swecie Illustris fuit propositum coram nobis, quod cum quedam gentes, que Kareli et Ingri nuncupantur, Regno Swecie vicini, immo ex una parte contigui, cognito sue infidelitatis errore, eodem Rege, quem pro suscipienda fide christiana in eorum auxilium specialiter invocarunt, ipsos ab insultibus et oppressionibus, quibus Rutheni eiusdem fidei inimici eos frequentius affligebant, manu

valida protegente, eandem fidem susceperint et baptismum, iidem Rutheni ex hoc ad eorum exterminium aspirantes, ac post eiusdem Regis ab inde recessum inopinate in eos et eorum ac aliorum christianorum partium earundem terram ferali immanitate grassantes, alios eorum gladiis, alios suspensos ad arbores, alios canum morsibus laceratos, et alios incredibilibus tormentorum generibus occiderunt, reliquos Karelos et Ingros superstites in crudelem servitutem redactos ad pristinam erroris sui cecitatem reddire prothdolor compellentes, ac nonnulli dictarum partium, qui christiano nomine gloriantur, ceca cupiditate seducti, eisdem inimicis crucis intendentibus ad totalem exterminium eorundem in armis, equis, navigiis, victualibus et aliis mercimoniis subvenire presumunt, in quo pares aut superiores in malicia fiunt illis, dum eis ad impugnandum christianos necessaria subministrant. Cum autem fideles deceat universos non ad impedimentum religionis intendere christiane, discretionem vestram rogamus et hortamur in deo, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios pro divina reverentia mercatoribus partium earumdem interdicatis et inhibeatis expresse, ne dictis Ruthenis in premissis vel alias audeant subvenire, alioquin illos, qui contravenire presumpserint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Dat. Avinione II. Idus Marci. Anno IX.

Ex Reg. orig. An. IX. Lib. II. Part. II. ep. 1536. fol. 163.

DCCI.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut Karelos et Ingros una cum rege Sveciae contra Ruthenos adiuvent.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis .... Magistro generali et fratribus domus beate Marie Theotonicorum Ierosolimitane, salutem etc. Ad opera pietatis, per que divini nominis amor acquiritur et salutis commoda providentur, eo vos libentius invitamus, quo illa tenemini ex voto vestre religionis ferventius exercere. Cum igitur (sicut) ex veridica relatione percepimus, quorundam feritas, qui Ruteni vulgariter nuncupantur, adversus gentes illarum partium, Karelos et Ingros vulgariter nuncupatos, pro eo, quod suc infidelitatis errore cognito ad fidem catholicam noviter sunt conversi, ad eorum exterminium immaniter prosequatur, eos ad pristine suc cecitatis errorem reddire multipliciter compellens: Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vobis in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus cum ex defensione fidelium peccatorum veniam fideles quilibet consequantur, aliquos ex vestris numero et strenuitate potentes ad dictorum Karelorum et Ingrorum partes in eorum defensionis auxilium, cum super hoc pro parte Carissimi in Christo filii nostri Magni Regis Swecie Illustris, qui in premissis partibus negocium huiusmodi ferventer assumpsit ex animo consequendum, requisiti fueritis, transmittatis, ita quod vestro interveniente suffragio, in illis partibus augeatur numero et merito populus christianus, vobisque apud deum accrescat cumulus meritorum, qui multa maiora retribuit fideliter servientibus, quam speretur. Datum Avinione II. Idus Marcii. Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Lib. II. Part. II. ep. 1535. fol. 163.

DCCII.

Praelatis Poloniae decima omnium ecclesiasticorum proventuum ad onera ecclesiae Romanae sublevanda, ac regi Poloniae ad convertendos Ruthenos persolvenda per quadriennium imponitur.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratibus ... Archiepiscopo Gneznensi et universis Epis ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, et aliis ecclesiarum Prelatis et Rectoribus, Capitulis quoque, Collegiis et Conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per Regnum Polonie constitutis, salutem etc. Attendentes innumera, grandia et onerosa negocia, quo mundi cursus undique quasi alvearibus decursibus in Romanam derivat ecclesiam, et quod hoc presertim tempore multa onera confluentia et imminentes sibi necessitates exposcunt, ut eadem ecclesia circa plurima et diversa pie matris sedulitatem exhibeat, et officium ingentis provisionis impendat, ad que levius supportanda expedit subiectas ecclesias in auxilium matris exuberare suffragia, et in supportationem imminentium onerum fatigari, disponebamus pro predictis necessitatibus et oneribus levius perferendis decimam omnium reddituum, et proventuum ecclesiasticorum in Regno Polonie consistentium imponere per certi temporis spacium in relevationem onerum huiusmodi exigendam. Verum quia, sicut postmodum pro parte Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie Illustris per certos

ipsius uuncios propositum extitit coram nobis, idem Rex, divino mediante auxilio, non sine gravibus sumptibus et expensis infidelium Ruthenorum terras sive Ducatus, in quibus possunt constitui et creari septem diffusi Ep̃atus cum suo Metropolitano, sue potestati et dominio iam subiecit, et quod unus ex pocioribus Ducibus dictarum terrarum cum sua gente et commitiva ad Catholicam fidem, eodem Rege ad hoc ipsum inducente, conversus ceperit baptismatis sacramentum, et quod Tartari, christiani nominis inimici, qui Ruthenis dominabantur eisdem, occasione huiusmodi provocati, facta confederatione cum Litwanis eiusdem fidei inimicis, qui eisdem Ruthenis confinant, post captionem ipsarum terrarum continue hostiliter dictas terras invadunt, propter quod eisdem infidelibus prohibendo dictarum terrarum ingressum, prefatum Regem oportet stipendiarios de necessitate tenere, prout tenet, et fortalitia fortificare et etiam communire, et quod nisi stipendiarii ibidem pro custodia et defensione dictarum terrarum continue teneantur, ac fortalicia fortificentur et muniantur, pro certo nedum dicte terre, sed etiam tota Polonia per potentiam et insultum Tartarorum et Litwanorum predictorum vastari poterunt et etiam desolari, pro parte ipsius Regis nobis extitit humiliter supplicatum, ut sibi pro aliquali supportatione dictorum onerum, ac gubernatione et ampliatione ipsius Regni, quod ecclesie Romane subiectum censuale fore dinoscitur (et) ad presens cum eisdem Infidelibus guerram habet, de aliquo decimali subsidio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut tam ecclesie quam Regis predictorum necessitatibus huiusmodi aliquatenus consulatur, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, decimam omnium redditiuum et proventuum ecclesiasticorum in dicto Reguo consistentium per quadriennium, a festo omnium Sanctorum proximo futuro in antea computandum, ab omnibus Archiepiscopis et Episcopis, ac Prelatis aliis, et personis ecclesiasticis quibuscunque, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis Regni eiusdem, cuiuscumque sint dignitatis, condicionis aut status, religionis vel ordinis, quibus et eorum alicui quo ad hoc nulla privilegia vel indulgentias volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, monasteria, prioratus, dignitates, personatus et officia, canonicatus et prebendas, ecclesias aut alia quecunque, qualiacunque et quotcunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura in Regno eodem obtinentibus, vel obtenturis imposterum, qui in apostolice solicitudinis partem assumpti, nobiscum emergentium undique negotiorum universalis ecclesie nostris humeris incumbentia onera sorciuntur, quique profundi et perutilis assiduitate consilii vigilantes assidue pro rebus publicis et privatis statui salutique fidelium student sedulitate continua providere, necnon a dilectis filiis ..... Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohanuis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, propter hoc ad prestationem dicte decime exemptos esse volumus et immunes, exigendam iuxta morem, modum et consuetudinem in exactione huiusmodi hactenus observata de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica tenore presentium imponimus, voleutes et etiam ordinantes, quod dicta decima inter nos pro nostris et eiusdem ecclesie Regemque predictum pro suis relevandis necessitatibus annis singulis dicti quadrienni equaliter, sicut inferius exprimitur, dividatur, quodque huiusmodi decima per te, frater ... Archiepiscope, et dilectos filios ... Decanum et Arnaldum de Lacaucyna Scolasticum ecclesie Cracoviensis, in dicto Regno nostrum et dicte sedis nuncium, quibus collectionem huiusmodi decime per alias nostras litteras providimus committendam, seu per subcollectores super hiis deputandos a te, Archiepiscope, Decano et Arnaldo predictis, clericos dumtaxat, in duobus terminis annis eiusdem quadriennii, videlicet pro medietate huiusmodi decime cuiuslibet anni in omnium Sanctorum, et pro alia medietate in Ascensionis domini extunc proximo subsequenti festivitatibus, (quas) vobis omnibus et singulis ad predictam solvendam decimam presentium tenore prefigimus et etiam assignamus, colligatur et etiam exigatur per Archiep̃um et eosdem Decanum et Arnaldum Scolasticum, de ipsorum redditibus et proventibus ecclesiasticis, quos in dicto Regno obtinent, iuxta morem observatum hactenus persolvatur, et cum in singulis eisdem terminis decima ipsa collecta fuerit, et per te, Archiepiscope, et dictos Decanum et Arnaldum de vestris redditibus et proventibus, ut premittitur, persoluta, medietatem ipsius decime pro nobis et eadem ecclesia in nostrorum et ipsius relevatione onerum convertendam, illi vel illis, quem vel quos ad eam recipiendam a te, Archiepiscope, Decano et Arnaldo predictis deputaverimus, et medietatem alteram prefato Regi vel alteri de ipsius certo mandato, sublato quolibet difficultatis obstaculo, assignetis: Nos enim omnes et singulos, cuiuscunque preeminentie, dignitatis aut status existant, qui aliquid de pecunia dicte decime aliter receperint, excomunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Quocirca Universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in domino, vobis-

que nichilominus per apostolica scripta mandamus, quatenus tam ecclesie memorate quam Regis prefati necessitates huiusmodi devota consideratione pensantes, ac eisdem ecclesie atque Regi pio super hoc compacientes affectu, prefatam decimam de vestris decimis et proventibus supradictis in eisdem duobus terminis per singulos annos eiusdem quadriennii, prout superius est expressum, sine difficultate qualibet pro nostra et apostolice sedis reverentia persolvatis. Dat. Avinione II. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Lib. II. Part. II. ep. 1362. fol. 118.

DCCIII.

Iisdem, ut praedictam decimam colligendam curent.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, et dilectis filiis ... Decano et Arnaldo de Lacaucyna Scolastico ecclesie Cracoviensis, in Regno Polonie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Attendentes etc. ut in proxima superiori usque in antea computandum a te, frater Archiepisope, et ab omnibus Episcopis ac Prelatis etc. ut supra usque auctoritate apostolica tenore litterarum nostrarum imposuimus, volentes et etiam ordinantes, quod dicta decima inter nos pro nostris et eiusdem ecclesie, Regemque predictum pro suis relevandis necessitatibus annis singulis dicti quadriennii equaliter, sicut inferius exprimitur, dividatur, quodque huiusmodi decima per vos, frater Archiepiscope, et filii Decane et Arnalde de Lacaucyna Scolastice ecclesie Cracoviensis, in dicto Regno noster et dicte sedis nuncie, quibus collectionem huiusmodi decime presentium tenore committimus, seu per Subcollectores super hiis deputandos a te, Archiepiscope, Decano et Arnaldo predictis, clericos dumtaxat, in duobus terminis singulis annis eiusdem quadriennii, videlicet pro medietate huiusmodi decime cuiuslibet anni in omnium Sanctorum, et pro alia medietate in Ascensionis domini extunc proximo subsequenti festivitatibus, quas vobis et Episcopis ac prelatis, et aliis personis predictis ad dictam solvendam decimam ditcarum litterarum tenore prefiximus, et etiam assignavimus, colligatur, et etiam exigatur per vos, Archiepiscope ac Decane et Arnalde predicti, de vestris redditibus et proventibus ecclesiasticis, quos in dicto Regno obtinetis, iuxta morem observatum hactenus persolvatur, et cum in singulis eisdem terminis decima ipsa collecta fuerit, et per vos, dicti Archiepiscope et Decane ac Arnalde, de vestris redditibus et proventibus, ut premittitur, persoluta, medietatem ipsius decime pro nobis et eadem ecclesia in nostrorum et ipsius relevatione onerum convertendam illi vel illis, quem vel quos ad eam recipiendam a vobis Archiepiscopo, Decano et Arnaldo predictis deputabimus, et medietatem alteram prefato Regi, vel alteri, de ipsius certo mandato, sublato quolibet difficultatis obstaculo, assignetis: Nos enim omnes et singulos, cuiuscunque preeminentie, dignitatis aut status existant, qui aliquid de pecunia dicte decime aliter receperint, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et vestrum quilibet prefatam decimam per nos impositam, ut prefertur, de redditibus et proventibus vestris in dicto Regno consistentibus secundum taxationem ipsius decime, si secundum illam solvere consueveritis, alioquin iuxta modum et ordinationem superius enarratos per dictum quadriennium in eisdem terminis, ut premittitur, persolvendam pro portione vestrum quemlibet contingentem integraliter solvere, et ab omnibus et singulis Episcopis et Prelatis, ac personis ecclesiasticis supradictis, preterquam a Cardinalibus, Magistro et fratribus memoratis, colligere et recipere studeatis, ac prefatas personas exemptas et non exemptas, eisdem Cardinalibus, Magistro et fratribus dumtaxat exceptis, alias tamen sine preindicio exemptionum, personarum et locorum exemptorum per vos et subcollectores predictos ad solvendum dictam decimam in eisdem terminis auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, ac etiam sequestrationem fructuum beneficiorum in eodem Regno consistentium, si expedire videritis, compellatis, nec ad compulsionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per vos vel alium seu alios invocetis auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solventium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem apostolicam fuerit ordinatum. Quod si forsan aliquis vestrum defecerit in solutione ipsius facienda, sententias, quas per vos vel subcollectores prefatos proferri contigerit, taliter deficientem incurrere volumus ipso facto, a quibus post satisfactionem inde impensam plenarie per aliquem ex vicinioribus Episcopis excommunicationis sententia non ligatum, et alias gratiam et communionem apostolice sedis habentem, facta sibi fide de solutione huiusmodi, possit absolutionis, necnon super irregularitate, siquam occasione premissa huiusmodi ligatus sententiis celebrando

divina, vel se ipsis, alias non tamen in contemptum clavium, immiscendo contraxit, penitentia super hoc imposita salutari, dispensationis beneficium obtinere. Et ne de moneta, in qua solutio dicte decime fiet et fieri debebit, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propterea viri ecclesiastici hactenus sunt perpessi, nostre intentionis existit, quod decima ipsa per vos vel assumendos ad hoc a vobis ad monetam currentem levetur, et etiam exigatur iuxta Constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alterius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, huiusmodi autem decime solutionem de dicta moneta currenti vos et alii Episcopi, Prelati et persone predicte in singulis vestris civitatibus et diocesibus, et non alibi, iuxta modum superius enarratum facere teneamini, et absque alio onere vestro et aliorum, a quibus ipsa decima exigetur, fiat solutio antedicta, nisi forte propter defectum solutionis ipsorum expensas fieri oporteat, quo casu eos ad restitutionem astringi volumus et teneri, quodque iuxta constitutionem concilii memorati calices, libros et alia ornamenta ecclesiastica divinis officiis deputata ex tarifa pignoris, vel distractionis cuiuspiam vos vel subcollectores predicti capere seu recipere, vel occupare nullatenus presumatis, Non obstantibus, si vobis et vestrum alicui, seu predictis Episcopis, Prelatis et personis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad solutionem alicuius decime minime teneamini, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis ordinum, locorum et personarum earundem nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus ac litteris apostolicis, quibuscunque dignitatibus seu ordinibus eorum, et specialiter Cisterciensi, Cluniacensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, vel ipsorum Universitatibus, et personis singularibus generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel expressione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris plena, specialis et expressa mentio sit habenda. Ceterum volumus, et cuilibet vestrum presentium auctoritate concedimus, quod vos per vos vel alium seu alios eos, quos pro retardatione solutionis decime supradicte, vel impedimento alio prestito super ea, vel alias circa commissum vobis officium exercendum excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias involvi contigerit, et eorum ecclesias sive loca ecclesiastico interdicto supponi, possitis post satisfactionem condignam iuxta ecclesie formam a sententiis ipsis absolvere, necnon suspensiones et interdicta huiusmodi relaxare, ac cum eis, qui dictis ligati sententiis celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, maculam irregularitatis contraxerint, super irregularitate ipsa, iniuncto eis, quod de iure iniungendum fuerit, auctoritate apostolica misericorditer dispensare. Datum Avinione II. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Lib. II. Part. II. ep. 1363. fol. 119.

DCCIV.

Episcopo Vratislaviensi, ut cum Ludovico duce Legnicensi et Agnete uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte nobilis viri Ludovici Ducis Legniccnsis et nobilis mulieris Agnetis nate quondam Henrici ducis Saganensis tue diocesis petitio continebat, quod licet olim ipsi scirent, quod inter eos consanguinitatis (sic) existebat, etiam talis, quod impediebat matrimonium inter eos, ipsi tamen quod tot modis et gradibus, quot se contingebant, sibi invicem attinuerant, penitus ignorantes, matrimonium per verba de presenti invicem contraxerunt, et carnali inter eos copula subsecuta, sex liberos procrearunt; quodque postmodum ad noticiam devenit ipsorum, quod ipsi quarto ex paterno et tertio et quarto consanguinitatis gradibus ex materno stipitibus se contingunt, et quod quondam Leseko Dux Ratiburgensis, maritus dicte Agnetis, deinde Ludovicum tertio consanguinitatis gradu etiam contingebat: Quare pro ipsorum Ludovici et Agnetis parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi propter premissa in sic contracto matrimonio nequeant licite remanere, dispensatione apostolica non obtenta, ad obviandum scandalis, que ex ipsorum separatione, si (in) perpetuum fieret, possent verisimiliter evenire, providere eis super hoc de absolutionis ab excommunicationis sentencia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, et oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui inter Christi fideles et precipue inter magnates et nobiles scandalis precavere, et quietis commoda procurare faventibus desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus ex premissis et aliis

certis causis nobis expositis inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, ipsis Ludovico et Agnete separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, ipsos a sententia excommunicationis, quam propter premissa incurrisse noscuntur, auctoritate nostra (iuxta) formam ecclesie absolvas, iniungens eis inter alia sub virtute iuramenti per eos prestandi, quod similia de cetero non committant, nec facientibus prebeant consilium, auxilium vel favorem, et etiam bonam penitentiam salutarem et alia, que de iure fuerint iniungenda, et demum, si tibi expediens videatur, quod dicta dispensatio sit concedenda, super quo tuam conscientiam oneramus, cum eisdem Ludovico et Agnete, ut impedimentis, que ex consanguinitatibus et affinitate predictis proveniunt, non obstantibus, matrimonium de novo simul contrahere, et in eo postquam sic contractum fuerit, licite remanere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione VII. Idus Iulii. Anno Decimo. Ex Reg. orig. An. X. Lib. IV. Part. II. ep. 795. fol. 107.

DCCV.

Regi et reginae Poloniae indulgetur, ut in locis interdictis sibi divina officia celebrari facere possint.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Devotionis tue sinceritas promeretur, ut votis tuis, in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare, liceat tibi in illis, clausis iauuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce tibi et familiaribus tuis domesticis missam et alia divina officia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis iufringere etc. Datum Avinione IIII. Idus Iulii. Anno X.

In e. m. Carissime in Christo filie Adelheyde Regine Polonie Illustri etc. Devotionis etc.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. IV. Part. II. ep. 1279. fol. 218.

DCCVI.

Cum Francisco de Opatovicz presbytero Cracoviensis dioecesis super defectu natalium et irregularitate dispensatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Francisco de Oppatowicz presbitero Cracoviensis diocesis, salutem etc. Laudabilia tuarum virtutum dona et merita probitatis, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, nos inducuut, ut circa te sacrorum canonum mitigando rigorem tibi reddamur ad gratiam liberales. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu defectum natalium pateris, de diacono genitus et soluta, quod olim curatoribus et gubernatoribus, qui tibi fuerant tue puericie tempore deputati, asserentibus, quod dudum tecum per bone memorie Fredericum Episcopum Firmanum, in Polonie et Ungarie Regnis sedis apostolice tunc Legatum, super defectu huiusmodi, quod eo non obstante posses ad omnes ordines promoveri, et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura licite obtinere, extiterit dispensatum, tu pretextu dispensationis huiusmodi ad omnes tam minores quam sacros ordines per tuum ordinarium promotus, in eisdem ministrasti ordinibus et ministras, quodque post dispensationem et promotionem huiusmodi tres curatas ecclesias, alias tibi canonice collatas, tenuisse dinosceris, successive fructus percipiendo ex eis, ac deinde ecclesia in Oppatowicz, que una de dictis tribus ecclesiis et ultimo tibi collata extitit, omnino dimissa, prepositurum ecclesie sancti Floriani prope Cracoviam sine cura ex presentatione carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie illustris patroni ipsius, et iustitutione ordinarii et de factis illam alias canonice fuisti adeptus, tenes et possides pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, litteras dispeusationis huiusmodi uunquam habueris, nec etiam videris, et curatores tui predicti, iam est diu, de hac luce migrarunt, ac de dispensatione huiusmodi per alias personas nequeas informari, pro parte tua uobis extitit humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque ipsius Regis pro te, capellano suo, uobis in hac parte supplicantis, tuisque supplicationibus inclinati, omnem inhabilitatis ac irregularitatis maculam, per te ex premissis vel eorum occasione contractam, auctoritate apostolica totaliter abolemus, tecum nichilominus, quod in dictis ordiuibus ministrare, dictamque prepositurum, si tibi canonice conferatur, libere recipere et licite retinere valeas, premissis et quibuscunque constitutionibus in contrtrium editis nequaquam obstautibus, de uberiori dono

gratie dispensamus: volumus (tamen), quod dictam prepositurarn realiter et omnino dimittas. Nulli ergo etc. nostre abolitionis, dispensationis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione IIII. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. IV. Part. II. ep. 1281. fol. 218.

DCCVII.

Guillelmo de Guttstad clerico Varmiensis diocesis, ut non obstante aetatis defectu beneficia ecclesiastica accipere possit.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Wilhelmo, nato quondam Syfridi de Gutenstad, clerico Warmiensis diocesis, salutem etc. Laudabile testimonium, quod tibi de honestate morum et vite, aliisque probitatis et virtutum meritis apud nos perhibetur, nos inducit, ut te favore apostolico prosequamur. Nuper siquidem tibi de beneficio ecclesiastico secundum tue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura, consueto ab olim clericis secularibus assignari, spectante communiter ad collationem vel presentationem dilectorum filiorum ... Prepositi, ... Decani et Capituli ecclesie Warmiensis, si quod tunc vacabat, vel quamprimum ad id se facultas offerret, per nostras litteras sub ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis scribere consuevimus, mandavimus provideri. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte tua peticio continebat, tu tempore dicti mandati patereris, prout pateris adhuc in etate defectum, cum in vicesimo secundo anno etatis tue constitutus existas, dictique Prepositus, Decanus et Capitulum nulla beneficia sine cura conferre habeant: Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, quod etatis defectu premisso ac Lateranensis concilii et quibuscunque aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate dictarum litterarum curatum beneficium acceptare, ac libere recipere et licite retinere possis, et quod executor tibi per dictas litteras super hoc deputatus de illo beneficio etiam curato tibi valeat providere, tenore presentium de speciali gratia dispensamus, proviso quod huiusmodi curatum beneficium, si de illo tibi provideri contingat, debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in eo nullatenus negligatur, quodque quamprimum ad etatem perveneris, ad id aptum te facias ad sacerdotium statutis temporibus promoveri. Datum Avinione Idibus Iulii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. III. Part. II. ep. 144. fol. 42.

DCCVIII.

Andreae de Raslavitz canonico Vratislaviensi praebenda in eadem ecclesia confirmatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Andree de Raslavitz Canonico Wratislaviensi, sal. etc. Vite ac morum honestas, et alia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, promerentur, ut personam tuam favore apostolico prosequamur. Exhibita siquidem nobis pro parte tua peticio continebat, quod tu auctoritate quarumdam litterarum nostrarum, per quas fuisti in Canonicum ecclesie Wratislaviensis receptus, et prebendam inibi expectabas, prebendam ipsius ecclesie, quam quondam Stanislaus de Cracovia ipsius Canonicus, dum viveret, obtinebat, tunc per ipsius Stanislai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantem, tibi vigore dictarum litterarum debitam, nisi nostra obstaret reservatio, infra tempus debitum legitime acceptasti, tibique de illa provideri fecisti. Verum, sicut eadem peticio subiungebat, tu dubitas, quod prebenda ipsa foret tempore acceptationis et provisionis huiusmodi collationi et dispositioni apostolice reservata, et quod propterea posses super hoc pro tempore molestari, fuit nobis pro parte tua humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc de remedio oportuno dignaremur. Nos itaque volentes te premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et tibi, qui allodium dictum Purwossoy Wratislaviensis diocesis, consuetum Canonicis dicte ecclesie in perpetuum beneficium assignari, ut asseris, obtines, apostolica auctoritate concedimus, quod acceptatio et provisio supradicte, et quecunque exinde secuta perinde valeant et plenam habeant roboris firmitatem, ac si nulla de dicta prebenda per nos specialis reservatio facta foret. Datum Avinione XVIII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. III. Part. II. ep. 680. fol. 151.

DCCIX.

Arnaldo cardinali S. Sixti, ut per alium visitationis officium in suo archidiacenatu Opoliensi Vratislav. dioec. exercere possit.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo tituli sancti Sixti presbitero Cardinali, sal. etc. Quanto Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, honoras plenius tuorum magnitudine

meritorum, tanto per eam attolli mereris favoris gratia potioris. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut ecclesias, monasteria et alia loca ecclesiastica in archidiaconatu tuo ecclesie Opoliensis Wratislaviensis diocesis, quem ex concessione et dispensatione sedis apostolice obtinere dinosceris, consistentia, eorumque personas, in quibus tibi ratione archidiaconatus eiusdem visitationis officium competit de consuetudine vel de iure, possis libere per aliquam seu aliquas personam seu personas ydoneam vel ydoneas, quam vel quas ad hoc duxeris deputandam vel etiam deputandas, usque ad quinquennium, quociens tempus visitationis ingruerit, visitare et visitationes (procurationes) ratione visitationis huiusmodi debitas ab eisdem ecclesiis, monasteriis, locis et personis taliter visitatis in pecunia numerata recipere moderatas, dummodo procurationes huiusmodi summam triginta Turonensium argenti pro die qualibet non excedant, non obstantibus constitutionibus a fel. rec. Innocentio III. et Gregorio X. et quibuslibet aliis Romanis pontificibus predecessoribus nostris in contrarium editis, seu privilegiis et indulgentiis apostolicis quibuscunque generalibus vel specialibus, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris mentionem fieri oporteat specialem, et per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, tibi auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione VI. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. IV. Part. II. ep. 1070. fol. 173.

DCCX.

Nicolao Zanissy de Mlin praepositura Visliciensis per epum Cracoviensem collata confirmatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Zanissy de Mlin preposito ecclesie sancte Marie in Wislicia Cracoviensis diocesis, salutem etc. Probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut personam tuam specialis favoris gratia prosequamur. Exhibita siquidem nobis pro parte tua petitio continebat, quod dudum prepositura ecclesie sancte Marie in Wislicia Cracoviensis diocesis per obitum quondam Massan de Ostrovez prepositi eiusdem ecclesie, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, venerabilis frater noster Bozcha (sic) Epus Cracoviensis prepositurum ipsam, ad collationem suam spectantem, sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate tibi ordinaria contulit, et providit etiam de eadem. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu timeas dictam prepositurum tempore collationis et provisionis huiusmodi fuisse collationi et dispositioni sedis apostolice reservatam, et te posse propterea imposterum molestari: Nos personam tuam in hac parte premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, pro te capellano suo commensali nobis in hac parte humiliter supplicantis, favorabiliter prosequentes, ipsius Regis ac tuis supplicationibus inclinati, volumus, et tibi, qui in Cracoviensi, Poznaniensi, sancte Marie Wisliciensi predicta canonicatus et prebendam, ac quoddam perpetuum beneficium, prebenda vulgariter nuncupatum, in sancti Adalberti Cracoviensi ecclesiis obtines, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, quod non obstantibus quibuscunque specialibus reservationibus in dicta prepositura per sedem eandem hactenus forsan factis, collatio et provisio huiusmodi, et quecunque inde secuta sunt, perinde valeant et robur obtineant firmitatis, ac si dicta prepositura tempore collationis et provisionis huiusmodi reservata per nos specialiter non fuisset. Volumus autem, quod quam primum dicte prepositure fueris possessionem pacificam assecutus, predictos canonicatum et prebendam ecclesie sancte Marie in Wiclicia, quos, ut premittitur, obtines, et quos extunc vacare decernimus, prout ad id te sponte obtulisti, omnino dimittere tenearis. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Datum Avinione VI. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. IV. Part. II. ep. 1214. fol. 203.

DCCXI.

Theoderico episcopo Slesvicensi ecclesia parochialis de Novoforo Vratislaviensis diocesis confertur.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Theoderico Episcopo Sleswicensi, salut. etc. Ad personam tuam, quam altissimus multarum virtutum titulis insignivit, gerentes benivolentie paternalis affectum, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, libenti animo procuramus. Cum itaque nuper Nuemburgensi ecclesie tunc vacanti de persona dilecti filii Iohannis Electi Nuemburgensis de fratrum

nostrorum consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo ipsum dicte ecclesie in Episcopum et pastorem, et propterea parrochialis ecclesia de Novoforo Wratislaviensis diocesis, quam idem Electus tempore promotionis huiusmodi obtinebat, prout adhuc obtinet, per promotionem huiusmodi et munus consecrationis impendendum eidem in brevi vacare speratur: Nos attendentes, quod ecclesia tua Sleswicensis eiusque bona temporalia per quendam intrusum in eadem tua ecclesia occupata detinentur, et quod non habes, unde iuxta episcopalis dignitatis honorem valeas sustentari, ac dignum et congruum extimantes, ut pro tuis necessariis alicuius provisionis suffragium ex providentia sedis apostolice assequaris, parrochialem ecclesiam predictam, cum illam premisso vel alio quovis modo preterquam per ipsius Iohannis obitum vacare contingeret, commendandam tibi, et per te, quoad vixeris, retinendam, et etiam possidendam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, ita quod de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem, postquam tibi commendata fuerit, ordinare ac disponere libere valeas, sicut veri eiusdem ecclesie Rectores, qui dictam parrochialem ecclesiam obtinuerunt pro tempore, de illis ordinare ac disponere potuerunt ac eciam debuerunt, alienatione tamen immobilium et pretiosorum mobilium bonorum dicte parrochialis ecclesie tibi penitus interdicta, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo Wratislaviensi ac illi vel illis, ad quem vel ad quos dicte parrochialis ecclesie collatio, provisio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de ipsa contra reservationem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi ecclesiis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales nostras, vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum dicte sedis litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ad dictam parrochialem ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, aut si dicto Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione VIII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. III. Part. II. ep. 566. fol. 124.

DCCXII.

Guillelmus abbas S. Vincentii prope Wratislaviam confirmatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Wilhelmo Abbati sancti Vincentii prope Wratislaviam ordinis Premonstratensis, salutem etc. Propter merita religionis et vite, litterarum quoque scientiam, aliaque multiplicia merita probitatis, que tibi, prout testimonio fidedignorum accepimus, suffragantur, libenter apostolico te favore prosequimur, et petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, favorabilem impertimur assensum. Exhibita siquidem nobis pro parte tua petitio continebat, quod dudum monasterio sancti Vincentii prope Wratislaviam ordinis Premonstratensis pro eo vacante, quod dilectus filius Nicolaus de Gorlicz olim abbas dicti monasterii in manibus dilecti filii Boguslai de Wratislavia prepositi monasterii Strelinensis, per prepositum soliti gubernari, dicti ordinis Wratislaviensis diocesis, habentis super hoc a dilecto filio . . . Abbate monasterii Premonstratensis Laudunensis diocesis, ad quem admissio cessionis dicti monasterii sancti Vincentii pertinet, plenariam potestatem, extra Romanam Curiam cesserat, idemque prepositus cessionem huiusmodi extra dictam Curiam duxerat admittendam, dilecti filii Conventus dicti monasterii sancti Vincentii, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum te in abbatem eorum et dicti monasterii sancti Vincentii canonice elegerunt, tuque deinde electioni huiusmodi de te facte infra tempus debitum consenciens, obtinuisti eam ab eodem preposito, cui dilectus filius Marcilius abbas Steyn-

veldensis dicti ordinis Coloniensis diocesis, pater abbas prefati sancti Vincentii monasteriorum(?), commiserat super hoc totaliter vices suas, auctoritate ordinaria confirmari, et per Venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum Wratislaviensem loci ordinarium munus tibi benedictionis impendi. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu timeas, quod prefatum monasterium sancti Vincentii electionis et confirmationis ac muneris impensionis huiusmodi, aut alicuius earum temporibus fuerit ordinationi sedis apostolice reservatum, et proinde electionem et confirmationem easdem posse successu temporis impugnari: Nos personam tuam in hac parte premissorum meritorum tuorum intuitu favorabiliter prosequentes, tuis supplicationibus inclinati, volumus, tibique auctoritate apostolica presentium tenore concedimus, quod electio et confirmatio ac muneris impensio huiusmodi, et quecunque inde secuta, perinde valeant et robur obtineant firmitatis, ac si ipsarum vel alicuius earum temporibus prefatum monasterium sancti Vincentii reservatum per nos specialiter non fuisset, quecunque per te tamquam abbatem dicti monasterii sancti Vincentii alias rite gesta et administrata sunt, ratificantes ac etiam approbantes. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, concessionis, ratificationis et approbationis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII. Kal. Aprilis. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Lib. IV. Part. II. ep. 1156. fol. 191.

DCCXIII.

Archiep̃o Gnesnensi et ep̃is Cracoviensi et Vratislaviensi, ut in regno Poloniae etc. contra Tartaros verbum crucis proponant.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Cracoviensi ac ... Wratislaviensi Episcopis, salutem etc. Apostolice solicitudinis zelus, quo mentalibus oculis universas professionis christiane provincias lustrare compellimur, propensius nos inducit pro salute tuenda fidelium et eorum periclitatione vitanda non solum manifesta pericula, sed suspecta vereri, nec provisionem differre cautele, ut quanto maiora timentur esse dispendia, tanto promptiori et perfectiori provisione ante tempus per oportuna remedia periculorum eventibus occurratur. Sane nuper Carissimus in Christo filius Kazimirus Rex Polonie Illustris per litteras et nuntios suos nostro apostolatui patefecit, quod gens perfida Tartarorum in tenebris ambulans carensque lumine catholice veritatis, prophana cogitatione considerans, quod Regnum Polonie, quod a fidelibus habitatur, est in ultimis christianorum finibus constitutum, et quod propterea ad impugnationem Regni prefati eisdem Tartaris absque catholicorum principum et aliorum fidelium obice iuxta prophanos conceptus ipsorum facilior via patet, dictum Regnum et christianos habitatores ipsius invadere presumpserunt, ad desolacionem fidelium habitancium in eodem, et religionem catholicam inibi prophanandam, conflatis potentie sue viribus, hostiliter intendentes, propter quod prefatus Rex attendens, quod Regnum est ecclesie Romane immediate subiectum et eciam censuale, et quod tam ipse, quam habitatores Regni predicti sunt eiusdem ecclesie peculiares filii et fideles, et quod ex impugnacione ipsorum non solum dictum Regnum eiusque incole, quinimo fideles ceteri dicto Regno tam proximi quam remoti proculdubio diris adversitatibus lederentur, nostrum in hac parte et per nos promptum fidelium aliorum subsidium humiliter imploravit. Nos igitur attendentes, quod in huiusmodi defensione et tuitione non solum dictorum Regis et Regni, sed aliorum fidelium vicinorum, et eciam, ut premittitur, remotorum salubritas agitur et securitas procuratur, et barbarice feritatis audacia facilius, deo propitio, in suis poterit refrenari et collidi principiis, quam si nullo parato resistentie obice, permitteretur liberius in christianum sanguinem desevire, considerantes eciam urgentem et probabilem eiusdem Regis supplicacionis instantiam, votis eius super premissis eo libentius annuendum fore providimus, quo illa apostolici favoris fulcienda et iuvanda presidiis magis utile et expediens extimamus: premissis igitur attenta meditatione pensatis, supplicationem eiusdem Regis in hac parte benignius admittentes, ut idem Rex adversus eosdem Tartaros, qui dudum, sicut infanda experientia docuit, dictum Regnum et nonnullas alias terras fidelium, et personas eorum per crudelis impugnationis et expugnationis excidium destruxerunt, divino, ut speramus, fretus auxilio et aliorum fidelium crucis Christi signaculo munitorum presidio communitus, defensionem eiusdem Regni et incolarum ipsius contra dictam barbaricam nationem potenter assumere valeat et feliciter exercere, predicationem crucis in Regis et Regni predictorum auxilium per nostras litteras duximus concedendam. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum per vos et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc ydoneas esse noveritis, in eisdem Polonie et Ungarie ac Boemie Regnis contra prefatos Tartaros, et quos-

cumque alios infidelcs invadcntes seu offendentes prcdictum Regem et Regnum Polonie et habitatores ipsius, proponatis iuxta datam vobis a deo prudentiam verbum crucis, et venerabile signum eius tam eiusdem Regis, quam aliorum fidelium incolarum Rcgnorum predictorum illam devote suscipcre volentium humeris affigatis, eosdem vestris exhortationibus et instantiis inducentes, ut predictum negocium contra Tartaros et infideles prefatos ferventer assumant et viriliter prosequantur. Et ut ipsi fideles tanto fcrventius ac libentius prosequi premissa studeant, quanto cx suis laboribus pociorem graciam se noverint percepturos, nos de omnipotentis dei miscricordia et beatorum Petri ct Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis dcus licet indignis ligandi atque solvendi contulit, potcstate, eisdem fidelibus, qui cum eodem Rege vel eius exercitu in personis propriis et expensis infra triennium inchoandum ab eodem tempore, quo dicto Regi prefate littere fuerint assignate, per unum annum continue vel interpolatim, eiusdem tamen triennii, in dicti prosecutione negocii fuerint commorati, dictoque Regi statim, cum in persona propria contra dictos Tartaros duxerit procedendum, nec non et illis, qui in dicti prosecutione negocii decesserint, vel in prosecutione huiusmodi vulnerati fuerint, etiamsi alibi ubicumque ex talibus vulneribus decedere eos contingat, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam duximus indulgendam, que conceditur per sedem apostolicam transfretantibus in subsidium terre sancte, et in retribucionem iustorum salutis eterne pollicemur augmentum: eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam bellatores ydoneos destinabunt per tempus, quod supradicitur, in huius prosecutione negocii moraturos, et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis illuc acccsserint per tempus moraturi, prcdictam eandem suorum concessimus veniam peccatorum: huiusmodi quoque remissionis voluimus et concessimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devocionis affectum omnes, qui ad subventionem dicti negocii de bonis suis congrue ministrabunt, et circa predictam auxilium impenderint oportunum. Porro ad huiusmodi tam ardui et salubris negocii efficaciam vos, et quilibet vestrum per vos vel alium seu alios in dictis Regnis in certis locis ydoneis, de quibus vobis vidcbitur, cleros et populos convocantes, concessionem huiusmodi indulgentie solenniter publicare, dictosque fideles ad huiusmodi pii negocii prosecutionem inducere, et predicta exequi fideliter studeatis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo. (Cf. Thcineri Monument. Hungar. Tom. I. pag. 638.).

Ex Reg. orig. An. X. Lib. III. Part. II. ep. 640. fol. 144.

DCCXIV.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Engilberto Brunsberg presbitero Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta ecclesia. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Id. Octobris. Pontificatus nostri Anno X.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Michaeli Iohannis de Oswenozin Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi bencficium ecclesiasticum in ecclesia Wratislaviensi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIII. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno X.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Conrado Wernheri de Poncwicz clerico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Dat. Avinione V. Id. Iulii. An. X.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Petro de Guntindorf plebano parrochiali eccl. in Domslaw Wratislav. dioc., salut. etc. Confert ipsi consideratione Regine Ungarie dictam plebaniam. Dat. ut supra.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Lamberg rectori parrochialis eccl. in Otmuchow Wratislaviensis diocesis, salut. etc. Confert ipsi dictam ecclesiam. Dat. Avinione X. Kal. April. Anno X.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Frankinstein Canonico Wratislaviensi, sal. etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione XVIII. Kal. Februarii. Anno X.

Ex Reg. orig. An. X· Com. Lib. IV. Part. I. ep. 187, 224, 440. Part. II. ep. 805, 1118 et 1249.

DCCXV.

Regi Poloniae conceditur, ut indulgentia omnibus, qui in missarum solemnibus pro ipsius salute deum orent, concedatur.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Sinceritatis Regie vota preclara sic prcclaris clarent effectibus, quibus sub Regio titulo Regi regum

fidelis servus votive deservis, quod iuvari devotis et piis christicolarum intercessionibus apud nos largitione bonorum omnium promereris, ut ipse, qui huiusmodi vota benignus aspirans (?), pius et misericors post decursa presentis vite curricula te in sua dilecta habitacula introducat. Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, te oporteat frequenter cum infidelibus gentibus Littuanis et Tartaris habere congressus: Nos pie considerantes tue devotionis affectum, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere dinosceris, universos Christi fideles ad implorandum pro te eterni patris gratiam allectivis retributionibus decrevimus invitandos, ideoque vere penitentibus et confessis, qui in missarum solenniis vel sermonibus, ubi per predicationis ministerium publice proponi contigerit verbum dei, pro tua salute divinam misericordiam implorabunt, singulis diebus, quibus apud deum huiusmodi orationes effuderint, de omnipotentis misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione VI. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Lib. II. ep. 68. fol. 286.

DCCXVI.

Cum Ottone de Rosen et Margareta eius uxore Rigensis dioecesis super matrimonio ineundo dispensatur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Ottoni de Rosen domicello et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarete de Tisenhusen domicelle Rigensis diocesis, salutem etc. Sedis apostolice gratiosa benignitas nonnunquam rigorem iusticie mansuetudine temporans, quod rigor iuris denegat, de gracia sue benignitatis indulget, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, id in deo conspicit salubriter expedire. Sane petitio pro parte vestra nuper nobis exhibita continebat, quod vos ex certis causis rationabilibus desideratis invicem matrimonialiter copulari; sed quia quarto estis consanguinitatis gradu coniuncti, matrimonium huiusmodi contrahere licite non potestis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque vestris huiusmodi supplicationibus inclinati, ex hiis et aliis certis causis ex parte vestra nobis expositis vobiscum, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium iuvicem libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione Idibus Septembris. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Lib. II. ep. 113. fol. 295.

DCCXVII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Ieuchino de Comeren rectori parrochialis ecclesie sancti Georgii in Munsterberg Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Concedit ipsi, ut etiam parrochialem ecclesiam in Kempnitz eiusdem diocesis acceptare possit. Datum Avinione X. Kal. Iulii. Anno XI.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Werd alias Flamingi Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum cum prebenda in dicta ecclesia. Datum Avinione IV. Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno XI.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Dabeslao Stampote Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione VI. Kal. Iulii. Anno XI.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Gerardo Hundebeke Canonico Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione VIII. Kal. Novembris. Anno XI.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Matheo nato quondam Conradi de Wartha clerico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum ad collationem Abbatis de Camentz Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis pertinens. Datum Avinione XII. Kal. Augusti. Anno XI.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Thiderico Vishusen Preposito ecclesie Tarbatensis, salutem etc. Confert ipsi prepositurum huius ecclesie. Datum Avinione VIII. Iulii. Anno XI.

Ex Reg. orig. An. XI. Lib. I. ep. 297, 305, 393, 412, 465. et Lib. II. ep. 66.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

DCCXVIII.

Henricus ecclesiae Lubucensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Henrico Electo Lubucensi, salutem etc. Summi dispositione Rectoris ad regimen universalis ecclesie quamquam immeriti deputati, curis assiduis angimur et successivis insultibus propulsamur, ut prebeamus operam, quantum nobis ex alto conceditur, efficacem, quod orbis ecclesie universe statu prospero floreant et accrescant, quod tunc recte perficitur, cum ecclesiis ipsis pastorum suorum gubernatione carentibus persone preficiuntur ydonee, virisque talibus earundem ecclesiarum regimina committuntur, qui sciant, velint et valeant ipsas ecclesias eis commissas circumspecte regere et prudenter dirigere ac feliciter gubernare. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI. predecessor noster cupiens ecclesie Lubucensi, cuius tunc regimini bone memorie Apetzko Lubucensis Episcopus presidebat, cum eam quovis modo vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni sue ea vice duxit specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Apetzkonis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, reservationis et decreti predictorum, ut fertur, ignari, te Legnicensis ecclesie Wratislaviensis diocesis Archidiaconum, in presbiteratus ordine constitutum, in Lubucensem Episcopum, de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum eciam inscius electioni huiusmodi consensisti, licet de facto. Ac demum reservatione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, eiusdem electionis negotium in Consistorio coram eodem predecessore nostro proponi fecisti, ac deinde dicto predecessore, sicut domino placuit, de hac luce subtracto, nos licet immeriti, eodem domino permittente, ad apicem summi apostolatus assumpti, electionem predictam, et quecunque inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum prefata, ut premittitur, attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie Lubucensis celerem et felicem, ne dicta ecclesia prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus ac dictorum eligentium te concordi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Lubucensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et ad-

ministrationem ipsius ecclesie Lubucensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, et grata suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite et prudenter, quod ipsa ecclesia Lubucensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retributionis premium et benevolentie nostre gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione VII. Idus Ianuarii. Anno I.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Lubucensis, Clero et populo civitatis et diocesis Lubucensis, universis Vassallis ecclesie Lubucensis, et Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi etc.

Ex Reg. orig. An. I. cod. chart. litt. divers. fol. 108.

DCCXIX.

Idem Henricus regi Poloniae et regi Romanorum commendatur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Gracie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis, presertim ecclesiarum Cathedralium regimini presidentibus, oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Dudum siquidem etc. usque incrementa. Cum itaque, fili Carissime, sit virtutis opus dei ministros et presertim pontificali dignitate preditos benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro eterni Regis gloria venerari, excellenciam Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Henricum Electum et prefatam ecclesiam Lubucensem, cure sue commissam, habens pro apostolice sedis et nostra reverentia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Electus tue celsitudinis fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propicio, prosperari, et tibi exinde a domino perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

In e. m. Carissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum et Boemie etc. Gracie etc.

Ex Reg. orig. An. I. cod. chart. litt. divers. fol. 109.

DCCXX.

Nicolaus Ruthenus ecclesiae Premisliensi in episcopum a Clemente VI. praefectus confirmatur, et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Rutheno Electo Premisliensi, salutem etc. Etsi cunctis, que de sedis apostolice providencia processerunt, congruus debeatur effectus, illis tamen, que circa provisiones ecclesiarum, maxime cathedralium et presertim ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentium, pastore carentium per sedem ipsam provide facta sunt, tanto celerioris executionis efficacis plus debetur, quanto ex earum retardatione maiora ipsis ecclesiis immineut detrimenta. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI. predecessor noster cupiens ecclesie Premisliensi ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, cuius tunc regimini bone memorie Yvanus Premisliensis Episcopus presidebat, cum eam vacare contingeret, operationis sue ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni sue duxit ea vice specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Yvani Episcopi, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, idem predecessor vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter ipsum ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia prolixe vacationis exponeretur incommodis, solerter intendens, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus suis sancte Romane ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tunc habuit diligentem, demum ad te, Priorem fratrum ordinis predicatorum Saudomirienssium Cracoviensis diocesis, in sacerdotio constitutum, de religiouis zelo, litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum meritis apud eundem predecessorem fidedignorum testimonio commendatum, direxit oculos sue mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Premisliensi ecclesie de predictorum fratrum suorum consilio, videlicet II. Idus Maii Pontifi-

catus sui Anno decimo, auctoritate apostolica providit, teque illi prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Premisliensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Cum autem predecessor ipse, litteris apostolicis super hiis non confectis, fuerit, sicut domino placuit, morte preventus, nos, eodem disponente domino, ad apicem summi apostolatus assumpti, volentes, quod dicta provisio suum sorciatur effectum, ac in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, et grata suscipiet incrementa, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iugum domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia Premisliensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retributionis premium et benevolentie nostre gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione xv. Kalendas Februarii. Anno Primo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Premisliensis ad ecclesiam Romanam nullo medio pertinentis, Clero et populo civitatis et diocesis Premisliensis et Vassallis ecclesie Premisliensis etc.

In e. m. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri idem Nicolaus commendatur.

Ex Reg. orig. cod. chart. litt. divers. An. I. fol. 173.

DCCXXI.

Sbiludo dicto Paluca praepositura Vladislaviensis ecclesiae per Clementem VI. collata confirmatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Sbiludo dicto Paluca Preposito ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, que de Romani Pontificis gratia processerunt, licet super illis ipsius superveniente obitu apostolice littere confecte non fuerint, suum sortiantur effectum. Olim siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, felicis recordationis Clemens papa VI. predecessor noster cupiens eidem ecclesie, cum eam quovis modo vacare contingeret, operationis sue ministerio ydoneam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac deinde prefata ecclesia per obitum dicti Iohannis, qui in partibus illis diem clauserat extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ecclesie eiusdem reservationis et decreti huiusmodi ignari, venerabilem fratrem nostrum Albertum Ep̄um, tunc Canonicum Poznaniensem, in Ep̄um Poznaniensem, licet de facto, concorditer elegerunt, dictusque Albertus eorundem decreti et reservationis, ut asserebat, inscius, electioni huiusmodi suum prestans assensum, electionem eandem a venerabili fratre nostro . . . Archiepiscopo Gueznensi loci Metropolitano, eorundem reservationis et decreti, ut asseritur, similiter inscio, obtinuit auctoritate Metropolitica confirmari, sibique munus consecrationis impendi, ipseque eciam administrationi spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie se ingessit, et subsequenter huiusmodi vacatione eiusdem Poznaniensis ecclesie fidedignis relatibus intellecta, dictus predecessor eidem ecclesie Poznaniensi, de qua nullus preter eum ea vice disponere potuerat neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, venerabilem fratrem nostrum Andream Episcopum Zwerinensem, tunc Prepositum dicte Poznaniensis ecclesie, in Poznaniensem prefecit Episcopum et pastorem, et demum ipso Andrea per dictum predecessorem ad Zwerinensem ecclesiam tunc vacantem translato, idem predecessor de persona dicti Alberti eidem ecclesie Poznaniensi tunc vacanti de fratrum suorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio duxit eciam providendum, preficiendo eum ipsi Poznaniensi ecclesie in Ep̄um et pastorem, munusque consecrationis eidem, ut prefertur, impensum auctoritate apostolica approbavit, prout in diversis ipsius predecessoris litteris inde confectis plenius continetur. Postmodum vero pro parte tua exposito eidem predecessori, quod prepositura ecclesie Wladislaviensis, quam dictus Albertus electionis, confirmationis et consecrationis predictarum tempore obtinebat, per huiusmodi electionem, confirmationem et consecrationem, ut credebatur, vacantem, et ab eodem Alberto propterea libere dimissam vigore quarumdam litterarum predecessoris eiusdem, prout ex earum forma poteras, acceptaras et de illa tibi feceras provideri, eamque per sex annos et ultra tenueras, prout tunc tenebas, pacifice et quiete, et quia ipsa prepositura adhuc vigore provisionis de dicto Alberto et approbationis predictarum per dictum predecessorem factarum vacabat, idem predecessor attendens, quod predicte acceptatio per te et collatio ac provisio de dicta prepositura tibi,

ut premittitur, facte iuribus non subsistebant, et quod nullus de dicta prepositura sic vacante ea vice disponere potuerat, pro eo, quod dictus predecessor diu ante provisionem huiusmodi de persona dicti Alberti eidem Poznaniensi eccclesie, ut premittitur, per eum factam omnes dignitates, personatus et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica, que extunc promovendi per eum ad Cathedralium ecclesiarum regimina tempore eorum promotionis obtinerent, cum illa quovis modo vacarent, collationi et dispositioni sue reservans, decreverat extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac volens te, qui reservationem ipsius ecclesie Poznaniensis ac provisiones et approbationes premissas ad tuam dicebas de novo notitiam pervenisse, et pro quo eciam venerabilis frater noster Mathias Episcopus et dilecti filii Capitulum eiusdem Wladislaviensis ecclesie eidem predecessori super hoc humiliter supplicaverant, premissorum intuitu in eadem Wladislaviensi ecclesia, cuius Canonicus existebas, amplius honorare tibique gratiam facere specialem, predictam prepositurام sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi, videlicet VII. Kalendas Augusti Pontificatus sui Anno Undecimo, auctoritate contulit, et de illa eciam providit, decernendo extunc, prout erat, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat tunc vel contingeret imposterum attempttari, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis etc. seu quod in Wladislaviensi, Cruswicensi et Uneiovieusi Gneznensis et Wladislaviensis diocesium ecclesiis Canonicatus et prebendas noscebaris obtinere. Verum quia dicti predecessoris superveniente obitu, apostolice littere super hiis confecte non fuerint, nos, ne propter hoc dicte gratie frustreris effectum, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod predicta gratia per eundem predecessorem, ut premittitur, tibi facta a predicta die, videlicet VII. Kal. Augusti, perinde sorciatur effectum, ac si ipsius predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene gratiam antedictam ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione XV. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. litt. diver. cod. chart. fol. 201.

DCCXXII.

Universis fidelibus ecclesiam S. Nicolai in Bochna Cracoviensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Nicolai in Bochna Cracoviensis diocesis in honore et sub vocabulo eiusdem sancti fundata a Christi fidelibus congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius celestis dono gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis diebus dominicis, dum missarum solempnia ad honorem gloriose dei genitricis Marie virginis in ipsa ecclesia celebrabuntur, eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, centum dies de iniunctis eis penitenitiis, singulis videlicet ipsis diebus dominicis, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et huiusmodi missarum solempnis interfuerint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione VIII. Kal. Februarii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. III. ep. 23. fol. 310.

DCCXXIII.

Adelhaidi reginae Poloniae, ut Casimiro regi Polouiae marito suo subiectionem et obedientiam debitam coniugalem exhibeat.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Adleidi Regine Polonie Illustri, sal. etc. Ad regimen universalis ecclesie favente clementia divine bonitatis assumpti, pacem et dilectionem Christi fidelium nostre solicitudiui creditorum, presertim personarum sublimium, quas deus sacramento matrimonii copulavit, vigere paternis desideriis affectantes, ad hoc prout nos cogit debitum nostri officii et desiderium cordis accendit, partes nostre diligeutie, prout nobis ex alto permittitur, adhibemus. Sane nuper displiceuter audivimus, quod tu a cohabitatione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, consortis tui, longo fuisti tempore separata et existis ad presens, super quo questio in Romana Curia ventilatur: Nos autem attendentes hoc vergere in divine maiestatis offensam prefatique Regis et tui derogationem honoris et scaudalum plurimorum, et propterea gerentes in votis, ut

quos deus unam carnem effecit, non dividat diversitas animorum, quodque tu potius per bonam et celerem voluntatem dicti Regis ad eius reducaris consortium ... exhortatorias litteras destinamus, speramusque, quod idem Rex sicut inclitus et devotus filius nostris monitis et exhortationibus huiusmodi acquiescet, et propterea serenitatem tuam hortamur et rogamus attente, quatinus dicto Regi debitam subiectionem ac obedientiam et reverentiam humiliter exhibens, sibi, prout teneris, coniugali affectu studeas adherere, procurando solicite, quod dos tua et alia eidem Regi pro tui parte promissa effectualiter impleantur, ut omnis discordia inter te et tuos ac dictum Regem precidatur radicitus, nec ulterius valeat exoriri. Ceterum dilecto filio nobili viro Iohanni Pacoslai militi, presentium latori, commisimus, quod super hiis excellentiam tuam ex parte nostra vive vocis oraculo admonere procuret, cui super admonitione huiusmodi fidem velis credulam adhibere. Datum Avinione XVI. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Archetyp. epistolar. cod. chart. fol.

DCCXXIV.

Episcopo Vratislaviensi, ut cum Mirano de Parthonitz milite et Czuchua uxore sua super matrimonio iam contracto dispenset.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Mirani de Parthonitz militis, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Czuchue, nate quondam Spichonis de Tarnow militis Wratislaviensis et Cracoviensis diocesium, petitio continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum existere inter eos, quod matrimonium impediret, matrimonium inter se consanguineis et amicis eorum tractantibus, nullis tamen bannis, non tamen in contemptum clavium, editis contraxerunt, et carnali inter eos copula subsecuta, prolem ex ipso matrimonio susceperunt, et quod postmodum ad ipsorum devenit notitiam, quod ipsi tertio ex uno et quarto consanguinitatis gradibus ex altero lateribus invicem se contingunt, propter quod in ipso matrimonio licite remanere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta; cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ex earum separatione, si fieret, sequerentur scandala: fuit nobis pro ipsorum parte humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque, qui animarum salutem singulorum appetimus, et inter Christifideles libenter scandala precavemus, ex premissis et aliis certis causis nobis expositis predictorum Mirani et Czuchue in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in his et aliis gerimus in domino fiducialem specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Mirano et Czuchua, ut impedimentis, que ex dicta consanguinitate provenunt, non obstantibus, in dicto matrimonio remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex ipso matrimonio legitimam decernendo. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. V. cod. chart. fol. 120.

DCCXXV.

Exsecutoribus mandatur, ut ad civitatem Rigensem personaliter se conferentes civitatem ipsam una cum castris et fortaliciis eiusdem ad manus sedis apostolicae recipiant et reducant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... (Magno) Arosiensi et ... (Nicolao) Lincopensi ac ... (Sifrido) Osloensi Episcopis, salutem etc. Dudum ad audientiam felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri perducto, quod ... Magister generalis ac ... Preceptor Livonie, et Commendatores ac Fratres ordinis hospitalis sancte Marie Theotonicorum occupaverant possessiones, et iura ac libertates ... Archiepiscopi Rigensis et aliarum ecclesiarum suffraganearum eiusdem Rigensis ecclesie, eaque detinebant occupata, et quod cives civitatis Rigensis in iuribus et possessionibus suis, et precipue in rippis fluminis Dune et aliorum fluminum indebite impediebant, occupando iura, possessiones et libertates eorum, et non solum dictos cives, sed eciam peregrinos et christianos alios, quominus possent libere applicare seu pervenire ad portum seu litus Dunamunde, et exinde per eundem portum intrare, ire et redire ad civitatem Rigensem, obstruendo et impediendo portum predictum et liberum introitum, ingressum et egressum ad civitatem eandem cum bonis et rebus eorum: idem predecessor certas ordinaciones super hiis edidit, cisdem Magistro et Preceptori et nonnullis Fratribus, ac procuratoribus aliorum fratrum dicti ordinis tunc in eius presencia constitutis sub excommu-

nicacionis pena aliisque tunc expressis sententiis atque penis, districte mandando, ut premissa omnia occupata per ipsos, si qua forent, eisdem Archiepiscopo, Preposito et Capitulo et ecclesie restituerent et restitui facerent, et quantum in eis esset, eciam procurarent, dando ipsis securitatem et in predictis recuperandis suum consilium, auxilium et favorem, et quod de cetero nichil occuparent vel usurparent de bonis et iuribus eorundem, idemque fieri voluit et mandavit per Archiepiscopum, Prepositum et Capitulum ac alios supradictos, si aliqua forte occupata tenerent de bonis ordinis supradicti, et quod dicti Magister, Preceptor et Fratres eosdem cives in suis iuribus et possessionibus, et precipue in rippis fluminis Dune et aliorum fluminum minime impedirent, et quod occupata restituerent civibus memoratis, volens et mandans, quod illud idem fieret per cives predictos, si qua de possessionibus et iuribus dicti ordinis occupata tenerent; et insuper mandavit eisdem Magistro, Preceptori et Fratribus, quod ipsi eosdem cives et quoscunque etiam peregrinos et christianos, quominus possent libere applicare et pervenire ad portum seu litus Dunamunde, et exinde per eundem portum intrare, ire et redire ad civitatem Rigensem minime impedirent, et quod etiam non obstruerent nec impedirent portum predictum et liberum introitum, ingressum et egressum ad civitatem eandem. Et deinde post plurium annorum decursum pro parte Archiepiscopi, Prepositi et Capituli predictorum eidem predecessori exposito cum querela, quod Magister, Preceptor et Fratres prefati dictum Archiepiscopum castris et possessionibus omnibus ad eum et ecclesiam suam spectantibus contra iusticiam nequiter spoliarant, ac possessiones ad prefatos Prepositum et Capitulum pertinentes dampnabiliter occuparant, exinde animalia et alia bona mobilia tam dictorum Archiepiscopi, Prepositi et Capituli, quam colonorum et aliorum hominum suorum deducentes in predam, dictis hominibus et Vassallis eorum graves et atroces iniurias inferendo, quorum septem gladiis crudeliter transfigentes, eos per pedes suspendere presumpserant, contra iuramentum super hoc prestitum et promissiones factas per eos in Consistorio coram predecessore predicto temere veniendo; quodque prefati Magister, Preceptor et Fratres monasterium et portum Dunamunde Rigensis diocesis, ad ecclesiam Rigensem spectantia, occuparant et detinebant occupata, ex quibus ecclesie ac civitati et civibus Rigensibus supradictis magnum preiudicium et quodammodo excidium noscebatur imminere, ac ex eis infinita scandala, sediciones, incommoda et strages plurime processerunt; quodque dicti Magister, Preceptor et Fratres obedienciam et iuramentum fidelitatis Prelatis provincie Rigensis, a quibus feuda tenere noscebantur, prestare recusaverant, ac nichilominus impediverant itinera atque passus, per que ad terras circumadiacentes libere itinerantibus universis patere consueverat accessus; dicti quoque Magister, Preceptor et Fratres predictis excessibus non contenti civitatem Rigensem predictam, in spiritualibus et temporalibus subiectam Archiepiscopo prelibato, arte obsidionis angustia circumvallaverant, civibus eiusdem civitatis liberum ingressum et exitum, et aliis ad civitatem eandem volentibus deferre victualia, et cum eisdem civibus consueta exercere commercia facultatem liberam auferendo et eciam prohibendo, ex quibus status fidelium in dicta civitate morancium periclitari dinoscebatur, ac famis et aliis gravibus incommodis et periculis subiacere; et, quod gravius erat, dicti Magister, Preceptor et Fratres ordinaciones et mandata predicta predecessoris eiusdem, dudum eisdem Magistro, Preceptori et nonnullis Commendatoribus ac procuratori, et per eos ceteris Fratribus hospitalis eiusdem presentibus et futuris verbo et per literas dicti predecessoris facta, non absque inobediencie gravi nota observare non curaverant, prefatus predecessor . . . Paduano, . . . Osiliensi et . . . Tarbatensi Episcopis, qui tunc erant, dedit per suas literas in mandatis, ut ipsi aut duo vel unus eorum per se vel alium seu alios Magistrum, Preceptorem et Fratres predictos ex ipsius parte requirere procurarent, ut castra, possessiones, animalia et alia bona quecumque ad dictos Archiepiscopum, Prepositum et Capitulum et ecclesiam Rigenses, et ipsorum colonos et homines spectancia, quibus eos, ut premittitur, spoliarant, eis restituerent cum fructibus perceptis medio tempore ex eisdem, ipsisque de illatis eis iniuriis atque dampnis satisfacerent, ac ordinacionem et mandata predicta plenarie facerent observari, et nichilominus eisdem Magistro, Preceptori et Fratribus iniungerent, ut omnem obsidionem a civitate predicta et eius pertinenciis removere deberent, et victualia permitterent libere pertransire, prout in diversis litteris dicti predecessoris inde confectis plenius continetur. Cumque postmodum pro parte Archiepiscopi, Prepositi et Capituli predictorum coram eodem predecessore in consistorio propositum extitisset, quod licet prefati Magister, Preceptor et Fratres auctoritate dictarum litterarum et processuum vigore ipsarum litterarum per dictos Episcopos habitorum per nonnullos subexecutores ab eisdem Episcopis deputatos solenniter requisiti fuissent, ut infra certos terminos peremptorios competentes obsidionem pre-

dictam ab ipsa civitate et eius pertinenciis removerent et victualia libere transire permitterent, necnon castra, possessiones, animalia et alia bona predicta cum dictis fructibus eisdem Archiepiscopo, Preposito et Capitulo restituerent, et de illatis iniuriis atque dampnis eisdem satisfacerent competenter, ac ordinaciones et mandata predicta in predictis litteris contenta studerent plenarie observare, ipsi tamen litteris, processibus et requisicionibus huiusmodi non parentes, predictam civitatem expugnaverant et ceperant, occupatamque detinuerant et eciam detinebant, officialibus dicti Archiepiscopi, qui civitatem ipsam pro eo et eius nomine tenebant, inde expulsis, quodque libros, redditus et proventus et iura ad eundem Archiepiscopum pertinencia subtraxerant; et ex parte dictorum Magistri, Preceptoris et Fratrum coram eodem predecessore fuisset tunc ex adverso responsum, quod ipsi predicta ceperant iure belli, eo quod gentes dictorum Archiepiscopi, Prepositi et Capituli ipsos Magistrum, Preceptorem et Fratres et gentes ipsorum duxerant prius hostiliter invadendos, et multos eorum homiuum interfecerant, villas et quedam alia sua loca combusserant, et predam magnam inde secum abduxerant, et contra eos et alios christianos in illis partibus existentes convenerant cum paganis, quod si venirent et expugnarent christianos predictos, darent eis conductum, auxilium et iuvamen, et quod ipsi Magister, Preceptor et Fratres, cum hec ad eorum noticiam pervenissent, pro tuissione (sic) christianitatis castra, villas, allodia, curtes, terras, predia, territoria et possessiones Archiepiscopi, Prepositi et Capituli predictorum pro tuicione sua et dictorum christianorum ceperant, et non animo occupandi, et quod dicta civitas Rigensis non ad dictum Archiepiscopum seu eius ecclesiam, sed ad Romanum Imperium pertinebat, et quod, quia eiusdem civitatis cives primo bellum et guerram intulerant ipsis Magistro, Preceptori et Fratribus et gentibus eorumdem, dictam civitatem obsidere et capere licitum eis fuerat: prefatus predecessor, partibus ipsis sepius diligenter auditis, et super hiis habita deliberacione solenni, voluit, declaravit et statuit, quod dicti Magister, Fratres et ordo predicta castra, villas, allodia, curtes, predia, possessiones et territoria per eos, ut premittitur, occupata et capta in statu seu integritate, in quo vel qua erant tempore occupacionis et captionis huiusmodi, libere et cum effectu restituereut Archiepiscopo, Preposito et Capitulo memoratis, prout ad eos communiter vel divisim spectare noscebantur, excepta civitate Rigensi predicta, et quod res mobiles in dictis castris, villis, allodiis, curtibus, prediis, territoriis et possessionibus per eos inventas et habitas, de quibus caveri in certis iuventariis hinc inde factis dicebatur, ipsis Archiepiscopo, Preposito et Capitulo vel procuratoribus aut vicariis suis sufficiens mandatum habentibus, prout ad eos communiter vel divisim spectabant, extantes, et non extancium extimationem infra certum terminum tunc expressum et iam diu elapsum restituerent, et quod pro supradictis fructibus, redditibus et proventibus per predictos Magistrum et Fratres et ordinem usque tunc receptis traderent et solverent dicto Archiepiscopo vel eius procuratori, ad recipiendum ac de recepto quitandum sufficiens mandatum habenti, in villa de Brugis in Flandria quatuor milia quingentos florenos auri de Florencia, in certis terminis eciam tunc expressis, et quod dictis Capitulo vel procuratori eorum ydoneo et simile mandatum habenti pro tempore, quo res predictas eorumdem Capituli tenuerant, usque tunc sexcentas marchas argenti ad pondus, ligam et valorem civitatis Rigensis, vel valorem earum, et centum florenos auri de Florencia solverent in certis locis et terminis eciam tunc expressis, prout in patentibus litteris felicis recordacionis Benedicti pape XII. predecessoris nostri, tunc Iacobi tit. sancte Prisce presbiteri, et bone memorie Bertrandi sancte Marie in Aquiro diaconi Cardinalium suis sigillis munitis plenius continetur.

Postmodum vero, dicto Iohanne predecessore, sicut domino placuit, de hac luce subtracto, dictus Benedictus predecessor, et ipsius Iohannis immediatus successor, predictas primas ordinaciones ipsius Iohannis per suas litteras sub sententiis et penis, ac censuris similibus mandavit et voluit per dictas partes effectualiter observari. Et deinde eodem Benedicto rebus humanis exempto, ac pie memorie Clemente papa VI. predecessore nostro et ipsius Benedicti immediato successore ad apicem eundem assumpto, et pro parte bone memorie Engelberti Archiepiscopi Rigensis contra Magistrum et Fratres predictos coram ipso Clemente predecessore in consistorio nonnullis propositis, ac pro parte Magistri et Fratrum predictorum asserto, quod contra dictum Engelbertum Archiep̃um querelas habebant exponere et narrare, idem Clemens bone memorie Petro Episcopo Sabinensi et Bertrando Cardinali predicto commisit oraculo vive vocis, quod per se vel alios partes audirent, et processus dudum factos et habitos ipsas partes tangentes inspicerent et sibi referrent, et subsequenter postquam dicti Sabinensis Episcopus et Bertrandus Cardinalis in dicto negocio ad nonnullos actus processerant, proposito iterum

coram eodem Clemente predecessore in consistorio pro parte Engelberti Archiepiscopi ac Prepositi et Capituli predictorum contra Magistrum et Fratres predictos, quod terra Livonie, que olim fuerat in gentilitate et ad predicationem Prelatorum dictarum partium, gratia dei faciente, conversa erat ad cultum fidei christiane, et quod ad instantiam eorumdem Prelatorum pro defensione christianorum institutus fuerat in ipsa terra Livonie quidam ordo fratrum Milicie Christi, et dotatus de bonis predictorum Rigensis ac Tarbatensis et Osiliensis ecclesiarum, qui demum, ut fortior esset defensio christianorum, unitus fuerat dicto hospitali beate Marie Theutonicorum per felicis recordationis Gregorium papam IX. predecessorem nostrum, ita tamen, quod obedientia, reverencia et subiectio, qua dicti fratres Milicie Christi tenebantur dictis ecclesiis, illesa et firma maneret, quodque deinde dicti Fratres hospitalis eiusdem, processu temporis ad superbiam elati, invaserant dictas ecclesias et prelatos, clericos et vassallos eorumdem, rapientes bona, captivantes personas et vulnerantes, et quosdam occidentes, et alia enormia committentes; de quibus, cum querela pervenisset ad pie memorie Clementem papam V. predecessorem nostrum, idem predecessor mandaverat inquiri diligentius veritatem, eaque invenerat vera esse, sed morte preventus nequiverat ulterius procedere in premissis, et quod postea dictus Iohannes eius successor predictis partibus comparentibus coram eo, ad ordinaciones et mandata et alia, que in dictis eius litteris continentur, processerat, ipsique Fratres, ut prefertur, ordinacionibus et mandatis ipsis obedire contempserant, dictamque civitatem Rigensem occupaverant et detinebant, ut premittitur, occupatam, et ut possint sine obstaculo in sua malicia perdurare, in ipsa civitate, eciam in solo eiusdem ecclesie, quodam hospitali et multis edificiis eiusdem civitatis per eosdem fratres propterea destructis, quoddam castrum et fortalicium construxerant, subiciendo eciam cives civitatis eiusdem sue indebite servituti, eosque multis oneribus et exactionibus aggravando, propter que penas contentas in mandatis et litteris dictorum Iohannis et Benedicti predecessorum incurrerant manifeste, et ab ipso Clemente VI. predecessore nostro pro parte ipsorum Archiepiscopi et ecclesie Rigensis humiliter postulato, ut mandare dignaretur eis fieri cum effectu restitucionem omnium premissorum, quorum possessione dicta Rigensis ecclesia erat, ut premittitur, spoliata, ac eciam declarare dictos Fratres incurrisse sententias in dictis litteris et processibus declaratas, et alias providere eis contra maleficia, contumacias et rebelliones dictorum Fratrum de remedio oportuno, ac ex adverso responso pro parte dictorum Fratrum, quod ipsi non spoliaverant ecclesiam Rigensem possessione dicta civitatis Rigensis, quia tempore dicte obsidionis et occupacionis dicta ecclesia Rigensis non possidebat ipsam civitatem, sed eam possidebant et occupaverant Letwini et infideles, a quorum manibus dicti Fratres dictam civitatem eruerant, unde non erant tanquam spoliatores ecclesie Rigensis ad restitucionem eogendi, et quod per eos non steterat, quin castra et alia bona Rigensis ecclesie ablata per ipsos Fratres ipsi ecclesie restituerentur, sed steterat per dictum Engelbertum Archiepiscopum, qui ipsa castra ablata sibi per dictos Fratres recipere recusarat: dictus Clemens VI. predecessor noster eisdem Petro Episcopo et Bertrando Cardinali commisit oraculo vive vocis, quod litteras apostolicas et processus inde secutos, et relaciones super hiis ordinatas, et alias scripturas ad predicta pertinentes simpliciter et de plano et sine strepitu et figura iudicii viderent, et se de predictis informarent, et sibi referrent, et deinde, dicto Bertrando viam universa carnis ingresso, Clemens VI. predecessor predictus dilectum filium Galhardum sancte Lucie in Silice diaconum Cardinalem loco dicti Bertrandi in causa huiusmodi surrogavit, coram quibus Petro Episcopo et Galhardo Cardinali comparentibus in iudicio procuratoribus partium predictarum, et per quemlibet eorum productis nonnullis apostolicis et aliis autenticis litteris, instrumentis publicis, aliisque iuribus et munimentis, quibus voluerunt in huiusmodi causa uti, et contra ipsa producta nonnullis exceptionibus datis hinc inde, et per procuratorem Archiepiscopi, Prepositi et Capituli predictorum nonnullis interrogacionibus et posicionibus exhibitis, et ad illas per procuratorem Magistri et Fratrum predictorum quibusdam responsionibus factis, in terminis ad singulos actus huiusmodi eisdem partibus per dictos Petrum Episcopum et Galhardum Cardinalem peremptorie et successive prefixis, et demum coram eisdem Episcopo et Galhardo ad nonnullos alios actus fuerat inter dictas partes in huiusmodi causa usque ad relacionem faciendam processum, dicto Petro Episcopo de hac luce subtracto, idem Clemens papa VI. dilectum filium nostrum Guillelmum tituli sancti Stephani in Celiomonte presbiterum Cardinalem in dicta causa loco dicti Petri Episcopi surrogavit, et deinde dilectum filium nostrum Egidium tituli sancti Clementis presbiterum Cardinalem eidem Guillelmo ex certis causis duxit in causa huiusmodi surrogandum. Postremo vero dicto Clemente VI. predecessore sublato de medio, nos ad apicem

summi eiusdem apostolatus assumpti predictis Egidio et Galhardo Cardinalibus mandavimus, ut in ipsa causa referrent. Facta itaque nobis in consistorio, presentibus venerabili fratre nostro Vromoldo Archiepiscopo Rigensi, ac Helmico Rone fratre dicti hospitalis et procuratore Magistri et Fratrum predictorum, per eosdem Egidium et Galhardum Cardinales in causa huiusmodi de omnibus et singulis supradictis et nonnullis aliis causam et negocia ipsa tangentibus relacione plenaria et fideli, nos volentes in hiis iuxta mansuetudinis apostolice morem cum maturitate procedere, ac paterne lenitatis gressibus ambulare, fraternitati vestre in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam vos incurrere volumus ipso facto, nisi feceritis, que vobis precipimus in hac parte, districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum ad predictam civitatem Rigensem vos personaliter conferentes, civitatem ipsam utpote post et contra inhibicionem et mandatum predicta eisdem Magistro, Preceptori et Fratribus auctoritate dictarum litterarum eiusdem Iohannis predecessoris facta, ut premittitur, occupatam una cum castris seu fortaliciis quibuscumque intra dictam civitatem, et eius suburbia constitutis libere et expedite ad manus vestras nomine, et sub potestate ac libera disposicione apostolice sedis auctoritate nostra reducere et recipere studeatis, et insuper ordinaciones et mandata premissa eiusdem Iohannis predecessoris tam in predictis eius quam dictorum Iacobi et Bertrandi litteris contenta, cum super hiis fueritis requisiti, execucioni debite in hiis, in quibus non reperirentur execucioni mandata, et quatenus dictas partes vel earum alteram respiciunt, per vos vel alium seu alios, vocatis partibus ubicumque vobis expedire videbitur, eciam extra vestras civitates et dioceses aut loca, in quibus deputati estis, execucioni debite demandetis et faciatis effectualiter demandari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et nichilominus contradictores huiusmodi et rebelles in premissis vel aliquo premissorum, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel condicionis existant, ex parte nostra citare curetis, ut infra certum peremptorium terminum competentem per vos assignandum eisdem, si persone singulares, personaliter, si vero capitula aut conventus vel universitas fuerint, per procuratores ydoneos plenum et sufficiens mandatum habentes apostolico conspectui se presentent, super contradictione et rebellione huiusmodi de iusticia responsuri, et alias facturi et recepturi, quod iustitia suadebit, et insuper inter partes premissas et quoscunque ex eis super premissis omnibus et singulis, et quibuscunque aliis occasionibus quibuscumque pacem et concordiam tractare, componere et firmare eadem auctoritate cum diligencia procuretis. Quod si forsan, peccatis exigentibus, partes ipsas ad pacem et concordiam reducere non possetis, extunc Archiepiscopo, Preposito et Capitulo, nec non Magistro, ... Marescallo et Conventui domus dicti hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Livonia certum competentem peremptorium terminum assignetis, in quo partes ipse, videlicet Archiep̃us, Prepositus, Magister et Marescallus et quilibet eorum personaliter, Capitulum vero et Conventus predicti (per procuratores) legitime cum pleno et sufficienti mandato ad quoscumque actus iudiciales, eciam usque ad diffinitivam sentenciam inclusive, necnon cum potestate paciscendi, transigendi et componendi, prout vobis pro bono ipsarum partium expedire videbitur, compareant in consistorio coram nobis cum omnibus privilegiis tam exempcionis quam aliis, nec non iuribus et munimentis quibuscumque, que predicte partes se habere pretendunt tam in dicta civitate Rigensi quam in castro Dunamundensi dicte Rigensis diocesis, et que per dictos Magistrum, Preceptorem et Fratres hospitalis eiusdem in et super exempcione a iurisdictione ordinaria ipsius Archiepiscopi et ecclesie Rigensis pretenduntur, audituri quicquid in et super predictis et alias inter partes ipsas duxerimus ordinandum, ac recepturi tam in predictis, quam de quibuscumque inobedientiis et excessibus per ipsas partes vel eorum alteram circa predicta commissis iusticie complementum, alioquin, sive venerint, sive non, in premissis ipsorum vel alicuius eorum contumacia vel absencia non obstante, prout iustum fuerit et nobis expedire videbitur, procedemus, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu quod iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere non presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, seu si prefatis Archie-

piscopo, Preposito et Capitulo, ac Magistro, Marescallo et Fratribus vel quibusvis aliis, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel condicionis existant, eciam si pontificali vel alia quavis dignitate prefulgeant, communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et eorum personis et locis, ordinibus et nominibus propriis mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mencio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum eciam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, quodque a data presencium vobis et cuilibet vestrum in premissis omnibus et eorum singulis sit perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis et pro predictis omnibus procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citacionem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Diem vero citacionis huiusmodi, si ad eas vel earum aliquam procedere vos contingat, et quicquid in premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras patentes litteras seu instrumenta publica vestris sigillis signata harum seriem continencia quantocius intimare curetis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. II. cod. chart. ep. 869. fol. 175.

DCCXXVI.

Nicolao de Crosna ex ord. Minor. vicario Russiae, ut fratres sui ordinis, sine alia licentia, ad partes Russiae ducere possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Crosna, vicario Ruscie, ordinis fratrum minorum, salutem etc. Exhibita nobis pro parte tua et dilectorum filiorum ordinis fratrum minorum commorantium in partibus scismaticorum Ruscie petitio continebat, quod numerus fratrum eiusdem ordinis, qui ad conversionem scismaticorum, et conservationem et instructionem fidelium in dictis partibus morabantur, tam per nonnullorum ex eis obitum, quam recessum, est multipliciter diminutus in grande dispendium catholice fidei et turbationem ac periculum animarum fidelium predictorum: Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc de apostolice provisionis remedio dignaremur. Nos igitur, qui fidem ipsam ubique propagari cupimus, et prout possumus, procuramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue triginta fratres ordinis supradicti, vita et moribus commendabiles, de quibuscunque nationibus, de quibus tibi videbitur, quique sponte ad easdem partes voluerint proficisci, absque licentia obtenta vel petita suorum prelatorum, semel tantum recipiendi, eosque ad dictas partes Ruscie moraturos in eis ad dei et fidei servitium conducendi, non obstantibus regula et constitutionibus eiusdem ordinis et aliis contrariis quibuscunque, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione XVI. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXXVII.

Duci Masoviae, ne a suis subditis infideles Lithuanos et Ruthenos contra Magistrum et fratres Teutonicos faveri permittat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro . . . Duci Mazovie, salutem etc. Gravis querela pro parte dilectorum filiorum . . . Magistri et fratrum hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani nobis nuper exposita continebat, quod licet ipsi, ut est notorium, contra infideles Litwanos et nonnullos Ruthenos scismaticos, subiectos eisdem, impugnantes ipsos fratres et alios christianos, bellum continuum prosequantur, tamen nonnulli subditi tui inter terras eorundem Magistri et fratrum, ac Litwanorum et Ruthenorum consistentes, apparatus et progressus eorundem Magistri et fratrum ex vicinitate locorum sepius sentientes, illos eisdem Litwanis notificant, et ut se defendant ac gentes dictorum fratrum offendant et prepediant, reddunt premonitos et etiam premunitos; et econtra, cum iidem Litwani contra ipsos fratres et terras eorum procedunt hostiliter, eos amicabiliter recipiunt et pertractant, ipsis victualia et ducatum in locis inviis et solitudinibus exhibendo, in magnum detrimentum eorundem Magistri et fratrum ac fidei christiane: super quibus fuit nostre provisionis remedium postulatum.

Quare nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, nichilominus tibi per apostolica scripta mandantes, quatinus dictos subditos tuos, ut desistant a predictis et aliis favoribus eisdem infidelibus impendendis, studeas pro reverentia dei sueque fidei, et honore tuo sic fideliter et realiter coercere, quod non oporteat per apostolicam sedem super hoc aliter provideri. Datum Avinione VIIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXXVIII.

Elizabethae reginae Hungariae seniori super eodem argumento.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabet Seniori Regine Ungaric Illustri, salutem etc. Gravis querela pro parte dilectorum filiorum ... Magistri et fratrum hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani nobis nuper exposita continebat, quod licet ipsi, ut est notorium, contra infideles Litwanos et nonnullos Ruthenos scismaticos subiectos eisdem, impugnantes ipsos fratres et alios christianos, bellum continuum prosequantur, tamen nonnulli subditi dilecti filii nobilis viri ... Ducis Mazovie et subiecti tui inter terras eorundem etc. ut supra usque postulatum. Unde nos dictum Ducem per litteras nostras rogamus et hortamur attente, nichilominus sibi per apostolica scripta mandantes, quod dictos subditos suos, ut desistant a predictis et aliis favoribus eisdem infidelibus impendendis, studeat pro reverentia dei sueque fidei, et honore ipsius sic fideliter et realiter coercere, quod non oporteat per apostolicam sedem super hoc aliter provideri. Quare devotam serenitatem tuam, cui non dubitamus talia displicere, affectuose rogamus, quatinus tam circa Ducem, quam subditos suos prefatos super hiis pro dicta reverentia apponas remedium oportunum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXXIX.

Henrico duci Glogoviae conceditur, ut cum decenti comitiva loca terrae sanctae visitare possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Henrico Duci Glogovie, salutem etc. Tue devotionis exigentibus meritis, votis tuis libenter annuimus, et petitiones tuas in hiis, que honeste postulas, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque, sicut oblate nobis tue petitionis series continebat, tu zelo pie devotionis accensus sepulcrum dominicum et alia oratoria terre sancte desideres personaliter visitare, nos carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum et Boemie Regis Illustris, pro te principe et sororio suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, tuisque supplicacionibus inclinati, ut cum viginti personis tam ex vassallis tuis, quam aliis, quos in tua comitiva duxeris eligendos, sepulcrum et alia oratoria supradicta, quibuscunque constitucionibus, prohibicionibus ac processibus sedis apostolice in contrarium factis et habitis seu eciam promulgatis, penas et sententias spirituales et temporales continentibus, nequaquam obstantibus, ex causa predicta valeas visitare, illaque nichilominus pro huiusmodi visitacione deferre, ac eciam exhibere, sine quibus peregrinationem huiusmodi commode adimplere non posses, dummodo ad partes illas nulla alia tu vel persone prefate deferatis, vel deferri faciatis, que in profectum vel favorem hostium fidei christiane redundare valeant, tibi auctoritate presencium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione XVII. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. V. cod. chart. fol. 178.

DCCXXX.

Donatio et concessio facta abbati et conventui monasterii Lubens Vratislaviensis dioecesis de iure patronatus capellae S. Laurentii sitae in castro Legnicensi dictae dioecesis confirmatur.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que ad relevamen et utilitatem ecclesiarum et monasteriorum facta vel concessa fore deliberatione provida dinoscuntur, libenter apostolice confirmationis adicimus firmitatem. Sane dilectorum filiorum Abbatis et Conventus monasterii Lubensis Cisterc. ord. Wratislaviensis diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quondam Bolezlaus Slezie Dux iuspatronatus capelle sancti Laurencii site in castro suo de Legnitz dicte diocesis, pertinens ad eundem, prefatis Abbati et Conventui ac monasterio eorum donavit certis ex causis rationabilibus et concessit, quodque bone memorie Nankerus Episcopus Wratislaviensis de consensu di-

lectorum filiorum Capituli Wratislaviensis prefatam capellam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicto monasterio incorporavit in perpetuum etiam et univit, concessis super hoc quibusdam patentibus litteris eorundem Ducis, Episcopi et Capituli sigillis munitis: quare pro parte dictorum Abbatis et Conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut donationem, concessionem, incorporationem et unionem predictas confirmare et ex certa scientia, ac omnem defectum, siquis forsan intervenisset in premissis, supplere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur eorundem Abbatis et Conventus ac monasterii profectibus, quantum cum deo possumus, favorabiliter intendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, donationem et concessionem dicti iuris patronatus, ac incorporationem et unionem predictas ratas et gratas habentes, illas auctoritate predicta ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, siquis forsan intervenerit in premissis vel aliquo eorundem. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis infringere etc. Datum Avinione xv. Kalendas Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Lib. III. cod. membr. ep. 470. fol. 426.

DCCXXXI.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Gerardo dicto de Dulmen clerico Warmiensis diocesis, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in diocesi Warmiensi. Datum Avinione vii. Id. Februarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Warmiensi, salutem etc. Mandat ei, ut Godefrido de Bremem clerico Warmiensi canonicatum in ecclesia Warmiensi conferat. Datum Avinione Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Sambiensi etc. salutem etc. Mandat ei, ut Iacob Becekim clerico Sambiensi canonicatum in ecclesia Sambiensi conferat. Datum Avinione xvii. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. III. fol. 415. et Tom. IV. cod. chart. fol. 158. et 211.

DCCXXXII.

Ludolphus ecclesiae Curoniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Ludolpho Electo Curoniensi, salutem etc. Inter cetera, que superna disposicione nobis imminent peragenda, ad id nimirum soliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati earum provideatur salubriter, et ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis. Nuper siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Curoniensi regimini Curoniensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie disposicioni et ordinacioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Iohannis Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie ignorantes, ut dicitur, reservacionem et decretum predicta, te tunc Prepositum ipsius ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter ignarus, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti, et deinde tu dubitans dictam ecclesiam esse reservatam, ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes eleccionem predictam post et contra reservacionem huiusmodi attemptatam fuisse, eam, prout erat, irritam reputamus et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te, cui de litterarum sciencia, vite ac morum honestate, prudencia spiritualium et providencia temporalium, aliisque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia perhibentur testimonia, considerata eciam ipsorum Capituli te eligencium unanimi volun-

tate, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta medicacione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dicta ecclesia per tue circumspeccionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, et reverenter suavi eius oneri colla flectens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, feliciter et prudenter, gregem dominicum in eadem ecclesia tibi creditum doctrina verbi et operis iuxta traditam tibi a deo prudenciam informando, quod ipsa ecclesia per tue circumspeccionis industriam votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam, dicte sedis ac nostram benediccionem et graciam consequi merearis. Datum Avinione II. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Archiepiscopo Rigensi et Capitulo ecclesie Curoniensis etc.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VI. cod. chart. fol. 46.

DCCXXXIII.

Exsecutoribus, ut super matrimonio inter Albertum ducem Bavariae et Margaretam natam L. ducis Lignicensis contracto dispensent.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Spirensi et ... Herbipolensi Episcopis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii Caroli Romanorum et Bocmie Regis Illustris peticio continebat, quod nobilis vir Albertus Dux Bavarie et dilecta in Christo filia nobilis mulier Margareta nata dilecti filii nobilis viri Ludovici Ducis Legnicensis, ipsius Regis consanguinea, tunc ignorantes, prout adhuc ignorare creditur, aliquod impedimentum inter eos existere, per quod non possent matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de presenti invicem contraxerunt, illudque per carnalem copulam, ut creditur, consumarunt, et quod ad ipsius Regis, de cuius consciencia dictum matrimonium tractatum extitit et contractum, devenit noticiam, quod dicti Albertus et Margareta tercio et quarto consanguinitatis gradibus se contingunt, propter quod in huiusmodi matrimonio remanere licite nequeunt, dispensacione super hoc apostolica non obtenta. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ex predictorum Alberti et Margarete separacione, si perpetuo fieret, verisimiliter multa possent scandala suscitari, idemque Albertus, qui nonnullas ex sentenciis atque penis tam per processus contra quondam Ludovicum de Bavaria, genitorem suum, de heresi et scismate condempnatum, eiusque filios et fautores ac adherentes eidem latis per apostolicam sedem factos et habitos, quam a iure promulgatas incurrisse dinoscitur, cuperet reconciliari sancte matris ecclesie unitati, et ad eius ovile reduci: Nos, qui misericordie lenitatem libenter exercemus in singulos, et salutem appetimus animarum, hodie de apostolice sedis clemencia consueta ipsius Alberti reconciliacionem et absolucionem vobis per nostras certi tenoris litteras, sub modis et condicionibus in litteris ipsis expressis, duximus committendam, volentes predictis scandalis, quantum cum deo possumus, salubriter obviare, dictique Regis nobis super hoc humiliter supplicantis supplicacionibus inclinati, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis gerimus in dño fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si est ita, cum eisdem Alberto et Margareta, postquam idem Albertus unitati sancte matris ecclesie per vos vel alterum vestrum iuxta dictarum litterarum continenciam et tenorem reconciliatus extitit, si hoc humiliter duxerint postulandum, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, in dicto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispensare curetis, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione II. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VI. cod. chart. fol. 445.

DCCXXXIV.

Epo Vratislaviensi, ut fundationem conventus fratrum Augustinianorum in sua civitate per Carolum regem factam confirmet.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ... Prioris generalis et fratrum ordinis heremitarum sancti Augustini peticio continebat, quod ipsi dudum auctoritate quarumdam litterarum felicis recordacionis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, per quas ei recipiendi loca ad inhabitandum usque ad cer-

tum numerum in quibuscumque provinciis licenciam sub certa forma dicitur concessisse, quendam locum in civitate Wratislaviensi per carissimum in Christo filium nostrum Karolum Romanorum et Boemie Regem Illustrem, et clare memorie Annam Romanorum et Boemie Reginam cum ecclesia, cimiterio, campanili, campanis et aliis necessariis officinis fundatum pariter et constructum, ad hoc eciam tue et dilectorum filiorum Capituli ecclesie Wratislaviensis accedente consensu, receperunt, et illum extunc possederunt, prout possident pacifice et quiete: Quare pro parte ipsorum Prioris et fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, ut fundaccioni et construccioni et recepcioni predictis apostolice firmitatis robur adicere cum suppleccione defectus, si quis intervenerit in eisdem, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui in divini cultus sacreque religionis augmentum laudabiliter ordinata apostolico libenter favore prosequimur, huiusmodi Prioris et fratrum ac Regis predictorum, nobis eciam super hoc humiliter supplicantis, in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si premissa vera fore, et quod dictus locus absque parrochialis ecclesie et alterius cuiuscumque preiuditio fundatus fuerit et constructus, quodque duodecim fratres dicti ordinis in eo commode valeant sustentari, inveneris, super quibus tuam conscienciam oneramus, fundacionem, construccionem et recepcionem predictas auctoritate nostra confirmes, omnemque defectum suppleas, si quis alias forsan intervenerit in eisdem. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VII. cod. chart. fol. 524.

DCCXXXV.

Universis praelatis per Poloniam et Silesiam etc. constitutis, ut inquisitoribus haereticae pravitatis contra beghardos et beginas auxilium praebeant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus universis et singulis Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, aliisque ecclesiarum et monasteriorum prelatis ac personis ecclesiasticis, nec non nobilibus viris Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus aliisque terrarum dominis, ac Universitatibus et Rectoribus civitatum, opidorum, castrorum, et villarum per ..., Poloniam et Slesiam, et alias quascunque partes fidelium constitutis, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Produxit ad audientiam nostram relatio fidedigna, quod dilecti filii Inquisitores heretice pravitatis in civitatibus, diocesibus et provinciis Magdeburgensi et Bremensi, et in terris Thuringie, Hassie et .... nie per sedem apostolicam deputati, et eorum vicarii auxilio divine gratie, et assistentia magnatum et universitatum partium earundem nonnullos Beghardos et Beginas, in quibus multi reperti erant hereticales errores, prout ex commisso eis tenebantur officii debito, persequentes, eos in predictis partibus extirparunt, nonnullis eorundem hereticorum conversis, et aliis ex ipsis iusti iudicii animadversione puuitis: verum (quia), ut habet predicta relatio, plures ex Beghardis et Beginis eisdem de dictis et aliis partibus, timore ipsorum Inquisitorum perterriti, ad .... et ducatus Stetinenses, ad terram Slesie ac civitatem et diocesim Wratislaviensem et alias partes vestras, in quibus Beghardorum et Beginarum huiusmodi esse dicitur multitudo, qua iuvari et in sua defendi pravitate confidunt, fugisse dicuntur, Universitatem vestram requirimus et rogamus attente, quatinus Inquisitoribus pravitatis eiusdem in eisdem vestris partibus deputatis, et eorum vicariis et nuntiis contra quoscumque hereticos, seu huiusmodi statum Beghardorum et Beginarum tenentes, seu alios utriusque sexus heretica labe infectos, pro dei et fidei catholice reverentia assistatis cum vestro brachio seculari, ac aliis vestris auxiliis, consiliis et favoribus oportunis, cum super hoc fueritis requisiti, ut de agro dominico extirpata zizania seges domini crescat feracior, in eius orreum dominicum inferenda, vosque proinde celeste premium uberius reportetis. Datum apud Villamuovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXXXVI.

Nicolao Rutheno electo Premisiliensi indulgetur, ut a quocunque antistite catholico consecrari possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Rutheno Electo Premisliensi, salutem etc. Dudum felicis recordacionis Clemens papa VI. predecessor noster Premiliensi ecclesie, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, tunc pastoris regimine destitute, de persona tua, sibi et fratribus suis

eiusdem Romane ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tuorum exigencia meritorum accepta, de fratrum ipsorum consilio duxerit auctoritate apostolica providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris indè confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum dictus predecessor, nondum tibi munere consecracionis impenso, viam fuerit universe carnis ingressus, nos divina favente gracia ad apicem summi apostolatus assumpti, ad ea, que ad tue commoditatis augmeutum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite, graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis, similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis apud dictam sedem vel extra recipere valeas, ac eidem antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, pleuam et liberam concedimus tenore preseucium facultatem. Volumus autem, quod idem antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Datum apud Villamuovam Avinionensis diocesis II. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VI. cod. chart. fol. 502.

DCCXXXVII.

Eidem licentia a curia Romana ad suam ecclesiam datur recedendi.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Premisliensi, salutem etc. Pridem ecclesia Premisliensi solatio destituta pastoris etc. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Ep̄um Carminensem tibi apud sedem apostolicam fecerimus munus consecratiouis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam Premisliensem cum nostre benedictionis gracia te personaliter conferens, sic te in administracione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retribucionis eterne premium nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis X. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VII. cod. chart. fol. 555.

DCCXXXVIII.

Iaroslao archiepiscopo Gnesnensi et aliis episcopis, ut de securo conductu ferentibus Brugas pecuuias ad cameram apostolicam spectantes provideant.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iaroslao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacaucina Scolastico Cracoviensi, apostolice sedis nuncio, damus per alias nostras litteras in mandatis, ut res et bona ad nostram Cameram pertinentia collecta per eum et inantea colligenda, sive in pecunia sive iu aliis quibuscumque consistant, ad locum seu villam de Brugis Tornacensis diocesis, suis vicibus et temporibus successive transmittat, inde postmodum ad dictam Cameram deferenda: Ideoque fraternitatem tuam attente rogamus, quatenus quotiens a dicto Arnaldo fueris requisitus, nunciis res et bona huiusmodi deferentibus per tuam diocesim facias de securo conductu pro nostra et dicte sedis reverentia providcri. Datum Avinioue VI. Idus Novembris. Anno Secundo.

In e. m. Ep̄is Cracoviensi, Wratislaviensi, Wladislaviensi, Poznaniensi, Plocensi, Lubicensi.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. fol. 188.

DCCXXXIX.

Regi Poloniae decima proventuum ecclesiasticorum in suo regno, reteuta medietate ipsius camerae apostolicae applicanda, conceditur.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Super oneribus sumptuum et inevitabilium expensarum, que ad resistendum pravis conatibus infidelium paganorum pro fide catholica sicut ipsius fidei strenuus pugil continuo sustines, magnitudini tue paternis compatientes affectibus, et cupientes tibi de alicuius subventionis auxilio, per quod non

solum infidelium ipsorum insane resistas audacie, quinimmo eorum sub assistente tibi dextera domini allidas et conteras omnino superbiam, liberaliter providere, decimam ecclesiasticorum proventuum Regni tui tibi in supportationem huiusmodi onerum liberaliter et gratiose concessimus, retenta nobis medietate ipsius decime pro incumbentibus nobis gravibus necessitatibus, quibus fatigabiliter premimur, supportandis, sicut in confectis super hoc aliis nostris litteris poteris clarius intueri, et insuper uberioribus te favoribus prosequentes, tibi ad solvendum nobis ea, in quibus nobis et Camere apostolice obligaris, usque ad tres annos terminum duximus statuendum, in aliis, que magnitudinis tue votis conveniant, intendentes, quantum cum deo poterimus, adesse favoribus oportunis. Tu ergo, fili carissime, intuens erga te matris ecclesie caritatem, illam filialibus studiis et gratis prosecutionibus in suis oportunitatibus recompenses. Datum Avinione x. Kal. Decembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. fol. 211.

DCCXL.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Preposito ecclesie Machoviensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Curet, ut Albertus Cristini Rector parrochialis ecclesie B. Marie in Zavichost Cracoviensis diocesis, qui pro negotiis Camere apostolice multum laboravit, canonicatum cum prebenda in ecclesia Cracoviensi obtineat. Datum Avinione xvi. Kal. Martii. Anno Secundo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Rone Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum cum prebenda proxime vacaturum in ecclesia Warmiensi. Datum Avinione x. Kal. Iunii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VI. cod. chart. fol. 292 et 393.

DCCXLI.

Episcopo Lubucensi, ut fratribus hospitalis B. Mariae Teutonicorum iustitiae complementum contra regem Svetiae faciat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Epō Lubicensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Magistri et fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani petitio continebat, quod Carissimus in Christo filius noster Magnus Rex Sweie Illustris, eiusque officiales eosdem Magistrum et fratres ac ipsorum homines quibusdam bonis et rebus ad eos spectantibus contra iusticiam spoliarunt, et detinent spoliatos, illaque ipsis restituere denegant; quodque super hoc pro parte dictorum Magistri et fratrum fuerint pluries cum instantia requisiti: Quare pro parte ipsorum Magistri et fratrum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi dictum Regem propter eius potentiam, quam merito perhorrescunt, in suo Regno Sweie vel circumvicinis eidem Regno locis secure nequeant convenire, providere eis super hoc de optimo remedio dignaremur. Nos itaque, qui dicti Regis velut devoti et catholici principis zelamus honorem, et eisdem Magistro et fratribus in exhibicione iusticie, in qua sumus cunctis et presertim sub sancte religionis observantia pro catholica fide certantibus debitores, deficere non valemus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus Regem ipsum ex parte nostra decenter inducere et monere procures, ut ipse, si est ita, huiusmodi bona et res eidem Magistro et fratribus ac eorum hominibus pro dei ac nostra ac apostolice sedis reverentia, dictarumque religionis et fidei necnon iusticie, que Regium thronum corroborat, consideracione libere dimittat, et faciat a suis officialibus relaxari: Alioquin si moniciones huiusmodi forsan exaudire neglexerit, vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesisticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel rancore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, proviso ne in Regno et terris Regis eiusdem interdicti sententiam proferas, nisi super hoc a nobis mandatum receperis specialius, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis ultra unam dietam a fine sue diocesis per litteras sedis prefate ad iudicium evocetur, et de duabus dietis in concilio generali et quibuslibet aliis constitutionibus apostolicis contrariis, per quas tue iurisdictionis explicatio possit quomodolibet impediri, seu si eidem Regi vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione II. Kal. Februarii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Lib. II. Part. II. ep. 32. fol. 182.

DCCXLII.

Praelatis Poloniae decima regi Poloniae in subsidium contra Tartaros et Lithuanos infideles et camerae apostolicae persolvenda imponitur.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archipiscopo Gneznensi, et universis Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, et aliis ecclesiarum Prelatis et Rectoribus, Capitulis quoque, Collegiis et Conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per Regnum Polonie constitutis, salutem etc. Romana mater ecclesia, cui licet immeriti disponente domino presidemus, grandibus et honerosis negociis, que in eam mundi cursus derivat, multipliciter in se, et eciam in filiis, quos baptismatis unda renatos hostes crucis vexare non desinunt, pregravata, pro se et ipsis ad eam in suis necessitatibus recurrentibus, cum expedit, subsidium postulat subditorum. Nuper siquidem pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris per certum nuncium suum fuit propositum in Consistorio coram nobis, quod infidelium Tartarorum et Lutwanorum gentes, christiani nominis inimici, Regnum Polonie iam pluribus annis elapsis hostiliter invaserant, multaque sibi dampna in gentibus atque bonis intulerant, ac invadere et inferre continuo conabantur, propter que Regem ipsum tam pro stipendiariis, quos pro defensione dicti Regni tenuit et tenere continue cogebatur, quam alias propter premissa tot et tanta oportuerat et oportebat subire onera expensarum, quod eorum supportacioni sibi non sufficiebant proprie facultates, ac pro parte ipsius Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi in subsidium expensarum et relevacionem suorum onerum predictorum, et pro defensione ipsius Regni, quod eidem ecclesie Romane est subiectum immediate et eciam censuale, de aliquo decimarum subsidio in dicto Regno, ad quod vos, fratres Archiepiscope et Episcopi, ut idem Rex asserit, liberaliter obtulistis, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut tam ecclesie quam Regis predictorum necessitatibus huiusmodi aliqualiter consolatur, deliberacione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, decimam omnium redditum et provectuum ecclesiasticorum in dicto Regno Polonie consistencium per quadriennium, a festo omnium Sanctorum proxime futuro in antea computandum, a vobis Archiepiscopo et Episcopis ac predictis aliis personis ecclesiasticis quibuscunque secularibus et regularibus Regni eiusdem, exemptis et non exemptis, in Regno predicto redditus et proventus huiusmodi obtinentibus, cuiuscunque dignitatis, status et ordinis seu condicionis existant, quibus et eorum alicui quo ad hec nulla privilegia et indulgentias sub quacumque forma vel expressione verborum concessas volumus suffragari, preterquam ab eisdem fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus prioratus, personatus et officia, canonicatus et prebendas, dignitates et ecclesias, seu alia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura in eodem Regno obtinentibus, et obtenturis imposterum, qui in apostolice sollicitudinis partem assumpti nobiscum Universalis ecclesie onera sorciuntur, necnon a dilectis filiis Magistro, prioribus, preceptoribus et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos quidem Cardinales, Magistrum, priores, preceptores et fratres hospitalis eiusdem ab huiusmodi prestatione decime exemptos et immunes esse volumus, exigendam de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica presentium tenore imponimus, ac volumus et etiam ordinamus, quod dicta decima a vobis omnibus et singulis in eodem Regno redditus et proventus ecclasiasticos, ut perfertur, habentibus, de illis dumtaxat, preterquam ab eisdem Cardinalibus, Magistro, prioribus, preceptoribus et fratribus hospitalis prefati, absque iniuria et oppressione quacumque per dictum quadriennium in infrascriptis terminis colligatur et etiam exigatur, ipsaque, postquam collecta fuerit, soluta inter nos pro nostris et eiusdem ecclesie, Regemque predictum pro ipsius necessitatibus relevandis annis singulis dicti quadriennii equaliter dividatur, ac insuper omnes et singulos, cuiuscumque preminentie, dignitatis aut status existant, qui de pecunia dicte decime aliter receperint, excommunicationis sentenciam incurrere volumus ipso facto. Siquidem solucionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti quadriennii primum terminum fore statuimus dictum festum omnium Sanctorum proxime secuturum, ac in aliis tribus annis; secundum vero terminum medietatis alterius dicti primi anni festum Ascensionis domini prefatum festum omnium Sanctorum tunc proxime secuturum, in aliis tribus annis dicti quadriennii sequentibus similibus terminis observandis. Et ne de moneta, in qua fiet et fieri debebit decime predicte solucio, valeat hesitari, et ut vitentur gravamina, que hactenus forsan propterea passi estis, nostre intencionis

existit, quod ad monetam currentem predicta decima levetur et etiam exigatur iuxta Constitucionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii vestrum aliquis non gravetur. Huiusmodi vero solucio fiat secundum taxacionem decime in vestris, predicte Archiepiscope et Episcopi, civitatibus et diocesibus hactenus factam, vel ubi nulla certa taxacio fuerit, secundum modum, morem et consuetudinem in exactione huiusmodi hactenus observatos, et absque aliquo alio vestro onere seu illorum, a quibus ipsa decima exigetur, nisi forte propter defectum solucionis huiusmodi expensas fieri oporteret, quo casu vos ad restitucionem illorum astringi volumus et teneri; quodque iuxta constitutionem eandem calices, libri et alia ornamenta ecclesiastica divinis officiis deputata ratione predicte decime nullatenus ex causa pignoris vel alias capiantur. Quocirca Universitatem vestram monemus rogamus et hortamur attente, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus tam Romane ecclesie, quam Regis eorundem necessitates huiusmodi devota consideratione pensantes, prefatam decimam de vestris redditibus et proventibus supradictis in eisdem duobus terminis per singulos annos eiusdem quadriennii, prout superius est expressum, sine difficultate qualibet persolvatis, sic vos in premissis reddentes per optimam exhibitionem operis efficacis, quod devocionem vestram possimus in domino non immerito commendare: Alioquin tibi, prefate Archiepe, et dilectis filiis ... Decano et Arnoldo de Lacaucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, quos ad colligendum et exigendum decimam huiusmodi per alias nostras litteras deputamus et committimus, ut vos prefatos Episcopos et personas alias supradictas, Cardinalibus, Magistro, prioribus et preceptoribus ac fratribus dicti hospitalis exceptis, ad solvendum decimam huiusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellatis. Datum Avinione II. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, et dilectis filiis ... Decano et Arnoldo de Lacaucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncio. (Cf. supra Nro. DCCII. pag. 531.)

Ex Reg. orig. An. III. Lib. II. Part. II. ep. 36. fol. 183.

DCCXLIII.

Elisabethae seniori reginae Hungariae, ut Ludovicum natum suum pro rege Poloniae certam dispensationem petere dissuadeat.

Innocentius episcopus etc. Carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Ungarie Illustri, salutem etc. Litteras tue serenitatis et Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, nati tui, in favorem ... Illustris Regis Polonie destinatas recepimus more patris. Et quia idem Rex Ungarie plus petiit, quam tua serenitas, sibi plenarie respondemus, et eum paterne instruimus, qualiter a similibus petitionibus abstinere debeat in futurum, prout in tenore litterarum, quas sibi mittimus, intercluso presentibus, per quem reputamus sufficienter fore eidem serenitati responsum, videbis plenius contineri, tuamque devotionem ex eo, quod prudentius et moderatius supplicasti, non petendo dispensationem, que nullatenus debet peti, digna in domino commendamus. Quicquid autem pro conservatione honoris dicti Regis Polonie cum honore nostro et consciencie salvacione poterimus, consideracione tue devocionis et eiusdem tui nati libentissime faciemus, saluti tamen et honori eiusdem Regis Polonie credimus expedire, quod superinductam dimittat, ad quod eum debes oportune et importune iugiter exhortari. Super quibus Venerabili fratri nostro ... Episcopo Nitriensi per nos plenius informato velis fidem indubiam adhibere. Datum Avinione V. Id. Iulii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXLIV.

Arnaldo de Lacaucina, ut per se vel per alios monasteria, collegia, ecclesias etc. exempta in regnis Poloniae et Hungariae visitet.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacaucina Canonico Cracoviensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Licet universaliter omnibus Christi fidelibus, quibus nos dignatio divina prefecit, constituat apostolice servitutis officium debitores, circa eos tamen, qui Romane immediate subsunt ecclesie, solicitat nos cura propensior et attentioris vehementia studii sine intermissione perurget, ut sicut specialiter nobis subsunt, ita circa se nostre specialiter provisionis instantiam recognoscant. Attendentes igitur, quod visitationis officium, quod idcirco sacrorum indicit auctoritas canonum, ut visitatores quilibet indirecta dirigant, reformanda reforment et corrigant corrigenda, in personas et loca ad nos et eandem ecclesiam nullo medio pertinentia a iamdiu preiudicialiter siluet, prout silet, et cupientes personarum et locorum huiusmodi utilitatibus spiritualiter et temporaliter providere, ne, quod

absit, apud eum, cuius vices in terris immeriti gerimus, negligentie arguamur: Discretioni tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios viros probos et timentes deum ecclesias, monasteria aliaque loca ecclesiastica, necnon capitula, collegia, conventus et personas eorum, secularia et regularia, sancti Benedicti et sancti Augustini, necnon Cluniacensis, Cisterciensis, Premonstratensis et aliorum ordinum quorumcunque exempta dumtaxat, et illa etiam, que ex privilegio vel consuetudine quo ad visitationem non subsunt ordinariis eorundem, Polonie et Ungarie Regnorum, in quibus nuncius apostolice sedis existis, hac vice auctoritate uostra statim receptis presentibus visitans, tam in capite, quam in membris in eis reformanda reformes, indirecta dirigas, et quecunque emendationis sarculo indigere cognoveris, solicite et solerter expurges, ac omnia exequaris, que ad visitatoris dinoscuntur officium pertinere, ab ecclesiis, monasteriis, locis, capitulis, collegiis, conventibus et personis eisdem taliter visitatis procurationes, visitanti personaliter Ep̃o ecclesias, monasteria, loca, capitula, collegia, conventus et personas uon exempta et ordinario sibi iure subiecta ab eis exhiberi solitas, iuxta formam constitutionis per felicis recordationis Benedictum papam XII. predecessorem nostrum super hoc edite, in pecunia numerata pro negotio visitationis huiusmodi recepturus. Ut autem visitatio huiusmodi absque mora longioris temporis compleatur, unum, duo vel tria aut plura ecclesias, monasteria et loca, capitula, conventus, collegia et personas et eadem die visitandi et a singulis eorum recipiendi procurationes exhiberi solitas, ut premittitur, episcopo personaliter visitanti, sive pastus, sive caritativa pabula, sive alias quomodolibet nuncupentur, nichil tamen de hiis, que circa visitationis huiusmodi officium debent fieri, omittendo, Contradictores quoque auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam tibi concedimus tenore presentium potestatem, Non obstantibus constitusionibus a felicis recordationis Gregorio X. et Innocentio IIII. ac eodem Benedicto, et quibuslibet aliis Romanis pontificibus in contrarium editis, ac privilegiis et iudulgentiis apostolicis quibuscunque generalibus vel specialibus, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialem fieri oporteat mentionem, et per que ipsis nostris litteris non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, Seu si eisdem capitulis, collegiis, conventibus ac personis aut quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod ad procurationem aliquam ratione visitationis solvendam, etiam visitata, minime teneantur, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Sic igitur fidelem, diligentem et sedulum te exhibeas in premissis, quod ex operationibus tuis uberes fructus, salus videlicet animarum, proveniant, ut speramus, tuque preter mercedis eterne premium et apostolici favoris gratiam laudabili fame attolli preconiis merearis. Nostre tamen intentionis existit, quod hii, quorum facultates ad integram solucionem huiusmodi procurationis, supportatis aliis oneribus consuetis, non suppetunt, ultra quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigentiam comode possunt, illi vero, qui de dicta procuratione nichil solvere possunt, super cuiusmodi eorum impotentia tuam conscientiam oneramus, ad solvendum aliquid pretextu mandati huiusmodi nullatenus compellantur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis x. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno III.

Ex Instrument. miscell. Caps. 215. Nro. 57.

DCCXLV.

Ludovico regi Hungariae, ut Casimirum regem Poloniae, avunculum suum, ad Adelhaidim uxorem veram, superinducta omnino dimissa, recipiendam et maritali affectione pertractandam moueat et inducat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Vellemus, carissime fili, tibi, quem gerimus in visceribus caritatis, semper placita reserare; sed occurrentibus morbis pernitiosis oportet interdum ad tollendum maiorem dolorem atque periculum adhiberi amaritudinem discipline. Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum, fama publica referente, pervenit, quod carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris, avunculus tuus, qui dudum carissimam in Christo filiam nostram Alheydim Reginam Polonie Illustrem, consortem suam, contra Regie honestatis debitum a suo reiecit consortio pro libito voluntatis (super quo ipsa Regina contra Regem eundem in Romana Curia iustitiam suam prosequitur), mala malis accumulans, et inverecunde obnubilans serenitatis Regie claritatem, nuper asserendo pro se in huiusmodi causa in dicta Curia diffinitivam fore sentenciam promulgatam, et certam dispensationem obtinuisse ab apostolica

sede, quod cum alia contrahere posset, eciam in gradu prohibito, quamvis premissa omni careant veritate, cum quadam alia eciam consanguinea sua matrimonium de facto contraxit, eamque tamquam suam uxorem ad nefarios admisit amplexus in dampnationem anime sue, plurimorum scandalum, suorum consanguineorum et devotorum tristitiam ac grande opbrobrium Regie dignitatis: propter quod nos, qui salutem et honorem prefati Regis paterna caritate zelamus, tam horrendum facinus, quod nisi celeriter emendetur, dampnabilis exempli perniciem in suo Regno et nonnullis aliis partibus populi christiani diffundet, tolerare sub patientia, salva conscientia, nequeuntes, dictum Regem per nostras litteras, quas cum presentibus mittimus, monemus et hortamur in domino, nichilominus sibi per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatinus eisdem suis saluti et honori, quos negligit, consulens incunctanter, eandem superinductam ex toto dimittere, prefatamque Alheydim, precedentibus securitatibus debitis, ad suam cohabitationem recipere, eamque tractare maritali affeccione et congruis honoribus non postponat; alioquin sciat nos commisisse dilecto filio nostro Egidio tituli sancti Martini in Montibus presbitero Cardinali, coram quo dicta causa pendet, ut super huiusmodi novo dicti Regis excessu contra ipsum procedat, prout iustitia suadebit. Quare serenitatem tuam, quam non dubitamus de tanta culpa Regis eiusdem gravi doloris aculeo sauciari, et tantam inhonestatem eciam execrari, rogamus et hortamur attente, quatinus eundem Regem efficaciter moneas et inducas, ut tam grave scelus statim studeat emendare, prefatam superinductam, quam deceptam et hucusque esse credimus sine culpa, totaliter dimittendo, memoratamque Alheydim recipiendo ac tractando maritali affectu, et alias honorifice, sicut status exigit reginalis. Datum Avinione III. Kal. Octobris. Anno Tercio.

Ex reg. orig. An. III. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXLVI.

Eidem regi Hungariae, ut conversionem Lituanorum infidelium ad fidem catholicam promoveat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Cum tua devota serenitas ad ampliationem catholice fidei libenter intendat, nosque experiri optemus conversionem Lituanorum infidelium, tuo Regno Polonie vicinorum, de qua nobis spes aliqualis est data, et propterea ducibus eorundem Lituanorum scribamus secundum tenorem presentibus interclusum: serenitatem eandem, quam in hac parte credimus velle ac posse utiliter operari, confidenter requirimus, attenteque rogamus, quatinus ob reverentiam dei et amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute nostrorumque adiectione precaminum velis in hoc viis et modis, quibus poteris, solicitis studiis laborare, nosque informare de hiis, que circa id credis esse per sedem apostolicam faciendum. Super quo dilecto filio Dobrogostio preposito ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, latori presentium, digneris fidem indubiam adhibere. Datum Avinione X. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno III.

In e. m. Carissime in Christo filie Elizabeth Regine Polonie Illustri.

Ex Reg. orig. An. III. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXLVII.

Vladislao duci Opuliensi super eodem argumento.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Wladislavo Duci Opuliensi, salutem etc. Cum tua nobilitas ad ampliationem catholice fidei libenter intendere debeat, nosque experiri optemus conversionem Lituanorum infidelium, de qua nobis spes aliqualis est data, et propterea ducibus eorundem Lituanorum scribamus secundum tenorem presentibus interclusum: nobilitatem eandem, quam in hac parte credimus velle ac posse utiliter operari, confidenter requirimus attentiusque rogamus, quatinus ob reverentiam dei et amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute nostrorumque adiectione precaminum velis in hoc viis et modis, quibus poteris, solicite laborare, nosque etc. ut supra. Super quo etc. velis fidem indubiam adhibere. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXLVIII.

Semovito duci Masoviensi super eodem argumento.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Semovito Duci Mazoviensi, salutem etc. Ex verbis dilecti filii Dobrogestii prepositi Cracoviensis ecclesie, decretorum doctoris, latoris presentium,

audivimus iocundanter, quod tu zelo fidei orthodoxe ignitus, ipsius ampliationem et specialiter conversionem infidelium Lituanorum vicinorum tuo ducatui toto corde desideras, et quod pro illa, si sperares proficere, solicitis studiis laborares. Proinde igitur tuam devotionem multipliciter in domino commendantes, nobilitati tue notum facimus, quod ducibus Lituanorum pro ipsorum suique populi conversione scribimus secundum tenorem presentibus interclusum, Nobilitatem eandem rogantes attentius et hortantes, quatinus pro dicta conversione omnibus modis, quibus poteris, ob reverentiam dei et amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute, et ob nostrarum precum adiectionem velis efficaciter laborare, nosque informare de hiis, que circa hoc videris expedire, dicto preposito super hiis, que tibi in huiusmodi sancto negotio ex parte nostra narraverit, fidem plenariam adhibendo. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Archetyp. epistolar. fol.

DCCXLIX.

Episcopo, vicariis et officiali Vladislaviensibus, ut ecclesias, monasteria, collegia etc. non exempta visitent.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, et dilectis filiis . . . Vicariis eius in spiritualibus ac . . . Officiali Wladislaviensi, salutem etc. Licet universis Archiepiscopis et Episcopis indicat sacrorum auctoritas canonum inter cetera visitationis officium, ut subditos, clerum et populum reficiant pabulo verbi dei, et in eis corrigenda corrigant, indirecta dirigant, reformanda reforment et reservata eis ministrent indigentibus ecclesiastica sacramenta: quia tamen propter dierum maliciam et pericula temporum, que peccatis exigentibus invalescunt, nonnulli ex Archiepiscopis et Episcopis ipsis pro ecclesiarum commissarum eis tuicione vel recuperacione iurium ab ecclesiis ipsis abesse compulsi sunt et compelluntur inviti, quidam vero in propriis ecclesiis residentes propter guerras, quibus ipsorum aut vicine dioceses agitantur, eorum civitates exire formidarunt etiam et formidant, et alii iustis impedimentis diversis aliis, que parit huiusmodi malicia dierum et temporum, prepediti, in aliis necessariis ecclesiarum suarum negotiis occupantur, huiusmodi visitacionis officium, sicut moleste percepimus, fere ubique diu siluit atque silet, quod nos anxie cogitantes ac dignum et congruum arbitrantes, ut dicti Archiepiscopi et Episcopi onera incumbencia eis, que soli portare nequeunt mandata celestia exequendo, cum aliis parcientes huiusmodi visitationis officium viris timoratis et potentibus opere et sermone committant salubriter exequendum, ac ex debito apostolice servitutis, que indicit ecclesiarum omnium generaliter nobis curam, cupientes sic te, frater Episcope, tuis et ecclesie tue vacare negociis aliis, quod populos tue cure commissos destitui proinde auxilio spiritualis alimonie non contingat, discretioni vestre de fratrum nostrorum ac Archiepiscoporum et Episcoporum aliorumque prelatorum apud apostolicam sedem presencium consilio districte precipiendo mandamus, quatenus per aliquam vel aliquas personam seu personas, zelum dei eiusque timoris habentes, per te, predicte Episcope, vel te a civitate ac diocesi tuis absente, per vos, filii vicarii et officialis, aut alterum vestrum ad id auctoritate apostolica deputandam seu etiam deputandas ecclesias et monasteria, aliaque loca ecclesiastica, necnon Capitula, Collegia, Conventus et personas eorum secularia et regularia civitatis et diocesis Wladislaviensis non exempta, in quibus tibi, Epe predicte, competit visitacionis officium de consuetudine vel de iure, semel tamen, statim receptis presentibus, vel sequenti immediate proximo anno, si hoc anno tu predicta visitaveris forsitan, visitantes corrigenda corrigatis, reformanda reformetis, indirecta dirigatis, et quecunque emendacionis sarculo indigere cognoveritis, solicite expurgetis, ac omnia exequamini, que ad visitacionis dinoscuntur officium pertinere, ab ecclesiis, monasteriis, locis, Capitulis, Collegiis, Conventibus et personis eisdem taliter visitatis procuraciones, visitanti personaliter Episcopo exhiberi solitas iuxta formam Constitucionis per felicis recordationis Benedictum papam XII. predecessorem nostrum super hoc edite, in pecunia numerata racione visitationis huiusmodi recepturi. Ut autem visitacio huiusmodi absque mora longioris temporis compleatur, eisdem personis unum, duo, tria vel plura ecclesias, monasteria et loca, Capitula, Conventus et Collegia una et eadem die visitandi et a singulis eorum recipiendi procuraciones exhiberi solitas, ut premittitur, Episcopo personaliter visitanti, nichil tamen de hiis, que circa huiusmodi visitacionis officium debent fieri, omittendo, plenam concedimus tenore presentium potestatem, Non obstantibus constitutionibus a felicis recordacionis Gregorio X. et Innocentio IIII. ac eodem Benedicto et quibuslibet aliis Romanis pontificibus predecessoribus nostris in contrarium editis, ac privilegiis et indulgenciis apostolicis quibuscunque generalibus vel specialibus, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialem fieri

oporteat mencionem, et per que ipsis nostris litteris non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, seu si eisdem Capitulis, etc. sit indultum, quod interdici etc. ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, Contradictores etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis x. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Similis littera fuit fecta et missa Ep̄o Lubicensi ac Vicariis et Officiali suis Lubic. Dat. ut sup.

Ex Reg. orig. An. III. litt. Cameral. Tom. III. fol. 180.

DCCL.

Ioannes ecclesiae Varmiensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Cum ecclesiarum omnium solicitudo sedula nobis quanquam immeritis sit superna disposicione commissa, illo nos regente, qui celum terramque regit, de statu ecclesiarum ipsarum et prelatorum prudenter disponimus, cum oportet, prout consideratis exacte personis et locis, temporibus atque causis eorumque circumstanciis, unicuique cum perpensi eciam maturitate consilii hoc in deo conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Warmiensi regimini Warmiensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum illam vacare contingeret, fructuosam et utilem per apostolice sedis providenciam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quamvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum autem prefata ecclesia per obitum ipsius Iohannis Episcopi, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie, reservationis et decreti predictorum, ut fertur, ignari, te ipsius ecclesie Custodem, in presbiteratus ordine constitutum, in Warmiensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti eciam inscius eorumdem electioni huiusmodi consensisti: deinde vero reservacione ac decreto huiusmodi ad tuam deductis noticiam, electionis huiusmodi negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos itaque electionem eandem et quicquid ex ea secutum erat, utpote post et contra reservacionem et decretum huiusmodi attemptata, irrita, prout erant, et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservacione ac decreto obsistentibus antedictis, ne prefata ecclesia vacacionis diutine exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ipsius ecclesie Custodem, litterarum sciencia preditum, vite mundicia morumque honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum donis, prout testimonio fidedignorum accepimus, laudabiliter insignitum, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus ac concordi Capituli predictorum te eligencium voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac demum per Venerabilem fratrem nostrum Talairandum Episcopum Albanensem tibi fecimus munus consecracionis apud eamdem sedem impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod gracia tibi assistente divina, ecclesia ipsa sub tuo felici regimine utiliter et prospere dirigetur, grataque honoris et commodi suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam ipsam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administracionem predictas sic salubriter geras et solicite prosequaris, quod prefata ecclesia fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde premium eterne retribucionis acquiras, ac nostram et dicte sedis benedictionem et graciam assequi uberius merearis. Datum Avinione xv. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Capitulo, Clero et populo Civitatis et diocesis Warmiensis et Archiep̄o Rigensi.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. IX. cod. chart. fol. 95.

DCCLI.

Eidem litterae Innocentii PP. IV. de limitatione terrarum et episcopatuum Prussiae transcribuntur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Provisionis nostre debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Hinc est, quod nos teno-

rem quarumdam litterarum felicis recordationis Innocentii pape quarti predecessoris nostri, in Regestro ipsius predecessoris repertum, pro eo, quod sicut tua peticio nobis nuper exhibita continebat, prefate originales littere, quibus pro iuribus tue ecclesie conservandis te asseris indigere, casualiter sunt amisse, de Regestro ipso de verbo ad verbum transcribi et ad tue supplicationis instanciam fecimus presentibus annotari: qui talis est. Innocentius episcopus servus servorum dei, Dilectis filiis . . . Magistro et fratribus sancte Marie Theutonicorum, salutem et apostolicam benedicionem. Iustis petentium et cetera usque assensu, limitationem diocesium Pruscie et coniuncte sibi terre Culmensis, ac divisionem terrarum ipsius Pruscie, quas de mandato nostro apud sedem apostolicam provida deliberatione prehabita fecit venerabilis frater noster . . . (Willelmus) Ep̃us quondam Mutinensis, Penitentiarius noster, in partibus illis apostolice sedis legatus, prout in ipsius litteris super hoc confectis plenius continetur, ratas habentes et firmas, eas auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum fecimus annotari: qui talis est. Willelmus miseracione divina Episcopus quondam Mutinensis, apostolice sedis legatus, omnibus presentes litteras inspecturis, salutem in nomine Iesu Christi. Noverit universitas vestra, quod sanctissimus pater dominus Innocentius papa quartus inter alia, que ad legationis officium pertinent, commisit nobis in eius presentia constitutis, ut limitare possemus dioceses infra terminos nostre legationis et episcopos instituere in eisdem: cuius auctoritate de regionibus iam conversis limitavimus sic dioceses in Pruscia. Primam enim diocesim limitavimus de terra Culmensi, sicut circuunt tres fluvii, Vixla, Dravanza et Ossa, ita quod in eadem diocesi Lubovia includatur. Verum tamen in terra Culmensi ad Ep̃um, qui pro tempore fuerit, pertineat illud dumtaxat, quod de communi consensu et voluntate ep̃i Pruscie ac fratrum hospitalis beati Marie Theutonicorum et hominum in eadem terra Culmensi manentium ordinatum fuit, quando primo ad habitationem illius deserti homines intraverunt, videlicet una mensura tritici et una mensura siliginis de aratro, et una mensura tritici de unco, et insuper sexcenti mansi de terra in competenti vel competentibus locis ipsius terre Culmensis. Secundam vero diocesim limitavimus, sicut claudit Ossa, Wixla et stagnum Drusine, ascendendo per flumen de Passalue, ita quod Insule de Quidino et Santerii in eadem diocesi habeantur. Terciam quoque limitavimus, sicut claudit recens mare ab occidente et flumen, quod dicitur Pregora sive Lipsa, ab aquilone, et stagnum predictum Drusine a meridie, ascendendo per predictum Passalucense flumen contra orientem usque ad terminos Letuinorum. De non conversa autem terra diocesi iam dicte coniuncta limitavimus Quartam diocesim, sicut claudit mare salsum ab occidente et flumen Memele ab aquilone et meridie flumen Pregore versus orientem usque ad terminos Letuinorum, ita quod predicta omnia flumina communia sint diocesibus, que ipsis fluminibus terminantur. Preterea, quia fratres predicti totum pondus expensarum et preliorum sustinent, et quia multis oportet eos infeudare terras, sic divisimus terras Pruscie, ut sive unus fuerit Ep̃us sive plures, fratres duas partes integre cum omni proventu habeant, et ep̃us sive ep̃i tertiam integre cum omni iurisdictione et iure, salvis tamen episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, que non possunt nisi per ep̃um exerceri. Verum ut hec terrarum divisio effectum debitum libere consequatur, ipsa in nomine Christi fiat primo iuxta voluntatem et consensum ep̃i ac fratrum hospitalis eiusdem. Et si concordia intervenire non poterit, tunc ipsi eligant communes amicos, per quos huiusmodi divisio fiat: et si taliter etiam concordare non poterunt, tunc ipsi fratres, quia terra ipsis notior est, dividant diocesim in tres partes, et de una ipsarum partium habeat Episcopus opcionem, vel si forsan ipse noluerit eligere, que pars ex illis tribus partibus cedat Episcopo, sicut sortes dederint, terminentur. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Datum Anagnie anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, quarta die stantis Iulii, Indictione prima, Pontificatus eiusdem domini pape anno primo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinione (Anagnie) VIII. Idus Octobris pontificatus nostri anno primo. Ceterum, ut idem tenor sic insertus omnimodam rei certitudinem faciat, auctoritate apostolica decernimus, ut illud idem robur eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales littere supradicte, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense: per hoc autem nullum ius de novo alieni acquiri volumus, sed antiquum tantum-

modo conservari. Nulli ergo etc. nostre constitucionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II. Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. fol. 493.

DCCLII.

Eidem litterae Iunocentii PP. IV. de inhibitione facta episcopo Prussiae, ne terras huiusmodi infeudet, transcribuntur.

Innocentius episcopus etc. Provisionis etc. ut in superiori usque Innocentius Episcopus etc. Venerabili fratri ... Ep̃o Pruscie, sal. etc. Super hiis, que per dilectos filios etc. ut supra Nro. LXXVI. pag. 36. Datum Anagnie III. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo. Ceterum, ut ipsarum litterarum tenor sic insertus etc. ut supra. Datum Avinione II. Idus Decembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. fol. 493.

DCCLIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Hoyke Custodi ecclesie Warmiensis, sal. etc. Confert ipsi custodiam dicte ecclesie, quam Iohannes episcopus Warmiensis tempore sue promotionis obtinebat, indulgetque, ut canonicatum et prebendam in dicta ecclesia retinere possit. Datum Avinione XV. Kal. Decembris. Anno Tertio.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri...Episcopo Zwerinensi, salutem etc. Mandat ei, ut ad aggravationem processuum factorum per Episcopum Wratislaviensem contra Capitulum ecclesie S. Marie in Stettyn Caminensis diocesis procedat. Datum Avinione II. Kal. Iulii. Anno Tertio.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Frankenhain Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Karoli Romanorum Imperatoris canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Grudentz Culmensis diocesis retinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kal. Octobris. Anno Tertio.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Mandat ei, ut Iohanni Thoys Rectori Capelle in Odempe sue diocesis Canonicatum in ecclesia Osiliensi conferri curet. Datum Avinione IIII. Nonas Octobris. Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. fol. 88. Tom. XI. fol. 495. et Tom. XII fol. 380. et 386. cod. chart.

DCCLIV.

Assignationes pecuniarum collectarum in Polonia, Svetia, Dacia et Norvegia factae camerae apostolicae an. MCCCLIV — MCCCLX.

Anno domini millesimo CCC. quinquagesimo quarto, Indictione VII. Pontificatus domini Innocencii pape VI. anno secundo, die XX. Novembris Anthonius Malabayla mercator Estensis de pecuniis, per ipsum vel eius socios receptis Brugis nomine et mandato Camere apostolice a domino Arnaudo Lacaussina Scolastico ecclesie Cracoviensis, Collectore apostolico in Regnis Polonie et Ungarie deputato, ad Cameram apostolicam pertinentibus, per dictum collectorem receptis a personis infrascriptis: Primo recepit, videlicet a Frederico Gallici die IX. mensis Maii, Anno quo supra, XXIIII. marchas auri, Item a dicto Frederico die XXII. Iunii, eodem anno, IIII. marchas auri, Item ab Aurico coronatore eadem die XXII. Iunii VII. marchas auri, Item a Consulibus Cracovie die III. Augusti, eodem anno, XXXVIII. marchas et III. partes unius marche auri, Item a Iohanne Girasconis die II. dicti mensis Augusti VI. marchas, et a Iohanne Tartari die XXIX. mensis Septembris proxime preteriti VIII. marchas et III. quartas, que predicte marche ascendunt in summa octuaginta octo marc. et dimid. auri de XXII. caractis, que valent, computatis pro qualibet marcha quadraginta scutatis et tercio unius cunii Comitis Flandrie, tria millia quingentos sexaginta novem scutatos cum dimidio dicti cunii, et quolibet de dictis scutatis computato pro XIIII. grossis et tertia parte unius grossi, valent in florenis, quos dictus Anthonius dic qua supra manualiter prefate Camere assignavit nomine dicti Collectoris, videlicet IIIIMCCLXIII. florenos auri, XIII. solidos, VIII. den. monete Avinionensis.

Item anno quinquagesimo quinto, Indictione VIII. Pontificatus domini Innocencii pape VI. anno tercio, die VI. Februarii, dictus Anthonius Malabayla commorans Avinione de pecuniis, per ipsum seu eius socios receptis nomine Collectoris supradicti, a mercatoribus infrascriptis: Primo recepit a Consulibus et Communi Civitatis Cracovie solventibus Brugis per manus Petri Dironic viginti marchas auri

ponderis Cracoviensis die penultima mensis Octobris proxime preteriti, Item ab uxore Valteri tonsoris panuorum nomiue gauscercmimc opido(?) Cracovieusi quindecim marchas auri dicti ponderis Cracoviensis, que marche ascendunt iu summa trigintaquinque marchas auri dicti ponderis dc XII. caractis, receptas Brugis per Raphaelem Tauram et alias socios dicti Malabayla dicta die penultima Novembris, valentes, computando quamlibet marcham pro quadragiuta scutis et tercia parte unius scuti cunii Comitis Flandrie, et scuto computato pro XIIII. gross. et tercia parte unius, videlicet MDCLXXXVI. florenos auri, III. solidos et decem denar. assignavit in satisfaccionem premissorum pro se et sociis suis ac nomine dicti Collectoris et solvit manualiter dictos MDCLXXXVI. flor. III. sol. X. denar.

Item die II. mensis Aprilis, cum Raphael Damiani mercator Astensis, procurator, factor ac socius societatis de Malabayla, de pecuniis infrascriptis per ipsum de mandato Camere apostolice nomine dicti Collectoris a personis infrascriptis recepisset: Primo videlicet die XXII. mensis Decembris proximo preteriti a Nicolao Versingi iuniore, cive Cracoviensi, nomine dicti Petri Versingi de Cracovia VI. marchas auri de XXII. caractis, computata qualibet marcha pro XL. scutis et tercia parte unius scuti cunii Comitis Flandrie, et quolibet scuto pro XXIIII. grossis Flandrie, Item a predicto Nicolao Versingi solvente pro se ipso XXIIII. marchas auri ponderis Cracoviensis de XXII. caractis, qualibet marcha computata prout supra, Antonius Malabayla predictus pro se et dicto Raphaele et aliis sociis dicte societatis et nomiue dicti Collectoris dictas XXX. marchas auri solvit, qualibet marcha pro XL. scutis et III. parte unius scuti Comitis Flandrie, et quolibet scuto pro XXIII. grossis et III. parte unius monete Avinionensis computato, MCCCCXLV. flor. VI. sol. VIII. denar.

Item anno quinquagesimo sexto, Indictione nona, die VII. Ianuarii, Pontificatus dicti domini Innocencii anno IIII. dominus Arnaudus Lacaussina, Collector predictus, de pecuniis Camere apostolice per eum in sua collectoria receptis assignavit per manus Guidonis Malabayla mercatoris estensis, habitatoris Avinionensis CCIIII. flor. fort. XVII. sol. IIII. denar.

Item die ultima Maii idem Collector de pecuniis Camere apostolice per eum receptis et missis per certos mercatores Brugis, socios et factores Antonii Malabayla mercatoris Estensis, assignavit per manus dicti Guidouis Malabayla XIIM. flor.

Item die VI. Augusti prefatus Collector de pecuniis Camere apostolice per eum receptis assignavit per manus Antonii Malabayla mercatoris Estensis et sociorum eius IIIIM. flor. sme.

Item anno quinquagesimo octavo, Indictione undecima, Pontificatus dñi Innocencii pape VI. anno sexto, die XVII. Februarii dictus Collector de pecuniis Camere apostolice per eum receptis solvit et assignavit per manus Antonii Malabayla et Nicolai Grimaldi Campsoris Aviniouensis nomine certorum mercatorum, qui apportaverunt, Brugis M. flor. fort.

Item die III. Marcii prefatus Collector de pecuniis Camere apostolice per eum receptis assignavit per manus Antonii Malabayla habitatoris Avinionensis IIM. flor.

Item die XI. Septembris idem Collector de pecuniis quibus supra assignavit per mauus Raymundi de Caussina, servientis armorum domini pape, fratris dicti Collectoris, DCXXVIII. flor. sme. VI. sol. monete Avinionensis.

Item die XII. Septembris Antonius Malabayla mercator Esteusis, priucipalis dicte sue societatis, pro decem marchis auri a Henrico Benigone cive Cracovieusi, procuratore I. Gesquini et Gasconis de Sandecz civium Cracoviensium, et pro III. marchis auri a dicto Gascone de Sandecz per manus dicti Heurici, ac decem et octo marchis auri minus uno fertone a Bernardo dicto Spolito, opidauo ville Brugis, nomine civitatis Cracoviensis per Raphaelem Damiani et Obertum de Plana mercatores Estenses commoratores Brugis, factores et socios dicte societatis de Malabayla, et nomine dicti Collectoris de pecuniis Camere apostolice receptis, et per predictos Raphaelem et Obertum vel alios dicte societatis eidem Camere assiguandis, que marche auri sunt in universo XXXI. marche et III. quarti unius marche ad pondus Cracoviense de XXII. caractis, pro se et pro prenominatis, dictis marchis auri siugulis computatis pro IIII. libris VII. deu. et uno flor. pro XXI. grossis monete Flandrie, manualiter solvit et assignavit in MCCCCLXIII. flor. fort. XII. sol. monete Avinionensis.

Item anno quinquagesimo nouo, Indictione XII. Pontificatus domini Innocencii anno septimo, die XII. Augusti dictus Collector de pecuniis Camere apostolice per eum receptis pro CCXCVI. marchis grossorum et XXI. grossis monete Boemie, que valent, computata qualibet marcha pro XLVIII. grossis, et floreno pro XIII. grossis cum dimidio dicte mouete computato, (fecit assignari) MLIII. flor. Ungar.

Die XIIII. Augusti dictus Collector fecit assignari de pecuniis per ipsum receptis Manueli Bota de Seveliano diocesis Taurinensis, factori Antonii et Guidonis Malabayla civium astensium Romanam Curiam sequentium, habenti a domino papa potestatem recipiendi pecunias Camere apostolice debitas per nonnullos de partibus Cracovie, videlicet duo millia flor. auri de Pedimonte boni ponderis, et hec per manus Henrici dicti Gotdsafert, et Nicolai Gerhunt de loco Taurain diocesis Coloniensis, Nicolao dicto Voent de dicto loco Taurain pro ipsis Henrico et Nicolao eidem Manueli assignante, die VI. Iulii proxime preterito, que duo millia flor. tenetur assignare eidem Camere apostolice in proximo festo B. Marie de Augusto, pro quibus assignari fecit idem Manuel pro se et aliis prenominatis in solucionem per manus dicti Antonii Malabayla die predicta MM. flor. fort.

Die ultima mensis Octobris predictus Manuel factor de Malabayla habens potestatem ut supra recipiendi etc. pro MM. flor. auri Pedimontis per eum receptis a Collectore predicto de pecuniis apostolicis in vigilia Assumptionis beate Marie proxime preterite in villa Brucelle per manus dicti Queyser, solventis nomine Nicolai Leserchain et Iohannis Frin ac Iohannis de Loe et Iohannis Veysen mercatorum de Tarain in Prussia, assignavit pro se et aliis prenominatis per manus dicti Antonii dicta MM. flor. die qua supra ultima Octobris in MDCCCCLXXV. flor. sme. XVI solid. VIII. den.

Item die IX. Novembris dictus Manuel habens potestatem ut supra pro mille florenis auri de Pedimonte per eum receptis a Collectore predicto in villa de Brucella per manus Alberti Loczer, solventis vice et nomine procuratorio Nicolai et Iohannis de Landa fratrum mercatorum de Thoren in Prucia, assignavit per manus dicti Antonii Malabayla DCCCCLXXXVII. flor. XX. sol. IIII. den.

Anno domini millesimo CCC. quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Pontificatus domini Innocencii pape VI. anno primo, die XXI. mensis Februarii Magister Iohannes Guilaberti Collector in Regnis Svecie, Dacie et Novergie de pecuniis per ipsum in Collectoria sua nomine Camere apostolice receptis solvit et assignavit per manus Antonii Malabayla IIIIMD. flor. po. s.

Anno quinquagesimo sexto, Indictione IX. Pontificatus domini Innocencii anno quarto, die VIII. mensis Augusti prefatus Collector de pecuniis apostolicis per eum receptis assignavit per manus Lamberti Lambertuschi de societate Albertorum antiquorum de Florencia MD. flor. s.

Anno quinquagesimo septimo, Indictione X. Pontificatus domini Innocencii anno quinto, die III. Augusti idem Collector de pecuniis apostolicis per eum et Subcollectores suos in sua Collectoria receptis solvit et assignavit per manus Iacobi Alexandri, habitatoris Avinionensis, nomine Raymundi Verderii mercatoris Montispessulani assignantis DL. flor. s.

Anno sexagesimo, Indictione XIII. Pontificatus domini Innocencii anno octavo, die XVIII. Februarii Collector supradictus de pecuniis apostolicis per eum receptis assignavit manualiter M. flor. sme.

Rationes collect. Polon. et Hungar. fol. 152.

DCCLV.

Ioannes ecclesiae Posnaniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Poznaniensi, salutem etc. Universali ecclesie quanquam insufficientibus meritis presidentes, de universis orbis ecclesiis pro earum statu salubriter dirigendo, quantum nobis ex alto permittitur, solicite cogitamus, sed earum propensior solicitudo nos urget, quas propriis carentes pastoribus vacacionis incommodis prospicimus subiacere, ut illis per operacionis nostre studium viri preficiantur ydonei in pastores, qui sciant, velint et possint ecclesiis ipsis preesse utiliter, pariter et prodesse. Nuper siquidem bone memorie Alberto Episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ea vice disposicioni et ordinacioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Alberti, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, dilecti filii Decanus et Capitulum ipsius ecclesie, reservacionis et decreti predictorum ignari, te Prepositum ecclesie Cracoviensis, in presbiteratus ordine constitutum, in Episcopum Poznaniensem, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi consensisti, et demum reservacione et decreto huiusmodi ad tuam deductis noticiam, ad sedem apostolicam personaliter accedens, huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in Concistorio coram nobis.

Nos igitur eleccionem predictam post et contra reservacionem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptata et alia inde secuta, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie Poznaniensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta Poznaniensis ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie Poznaniensi personam utilem ac eciam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus, et eciam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, literarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum assercione percepimus, insignitum, considerata eciam eorumdem Decani et Capituli te eligencium unanimi voluntate, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Poznaniensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia, prefata ecclesia Poznaniensis sub tuo felici regimine prospere dirigetur, et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem ecclesie Poznaniensis solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Poznaniensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur, tuque preter eterne retribucionis premium nostre benivolencie graciam uberius valeas promereri. Datum Avinione III. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. . . . Archiepo Gneznensi, Capitulo ecclesie Poznaniensis, Clero civitatis et diocesis Poznaniensis, necnon Kazimiro Regi Polonie, ut eidem Iohanni obedientiam et reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIV. cod. chart. fol. 55.

DCCLVI.

Universis fidelibus ecclesiam Varmiensem visitantibus et manus porrigentibus adiutrices indulgentiae conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Preclara meritorum insignia, quibus Regina celorum virgo, dei genitrix gloriosa, humani patrona generis, illustrata in excelsis prerutilat, humilis contemplacionis studio recensentes, dignum et rationabile arbitremur, ut sue laudis et honorificencie cultum in terris satagamur favoribus ampliare. Cupientes igitur, ut ecclesia Warmiensis, que in honore beate Marie virginis esse fundata dinoscitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refertos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in quatuor principalibus eiusdem beate Marie virginis, ac Natalis domini et Pentecostes festivitatibus, et in die Cene domini prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et eidem ecclesie manus porrexerint adiutrices, singulis diebus videlicet festivitatum ipsarum et Cene domini, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, et manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione II. Idus Ianuarii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 459.

DCCLVII.

Episcopo Posnaniensi, ut Ioanni Hecardi canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi conferendos curet.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica generosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI. predecessor noster omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, que promovendi per eum ad Cathedralium ecclesiarum regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, tunc imposterum vacatura, collationi et dispositioni sue reservavit, decernens extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: ac deinde bone memorie Io-

hanne Episcopo Poznaniensi Poznaniensis regimini ecclesie presidente, idem predecessor cupiens eidem ecclesie, cum illam vacare contingeret, per eiusdem sedis providenciam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et disposicioni suc ea vice cum similis interposicione decreti specialis etiam reservavit. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Iohannis Episcopi obitum, qui dicto predecessore in humanis agente, in partibus illis diem clauserat extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie bone memorie Albertum Episcopum Poznaniensem in Poznaniensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, dictusque Albertus electionem eandem a venerabili fratre nostro . . . Archiepiscopo Gneznensi loci Metropolitano obtinuit auctoritate Metropolitica confirmari, sibique munus consecrationis impendi, seque administrationi spiritualium et temporalium ipsius ecclesie ingessit. Subsequenter quoque predecessor predictus de persona venerabilis fratris nostri Andree Episcopi Zwerinensis, tunc Electi Poznaniensis, eidem Poznaniensi ecclesie auctoritate apostolica providit, et tandem prefata Poznaniensi ecclesia ex eo apud dictam sedem vacante, quod idem predecessor prefatum Andream apud eandem sedem constitutum a vinculo, quo eidem Poznaniensi ecclesie, cui tunc preerat, auctoritate apostolica absolventes, ipsum ad Zwerinensem ecclesiam tunc vacantem eadem auctoritate duxit transferendum, idem predecessor de persona dicti Alberti Episcopi apud dictam sedem constituti prefate Poznaniensi ecclesie tunc de fratrum suorum sacre Romane ecclesie Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio auctoritate predicta duxit providendum, dictum munus consecrationis eidem Alberto, ut prefertur, impensum necnon alia per eum alias rite gesta et administrata in ipsa Poznaniensi ecclesia auctoritate eadem ex certa scientia approbando, prout in ipsius predecessoris litteris inde confectis plenius continetur. Cum itaque propterea canonicatus et prebenda ecclesie Wratislaviensis, quos dictus Albertus Episcopus huiusmodi electionis, confirmationis et muneris impensionis ac provisionis eiusdem predecessoris de ipso Alberto Episcopo facte eidem Poznaniensi ecclesie, ac approbationis temporibus obtinebat, vacaverint, et sicut accepimus, vacent ad presens, licet per dilectum filium Nicolaum de Saldorf presbiterum Wratislaviensis diocesis detineantur indebite occupati: Nos, qui in nostri apostolatus primordiis omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, que promoti per eundem predecessorem ad Cathedralium ecclesiarum regimina huiusmodi promotionum temporibus obtinebant, tunc vacantia collationi et dispositioni nostre cum similis interpositione decreti duximus etiam reservanda, volentes dilectum filium Iohannem Hecardi Custodem dicte ecclesie Poznaniensis, ut asseritur, iurisperitum, de probitatis et virtutum meritis apud nos multipliciter commendatum, horum intuitu necnon consideracione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, pro ipso Iohanne Capellano suo nobis in hac parte humiliter supplicantis, favoribus prosequi generosis, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si post diligentem examinationem eundem Iohannem ad hoc ydoneum esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, et vocatis dicto Nicolao et aliis, qui fuerint evocandi, inveneris canonicatum et prebendam predictos, ut prefertur, vacare et tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, eosdem canonicatum et prebendam, de quibus idem predecessor minime ordinavit, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Iohanni auctoritate nostra conferas et assignes, Inducens per te vel alium seu alios prefatum Iohannem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende, ac iurium et pertinenciarum predictorum et defendens inductum, amoto exinde dicto Nicolao et quolibet alio illicito detentore, ac faciens ipsum Iohannem vel dictum procuratorem pro eo ad eandem prebendam in dicta Wratislaviensi ecclesia auctoritate predicta in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra etc. Datum Avinione xv. Kalendas Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 140.

DCCLVIII.

Eidem conceditur, ne ad observandum iuramentum praestitum de apostolorum limina visitando usque ad sex annos teneatur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam precipua benevolencia prosequentes, votis tuis, quantum cum deo possumus, libenter annuimus, in hiis presertim, que tui status quietem et commodum respi-

cere dignoscuntur, ut quanto magis sedem ipsam, quc se in tui honoris augmento propitiam exhibuit, favorabilem inveneris et benignam, tanto eam studeas devotius revereri. Sane pro parte tua nobis oblata petitio continebat, quod tu nuper tempore, quo te Poznaniensi ecclesie tunc vacanti in Episcopum prefecimus et pastorem, iuramento, ut moris est, prestito promisisti, quod Apostolorum limina per te vel alium certis tunc expressis successivis temporibus visitares, quamquam ecclesia ipsa privilegium exemptionis non habeat, sed venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Gneznensi iure metropolitico sit subiecta: Quare nobis humiliter supplicasti, ut tecum in hac parte agere generose de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, tue huiusmodi devotionis exigentibus meritis, volentes te et eandem ecclesiam ab expensis, laboribus et honeribus, que oporteret te et ecclesiam ipsam subire, propterea paternis studiis aliqualiter relevare, tuis supplicationibus inclinati, tenore tibi presentium concedimus quo ad observanciam dicti iuramenti, quod ad huiusmodi visitationem usque ad Sex Annos proxime sequentes non tenearis, dummodo ad visitationem eandem faciendam alias realiter minime sis astrictus. Nulli etc. Datum Avinione XII. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 474.

DCCLIX.

Episcopo Lubucensi, ut pacem inter fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum et archiepiscopum Rigensem ac Tarbatensem et Osiliensem episcopos instauret.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Lubicensi, salutem etc. Optabile bonum concordie, ad quam Venerabiles fratres nostri ... Archiepiscopus Rigensis et ... Tarbatensis ac ... Osilensis Episcopi, et dilecti filii ... Magister et fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Livonia, longis hactenus discordiarum rancoribus lacessiti, dicuntur laudabiliter preparati, eo desiderabilius affectamus, quo per eandem concordiam pax et tranquillitas utrique partium et circumposite regioni, deo dante, proveniet, et prefatis Magistro et fratribus, qui tanquam murus Catholice fidei in partibus ipsis existunt, dabuntur maiores contra hostes eiusdem fidei virium facultates. Quapropter fraternitatem tuam rogamus et hortamur in domino, tibi per apostolica scripta mandantes, quatinus circa dictam concordiam, cuius mediator diceris et tractator, affectu firmo et celeri procurandam, procures tuum taliter apponere studium et efficacem operam adhibere, quod exinde fructus sequatur accommodus, tuque divine retributionis premium et benevolentiam apostolice sedis et nostram tibi vendices ampliorem. Datum Avinione Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLX.

Archiepiscopo Rigensi et episcopis Tarbatensi et Osiliensi, ut cum fratribus hospitalis S. Marie Teutonicorum pacem ineant.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiep̄o Rigensi, salutem etc. Ad sedandam discordiam, que te et Venerabiles fratres nostros ... Tarbatensem et ... Osiliensem Ep̄os ex una parte, ac dilectos filios ... Magistrum et fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Livonia constitutos ex altera longis fluctuationibus perturbavit, et speramus et credimus tuum animum promptius dirigi, affectumque moveri, quo te ex pontificalis dignitatis officio magis decet amare concordiam et optare quietem: eapropter fraternitatem tuam rogamus et hortamur attencius, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus diligenter considerans, quod concordia parve res crescunt, et discordia magne dilabantur, ad concordandum et pacificandum te cum prefatis Magistro et fratribus animum tuum prepares et disponas, quod abiectis preteritorum iurgiorum rancoribus, pax optata proveniat, et desiderata concordia letis affectibus nutriatur, tibique proinde meritum divine retributionis uberius compares, et ampliorem apostolice sedis et nostram benivolenciam nanciscaris. Datum Avinione Kal. Marcii. Anno IV.

In e. m. Venerabilibus fratribus ... Tarbatensi et ... Osiliensi Episcopis. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLXI.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum in Livonia, ut cum praedictis episcopis pacem ineant.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Livonia, sal. etc. Cum nimis dedeceat sacras et religiosas personas, inter quas vigere

debet fecunda caritas, invicem litigare, et earum litigium indubie offendat altissimum, cuius obsequiis velut pugiles strenui assidue militatis, vobisque cedat ad meritum ac ordini vestro ad commodum et honorem, quod inter Venerabiles fratres nostros ... Archiep̃um Rigensem et ... Tarbatensem ac ... Osiliensem Episcopos, et vos antique discordie materia sopiatur: Universitatem vestram rogamus et hortamur in domino, vobis per apostolica scripta mandantes, quatinus plenam concordiam inter eosdem Archiepiscopum et Episcopos ac vos, dante domino, faciendam, ad quam dicuntur vestri animi preparati, velitis cordialiter amplecti, et eam sinceris affectibus enutrire, sic super hiis vestrum affectum et studium efficax apponentes, quod exinde divine retributionis premium ac laudis humane preconium, benivolenciamque apostolice sedis et nostram possitis vobis uberius vendicare, nosque de contrario non turbemur, ac non habeamus materiam adversus vestram inobedientiam et litigiosam voluntatem de alio remedio providendi. Datum Avinione Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLXII.

Magistro generali eiusdem hospitalis super eodem argumento.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Magistro generali hospitalis sancte Marie Theotonicorum, salutem etc. Si post longe dampna discordie, quam inter Venerabiles fratres nostros ... Archiepiscopum Rigensem et ... Tarbatensem ac ... Osiliensem Episcopos ex una parte, et te ac dilectos filios ... Magistrum et fratres tui ordinis in Livonia constitutos ex altera hostis humani generis hactenus suscitavit, tue caritatis zelo et prudentie studiis pax optata proveniat, et quieta concordia perseveret, tibi magnum acquires retributionis eterne premium, et humane laudis preconium vendicabis, prestans quietem circumposite patrie et honorem ac utilitatem ordini prelibato. Quapropter discretionem tuam requirimus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus circa prefatam concordiam, dante domino, procurandam, super qua eisdem Archiepiscopo, Episcopis, Magistro et fratribus dirigimus presentialiter scripta nostra, sic tuum inclines animum et operam interponas, quod votivus exinde sequatur effectus, tuque apostolice sedis et nostram uberiorem benivolenciam consequaris. Datum Avinione Kal. Martii. Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLXIII.

Universis fidelibus ecclesiam Posnaniensem visitantibus et manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ecclesiarum fabricis manus porrigere adiutrices pium apud deum et meritorium reputantes, frequenter Christifideles ad impendendum Ecclesiis ipsis auxilium nostris litteris exhortamur, et ut ad id eo fortius animentur, quo magis exinde animarum comodum se speraverint adipisci, nonnunquam pro hiis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, videlicet remissiones et indulgentias elargimur. Cum itaque, sicut accepimus, Poznaniensis Ecclesia propter casum et ruinam reformatione et reparatione indigeat, et ad reformationem et reparationem huiusmodi proprie non suppetant facultates, nisi a Christifidelibus suorum largitione bonorum succurratur eidem: Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis ad reformationem et reparationem ipsius Ecclesie pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram huiusmodi Ecclesia reformari et reparari valeat, et vos per hec et alia bona, que, domino inspirante, feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire; nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui manus ad hoc porrexerint adiutrices, unum annum et xl. dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus: Presentibus post decennium minime valituris, quas mitti per Questuarios districtius inhibemus, eas si secus actum fuerit, carere iuribus decernentes. Datum Avinione xii. Kal. Martii. Anno IV. Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 226.

DCCLXIV.

Priori ordinis eremitarum S. Augustini, ut tria loca in terra Semoviti ducis Masoviae recipere possit.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Priori generali et fratribus ordinis Heremitarum sancti Augustini, salutem etc. Sacre vestre religionis, in qua devotum deo redditis famulatum, prome-

retur honestas, ut que statui vestro ad perseverantiam divini servitii oportuna cognoscimus, et quantum cum deo possumus, favorabiliter vobis concedamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Semoviti Ducis Mazovie petitio continebat, quod ipse de propria salute cogitans, ac cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, proponit et intendit de bonis sibi a deo collatis ad laudem dei, suique cultus et sacre religionis augmentum pro sue et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Eufemie uxoris sue animarum salute in terra sua, que, sicut asserit, magna et lata ac opulenta existit, et cum Lituanis et Ruthenis paganis seu infidelibus confrontatur, tria loca pro fratribus vestri ordinis, ad quos ipsi coniuges specialem gerunt devotionis affectum, unum videlicet in Rauwa sub beatissimi corporis Christi et gloriose Virginis Marie matris eius ac sancte Hedwigis, et alium in Warzschovia, opidis Gnesznensis et Posnaniensis diocesium, sub sancti Spiritus et sanctorum Martini et Dorothee vocabulis, ac alium in alio loco dicte terre per ipsum Ducem eligendo, ad hoc tamen congruo et honesto, de bonis sibi a deo collatis fundare ac construi et edificari facere, ut per fratres ipsos, qui nullum ad presens in ipsa terra locum obtinent, fideles ipsarum partium in veritate catholice fidei roborentur, et infideles ad agnitionem ipsius, auctore domino, reducantur: quare pro parte ipsius Ducis et vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut Duci fundandi ac edificari et construi faciendi de dictis bonis, ac vobis recipiendi loca huiusmodi licenciam concedere dignaremur. Nos itaque huiusmodi, necnon Carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, nobis etiam super hoc supplicantis humiliter, supplicationibus inclinati, eidem Duci fundandi ac construi et edificari faciendi in terra sua predicta, et locis ad hec congruis et honestis tria loca huiusmodi cum singulis ecclesiis seu oratoriis, campanis, campanilibus, cimiteriis, domibus et aliis necessariis officinis, vobisque loca ipsa recipiendi et ad divinum servicium perpetuo habendi et retinendi, dummodo in quolibet ipsorum trium locorum duodecim saltem fratres dicti vestri ordinis ibidem pro tempore moraturi decenter et congrue valeant sustentari, felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne fratres ordinis mendicantium in aliqua civitate, castro vel villa seu alio loco quocunque ad habitandum domos vel loca quecunque recipere de novo presumant absque apostolice sedis licencia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, iure parrochialium ecclesiarum et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica de speciali gracia licenciam elargimur, volentes vobisque etiam concedentes, quod fratres dicti ordinis, qui in dictis locis taliter construendis pro tempore fuerint, perpetuo gaudeant omnibus et singulis privilegiis, graciis, exemptionibus et libertatibus, quibus alii fratres eiusdem ordinis ex concessione apostolica potiuntur. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Nonas Iulii. Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 488.

DCCLXV.

Litterae Clementis PP. VI. quibus mercatoribus Livoniae prohibetur, ne Rutheuis catholicae fidei inimicis de victualibus etc. providere praesumant, petente Magno rege Svetiae, transcribuntur.

Innocentius episcopus servus servorum dei. Ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam litterarum felicis recordationis Clementis predecessoris nostri, in regestro ipsius predecessoris repertum, de regestro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad carissimi in Christo filii nostri Magni Regis Svecie Illustris supplicacionis instanciam, asserentis dictas litteras casualiter fore destructas, presentibus annotari fecimus: qui talis est. Clemens episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus . . . Osiliensi et . . . Tarbatensi Episcopis, ac dilecto filio . . . Preposito ecclesie Rigensis, salutem et apostolicam benedictionem, Nuper ex parte carissimi in Christo filii nostri Magni Regis Svecie Illustris etc. ut supra Nro. DCC. pag. 530. Datum Avinione II. Idus Martii Pontificatus nostri Anno Nono. Ceterum, ut earundem litterarum tenor sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, que haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre constitutionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIV. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto. Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 492.

DCCLXVI.

Monasterio in Lubens ordinis Cisterciensis parochialis ecclesia in Sichia a ducibus Glogoviae concessa et alia statuta, insertis Gentilis cardinalis legati et Nankeri episcopi Vratislaviensis litteris, confirmantur.

Innocentius episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro divini cultus augmento provide facta sunt, ut illibata consistant, apostolici libenter adicimus muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum . . . Abbatis et Conventus monasterii in Lubens Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis peticio continebat, quod olim pro eorum parte et quondam Henrici ac quondam Conradi Ducum Glogovie fratrum exposito bone memorie Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbitero Cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, quod quondam Henricus Dux Glogovie, predictorum Henrici et Conradi pater, quamdam possessionem suam vocatam Sichia, in qua quedam parrochialis ecclesia existebat, prout existit, dicte diocesis, primo et deinde dicti fratres eiusdem ecclesie patroni ius, quod in eadem habebant ecclesia, prefato monasterio pia libertate donaverant, et quod dicta ecclesia ex ipsorum fratrum et progenitorum suorum munificentia adeo in bonis temporalibus abundabat, quod eius redditus et proventus pluribus ministris sufficere poterant, congruenter idem legatus ad predictorum Abbatis et Conventus ac fratrum supplicationis instantiam auctoritate sue legationis de ipsis redditibus et proventibus eiusdem ecclesie presbitero ipsius ecclesie, qui esset pro tempore, pro sua sustentatione et aliis oneribus supportandis perpetuum annuum redditum triginta marcharum Polonici ponderis assignavit, et reliquos fructus dicte ecclesie, ut cultus divini nominis augeretur, pro sustentatione quatuor monachorum dicti monasterii, qui in dicta ecclesia continue morarentur, prout ipsis Abbati et Conventui videretur, convertendos, predicto monasterio applicavit, diocesani loci in ipsa ecclesia in omnibus iure salvo. Et subsequenter bone memorie Nankerus Episcopus Wratislaviensis premissa omnia auctoritate ordinaria rata et grata habuit et etiam approbavit, prout in patentibus litteris dictorum legati et Episcopi sigillis munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissis robur apostolice firmitatis adicere, et defectus, si qui in eis intervenerint, supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui augmentum divini cultus ipsius ferventer appetimus, dictorum Abbatis et Conventus in hac parte supplicationibus inclinati, premissa per eosdem legatum et Episcopum, ut premittitur, facta rata et grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, omnemque supplentes defectum, si quis intervenerit in eisdem. Volumus autem, quod per premissa Rectori eiusdem ecclesie, qui tunc erat, nullum preiudicium generetur, et quod huiusmodi presbiter eiusdem ecclesie, qui erit pro tempore, ipsius ecclesie Rector existat, et curam habeat animarum eiusdem, et quod si dicta porcio pro ipso presbitero assignata ad ipsius sustentationem, Episcopalium iurium solutionem et aliorum sibi incumbentium oneris supportationem non sufficeret, huiusmodi porcio de ipsius ecclesie redditibus et proventibus per loci ordinarium suppleatur, vel de novo sufficiens assignetur, ita quod ipse Rector exinde possit commode sustentari, iura solvere et onera supportare predicta. Tenores vero dictarum litterarum tales sunt. Frater Gentilis miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbiter Cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo . . . Abbati et Conventui monasterii de Lubens ordinis Cisterciensis Wratislaviensis diocesis, salutem in domino. Porrecta nobis ex parte dilectorum in Christo filiorum Henrici et Conradi ducum Glogovie et vestra peticio continebat, quod bone memorie Henricus, pater dictorum ducum, dum mente et corpore sanus existeret, et post hec, dum ageret in extremis, monasterio de Lubens, in quo sibi sepulturam elegit, pro suorum remedio peccatorum quamdam possessionem vocatam Sichza, in qua parrochialis ecclesia sita est, cuius Rectoris presentacio ad dictum Henricum, dum viveret, et post mortem eius ad filios et heredes pertinuit, in elemosinam contulit et donavit. Verum post obitum dicti Henrici donatoris prefati Henricus et Conradus filii elemosinarum largicione et aliorum piorum operum erogatione animam patris sui a penis, si quas sustineret, eripere cupientes, et volentes ob dei et dicti patris sui reverenciam a dicta possessione, quam, ut premittitur, prefatus pater eorum vestro monasterio sepefato contulerat, suam totalem retrahere potestatem, pro anima patris eorum prefati omne ius, quod in dicta ecclesia habuerunt, vestro monasterio contulerunt, nos rogantes et petentes instanter, ut cum ecclesia ipsa ex dicti patris eorum et suorum progenitorum munificencia adeo bonis temporalibus abundare noscatur, quod in augmentum cultus divini eius redditus et proventus plu-

ribus ministris congruenter sufficere valeant, de redditibus et proventibus ecclesie memorate pro sustentacione instituendi presbiteri et aliis oneribus supportandis, missali annona, que capit viginti quatuor maldratas et ultra, offertorio et duobus mansis, uno culto et altero inculto, que omnia se extendunt ad triginta marcharum redditus, reservatis, residuos redditus, decimas et proventus eiusdem ecclesie quatuor monachis sacerdotibus, qui pro anima patris eorum in eadem ecclesia perpetuo teneantur orare, deputaretis communiter, prout vobis expediens videretur. Quare nobis ex parte dictorum ducum et vestra fuit humiliter supplicatum, ut in augmentum divini cultus, quem in dicta ecclesia desideratis augeri, pro remedio anime dicti ducis in recompensationem beneficiorum ab eodem H. et filiis vestro monasterio collatorum, reservata in ipsa ecclesia substituendo presbitero porcione prefata, residuos redditus, decimas et proventus eiusdem ecclesie per vos dictis quatuor sacerdotibus deputandos applicare seu incorporare vestro monasterio dignaremur. Quia vero vestris accepta votis accurrunt illa, per que christiane religioni honor adici, et cultus divini nominis valeat ampliari: Nos dictorum ducum et vestris in hac parte desideriis annuentes, de redditibus et proventibus ecclesie memorate presbitero, qui pro tempore fuerit, cuius presentacionem ad vos pertinere volumus, pro sua sustentacione et aliis supportandis oneribus triginta marcharum redditus Polonici ponderis iuxta vestre peticionis tenorem annis singulis assignamus, reliquum, ut cultus divini nominis augmentetur, ad usum predictorum quatuor monachorum pro anima dicti ducis per vos in eadem deputandorum ecclesia, prout vobis videbitur, convertendum, qua fungimur, auctoritate vestro monasterio applicantes, in ipsa ecclesia diocesani Episcopi alias in omnibus iure salvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre assignationis et applicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Posonii III. Kalendas Iunii. Pontificatus domini Clementis pape V. Anno Sexto. In nomine domini amen. Nos Nankerus dei et apostolice sedis providentia Episcopus Wratislaviensis notum volumus esse universis presentibus et futuris, quibus presentes littere fuerint patefacte, quod accedentes ad nostram presentiam Religiosi viri fratres Iohannes Abbas et Conventus sancte Marie in Lubens Cisterciensis ordinis dicte Wratislaviensis diocesis, nobis venerabilis in Christo patris domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbiteri Cardinalis, apostolice sedis legati, patentes litteras cum appendenti eius sigillo non rasas, non abolitas, nec in aliqua parte sui viciatas, sed omni suspicione carentes exhibuerunt, humiliter supplicando, ut ordinacionem et disposicionem seu incorporacionem proventuum, decimarum et redditiuum monasterio predicto in Lubens, prout in eisdem litteris continebatur, ratam habentes, auctoritate ordinaria confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum noscitur esse talis: Frater Gentilis miseratione divina etc. ut in littera dicti Cardinalis in presenti littera inserta usque Anno Sexto. Nos vero ea, que devotionis augmentum respicere ac cumulare videntur, omni, quo possumus, studio prosequi cupientes, ordinationem, dispositionem, applicationem seu incorporationem redditiuum, decimarum et proventuum predictorum, iuxta assignationem predicti domini Gentilis monasterio et fratribus de Lubens predictis factam ratam et gratam habentes, auctoritate nostra ordinaria approbamus, et presentis scripti patrocinio in domino confirmamus. In cuius rei testimonium ad evidentiam pleniorem presentibus nostrum sigillum est appensum. Actum et datum in monasterio Lubens in dominica, qua cantatur: Quasi modo geniti; in qua quidem dominica idem monasterium Lubens per nos consecratum fuit, sancti Spiritus gratia invocata, Anno domini Millesimo CCC. tricesimo, Presentibus dominis Henrico Archidiacono, Magistro Goscone Decano Wladislaviensi, Pzedslao de Pogorella nostris Wratislaviensibus Canonicis, Martino de Tyntzia, Hankone de Presmira Plebanis, Iacobo Augustini Vicario nostro Wratislaviens. ecclesiarum et aliis multis fidedignis. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis, communicionis et supplecionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis V. Idus Augusti. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 531.

DCCLXVII.

Monasterio in Lubens Cisterciensis ordinis ecclesia parochialis in Rothlitz Vratislaviensis dioecesis a Boleslao duce concessa, insertis eiusdem ducis et Nankeri episcopi litteris, confirmatur.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que in sustentationem sub sacre religionis habitu domino famulancium pie ac favorabiliter facta sunt, libenter adicimus apostolici

muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum ... Abbatis et Conventus monasterii in Lubens Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis petitio continebat, quod quondam Boleslaus Dux Slesie pie considerans, quod predicti monasterii proventus propter multas oppressiones principum, in quorum districtibus possessiones dicti monasterii consistebant, et propter rapinas et incendia tirannorum erant adeo diminuti, quod non sufficiebant pro personis dicti monasterii sustinendis, ius patronatus parrochialis ecclesie in Rothlitz dicte diocesis ad ipsum Ducem pertinens eisdem Abbati et Conventui pia imperpetuum liberalitate donavit, et subsequenter bone memorie Nankerus Episcopus Wratislaviensis donationem ipsam ordinaria auctoritate confirmans, et considerans, quod dicta ecclesia in fructibus, redditibus et proventibus abundabat, ex causis premissis fructus, redditus et proventus ipsius ecclesie, reservata ex eis pro perpetuo vicario in eadem ecclesia domino servituro congrua portione, ex qua posset commode sustentari, episcopalia iura solvere et alia sibi incumbentia onera supportare, eidem monasterio vestro de consilio et assensu dilectorum filiorum Capituli Wratislaviensis univit et etiam assignavit, ita tamen, quod cedente vel decedente Rectore ipsius ecclesie, qui tunc erat, huiusmodi assignatio effectum tantummodo sortiretur, et nonnulla alia super hiis ordinavit et fecit, prout in patentibus litteris dictorum Episcopi atque Ducis sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Abbatis et Conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissa per dictos Episcopum et Ducem facta apostolico roborare munimine cum supplecione defectuum, si qui in eis intervenerint, dignaremur. Nos itaque prefate religionis ac devotionis vestre merita benignius attendentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, predicta per eosdem Episcopum et Ducem, ut prefertur, facta et ordinata rata et grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, omnem supplentes defectum, si quis intervenerit in eisdem. Tenores autem dictarum litterarum tales sunt. In nomine domini amen. Bone rei dare consultum et presentis vite habetur subsidium et eterne remunerationis premium dinoscitur expectare. Ideo nos Bolezlaus dei gratia Dux Slezie et dominus in Legnicz et in Brega premissorum intuitu volentes in terris seminare, quod cum multiplicato fructu in celis recolligere valeamus, ad noticiam universorum tam presentium quam futurorum volumus devenire, quod pro remedio anime nostre et salute dudum iuspatronatus ecclesie parrochialis in Rothlitz, quod ad nos ratione terre nostre Legnicensis et dominii pertinuit, de consensu Serenissime principis domine Katherine conthoralis nostre, nec non fratris nostri karissimi incliti principis domini Wladizlai Ducis eiusdem Slezie, ac filiorum nostrorum Wenceslai et Lodovici karissimorum, maturoque consilio nostrorum fidelium Baronum accedente, religiosis viris domino Abbati et Conventui monasterii in Lubens Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis contulimus propter deum, sic quod ipse Abbas et Conventus presentationem Rectoris, cum ecclesiam vacare contigerit, habeant, cum iure possessionis et ceteris ad iuspatronatus pertinentibus, sicut in nostris litteris super hoc confectis prius datis plenius continetur. Sane quia predictum monasterium Lubens propter multas oppressiones principum, in quorum districtibus possessiones eiusdem monasterii consistere dinoscuntur, nec non propter rapinas et incendia tirannorum ex eo, quod idem monasterium consistit in medio nacionis prave et perverse, ipsius proventus sunt adeo diminuti et cotidie prohdolor imminuuntur, quod non sufficiunt pro fratribus eiusdem monasterii sustentandis: Nos volentes, in quantum in nobis est, ipsorum et monasterii tam gloriosi pro cultu divino augmentando inopiam sublevare, dictum iuspatronatus ipsis hac ratione dedimus, contulimus et donavimus, et ex nunc damus, conferimus, tradimus et presentibus litteris confirmamus, ut fructus, redditus et proventus ecclesie memorate in Rothlitz, quibus de gratia dei abundat, Plebano seu Rectore eiusdem ecclesie cedente vel decedente, dicto monasterio Lubensi per venerabilem in Christo patrem dominum Nankerum Episcopum Wratislaviensem et suum Capitulum applicentur, uniantur et incorporentur, ita tamen, ut pro Capellano seu Vicario in eadem ecclesia perpetuo servituro de dictis redditibus et proventibus competens porcio, unde sustentari valeat, iura episcopalia facere (solvere) et alia onera incumbentia supportare, reserventur; hoc eciam adiuncto, quod in hospitali ipsius monasterii quinque persone pauperes et debiles perpetuis temporibus servari debent, et pulmentariis conventus nec non pane et cervisia consuetis pasci debebunt et foveri per fratres memoratos. In capella vero nostra in dicto monasterio constructa, ubi etiam nostram eligimus sepulturam, continue lumen cereum arderc debebit sumptibus fratrum comparatum, ac in ipsa eadem Capella mense quolibet una missa de sancta Maria celebrari debebit cum solemnitate, ac in ipso die semper de bonis piscibus, pane triticeo et vino

fratribus in conventu pitancia fiet et refectio specialis, ut presentibus subsidiis sustentati spiritualia et eterna fortius nobis valeant impetrare. In singulis autem annuis festis sanctorum, in quorum honore in predicta nostra Capella dedicata sunt altaria, lumen cereum per noctem et per diem ob dei et santorum eorundem reverenciam ardere debebit et lucere. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem presentibus litteris sigillum nostrum est appensum. Actum et datum in Legnicz Kalen. Marcii anno domini Millesimo trecentesimo vicesimonono, Presentibus dominis Stephano de Parthowicz, Theodorico de Predyle, Henrico de Zydelicz Militibus, Iohanne Kordebok, Iohanne de Rymberg et aliis multis fidedignis. Item Nankerus divina et apostolice sedis providencia Episcopus Wratislaviensis venerabilibus et religiosis viris Iohanni Abbati et Conventui monasterii Lubensis Wratislaviensis nostre diocesis Cisterciensis ordinis, salutem cum sincera in domino karitate. In ecclesie firmamento Cisterciensis vester ordo claro nitore choruscans universalem gregis dominici aulam illuminat, et currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis bravium felicius pervenitur: per hunc namque celestis gratie incomparabile bonum acquiritur, insistente fratrum vestrorum solercia sedulis intercessionibus apud deum. Digne igitur ordinem ipsum fidelium devotio reveretur, digne veneracione pia colit: nam quanto redditur in conspectu divine maiestatis acceptior, et quanto per eum pociora desursum dona perveniunt, tanto in mentibus deum timencium locum sibi vendicat ampliorem. Nos itaque, premissis digna consideratione pensatis, vos vestrumque Lubense monasterium ordinis iam predicti plenitudine benivolencie prosequentes, libenter vestris eiusdemque monasterii commodis ac profectibus promovendis intendimus, et paterne solicitudinis studium impertimur, interventu et consideratione maxime Illustris principis domini Boleslai Ducis Slesie, domini de Legnicz et de Brega, qui tamquam patronus inclitus et promotor vester sedulus necessitates vestras et dicti monasterii vestri tam fideliter quam attente nobis exposuit, et cum magna instantia super illis pastoralis nostre provisionis auxilium postulavit, ut pro oneribus vestre indigencie supportandis fructus, redditus et proventus ecclesie in Rothlicz, cuius iuspatronatus ex pia ac benivola donacione eiusdem domini Boleslai serenissimeque principis domine Katherine conthoralis sue, nec non incliti principis domini Wladislai fratris sui, ducis eiusdem Slezie, ac filiorum ipsius karissimorum Wenceslai et Lodovici possidetis et obtinetis, Plebano seu Rectore ecclesie iamdicte cedente vel decedente, dicto vestro monasterio Lubensi ac fratribus vestris inibi perpetuo omnium deo creatori tempore famulantibus ascribere, applicare, unire, incorperare et assignare auctoritate nostra ordinaria cum clausulis oportunis dignaremur iuxta tenorem, formam et continenciam litterarum ipsius super donacione, assignacione, ascripcione, applicacione, unione et incorporacione fructuum, reddituum et proventuum eorundem alias lacius et apercius confectarum, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur in hec verba: In nomine domini amen etc. ut in littera dicti ducis in presenti littera superius inserta usque et multis aliis fidedignis. Nos igitur postulacionibus, supplicacionibus ac piis votis et desideriis Illustris ac incliti principis Ducis Boleslai predicti nobis amicabiliter et devote pro incorporandis, uniendis et ascribendis fructibus, redditibus et proventibus vobis et monasterio vestro, ut predicitur, porrectis pro grato ac benivolo concurrentes affectu, predictas litteras in suis tenore, punctis, clausulis et condicionibus auctoritate nostra ordinaria pariter et decreto, nostrique Capituli Wratislaviensis consilio et assensu etiam accedente approbamus, auctorizamus et confirmamus, vobisque ac monasterio vestro fructus, redditus et proventus, ut predicitur, quos dicta ecclesia de Rothlitz sive decimarum seu censuum seu quovis alio nomine tenuit in hiis locis in Rothlitz, videlicet de agris sive mansis civitatis Aureimontis duplicis grani, siliginis videlicet et avene, quinquaginta octo maldratas, sed et in Rothlitz ipsa villa viginti quatuor maldratas ordei, in usus proprios perpetuo tollendos et percipiendos singulis annis ascribimus, adiungimus, unimus et etiam applicamus, investientes vos et predicti vestri monasterii fratres presentes et perpetuo futuros in predictorum fructuum, reddituum et proventuum legitimam et perpetuam possessionem, decernentesque vos ac fratres vestros, ut predicitur, debere gaudere, frui et potiri fructibus, redditibus et proventibus prenarratis cum eisdem graciis, consolacionibus ac prerogativis, quibus antea ecclesia predicta in Rothlitz eiusdemque Plebani seu Rectores legitimi gaudere, frui et consueti sunt potiri, moderno tamen ipsius ecclesie Rectore cedente vel decedente, hoc etiam adiuncto, ut pro Capellano seu Vicario vel Rectore in ipsa ecclesia perpetuo servituro iuxta tenorem littere incliti Boleslai predicti Ducis Slesie, quam ob clariorem huius nostre confirmationis evidenciam presentibus inclusimus, de redditibus, proventibus et fructibus ceteris, quos ipsa ecclesia ante tenuit et possidet, competens porcio, unde sustentari valeat, ac iura episcopalia et alia onera incumben-

tia supportare reserventur. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem presentes litteras iussimus fieri, et sigillorum nostri et predicti nostri Wratislaviensis Capituli appensione muniri. Datum Wratislavie septimo Idus Iunii anno domini Millesimo trecentesimo vicesimonono, Presentibus dominis Henrico de Baruch Preposito, Henrico Archidiacono, Iohanne Custode Wratislaviensibus, Nicolao Preposito et Nicolao de Bantz Cantore ecclesie sancte Crucis ibidem, Paschave Archidiacono Legnicensi, Conrado Officiali, Magistro Arnaldo de Proczano, Henrico de Droguz, Henrico de Iescocil, Paulo Taminono, Quaz Stanislao, Iacobo de Bosomo, Cuntzcone Stephano de Wirbna, Henrico de Lemberg et Hermanno predicatore Canonicis nostris Wratislaviensibus et aliis multis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et supplecionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 529.

DCCLXVIII.

Cum Henrico nato ducis Opuliae super aetatis defectu, ut dignitates ecclesiasticas obtinere valeat, dispensatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Henrico nato quondam Boleslai Ducis Opulie clerico Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Nobilitas generis, morum decor et alia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, nos inducunt, ut te apostolicis graciis et favoribus prosequamur. Hinc est, quod nos volentes te premissorum tuorum meritorum intuitu, nec non consideratione carissimi in Christo filii nostri Karoli Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Boemie Regis Illustris, asserentis te familiarem ac affinem, ac etiam Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici Ungarie et Casimiri Polonie Regum Illustrium consanguineum proximum fore, nobisque super (hoc) humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, ipsius Imperatoris et tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut non obstante defectu etatis, quem in decimonono etatis tue anno constitutus pateris, ac generalis et Lateranensis conciliorum et quibuscumque aliis constitutionibus, nec non statutis et consuetudinibus quarumcumque ecclesiarum contrariis, dignitatem, personatum, administrationem perpetuam vel officium cum cura vel sine cura infra Regnum Boemie consistentem seu consistens, si alias canonice te ad illam, vel illum aut illud assumi, aut ipsam vel ipsum tibi conferri contingat, libere recipere et licite retinere valeas, auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus, Proviso quod dignitas, personatus, administratio vel officium huiusmodi debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura, si eidem immineat in ea vel eo, nullatenus negligatur, quodque quam primum ad etatem ad id aptam perveneris, te facias ad ordines, prout ipsius dignitatis, personatus, administrationis vel officii onus requiret, statutis temporibus promoveri. Nulli ergo etc. nostre dispensacionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xv. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 500.

DCCLXIX.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut a favendis Lithuanis aliisque paganis harum partium contra Casimirum regem Poloniae desistant, ipsique in repellendis auxilium praestent.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Turbat nec immerito mentem nostram omnis christifidelium perniciosa dissensio, sed illa profecto graviori dolore nos afficit, ex qua catholice fidei status depressio et inimicorum eius exaltatio provenire noscuntur. Nuper siquidem Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris nobis cum querela significare curavit, quod licet etiam Hospitale vestrum per progenitores suos clare memorie Reges Polonie, qui fuerunt pro tempore, tam in ipso Regno quam in nonnullis aliis partibus de bonis ipsorum progenitorum et Regni sufficienter dotatum extiterit, vos tamen non absque ingratitudinis vitio pro huiusmodi receptis beneficiis ad ipsius Regis suorumque regnicolarum et Regni dampna et iniurias totis viribus et machinationibus aspirantes, non solum ipsi Regi in guerra, que inter ipsum et Lytuanos inimicos christiani nominis viguit, prout adhuc vigere dinoscitur, ut debuistis, assistere aut exhibere auxilium noluistis, super hoc etiam ab ipso Rege instanter et sepius requisiti, sed ipsos infideles et eorum exercitum contra Regem eundem vestris favoribus roborantes, eis in armis et gentibus aliisque necessariis occulta subsidia prestitistis, passus et itinera,

que estivo saltem tempore nullis patere solebant, aperuistis eisdem, pontes fabricastis insolitos, ac mercatorum et aliorum, qui de vestris et etiam alienis partibus per Regnum predictum ad Tartarorum et Russie partes transire consueverant, hactenus iter et transitum, ex quo eidem Regi et regnicolis multa proveniebant utilitates et commoda, per terras dictorum infidelium, qui nunc exinde huiusmodi consecuntur commoda, divertistis, quodque etiam huiusmodi guerre tempore, cum Rex ipse circa illa occupatus existeret, vos ducatum Mazovie eidem Regi iure feudali subiectum et infra sui Regni limites consistentem absque ulla rationabili causa violenter invadere, et nonnulla ipsius castra occupare non veriti, illa detinetis adhuc contra iusticiam occupata. Sane si premissa veritate nitantur, admirari et dolere admodum cogeremur, quod vos, qui ad hoc maxime constituti noscimini, ut catholice fidei professoribus vallum fortitudinis existentes, ipsos a paganorum et scismaticorum defendatis insultibus, et ad dilatandum eiusdem fidei nomen et cultum laborare iugiter studeatis, horum contrarium exercendo ipsos paganos et scismaticos foveatis, et deprimatis christicolas, ac vallum, quod eis loci natura in illis partibus constituit, aperiatis infidelibus contra ipsos. Quod si vos etiam hec diligenter attendatis, et quantum ex hiis animarum vestrarum saluti vestrisque statui et fame detrahitur, quantumque in hoc salvator noster Iesus Christus eiusque catholica fides, sub quorum nomine militiam geritis et rerum amplitudinem obtinctis, ac sedes apostolica offenduntur, debita meditatione pensatis, magna proculdubio dolorum immensitate pungemini, et imminentia vobis inde saltim animarum pericula cognoscetis: Quocirca discretionem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ab omni favore ipsorum infidelium omnino cessantes, et cum prefato Rege ad defensionem fidelium et impugnationem infidelium in unum votum et studium, sicut decet, unanimiter concurrentes, predictos pontes diruere, passus tollere et mercatorum transitum ad iter solitum reducere, dictaque castra in dicto ducatu per vos, ut premittitur, occupata illis, qui ea tempore occupationis huiusmodi possidebant, integre restituere et resignare curetis, in hiis taliter vos habentes, quod per dignum obedientie fructum ac emendationis effectum omnem, quam ex premissis forsan contraxissetis, deleatis infamiam, ac ipsius salvatoris nostri, apostolice sedis et nostram benedictionem et graciam mereamini uberius obtinere. Datum Avinione xv. Kal. Octobris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 279.

DCCLXX.

Praelatis Poloniae, ut regi in repellendis Lithuanis aliisque fidei inimicis praesto sint.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Significavit nobis Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris, quod licet Regnum suum Polonie a Lituanis, fidei catholice inimicis ipsique Regno contiguis et vicinis, frequenter patiatur incursus, ex quibus non solum ipsi Regi suisque Regnicolis, sed etiam ecclesiis ecclesiasticisque personis in eo consistentibus dampna plurima provenire noscuntur, idemque Rex ad resistendum et obviandum prefatis incursibus fecerit et faciat, quantum potest: vos tamen, qui in ipso Regno multa bona temporalia obtinetis, ad huiusmodi resistentiam faciendam eidem Regi, prout tenemini, assistere non curatis, nec sibi ad hoc exhibetis auxilium vel favorem, propter quod Rex ipse vos in predictis per sedem apostolicam excitari humiliter postulavit. Quare nos attendentes, quod in defensione ipsius Regni vestra et ecclesiarum ac ecclesiasticarum personarum in eo consistentium securitas continetur, et quod ad resistendum et obviandum ipsis infidelibus fidelium omnium ferventer debet concurrere promptus affectus, discretionem vestram hortamur attente, quatenus eidem Regi in defensione ac resistentia huiusmodi, quotiens expediens fuerit, favoribus et auxiliis oportunis iuxta decentiam status vestri ferventer et liberaliter assistatis, ita quod inde a nobis et apostolica sede commendari possitis, dictusque Rex vos et subditos vestros generosis favoribus prosequi teneatur. Datum Avinione xv. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 279.

DCCLXXI.

Episcopo Cracoviensi, ut in monasteriis monialium suae dioecesis transferendis in civitatem regularem disciplinam instauret.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Significavit nobis Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris, quod in Buschin, Imramo-

vich et in Zwermetz Premonstratensis et in Stanitek sancti Benedicti ordinum monialium monasteria tue dyocesis in locis ruralibus et campestribus situata, propter ipsorum locorum amplam solitudinem persone in eis degentes redduntur de dissolutione suspecte, corumque moniales debitis comtemplacioni et officiis vacant minus fervide, quam deberent, quinimo contra Constitutiones et inhibitiones suorum ordinum frequenter extra ipsa monasteria dissolubiliter ac leviter evagantur, propter quod pro parte dicti Regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut Abbatissis et Conventibus dictorum monasteriorum, quod singule ipsarum loco dictorum monasteriorum suorum alia singula monasteria, in quibus devocius et quiecius perpetuum domino reddere valcant famulatum, infra Civitatem Cracoviensem in locis ad hoc congruis et honestis, si eis pia concedantur devocione fidelium, vel alias per eos iustis titulis acquirantur, recipere, ac construi et edificari facere cum ecclesiis seu oratoriis, campanilibus, campanis, cimiteriis, domibus et aliis necessariis officinis, illaque in usus suos perpetuos habere licite valeant, concedere dignaremur. Nos itaque huiusmodi pium et laudandum dicti Regis propositum in domino commendantes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, et tibi, quod predicta fieri debeant, expediens videatur, singulis dictarum Abbatissarum et Conventuum faciendi omnia et singula huiusmodi postulata, dummodo superiorum suorum ad hoc accedat assensus, quibuscunque Constitutionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dictorum ordinum nequaquam obstantibus, iure tamen parrochialium ecclesiarum et quorumcunque aliorum in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate nostra licenciam largiaris, Proviso, quod si per te huiusmodi licenciam concedi, ac monasteria de novo fieri contingat, ecclesie et cimiteria dictorum priorum monasteriorum, in quorum locum alia recepta fuerint, ut prefertur, ad prophanos usus velut hereditas minime transferantur, et in singulis eisdem dictorum antiquorum monasteriorum ecclesiis per singulos ydoneos sacerdotes deserviatur perpetuo in divinis. Dat. Avinione xv. Kal. Octobris. Anno IV. Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 279.

DCCLXXII.

Alberto Iohannis confertur canonicatus in ecclesia Gnesnensi.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Alberto Iohannis Canonico Gneznensi, salutem etc. Laudabilia tuarum probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad grtiam liberales. Cum itaque Canonicatus et prebenda ecclesie Gneznensis, quos dilectus filius Arnaldus de Caucina Canonicus eiusdem ecclesie in eadem ecclesia dudum obtinuit, ex eo vacarint et vacent ad prcsens, quod idem Arnaldus, Collector fructuum beneficiorum vacantium in Regnis Polonie et Ungarie Camere apostolice debitorum, alios Canonicatum et prebendam ipsius ecclesie tunc vacantes auctoritate nostra sibi collatos extitit pacifice assecutus, nullusque preter nos hac vice de ipsis Canonicatu et prebenda, prioribus sic vacantibus, disponere potuerit neque possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque per assecucionem personatuum, Canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum ecclesiasticorum per nos, seu auctoritate nostra tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacantia, et imposterum vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, pro te dilecto Cancellario suo nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, dictos priores Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, Non obstantibus quibuscunque etc. Dat. Avinione xv. Kal. Octobris. Anno IV.
Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XII. cod. chart. fol. 304.

DCCLXXIII.

Arnaldo de Caucina pontifex potestatem nuntii apostolici ad Vratislaviensem, Caminensem et Lubucensem dioeceses extendit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Significasti nobis, quod licet in nonnullis litteris apostolicis, per quas tibi pleraque nego-

tia sunt commissa, nuntius apostolice sedis in Ungarie et Polonie Regnis et terris subiectis Regum ipsorum dominiis nomineris, tu tamen ecclesie Romane negocia pro utilitate ipsius ecclesie in Wratislaviensi, et Caminensi ac Lubucensi Civitatibus et diocesibus frequenter promovere ac prosequi studuisti. Nos autem huiusmodi tuum studium commendantes, ac acceptantes et approbantes omnia et singula, que per te in dictis civitatibus et diocesibus acta sunt pro utilitate ecclesie memorate, concessam tibi potestatem, in executione ac promotione quorumcunque negotiorum ipsius ecclesie in Regnis eisdem, ad predictas civitates et dioceses omnes et singulas ad promotionem et prosecutionem huiusmodi negotiorum ipsius ecclesie extendimus, ac etiam prorogamus. Datum Avinione VIII. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLXXIV.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati monasterii de Claratumba Cracoviensis diocesis, salutem etc. Curet, ut Florianus Petri Prepositus ecclesie collegiate in Lancitia Gneznensis diocesis consideratione Regis Polonie, cuius Consiliarius existit et iurisperitus, canonicatum et prebendam ac preposituram ecclesie Cracoviensis, quos Iohannes Episcopus Poznaniensis tempore sue promotionis obtinebat, adipiscatur. Datum Avinione XV. Kal. Martii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Mandat ei, ut Iohanni Czelegii Canonico Wratislaviensi et in iure canonico studenti consideratione Regis Polonie preposituram Lancitiensem vacantem conferri faciat. Datum Avinione XV. Kal. Octobris. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Custodi ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Curet, ut Petrus Thomissa de Tausina Canonicus ecclesie Sandomiriensis consideratione Regis Polonie dignitatem vel officium in ecclesia S. Crucis in Opol Wratislaviensis diocesis obtineat. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Pasconis Canonico Poznaniensi, salutem etc. Providet ipsi de canonicatu in ecclesia Poznaniensi, quem Iohannes Episcopus Poznaniensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Avinione XII. Kal. Martii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Wilkino de Wokenisse Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi perpetuam Vicariam altaris S. Katharine in ecclesia parrochiali de Bulkow Tarbatensis diocesis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Id. Iulii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Ianconi de Czamecow Canonico Poznaniensi, salutem etc. Providet ipsi consideratione Regis Polonie de canonicatu in ecclesia Poznaniensi, quem Alson Bohemi obtinebat. Datum Avinione XV. Kal. Octobris. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . . Decano ecclesie Warmiensis, salutem etc. Curet, ut Gerhardus natus Gerhardi de Alf Clericus Warmiensis canonicatum in ecclesia Colbergensi Caminensis diocesis obtineat. Datum Avinione II. Non. Ianuarii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Concedit ipsi facultatem conferendi hac vice duntaxat personc idonee canonicatum et prebendam in sua ecclesia. Datum Avinione II. Non. Ianuarii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio . . Scolastico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Curet, ut Iohannes Czelagii Canonicus Wratislaviensis, qui in iure canonico studet, consideratione Regis Polonie canonicatum in ecclesia Cracoviensi obtineat, non obstante, quod idem in ecclesia Wratislaviensi, in Curzelow et in Bresto S. Pancrasii Gneznensis et Cracoviensis diocesium prebendas possideat. Datum Avinione XV. Kal. Martii. Anno IV.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Epo Poznaniensi, sal. etc. Mandat ei, ut Dimissio Prandota Canonico Cracoviensi de canonic. in eccl. Wratislaviensi provideri curet, non obstante, quod idem in Kalissiensi eccl. Gneznensis dioc. Archidiac. obtineat. Dat. Avinione XV. Kal. Octob. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 141 et 266 et Tom. XIV. fol. 164, 191, 232, 249, 504, 511 et 528.

DCCLXXV.

Episcopo Tarbatensi, ut cum Nicolao de Ixkulle et Hildegunde de Thisenhusen super matrimonio ineundo dispenset.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai de Ixkulle militis, et dilecte in Christo filie nobilis mu-

lieris Hildegundis, nate dilecti filii nobilis viri Enghelberti de Thisenhusen militis, tue diocesis peticio continebat, quod cum terra originis ipsorum sit in medio perverse nacionis infidelium constituta, ipsique propterea catholice professionis personas eis in statu equales, cum quibus matrimonium decenter contrahere possint, desiderant invicem matrimonialiter copulari; sed quia dicta Hildegundis et quondam Margareta eiusdem Nicolai uxor, dum viveret, quarto consanguinitatis gradu se invicem contingebant, huiusmodi desiderium adimplere nequeunt, dispensacione super hoc apostolica non obtenta: Quare pro parte dictorum Nicolai et Hildegundis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensacionis gracia dignaremur. Nos itaque ex premissis et certis aliis causis nobis expositis huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, cum eisdem Nicolao et Hildegunde, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium insimul contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Avinione IV. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XV. cod. chart. fol. 368.

DCCLXXVI.

Casimiro regi Poloniae pontifex insinuat, ut ab omni foedere cum infidelibus Lithuanis et Ruthenis contra magistrum et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum resiliat, immo eos contra infides pugnantes faveat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Nuper dilecti filii . . . Magister et fratres hospitalis sancte Marie Theotonicorum Iherosolimitani nobis cum querela significare curarunt, quod tu absque ulla rationabili causa ad ipsorum oppressiones et dampna aspirans, ut ipsos et eorum terras fortius supprimere valeas et vastare, cum infidelibus Letwinis, dictorum Magistri et fratrum ac catholice fidei capitalibus inimicis pacem, et confederationem noviter inivisti, et nichilominus eisdem Magistro et fratribus aperte cominatus es, quod cum Tartaris eiusdem fidei hostibus, quorum, ut asserunt, immanis et innumerabilis multitudo ab olim vastavit Regni Ungarie magnam partem, fedus et ligam inies et firmabis, quodque iam pro certa parte terre Ruthenorum scismaticorum, quam tibi cum multa Christianorum effusione sanguinis vendicasti, eorundem Tartarorum Regi in non modici annui census prestatione tributarium te fecisti, ex quibus predictorum omnium infidelium rabies non solum contra Magistrum et fratres eosdem, sed contra omnes partium illarum Christicolas ferventius invalescit, magnaque ab ipsis infidelibus timentur ex hoc dampna et pericula verisimiliter eventura. Sane, Carissime fili, licet nos de sincera fidei tue constancia firmam in domino fiduciam obtinentes, premissa credere non possumus, nec in mentem nostram faciliter cadere valeat, quod talia in eterni Regis sancteque Romane ecclesie matris tue necnon apostolice sedis offensam, et ipsius catholice fidei preiudicium Regia serenitas attemptaret, solus tamen eorum auditus nos terruit, et si vera forent, ad magnam Regii nominis infamiam cederent, grandique nos et sedem predictam doloris immensitate turbarent. Quamvis enim, princeps catholice, te forsan adversus Magistrum et fratres predictos querele causam in multis habere pretendas, in quibus etiam per dictam sedem potest et poterit remedium adhiberi, non tamen ad pernitiosos actus huiusmodi deo et fidei tuisque statui et honori contrarios tuam, que a deo est, licet nec decet prorumpere potestatem: eandem ergo serenitatem Regiam hortamur, monemus et rogamus attente, per apostolica tibi nichilominus scripta mandantes, quatinus collata tibi a deo, et eadem ecclesia, que te velut specialem filium prosequitur in visceribus caritatis, beneficia debita gratitudine recognoscens, ab omni colligatione seu confederatione, si qua per te cum eisdem infidelibus et scismaticis sit inita vel tractata, et promissa etiam constitutione tributi, si facta sit, quas nos, prout sunt, nullas et irritas auctoritate apostolica nuntiamus, omnino resilias et desistas, dictosque Magistrum et fratres, qui pro deffensione fidelium et impugnatione infidelium eorundem, necnon erga celsitudinem tuam paratos se offerunt facere omnia et singula, que tenentur, benigno velis favore prosequi, et pro ipsius eterni Regis et apostolice sedis reverencia sincera caritate tractare, in hoc mansuetudinem Regiam taliter ostendendo, quod per magnificos tuos actus et opera dictorum infidelium refrenetur et consternatur audacia, dicteque fidei exaltacio in illis partibus crescat, ac tibi exinde a deo perhennis vite premium, et a nobis et a sede predicta digne proveniat gracie et benedictionis augmentum. Datum Avinione IX. Kalendas Februarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XVI. ep. 10. cod. chart. fol. 481.

DCCLXXVII.

Nicolao Strosberg praeposito Gnesnensi, ut quasdam pecunias in Polonia collectas iis, qui eas solverant, restitui faciat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Dudum pro nonnullis urgentibus necessitatibus Romane ecclesie procuraciones visitacionum omnium et singulorum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum civitatis et diocesis et provincie Gneznensis, Camere nostre solvendas, duximus imponendas, et Venerabiles fratres nostros ... Archiepiscopum Gneznensem eiusque Suffraganeos, singulos videlicet eorum in suis civitatibus et diocesibus, deputavimus Collectores, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Et deinde pro eisdem necessitatibus decimam fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum unius anni in dictis civitate et diocesi et provincia imposuimus, et eosdem Archiepiscopum et Suffraganeos etiam eiusdem decime constituimus Collectores, sed volentes cum eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis eorumque Rectoribus et personis mitius agere, eis dictas procurationes remisimus de gratia speciali, ac commisimus dilecto filio Helye de Vodromo, Cantori ecclesie Xantonensis, clerico Camere nostre, tunc in partibus Alemannie et Polonie apostolice sedis nuncio, et generali receptori dicte decime, quod mandaret prefatis Archiepiscopo et Suffragaeis, ut pecunias solutas seu debitas pro dictis procurationibus computarent, et computari facerent in decima prelibata, et quicquid ultra eandem decimam per quascunque personas ecclesiasticas solutum esset, eisdem illud solventibus restituerent, idemque Helyas ad presenciam nostram rediens, nobis retulit, quod memoratis Archiepo et Suffraganeis mandatum fecerat prelibatum. Nuper autem fidedigna relacio ad nostrum perduxit auditum, quod iidem Archiepiscopus et Suffraganei nostrum mandatum huiusmodi non servantes, pecunias per eos receptas pro dictis procuracionibus nec computare vel restituere, nec Camere nostre seu tibi pro ea assignare curarunt, sed eas presumpserunt et presumunt retinere et suis usibus applicare: super quibus pro parte eorundem prelatorum et personarum, qui dictam procuracionem solverunt, fuit a nobis remedium iusticie postulatum. Quocirca discretioni tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocatis, qui fuerint evocandi, simpliciter, de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, de premissis plenarie te informes, et illos, quos ex eisdem Archiepo ... et Suffraganeis huiusmodi nostrum mandatum non servasse tibi constiterit, ad restituendum in presencia tui aut illius, quem ad hoc duxeris statuendum, infra terminum competentem per te prefigendum eisdem, huiusmodi indebite retenta per eos illis, a quibus receperint, auctoritate nostra, remota appellatione, compellas, nulla super hiis eisdem Archiepiscopo et Suffraganeis remissione seu donatione aliquatenus valitura, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliqui auctoritate litterarum apostolicarum ultra certa loca et numerum ad iuditium evocentur, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si alicui vel aliquibus predictorum vel aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iuditium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis ac litteris apostolicis quibuscunque locis, personis vel ordinibus sub quacunque forma et expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus etiam de verbo ad verbum in nostris litteris mentio sic habenda, et per que presentis mandati nostri effectus valeat quomodolibet impediri. Datum Avinione II. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLXXVIII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut supradicto Nicolao in assequenda praepositura et in negotiis camerae apostolicae se favorabilem exhibeat.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni (?) Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Cum dilectus filius Nicolaus Strosberg prepositus ecclesie Gneznensis, apostolice sedis nuntius, lator presentium, cui de canonicatu et prebenda ac prepositura dicte ecclesie Gneznensis, vacantibus per obitum quondam Nicolai Koschuch, per nos ex certis rationabilibus causis dispositioni nostre specialiter reservatis, duximus providendum, habeat in partibus illis pro nobis et Camera nostra nonnulla negotia facere, in quibus favor tuus erit sibi multipliciter opportunus, fraternitatem tuam, de qua geri-

mus et gerere debemus fiduciam pleniorem, rogamus attente mandantes, quatinus dicto Nicolao in huiusmodi nostris et dicte Camere agendis, necnon in assecutione pacifice possessionis dictorum canonicatus et prebende, ac prepositure ob nostram et dicte sedis reverentiam studeas te favorabiliter exhibere, ipsique nuntio omnia et singula per te sive tuo sive predecessorum tuorum Archiepiscoporum Gneznensium nominibus eidem Camere propter commune servitium debita, sine difficultate persolvas, sic acturus in premissis, quod exinde tua devotio possit merito commendari. Datum Avinione Nonis Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Archetyp. epistolar. fol.

DCCLXXIX.

Regi Poloniae, ut summam, quam a nuncio apostolico mutuo recepit, restituere non postponat.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, sal. etc. Si considerares, fili carissime, onera gravia inevitabilium sumptuum, que de necessitate subivimus et subimus, et que cum longe sunt lateque notoria, tu solus ignorare non potes, indubie credimus, quod nedum de hiis, in quibus nobis et Romane teneris ecclesie, satisfacere solicite procurares, quinimo de tuo sicut devotus et carus filius amanti patri liberali promptitudine subvenires. Sed quoniam tu non cogitas huiusmodi onera, et ob hoc compassionis affectus, qui a fructu cognoscitur operum, in te ad nos aliquis non erumpit, compellimur apud te pro hiis, que de nostro detines, uti officio petitoris. Et ideo serenitatem tuam sicut alias sic et nunc attente requirimus et rogamus, quatinus illam summam pecunie, quam a dilecto filio Arnaldo de la Caucina Scolastico Cracoviensi, apostolice sedis nuntio, mutuante nomine ipsius ecclesie mutuo recepisti, que ascendit ultra quam ad quinque milia florenorum, eidem nuntio restituere non postponas, alioquin oportebit nos uti iuris remediis, si precibus inculcatis totiens non annuere te continget. Datum Avinione III. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Archetyp. epistolar. fol. 49.

DCCLXXX.

Bernardus a Milcoviensi ad Plocensem ecclesiam transfertur et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Bernardo . . . Episcopo Plocensi, salutem etc. Credite nobis dispensationis urgemur officio, ut qui dispositione divina cunctis ecclesiis potestatis plenitudine presumus, singularum utilitatibus, cum possumus, sic prospiciamus solicite, sic vigilanter et solerter intendamus, ut per nostre attencionis instantiam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accomode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ipsarum ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor ydoneus deputetur, et ecclesie ipse superni favoris auxilio suffragante votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem bone memorie Clemente Episcopo Plocensi regimini Plocensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum illam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ecclesie predicte dispositioni et ordinacioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Clementis Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, Nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ecclesie predicte, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incomodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te Episcopum tunc Milcoviensem, consideratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus personam tuam, prout fidedignorum percepimus testimonio, altissimus insignivit, direximus oculos nostre mentis: intendentes igitur tam dicte ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo Milcoviensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Plocensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licenciam ad dictam Plocensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque concepta, quod ipsa Plocensis ecclesia, gratia divina tibi assistente propicia, per

tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam salubria suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Plocensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administracionem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod eadem Plocensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus actibus tuis lacius diffundatur, tuque preter eterne retribucionis premium nostre benedictionis augmentum, et dicte sedis graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione v. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Plocensis, Clero et populo civitatis et diocesis Plocensis, universis Vassallis ecclesie Plocensis, Archiepiscopo Gneznensi, et Kazimiro Regi Polonie Illustri.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XVI. cod. chart. fol. 86.

DCCLXXXI.

Cum Conrado duce Slesvicensi et Agnete ducissa Thessinensi eius uxore de matrimonio contracto dispensatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Conrado minori Duci Olesvicensi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Agnete, nate dilecti filii nobilis viri Kazimiri ducis Thessinensis Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Apostolice sedis generosa benignitas nonnunquam rigorem iuris mansuetudine temperans, quod sacrorum canonum prohibent instituta, de gratia sue benignitatis indulget, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, id in deo conspicit salubriter expedire. Sane petitio pro parte vestra nuper nobis exhibita continebat, quod vos dudum ignorantes aliquod impedimentum inter vos existere, quominus possetis invicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba legitime de presenti inter vos contraxistis. Cum autem postmodum ad vestram fuerit deductum noticiam vos fore quarto consanguinitatis gradu coniunctos, et ideo non posse in sic contracto matrimonio absque dispensatione sedis apostolice remanere, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis remedio dignaremur. Nos itaque Carissimi in Christo filii nostri Karoli Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante in sic contracto matrimonio remanere libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitime decernentes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione III. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XVI. cod. chart. fol. 525.

DCCLXXXII.

Arnaldo de Lacaucina nuntio apostolico, ut ad Romanam curiam cum libris rationum suarum et pecuniis collectis se conferat.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacausina Canonico Cracoviensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Olim felicis recordacionis Clemens papa VI. predecessor noster suis et nostris temporibus pro multis necessitatibus Camere apostolice incumbentibus utilius relevandis fructus, redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, que tunc ad eius et nunc ad nostram disposicionem ex quibuscunque causis immedietate spectancia vacabant et vacant, sub certis modis et formis per litteras apostolicas duximus reservanda (sic), Camere previe (predicte) applicandos, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Cum itaque tu in certis Regnis tibi decretis tam fructuum, rèdditiuum et proventuum predictorum, quam nonnullarum non modicarum pecuniarum summarum in finibus memoratis Cameram previam contingencium per litteras eiusdem predecessoris et nostras Collector fueris, sicut accepimus, deputatus: Discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus ad sedem eandem, cessante dilacione morosa, procures cum libris, scripturis et munimentis rationum tuarum, ut eas de predictis omnibus, quas antefate Camere nostre reddere valeas, personaliter te transferre quascunque pecunias per te vel alium vice tui de premissis et premissorum singulis collectas, sicut utilius et securius fieri poterit, delaturus, seu alias fideliter transmissurus (per) mercatores, quos noveris fidedignos et facultatibus opulentos, quibus indempnitati dicte Camere consulatur, quarum tradicionem tuis faciemus racionibus alloquari. Volumus autem, quod super colligendis pecuniis residuis, si que sint, in decretis, ut prefertur, tibi Regnis succollectorem seu succollectores fidei et facultatibus idoneos constituas et dimittas, qui residua ipsi fideliter nostro et Camere nostre predicte nomine colligant et conservent.

Insuper autem, si tu ex certis causis iustis et legitimis existeres, quod non credimus, impeditus, sicut mandatur superius, veniendi, placet nobis, ut quamprimum ex postea oportunitatem habueris, venias indilate, omnia et singula descripta superius expleturus: in interim vero omnes et singulas pecuniarum summas per te seu collectores tuos inibi recollectas studeas assignare dilecto filio Raimundo de sancto Michaele, servienti armorum et familiari nostro, quem ad partes illas presencialiter destinamus, cui dictas pecuniarum summas recipiendi, et te ac tuos quitandi, liberandi et penitus absolvendi per alias nostras certi tenoris litteras plenariam dedimus potestatem. Tandem Cameram antedictam de receptione presencium, et ceteris pro tunc factis per publicum instrumentum harum continens seriem efficias, quantociens (sic) poteris, cerciorem. Datum Avinione XVI. Kalendas Ianuarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. fol. 244.

DCCLXXXIII.

Eidem, ut pecunias nomine camerae apostolicae collectas magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum assignet.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Lacausina Canonico Cracoviensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum per alias nostras certi tenoris litteras, ut ad Romanam Curiam cum libris, munimentis et racionibus tue collectorie ac pecuniis inde collectis venires, rationes veras et integras administracionis tue cum reliquis nostre Camere redditurus, certis per te subcollectoribus deputatis, nisi ad presens ex certis causis legitime impeditus venire nequires, tunc pecunias omnes et singulas per te collectas dilecto filio Raimundo de sancto Michaele, servienti armorum et familiari nostro, aut mercatoribus fide et facultatibus pocioribus causa tucioritatis evidencioris assignacionis et prestancioris camere previe faciende, prout tibi videretur, securius assignares, tibi meminimus conscripsisse, sicut in eisdem apostolicis litteris plenius continetur. Cumque ad presens nobis occurrerit ab eventu, easdem pecunias penes dilectum filium Wynricum Magistrum ordinis beate Marie Theutonicorum forsan fore utilius, expediencius et congruencius, pensatis omnibus discriminibus, assignare: Discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus attente omnes et singulas pecunias memoratas, que nondum miseris, seu utilius penes dictos Raimundum aut alios merchatores non videris assignandas, per te eidem Magistro vice et nomine Camere antefate, receptis prius ab ipso recognicionibus et cautelis congruencioribus Camere sepedicte studeas assignare, cui recipiendi, recognoscendi, quitandi et penitus liberandi per alias nostri certi tenoris litteras plenam concedimus potestatem. Volumus autem, quod de huiusmodi assignatis, traditis et liberatis duo conficiens publica instrumenta, altero penes recipientem dimisso, reliquum cum harum continencia litterarum tecum portans, et si ad presens non veneris, illud Camere nostre mittas. Datum Avinione XIII. Kalendas Ianuarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. fol. 246.

DCCLXXXIV.

Eidem et socio suo, ut pecunias decimarum in Polonia etc. collectas Brugis sociis societatis des Malabailles assignent.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Arnaldo de Lacausina Canonico Cracoviensi, apostolice sedis nuntio, et Nobili viro Raimundo de Sancto Michaele servienti armorum, familiari nostro, salutem etc. Cum in Ungarie, Polonie et Boemie Regnis et partibus eisdem adiacentibus nonnullas pecuniarum summas ad nostram Cameram multipliciter pertinentes a collectoribus, subcollectoribus aut aliis popularibus quibuscumque nomine nostro et dicte Camere recipere nos contingat: Nos indemnitatibus omnium dictas pecunias assignantium et suorum volentes paterna solicitudine precavere, vobis et cuilibet vestrum dictos collectores, subcollectores, nuncios, mercatores et alios quoscunque, a quibus receperitis dictas summas, quemlibet eorundem ac heredes et successores eorum quitandi, liberandi et penitus absolvendi de hiis solum, que recipere vos contingeret, auctoritate nostra tenore presencium plenam concedimus potestatem. Volumus autem, quod pecuniarum summas per vos seu vestrum alterum receptas, vel ulterius recepturas, quamprimum obtulerit se facultas, antefate Camere asportari, vel penes dilectos filios nostros Raphaelem Damiani et Albertum de Planis mercatores et socios societatis Desmalabailas, seu eorum factores Brugis per mercatores vel nuncios seu alios quoscunque fide et facultatibus idoneos commendandos mitti, assignari, tradi et manualiter liberari intermedia diligencia nota digna, prout utilius, caucius, securius et expediencius noveritis, studeatis. Ceterum omnibus pecuniis sic receptis, missis, quitatis, assignatis et liberatis et quolibet premissorum, duo consimilia con-

fici faciatis publica instrumenta, quorum uno penes illum seu illos, ad quem vel ad quos pertinebit, dimisso, reliquum procuretis prefate Camere assignari. Datum Avinione VI. Kal. Ianuarii. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. fol. 249.

DCCLXXXV.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Suchivilli Decano ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, salutem etc. Confert ipsi decanatum ecclesie Cracoviensis, per obitum Sbignei eiusdem ecclesie decani vacantem, indulgetque, ut in consideratione Kazimiri Regis Polonie in Wladislaviensi, Wratislaviensi et Poznaniensi ecclesiis prebendas et canonicatus sub expectatione obtinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XI. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno V.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Sweslao Wyslay de Sweskonicz Preposito collegiate ecclesie Scarbimiriensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie prepositurum huius ecclesie, quam Otto Pancoslai libere resignaverat, indulgetque, ut in Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis canonicatus et prebendas vacantes et Altare S. Margarete in Cracoviensi ecclesia obtinere possit. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Cracoviensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Danieli nato Nicolai iuvenis Wirzingi civis Cracoviensis, clerico eiusdem diocesis, qui Camere apostolice triginta annis et amplius servivit, canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislaviensi conferri curet. Datum Avinione Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno V.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Engelberto Conradi de Brunsberg presbitero Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium quoddam ecclesiasticum in diocesi Warmiensi. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Maii. Pontificatus nostri Anno V.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Nicolao Miradilonis presbitero Cracoviensi beneficium ecclesiasticum ad collationem Episcopi Cracoviensis pertinens conferri curet. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XV. cod. chart. fol. 145, 146, 455.

DCCLXXXVI.

Petrus ecclesiae Ladimiriensi in episcopum praeficitur et commendatur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Ladimiriensi, salutem etc. Inter cetera, que superna disposicione nobis imminent peragenda, ad id nimirum soliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati earum provideatur salubriter, et ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis. Dudum siquidem ecclesia Ladimiriensi tanto et tam longevo tempore pastoris solacio destituta, quod eius disposicio et provisio esset, prout est, ad sedem apostolicam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, sed cum ultimi eciam Ladimiriensis Epi, qui eidem ecclesie prefuit, noticia seu memoria non habeatur, Venerabilis frater noster Augustinus Episcopus Salubriensis, cui Venerabilis frater noster Guillelmus Patriarcha Constantinopolitanus credens, ut dicitur, provisionem ipsius Ladimiriensis ecclesie ad eum ea vice pertinere, providendi eidem ecclesie de pastore ydoneo dederat potestatem, ignorans, prout asseritur, provisionem ipsius ecclesie ad sedem predictam fore, ut premittitur, devolutam, auctoritate potestatis predicte de te ordinis fratrum predicatorum professore, in sacerdocio constituto, prefate ecclesie, licet de facto, providit, teque illi prefecit in Epum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tuque devolucionis huiusmodi eciam inscius, tui superioris super hoc obtenta licencia, provisioni predicte de te, ut premittitur, facte, consensisti, et demum per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Epum Misnensem pretextu commissionis super hoc ei facte, ut dicitur, per ipsum Patriarcham, in diocesi Misnensi obtinuisti tibi munus consecracionis impendi, et deinde huiusmodi devolucione ad tuam deducta noticiam, tu ad predictam sedem personaliter accessisti, et huiusmodi provisionis, prefectionis et consecracionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur provisionem et prefectionem huiusmodi, prout erant, irritas reputavimus et inanes, et ad provisionem ipsius ecclesie,

ne ulterioris vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam super hoc cum nostris fratribus sancte Romane ecclesie Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te religionis zelo, litterarum sciencia preditum, aliisque grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, sicut fidedignis testimoniis accepimus, altissimus insignivit, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et nichilominus huiusmodi munus consecracionis tibi, ut predicitur, impensum auctoritate predicta approbamus, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod ipsa ecclesia Ladimiriensis per tue circumspeccionis industriam et providenciam circumspectam sub tue felici regimine, gracia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam cum gracia nostre benediccionis accedens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia per tue cooperacionis studium fructuosum votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, tuque proinde divinam, prefate sedis ac nostram benediccionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione VI. Non. Maii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Clero et populo Civitatis et diocesis Ladimiriensis, ut eidem obedientiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XVIII. cod. chart. fol. 318.

DCCLXXXVII.

Bartholomaeus ecclesiae Sambiensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Bartholomeo Electo Sambiensi, salutem etc. Inter cetera, que superna disposicione nobis imminent peragenda, ad id nimirum soliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati earum provideatur salubriter, et ecclesie ipse in spiritualibus temporalibus proficere valeant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Iacobo Episcopo Sambiensi regimini ecclesie Sambiensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie disposicioni et ordinacioni nostre ea vice specialiter duximus reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Iacobi obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservacionis et decreti, ut asseritur, ignari, te Prepositum ipsius ecclesie in sacerdotio constitutum, in Sambiensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius presentato tibi decreto, licet de facto, consensisti: deinde vero huiusmodi reservacione et decreto ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes eleccionem predictam et alia inde secuta post et contra reservacionem et decretum predicta attemptata fuisse, ea, prout erant, reputavimus irrita et inania, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, prudencia spiritualium ac providencia temporalium, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum habet assercio, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon Capituli te eligencium unanimi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dicta ecclesia per tue circumspeccionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, divina gracia tibi assistente propicia, grata suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, curam et administracionem ipsius ecclesie Sambiensis sic exercere studeas solicite, fideliter et

prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram ac sedis predicte graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione Nonis Maii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Archiepiscopo Rigensi, Capitulo, et Vassallis ecclesie Sambiensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Sambiensis. ut eidem electo reverentiam et obedientiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XVIII. cod. chart. fol. 301.

DCCLXXXVIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Woldemario de Rosis Canonico Tarbatensi Scolastriam ecclesie Tarbatensis per obitum Henrici dicti Sweymen vacantem conferat. Datum Avinione VIII. Kal. Iulii. Anno VI.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Rigensi et . . . Osiliensi Prepositis ac . . . Sacriste Avinionensi, salutem etc. Mandat eis, ut Alberto de Puteo de ecclesia parrochiali S. Marie in Peystel Tarbatensis diocesis vacante per mortem Everhardi Crusem ultimi Rectoris provideatur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Id. Iulii. Anno VI.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Rigensi, et dilectis filiis . . . Preposito ecclesie Pomezaniensis ac . . . Officiali Warmiensi, salutem etc. Mandat eis, ut Michaeli Rislach presbitero Pomezaniensi perpetuam capellaniam in ecclesia Warmiensi, quam Iohannes Pasloch clericus Warmiensis indebite obtinet, conferri faciant. Datum Avinione VI. Id. Maii. Anno VI.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Henrico Ruden Clerico Caminensi, salutem etc. Constituit eum Rectorem capelle S. Iohannis extra muros oppidi Colbergh Caminensis diocesis, quam Bertramirus de Ekstede obtinebat. Datum Avinione II. Id. Februarii. Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XVIII. cod. chart. fol. 512. et Tom. XIX. fol. 328, 334 et 665.

DCCLXXXIX.

Archiepiscopo Pragensi, ut inter regem Poloniae et fratres S. Mariae Teutonicorum pacem et concordiam reconciliet.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Inter cetera desiderabilia cordis nostri illud precipue ferventibus votis appetimus, et ad id iuxta pastoralis officii debitum efficacem opem et operam, quantum nobis ex alto permittitur, adhibemus, ut inter ecclesiasticas personas et alios Christifideles, precisis radicitus quibuscunque dissidiorum vepribus, et litigiorum anfractibus omnino subductis, pacis tranquillitas vigeat, invalescat concordie unitas et fervor exuberet caritatis. Sane graves inter Carissimum in Christo filium nostrum Kazimirum Regem Polonie Illustrem, et dilectos filios . . . Magistrum et fratres hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani super eo, quod Rex ipsos Magistrum et fratres nonnullas terras, castra, fortalicia et alia loca ad ipsum Regem spectancia, et infra eius Regnum Polonie consistencia contra insticiam occupasse et detinuisse, ac detinere indebite occupata, Magister vero et fratres predicti illa ad se et dictum hospitale spectare asserebant, prout asserunt, et super nonnullis dampnis, iniuriis et offensis, que hinc inde per partes ipsas, et eorum valitores et subditos illata et facta esse dicebantur, discordie et dissensiones exorte nostrum et apostolice sedis pluries turbaverunt et molestarunt auditum. Et licet ad imponendum finem discordiis et dissensionibus huiusmodi nonnulli per certos commissarios et delegatos dicte sedis et subdelegatos ab eis processus facti fuerunt, quos omnes et singulos presentibus haberi volumus pro expressis, tamen pacis emulo et seminatore zizanie procurante, nedum huiusmodi dissensiones et discordie finem accepernnt optatum, quinimo, prout cum mentis amaritudine accepimus, de die in diem in gravem dei offensam, animarum periculum et scandalum plurimorum forcius invalescunt, et exinde, quod turbat acerbius mentem nostram, infidelium Letuwinorum cornua, ad que prosternenda iidem Rex, Magister et fratres sua fidelia consuevernnt impendere studia et labores, in Christicolarum dispendium eriguntur. Nos igitur providi cultoris more huiusmodi discordias et dissensiones extirpare ac tollere, et inter ipsos durature pacis et concordie bona et commoda inserere, quantum cum deo possumus, cupientes, ac de tue circumspeccionis industria in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue inter ipsos Regem ac Magistrum et fratres, et eorum valitores et subditos super premissis omnibus et singulis et dependentibus ab eisdem pacem et concordiam, prout tibi iuxta datam

tibi a deo prudenciam videbitur, et eciam omnia alia, que pro huiusmodi pace et concordia tibi utilia videbuntur, faciendi et exercendi, et huiusmodi pacem et concordiam penis spiritualibus et temporalibus firmandi, et execucioni mandandi ac observari faciendi, Contradictores quoque auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus tamen, quod si huiusmodi concordiam et pacem ex causis aliquibus ad effectum salubrem perducere forte nequieris, id nobis et causas huiusmodi per tuas studeas litteras intimare, ut super eis, prout in votis gerimus, possimus salubriter providere. Datum Avinione VI. Kal. Februarii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 629.

DCCXC.

Andreae de Czechow conceditur, ut sepulchrum dominicum et loca terrae sanctae visitare possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Andree de Czechow Militi Cracoviensis diocesis, salutem etc. Tue devocionis exigentibus meritis, votis tuis libenter annuimus, et peticioues tuas in hiis, que houeste postulas, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum itaque, sicut oblate nobis tue peticionis series continebat, tu zelo pie devocionis accensus, sepulcrum dominicum et alia oratoria terre sancte desideres personaliter visitare: Nos tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, quod sepulcrum et alia oratoria supradicta una cum quinque personis, quas ad hoc duxeris eligendas, quibuscunque prohibicionibus, constitucionibus et processibus sedis apostolice in contrarium factis, habitis seu eciam promulgatis, penas et senteucias spirituales et temporales continentibus, nequaquam obstantibus, ex causa predicta valeas visitare, illaque nichilominus per huiusmodi visitacionem deferre ac eciam exhibere, sine quibus peregrinacionem huiusmodi commode adimplere non posses, dummodo tu vel dicte persone vel earum aliqua ad partes illas uulla alia deferatis vel deferri faciatis, que, ut preferrtur, in favorem hostium fidei christiane redundare valeant, tibi auctoritate presencium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre coucessionis infringere etc. Datum Avinione VI. Kal. Februarii. Pontificatus uostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 548.

DCCXCI.

Ioanui uato Casimiri ducis Teschinensis, clerico Vratislaviensis dioecesis, ut beneficia ecclesiastica ad collationem Romanorum imperatoris seu imperatricis pertinentia acceptare possit.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni, nato dilecti filii Nobilis viri Kasimiri ducis Teschinensis, clerico Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Nobilitas generis, morum decor et alia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut te favore apostolico prosequamur. Volentes itaque te premissorum meritorum intuitu, nec non consideracione Carissimi in Christo filii uostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, pro te uobis in hac parte humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso, tecum, ut dignitatem, persouatum vel officium cum cura vel sine cura, ad dicti Imperatoris seu Carissime iu Christo filie nostre Romanorum Imperatricis collacionem vel presentacionem, ubicunque consistat, pertinentem vel pertinens, si tibi alias canonice conferatur, defectu etatis, quem pateris, in vicesimo etatis tue anno constitutus, Lateraneusis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus ecclesie, in qua huiusmodi dignitas, persouatus vel officium fuerit, contrariis, iuramento, confirmacioue apostolica vel quacunque firmitate alia vallatis, nequaquam obstantibus, libere recipere et licite retinere valeas, auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus, proviso quod huiusmodi dignitas, personatus vel officium debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura, siqua illis imminet, nullateuus negligatur, quodque tu quamprimum ad etatem perveueris ad id aptam, te facias ad ordines, prout ipsius diguitatis, personatus vel officii ouus requiret, statutis temporibus promoveri. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc pagiuam uostre dispensationis infringere, vel ei ausu temerario coutraire. Si quis autem etc. Datum Avinione XV. Kal. Iunii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. cod. chart. fol. 568.

DCCXCII.

Ministro generali et fratribus ord. Minor. conceditur, ut locum in oppido Tarnow Cracoviensis dioecesis accipere possint.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Ministro generali et fratribus ordinis Minorum, salutem etc. In hiis, que animarum salutem respiciunt, et divini cultus suscipiunt incrementum, libenter apostolici favoris presidium impertimur. Sane peticio pro parte vestra nuper nobis exhibita continebat, quod dilecti filii Nobilis vir Raphael dominus ac habitatores et incole opidi de Tarnow Cracoviensis diocesis, zelo devocionis accensi, cupiunt de bonis eorum propriis pro suorum remissione peccaminum vobis in predicto opido, in quo religiosi aliqui de ordinibus mendicancium non existunt, unum locum in honorem beatissime Trinitatis construere, in quo duodecim fratres vestri ordinis, qui eosdem habitatores et incolas in fide et moribus informare valeant, poterunt congrue sustentari. Nos igitur vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, vobis recipiendi huiusmodi locum in dicto opido loco congruo et honesto ad nomen et usum fratrum vestri ordinis, et in eo edificandi et construendi domos et ecclesiam seu capellam cum cimiterio, campanili et campana, nec non aliis necessariis officinis, et in eo morandi, iure parrochialis ecclesie et cuiuscumque alterius in omnibus semper salvo, constitucione felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne religiosi ordinis mendicancium loca de novo recipiant absque sedis apostolice licencia speciali, faciente plenam et expressam de prohibicione huiusmodi mencionem, nequaquam obstante, auctoritate apostolica plenam et liberam tenore presencium licenciam elargimur, vobis nichilominus concedentes, ut locus huiusmodi, postquam receptus fuerit et constructus, ac fratres dicti vestri ordinis in eo pro tempore commorantes omnibus et singulis privilegiis et indulgenciis gaudeant, quibus alia loca et fratres dicti ordinis perfrui dinoscuntur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione iiii. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 602.

DCCXCIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Stanislao dicto Soska Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi consideratione Regnis Polonie, cuius Capellanus et dilectus existit. Datum Avinione ii. Nonas Aprilis. Anno VII.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro quondam Boguslai de Gramtz Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Poloniae, cuius dilectus existit, Canonicatum in ecclesia Poznaniensi. Datum Avinione iv. Kal. Ianuarii. Anno VII.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Woycnam Canonico Wladislaviensi, sal. etc. Confert ipsi, qui pro negotiis Episcopi Wladislaviensis in Romana Curia nuper constitutus erat, Canonicatum in ecclesia Wladislaviensi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis ... Preposito Rigensis et ... Tarbatensis ac ... Lubicensis Decanis ecclesiarum, salutem etc. Curent, ut Theodericus Vreze Canonicus Tarbatensis canonicatum et prebendam in ecclesia Revaliensi per obitum Gotfridi Crowel vacantes obtineat. Datum Avinione ii. Idus Februarii. Anno Septimo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Arnoldi Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Ludovici Regis Ungarie, cuius dilectus et Capellanus existit, canonicatum et prebendam ac custodiam ecclesie Waradiensis, quos Gregorius Electus Cenadiensis tempore promotionis sue obtinebat. Datum Avinione iv. Nonas Iunii. Anno VII.

In e. m. Venerabilibus fratribus ... Patriarche Constantinopolitano et ... Episcopo Waradiensi ac dilecto filio ... Preposito ecclesie Agriensis, ut predictas litteras exequantur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Pascowis de Wolicza Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi dignitatem, personatum vel officium in ecclesia Gneznenzi consideratione Regis Polonie, indulgetque, ut canonicatus et prebendas in Gneznensi, Poznaniensi ac Wisliciensi ecclesiis retinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv. Nonas Augusti. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Henrico Conradi de Colonia Canonico ecclesie sancti Egidii Cracoviensis, in Artibus et Medicina Baccalaureo, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Poloniae canonicatum huius ecclesiae spectantem ad collationem Abbatis et Conventus monasterii Setechoviensis ordinis sancti Benedicti Cracoviensis diocesis. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Cracoviensi, salutem etc. Curet, ut Iacobus de Oswencym Rector medie partis parrochialis ecclesie in Oswencym, per duos solite gubernari Rectores, canonicatum et prebendam ecclesie Kiltiensis dicte diocesis obtineat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Nonas Augusti. Anno Septimo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Scolastico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Curet, ut Iohannes Paschonis de Gardlitza Clericus Cracoviensis consideratione Regis Polonie canonicatum ecclesie S. Michaelis in castro Cracoviensi obtineat. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Scolastico ecclesie Cracoviensi, salutem etc. Curet, ut Nicolaus Boguslai de Lucawitza Clericus Cracoviensis consideratione Regis Polonie canonicatum in ecclesia Wislicicnsi dicte diocesis obtineat. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Talibogoni nato dilecti filii Gregorii de Pelascono Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum ecclesie Poznaniensis, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Gradecz dicte diocesis retinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Kalendas Augusti. Anno Septimo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Petri de Lomtz Clerico Gneznensi, sal. etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in eadem diocesi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Nonas Augusti. Anno Septimo.

Innocentius episcopus etc. Amboldo Iohannis de Campino Clerico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi, qui in prosecutione negotiorum Camere sedis apostolice in Polonie et Hungarie Regnis diutius et fideliter laboravit et adhuc laborat, beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Dat. ut supra.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Curet, ut Pretzlaus Iohannis de Campino Clericus Gneznensis beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi obtineat. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Scolastico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Curet, ut Gregorius Martini de Horka presbiter Cracoviensis beneficium ecclesiasticum in diocesi Wratislaviensi obtineat. Datum ut supra.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Bernardo Caghener presbitero Tarbatensi, sal. etc. Confert ipsi ecclesiam parrochialem in Sonnettatke Osiliensis diocesis vacantem. Datum Avinione XIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XX. cod. chart. fol. 286, 290, 292.
et Tom. XXI. fol. 109, 154, 301, 333, 337, 400, 407 et 616.

DCCXCIV.

Iacobus ecclesiae Curoniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Electo Curoniensi, salutem etc. Cum ad universas orbis ecclesias iuxta nostrum debitum apostolice diffundimus consideracionis intuitum, illarum nimirum propensior cura nos urget, quas pastoribus destitutas subiacere dispendiose vacacionis conspicimus detrimentis, ut per nostre prudencie ministerium preficiantur illis viri secundum cor nostrum ydonei in pastores, sub quorum regiminibus ecclesie huiusmodi in spiritualibus et temporalibus feliciter gubernentur. Dudum siquidem bone memorie Ludolpho Episcopo Curoniensi regimini Curoniensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ecclesie predicte ordinacioni et disposicioni nostre ea vice specialiter duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quovis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Ludolphi Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum ecclesie predicte, reservacionem et decretum huiusmodi, ut asseritur, ignorantes, te ipsius ecclesie Canonicum, in presbiteratus ordine constitutum, in eiusdem ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum, ut asseritur, eciam ignarus,

eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, de facto eciam consensisti, et deinde tu dubitans de reservacione et decreto predictis, eleccionis huiusmodi negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur eleccionem huiusmodi, utpote post et contra reservacionem et decretum nostra huiusmodi attemptatam, irritam reputavimus et inanem, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia diutine vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, prudencia spiritualium et providencia temporalium, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum habet assercio, laudabiliter insignitum, considerata eciam dictorum Capituli te eligencium voluntate concordi, qui eciam pro te per eorum patentes litteras super hoc nobis humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua de dictorum fratrum consilio prefate ecclesie auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod ecclesia ipsa per tue circumspeccionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, gregem dominicum in eadem ecclesia tibi creditum doctrina verbi et operis iuxta datam tibi a deo prudenciam informando, quod ecclesia ipsa per tue circumspeccionis industriam votivis iugiter proficiat commodis, et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam et dicte sedis ac nostram benediccionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione IX. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Curoniensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Curoniensis et Archiepiscopo Rigensi, ut eidem electo obedientiam et reverentiam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 36.

DCCXCV.

Nicolaus electus Pomesaniensis eidem ecclesiae in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Electo Pomezaniensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie quanquam immeriti, disponente domino, presidentes, de universis orbis ecclesiis et Monasteriis pro eorum statu salubriter dirigendo, quantum nobis ex alto permittitur, solicite cogitamus, sed eorum propensior solicitudo nos urget, que propriis carencia pastoribus vacacionum incommodis perspicimus subiacere, ut illis per operacionis nostre studium viri preficiantur ydonei in pastores, qui sciant, velint et valeant ecclesiis ipsis et Monasteriis sibi commissis preesse utiliter et prodesse. Dudum siquidem bone memorie Arnaldo Episcopo Pomezaniensi regimini Pomezaniensis ecclesie presidente, Nos cupientes ipsi ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem dicte ecclesie disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hoc per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Arnaldi Episcopi, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie, reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te Prepositum dicte ecclesie, in sacerdocio constitutum, in Pomezaniensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum eciam inscius, eidem eleccioni consensisti, ac demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, eleccionis negocium proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur eleccionem predictam et alia inde secuta, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta, ut premittitur, attemptata, prout erant, irrita et inania reputantes, et ad provisionem dicte ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spi-

ritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum testimoniis accepimus, multipliciter insignitum, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus et eciam concordi dictorum te eligencium voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos, prefata ecclesia per tue industrie et circumspeccionis studium fructuosum regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, et reverenter suavi eius oneri collum flectens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, gregem dominicum in eadem ecclesia tibi traditum doctrina verbi et operis informando, quod ipsa ecclesia per tue circumspeccionis industriam votivis iugiter proficiat commodis, et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam et dicte sedis ac nostram benedicciónem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione XII. Kal. Maii. Anno Octavo.

In e. m. Archiepiscopo Rigensi, Capitulo et Vassallis ecclesie Pomezaniensis, Clero Civitatis et diocesis Pomezaniensis, ut eidem electo reverentiam et obedientiam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXXIII. cod. chart. fol. 65.

DCCXCVI.

Statuta et ordinationes pro perpetuis vicariis in ecclesia S. Crucis Vratislaviensis facta confirmantur.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro ecclesiarum et personarum in eis domino famulantium utilitate et commodo provide facta sunt, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum universorum perpetuorum vicariorum ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis nobis exhibita continebat, quod olim dilecti filii Prepositus, Cantor, Scolasticus, Custos et Capitulum eiusdem ecclesie attendentes, quod propter institutiones et destitutiones dictorum vicariorum, qui ad nutum Canonicorum dicte ecclesie ponebantur et removebantur, plurima dampna et scandala eidem ecclesie provenicbant, ac propterea volentes super hoc providere, habita inter ipsos super hiis deliberatione, ordinarunt, quod ipsi vicarii inibi de cetero essent perpetui, et nonnulla alia circa hoc fecerunt et ordinarunt, ac deinde venerabilis frater noster Pretzlaus Episcopus Wratislaviensis ad ipsorum Prepositi, Cantoris, Scolastici, Custodis et Capituli instanciam, attendens statuta et ordinationes huiusmodi fore utilia ecclesie prelibate, ordinationes et statuta ipsa auctoritate ordinaria confirmavit, ratificavit et etiam approbavit, prout in patentibus litteris inde confectis eorundem Episcopi et Capituli sigillis munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: Quare pro parte dictorum vicariorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmationis adicere cum supplecione defectuum, si qui forsan in eis intervenerint, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum vicariorum in hac parte supplicationibus inclinati, premissa per dictos Episcopum, Prepositum, Cantorem, Scolasticum, Custodem et Capitulum, ut prefertur, facta, rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem. Tenores vero dictarum litterarum tales sunt. In nomine domini amen. Expedit et convenit, ut ea, que maturo consilio ad honorem dei omnipotentis et augmentum divini cultus, et reipublice commodum et profectum instituta salubriter et digesta sunt, superiorum auctoritate litterarum apicibus favorabiliter perhennentur, quod temporis decursu in irritum redigi nequeant seu reduci. Quapropter nos Preczlaus dei gracia Episcopus Wratislaviensis ad perpetuam rei memoriam tenore presencium recognoscimus universis, quod accedentes ad presenciam nostram honorabiles et discreti viri dñi Ienczco Prepositus, Ludko de Culpen Cantor, Paulus de Watzenrode Scolasticus, Petrus Custos, Petrus de Czedlitz, Cunradus de Vlot, Iohannes de Russendorf, Petrus de Zenitz, Iohannes de Prus, Clemens de Wanzow, Iohannes Kytzoldi de Hoberg, Paulus Czamborii, Iohannes Sydeleri et Iacobus de Reste, Canonici sancte Crucis Wratislaviensis ecclesie collegiate, quasdam constitutiones, sane in ipsorum generali Capitulo ad honorem dei et vivifice eius crucis, ac pro ipsorum ecclesie evidenti utilitate, commodo ac honore conceptas salubriter et digestas, in quadam carta pergameni seriatim scriptas et contentas nobis exhibuerunt huiusmodi continencie et tenoris. In nomine domini amen. Cum ex eo,

quod vicarii ecclesie nostre sancte Crucis Wratislaviensis a retroactis temporibus momentanei fuerunt ac temporales, et quivis Canonicorum suum vicarium instituit et destituit pro libito voluntatis, plurima dampna, scandala et obprobria in dicta ecclesia suborta fuerunt, et ipsa in personis ydoneis ac in divino officio atque cultu sepius paciebatur eclipsim, dum amoto sepius vicario presbitero ydoneo, sciente ordinem certum et consuetudinem ecclesie, eciam sine causa rationabili in locum eius rudis, inscius, discolus et in sacris minime constitutus exstitit subrogatus, et quod res huiusmodi periculosa, detestabilis et perniciosa exemplo in confusionem et detrimentum ecclesie redundabat: Igitur nos Ienczco Prepositus, Ludko de Culpen Cantor, Paulus de Watzenrode Scolasticus, Petrus Custos, Petrus de Czedlitz, Cunradus de Vlot, Iohannes de Russendorf, Petrus de Zenitz, Iohannes de Prus, Clemens de Wanzow, Iohannes Kytzoldi de Hoberg, Paulus Czamborii, Iohannes Sydeleri et Iacobus Reste, Canonici ecclesie sancte Crucis predicte, nunc videlicet anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, pridie Nonas Februarii in Capitulo nostro generali ad sonum campane, ut moris est, capitulariter congregati, hoc saluberrimo statuto perpetue valituro, premisso solempni tractatu sepiusque repetito, ac deliberatione prehabita diligenti, necessitate insuper et utilitate ipsius ecclesie suadentibus, statuimus, volumus et ordinamus, ut omnes et singuli vicarii dicte nostre ecclesie deinceps quoad redditus ipsorum dumtaxat, quos habent in communi et habebunt, similiter, dante domino, in futurum in communi sint perpetuati et perpetui, et quod non possint amplius pro libito singularis Prelati seu Canonici destitui sicut prius; ita tamen, quod si quis ex eis adeo excederet, sic quod incorrigibilis et ecclesie inutilis tamquam membrum fetidum redderetur, talem nostrum Capitulum tantum et non singularis Prelatus vel Canonicus deponendi et destituendi liberam habeat facultatem, reservato tamen iuris aut appellationis beneficio, si ad illud aliquis vicariorum predictorum gravatim se sentiens ad Episcopum Wratislaviensem duxerit recurrendum. In cuius rei testimonium et in robur perpetue firmitatis presentes per manum Nicolai Franczconis Sindici et Scribe, et maioris sigilli nostri appensione fecimus communiri. Datum et actum in Capitulo nostro generali post diem Purificationis beate Marie Virginis celebrato Anno, die et presentibus quibus supra. Quibus quidem constitutionibus visis, cognitis et diligenter examinatis, comperto itaque, quod in eo salus et honor pretenditur et perpetua utilitas ecclesie prelibate queritur et capiatur, nec cuipiam (fiat) preiudicium aliquod seu iactura, iustis et racionabilibus supplicationibus predictorum dominorum favorabiliter inclinati, supradictas constitutiones omnes et singulas, quemadmodum superius expresse sunt, quod pretacti Prelati et Canonici nomine sue ecclesie sancte Crucis predicte cum debita instancia nobis humiliter supplicarunt, ut eisdem constitutionibus approbatis et ratificatis nostrum consensum et decretum ordinaria auctoritate interponere dignaremur, ipsa auctoritate ordinaria gratificamus, ratificamus, approbamus et perpetuis temporibus inviolabiliter valitura solempniter confirmamus, interponentes ex certa nostra scientia ipsius constitutionibus auctoritatem ordinariam pariter et decretum, decernentes et districte mandantes, quatenus perpetuis temporibus inantea eedem constitutiones, et earum quelibet inviolabiliter ab omnibus et singulis personis predicte ecclesie, cuiuscunque status, condicionis et gradus extiterint, observentur, nec presumat ausu temerario quispiam ipsas vel earum alteram infringere, aut quomodolibet eis contraire. In cuius rei testimonium presentes litteras dari iussimus nostri et dicti Capituli sigillorum munimine et subscriptione ac signo Alberti de Zator notarii publici et nostri, qui ea a nobis in mandatis habuit, roboratas. Actum et datum Wratislavie III. Idus Februarii, Anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, Presentibus honorabilibus viris et discretis dominis Petro de Bycom Canonico nostro Wratislaviensi, Conrado plebano in Thurow protonotario Curie nostre Episcopalis Wratislaviensis, Iohanne de Thost Preposito hospitalis Bregensis, Nicolao de Bytom altarista et perpetuo vicario ecclesie Wratislaviensis, et Alberto de Zator prescripto et infrascripto nostro notario testibus ad premissa. Et ego Albertus Michaelis de Zator clericus Cracoviensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, predictarum constitutionum exibitioni et presentationi, supplicationi, ratificationi, decreti interpositioni ceterisque omnibus et singulis premissis, dum sic fierent et agerentur, una cum prenotatis testibus presens interfui, eaque manu propria evidentibus negotiis Reverendi patris domini Pretzlay Episcopi Wratislaviensis supradicti, cuius scriba existo et notarius, occupatus scribere nequiens, per alium scribi feci, et ea diligenti collatione examinavi, meque hic una cum signo meo solito ad mandatum memorati domini mei Episcopi subscripsi in testimonium omnium premissorum. Approbo etiam duas interliniares dictiones repositas, videlicet sunt in XXV. et in XXX. lineis eas deorsum computando, quod non ex vicio contigit, sed errore. Nulli ergo hominum

omnino liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione II. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 268.

DCCXCVII.

Episcopo Olomucensi, ut cum Nicolao duce Oppaviae et Iucta nata ducis Silesiae de matrimonio iam contracto dispenset.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Olomucensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Nobilis viri Nicolai ducis Oppavie tue diocesis et Nobilis mulieris Iucte, nate dilecti filii Nobilis viri Bolconis ducis Slesie et Falkenburgensis peticio continebat, quod olim ad sedandum gravia guerrarum discrimina, que inter duces predictos et eorum sequaces dudum per multa tempora viguerant et vigebant, ex quibus erant hominum strages, depopulaciones, incendia et alia mala plurima subsecuta, et que per multos principes super hoc laborantes sedari hactenus nequiverant, inter duces predictos tractatu prehabito, predicti Nicolaus et Iucta non ignorantes, quod ipsa Iucta et quondam Anna uxor dicti Nicolai tercio consanguinitatis gradu se invicem contingebant, matrimonium per verba de presenti inter se contraxerunt, illudque per carnalem copulam consumarunt: Quare pro parte ipsorum Nicolai et Iucte fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi in dicto matrimonio licite remanere non possint, dispensacione super hoc apostolica non obtenta, et ex eorum perpetua separacione, si fieret, adhuc mala similia sequerentur, eisdem Nicolao et Iucte de absolucionis ab excommunicacionis sentencia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, et de oportune dispensacionis beneficiis providere dignaremur. Nos itaque, qui animarum periculis libenter occurrimus, et inter Christi fideles, et presertim inter nobiles et potentes, quietis et pacis, quantum cum deo possumus, commoda procuramus, cupientes huiusmodi malis et periculis obviare, Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti et Boemie, ac Ludovici Ungarie Regum Illustrium nobis super hoc humiliter supplicancium, ac dictorum Nicolai et Iucte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, eosdem Nicolaum et Iuctam, eis separatis ad tempus, prout tibi videbitur, a predicta excommunicacionis sentencia iuxta formam ecclesie absolvas auctoritate nostra, iniunctis eis sub virtute iuramenti per eos prestandi, quod talia de cetero non committant, nec committentibus prebeant consilium, auxilium vel favorem, ac penitencia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et si tibi videatur, quod huiusmodi sit dispensacio concedenda, super quo tuam conscienciam oneramus, cum eisdem Nicolao et Iucta, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, non obstante, matrimonium insimul de novo contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem ex ipso matrimonio susceptam et subcipiendam legitimam decernendo, eis sub eiusdem iuramenti virtute nichilominus iniungendo, quod infra quatuor menses tunc proxime secuturos, vel si essent legitime impediti, postea quamcicius poterunt, mittant vel presentari faciant Venerabili fratri nostro Egidio Episcopo Sabinensi, in Italie partibus apostolice sedis legato, ubi fuerit vel ei placuerit, in sua legacione vigintiquinque equites armigeros, barbutis et aliis armis decenter armatos, cum bonis equis et aliis oportunis eidem legato et Romane ecclesie tam equitando, quam peditando, prout opus fuerit, bellaturos, et ibidem fideliter servituros eorum sumptibus et expensis per sex menses continuos, incipiendos a die, quo, ut premittitur, se presentaverint, ac insuper huiusmodi vigintiquinque hominibus armorum, et eorum in predictis servitoribus, necnon quibuscunque aliis fidelibus christianis eos sequentibus et eis adherentibus in huiusmodi servicio, quos ibidem sive eundo contingat de hac luce seduci, dummodo confessi, si poterint, vel saltim contriti fuerint, omnium peccatorum suorum veniam auctoritate nostra concedas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Iunii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 287.

DCCXCVIII.

Instrumentum, quo Otto de Nissa et Petrus, Hanco et Nicolaus fratres Duringi cives Vratislav. mille florenorum auri camerae apostolicae certo termino Brugis se solvere debere confitentur.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem MCCCLX. indictione XIII. die XXV. mensis Iunii, hora quasi completorii in domo domini Lubucensis Episcopi Wratislavie, pontificatus sanctissimi

in Christo patris et dñi nostri dñi Innocentii pape VI. anno VIII. in mei publici notarii et testium subscriptorum (presentia) providi et circumspecti viri dñi Otto de Nissa ac Petrus, Hanco et Nicolaus fratres dicti Duringi cives Wratislavienses, omnes et quilibet eorum insolidum, non vi vel metu, non dolo vel fraude, sed sponte, provide et ex certa scientia recognoverunt se et publice confessi fuerunt in deposito habuisse et habere, ac nomine veri et puri depositi recepisse, eisque datos, numeratos et ponderatos esse et realiter cum effectu fuisse, a reverendo in Christo patre domino Preczslao Episcopo Wratislaviensi ac venerabili viro domino Arnaldo de Caucina Scolastico Cracoviensi etc. in Polonie et Ungarie Regnis et partibus circumvicinis apostolice sedis nuncio, dantibus, numerantibus, assignantibus, ponderantibus et deponentibus nomine camere domini nostri pape atque ipsorum mille florenos auri boni, puri et legitimi ponderis de Florentia seu Hungaria, de pecunia dicte camere domini nostri pape per ipsos dominos Episcopum et nuncium predictos in dictis partibus ratione quorundam iurium recollecta, iidem cives et quilibet eorum insolidum exceptioni non habitorum, non receptorum, non numeratorum predictorum florenorum auri renunciantes simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri aut valorem ipsorum predicti cives et quilibet eorum insolidum promiserunt nomine predicte camere et dominorum Episcopi et nuncii predictorum solvere et realiter assignare Anthonio et Guidoni civibus mercatoribus Astensibus, aut Manueli de Bota aut procuratoribus ipsorum, vel cui dominus noster papa in villa Brugensi aut alibi in illis partibus, ubi tunc mercatores ipsorum mercimonia exercebunt, duxerit committendum, a predicta XXV. die mensis Iunii ad duodecim menses, renunciantes omni exceptioni etc. in robore permanere. Actum Anno, Indictione, mense, die, hora, loco, Pontificatu quibus supra, Presentibus Venerabilibus et religiosis in Christo patribus dominis Francisco Episcopo Canticensi suffraganeo dicti domini Episcopi Wratislaviensis et Andrea abbate Camynensis monasterii Wratislaviensis diocesis Cisterciensis ordinis, Conrado de Thurow procuratore prefati domini Episcopi Wratislaviensis, Iohanne de Obichow Vicecustode Cracoviensis ac Stanislao de Constantyn ecclesiarum plebanis, necnon Iohanne notario domini ... Officialis Wratislaviensis testibus ad premissa.

(L. S.) Et ergo Amboldus Iohannis de Campino clericus Gneznensis diocesis, publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, premissis omnibus et singulis una cum prenominatis testibus presens interfui, ipsaque scripsi requisitus per dictos dominos Episcopum et nuncium in hanc formam publicam redigens, meo signo et nomine consuetis consignando in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 225. Nro. 25.

DCCXCIX.

Instrumentum, quo Petrus de Gostina canonicus Vratislaviensis et socii eius mille florenorum auri camerae apostolicae certo termino Brugis se solvere debere confitentur.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem MCCCLX. indictione XIII. die XXVI. mensis Iunii, hora quasi nona Wratislavie in domo domini ... Episcopi Lubucensis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii pape VI. anno VIII. in mei publici notarii et testium subscriptorum presentia providi et circumspecti viri domini Petrus de Gostina Canonicus ecclesie Wratislaviensis et Franczco de Zethyn, Richardus de Gubin et Nicolaus Gansbitz ac Iohannes Ulmbruch generi ipsius cives Wratislavienses, omnes et quilibet eorum in solidum, non vi vel metu, non dolo vel fraude, sed sponte, provide et ex certa scientia recognoverunt se et publice confessi fuerunt in deposito habuisse et habere, ac nomine veri et puri depositi recepisse, eisque datos, numeratos et ponderatos esse et realiter cum effectu fuisse, a reverendo in Christo patre domino Preczslao Episcopo Wratislaviensi ac Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, in Polonie et Ungarie Regnis et partibus circumvicinis apostolice sedis nuncio, dantibus, numerantibus, assignantibus, ponderantibus et deponentibus nomine Camere domini nostri pape atque ipsorum mille florenos auri boni, puri et legittimi ponderis de Florencia seu Ungaria, de pecunia dicte Camere domini nostri pape per ipsos dominos Episcopum et nuncium predictos in dictis partibus ratione quorundam iurium recollecta, iidem cives et dominus Canonicus supradicti et quilibet eorum insolidum exceptioni non habitorum, non receptorum, non numeratorum eis, nec ponderatorum predictorum florenorum auri renunciantes simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri aut ipsorum valorem predicti Canonicus et cives et quilibet eorum insolidum promiserunt nomine predicte Camere et dominorum Epi et nuncii predictorum solvere et realiter assignare Anthonio et Guidoni civibus et mercatoribus Astensibus, aut Manueli (de Bota)

aut procuratoribus ipsorum, vel cui dñus noster papa in villa Brugensi aut alibi in illis partibus, ubi mercatores ipsorum mercimonia exercerbunt, duxerit committendum, a predicta XXVI. die mensis Iunii ad duodecim menses, renunciantes omni exceptioni etc. Actum Anno, Indictione, mense, die, hora, loco, Pontificatu quibus supra, Presentibus Venerabili in Christo patre dño fratre Francisco Episcopo Canticiensi ac honorabilibus et discretis viris dominis Czamborio Canonico Wratislaviensis, Henrico de Dambrowa Vicearchidiacono Opoliensis, Nicolao Franczconis mansionario nove capelle iuxta Wratislaviam ecclesiarum, Nicolao de Poznanie plebano de Proczano et Alberto de Zathor notario domini Epi Wratislaviensis testibus ad premissa vocatis.

(L. S.) Et ego Amboldus Iohannis de Campino clericus etc. notarius etc. ut supra.

Ex Instrum. miscell. Caps. 225. Nro. 30.

DCCC.

Instrumentum, quo Nicolaus Gansbis et Iohannes Ulmbruch et eorum socii cives Vratislavienses de CC. florenorum se obligant.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem MCCCLX. indictione XIII. secunda die mensis Iulii, hora quasi completorii in domo discreti viri magistri Iohannis de Grudentz Wratislavie, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii pape VI. anno VIII. in mei publici notarii et testium subscriptorum presentia providi et circumspecti viri domini Nicolaus Gansbis, Iohannes Ulmbruch gener ipsius, Petrus Iansdorf, Villus de Ruchwalt, Iohannes de Bertoldi Civitate, Iohannes Schular nomine patris sui predicti, ac Theodoricus Pragar cives Wratislavienses, omnes et quilibet eorum insolidum, non vi vel metu, non dolo vel fraude, sed sponte, provide et ex certa scientia recognoverunt se et publice confessi fuerunt in deposito habuisse et habere, ac nomine veri et puri depositi recepisse, eisque datos, numeratos et ponderatos esse et realiter cum effectu fuisse, a venerabili viro domino Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, in Polonie et Ungarie Regnis et partibus circumvicinis apostolice sedis nuncio, dante, numerante, assignante, ponderante nomine Camere domini nostri pape atque suo ducentos florenos auri boni, puri et legitimi ponderis de Florencia seu Ungaria de pecunia dicte Camere domini nostri pape per ipsum dominum nuncium in dictis partibus ratione quorundam iurium recollecta, iidem cives et quilibet eorum insolidum exceptioni non receptorum, non numeratorum eis, nec ponderatorum predictorum florenorum auri renunciantes simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri aut valorem ipsorum predicti cives et quilibet eorum insolidum promiserunt nomine predicte Camere et dicti domini nuncii solvere et realiter assignare Anthonio et Guidoni civibus et mercatoribus Astensibus, aut Manueli de Bota aut procuratoribus ipsorum, vel cui dominus noster papa in villa Brugensi aut alibi in illis partibus, ubi tunc mercatores ipsorum mercimonia exercebunt, duxerit committendum, a secunda die mensis Iulii ad duodecim menses, renunciantes omni exceptioni etc. Actum anno, indictione, mense, die, hora, loco, pontificatu quibus supra, Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Clemente Canonico et Nicolao Ryk vicario et altarista ecclesie Wratislaviensis, ac Iohanne Grudentz hospite dicti domini nuncii, et Martino plebano ecclesie de Radlow Cracoviensis, necnon Iohanne laico de Wilcow herede Wratislaviensis diocesium testibus ad premissa.

(L. S.) Et ego Amboldus Iohannis de Campino clericus etc. notarius publicus etc. ut supra.

Ex Instrum. miscell. Caps. 225. Nro. 26.

DCCCI.

Exsecutoribus, ut Bernardum epum Plocensem in corporalem possessionem etc. suae ecclesiae inducant et defendant.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Elnensi et ... Wladislaviensi Episcopis, ac dilecto filio ... Preposito ecclesie Culmensis, salutem etc. Dudum siquidem bone memorie Clemente Episcopo Plocensi regimini Plocensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum illam vare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Clementis obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, Nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice disponere potuerat, neque poterat, reservacione et de-

creto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, de persona Venerabilis fratris nostri Bernardi Plocensis, tunc Milcoviensis Episcopi, de fratrum nostrorum consilio, ipsum a vinculo, quo eidem Milcoviensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eidem ecclesie Plocensi duximus providendum, ipsumque ad illam eciam transferendum, preficiendo eum eidem ecclesie Plocensi in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie Plocensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris tam prefato Bernardo Episcopo, quam dilectis filiis Capitulo ipsius ecclesie directis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dicti Bernardi Episcopi peticio continebat, licet littere predicte pro parte eiusdem Episcopi prefatis Capitulo et dilecto filio Imislao eiusdem ecclesie Canonico intimate et insinuate fuerint, tamen prefati Capitulum et Imislaus provisioni et prefeccioni predictis indebite se opponentes, eisdem litteris parere recusarunt hactenus et recusant, idemque Imislaus in eadem ecclesia temere se intrusit, ipsamque ac iura et bona ipsius occupavit et occupat, ac detinuit et detinet indebite occupata, in anime sue periculum, sedis apostolice contemptum, ac dicti Episcopi preiudicium non modicum et gravamen. Nos igitur volentes, quod huiusmodi nostra provisio suum debitum sorciatur effectum, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Bernardum Episcopum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem regiminis et administracionis dicte ecclesie Plocensis, ac bonorum et iurium eiusdem, amoto exinde dicto Imislao et quolibet alio detentore, inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, facientes ipsum Bernardum ad regimen et administracionem predicta, ut est moris, admitti, sibique a suis subditis obedienciam et reverenciam debitam exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Id. Iulii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 581.

DCCCII.

Archiepiscopo Gnesnensi eiusque collegis, ut Bernardum episcopum Plocensem ad comparendum personaliter infra tres menses coram pontifice citent.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi, et ... Wladislaviensi et ... Poznaniensi Episcopis, salutem etc. Licet grave feramus, cum aliqua sinistra nobis de aliquibus personis ecclesiasticis referuntur, illorum tamen excessus turbant acerbius mentem nostram, qui cum positi sint ad aliorum corrigendos excessus, suorum pravorum operum exemplo alios in precipicium secum trahunt, tantoque solercius propterea ad eorum correccionem nos decet assurgere, quanto dampnabilius incorrecta maneret. Sane nuper carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris per eius Ambaxiatores et Nuntios, super hiis et certis aliis ipsius Regis negociis ad nostram presenciam destinatos, coram nobis fecit reverenter proponi, quod licet ecclesia Plocensis, que in suo Regno Polonie existit secundum qualitatem illius regionis nobilis et solennis, et in finibus christianitatis in fronteria infidelium Litwanorum constituta, et per ipsius Regis progenitores dotata et fundata, nonnullaque ipsius castra, municiones et loca forcia et insignia pro defensione christifidelium in confinio infidelium fore noscantur, eisdemque christifidelibus esset expediens et necessarium talem eidem ecclesie preesse pastorem, qui gratus et fidelis dicto Regi, ac omnibus fidelibus et incolis dicti Regni existeret, de quo idem Rex confideret, quique castra, municiones et loca predicta securitatemque eiusdem Regni contra incursus hostium crucis Christi vellet et valeret fideliter preservare, ac genitor Venerabilis fratris nostri Bernardi Episcopi Plocensis pro eo, quod civitatem Sandomiriensem, quod de dicto Regno existit, in manus infidelium hostium Regis et Regni predictorum proditorie, crimen eciam lese maiestatis ex hoc et alias dampnabiliter incurrendo, tradiderat, exinde convictus de huiusmodi Regno cum dicto Bernardo et aliis descendentibus ab eo usque ad terciam generacionem perpetuo bannitus et proscriptus foret, ipseque Bernardus propterea eiusdem Regis et Regni inimicus et eis suspectus existeret, ipsiusque ecclesie fructus, redditus et proventus sex milium florenorum auri summam excedere dinoscerentur, ac olim dicta ecclesia per obitum bone memorie Clementis Episcopi Plocensis, qui

in partibus illis diem clausit extremum, vacante, dilectus filius Imislaus eiusdem ecclesie Canonicus in Episcopum Plocensem per dilectos filios Capitulum ipsius ecclesie concorditer electus, huiusmodique eleccio auctoritate metropolitica confirmata fuissent, tamen prefato Bernardo de premissis penitus tacito, mendaciter suggerente nobis predicte ecclesie fructus dumtaxat trecentorum florenorum auri vel circa existere: Nos suggestione et taciturnitate huiusmodi circumventi, de persona dicti Bernardi eidem ecclesie, cuius provisio antea erat disposicioni apostolice reservata, provideramus, eumque illi prefeceramus in Episcopum et pastorem. Idemque Bernardus tamquam mali sibi conscius, et malam, quam contra dictum Regem voluntatem gerebat in mente, per actus exteriores ostendens, cum litteris, que super provisione huiusmodi ad dictum Regem iuxta morem dirigebantur, non ad presenciam eiusdem Regis, a quo castra et loca huiusmodi et omnia bona temporalia dicte ecclesie in feudum teneri noscuntur, neque ad ecclesiam ipsam per se vel alium, ut fidelis et diligens administrator, sed velud ipsius Regis manifestus hostis et mercenarius, non diligens oves sibi commissas, ad quosdam notorios inimicos dictorum Regis et Regni se transferens, multos inibi per se et alios contra subditos dicti Regis, et alios de dicto Regno clericos et laicos processus, excommunicacionis, suspensionis sentencias, et alias censuras et penas continentes fecerat, et eciam publicaverat in magnum dictorum Regis et Regni preiudicium, ac subditorum et ecclesie predictorum non modicam lesionem, seque cum eisdem dicti Regis inimicis confederaverat et coniunxerat, cohabitans cum eisdem, et ex hiis et aliis ita infidum et suspectum dictis Regi et Regno se reddiderat, quod idem Rex de maiori contra se et dictum Regnum facienda per eundem Bernardum quam prefata alia prodicione dubitabat. Nos dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Marci presbitero Cardinali commisimus oraculo vive vocis, ut se de premissorum infamia informaret, que exinde reperiret, nobis deinde relaturus. Cum autem postmodum idem Cardinalis, huiusmodi informacione per eum recepta, nobis retulerit, se prefatum Bernardum reperisse super hiis diffamatum: Nos nolentes, prout nec velle debemus, premissa, si vera sint, absque provisione debita remanere, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Bernardum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spacium post citacionem huiusmodi computandorum nostro se conspectui personaliter representet, facturus et recepturus super premissis, quod iusticia suadebit, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem; diem vero citacionis huiusmodi et formam, et quicquid super hiis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes vestris sigillis signatas fideliter intimare curetis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kal. Augusti. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 580.

DCCCIII.

Instrumentum, quo Ioannes episcopus Posnaniensis DCCC. florenos auri camerae apostolicae transmittere se obligat.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem MCCCLX. Indictione XIII. secunda die mensis Augusti, hora quasi VI. in Kazom Wladislaviensis diocesis villa Poznaniensis Episcopi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii pape VI. anno VIII. in mei publici notarii et testium subscriptorum presentia Reverendus in Christo pater dominus Iohannes Ep̃us Poznaniensis, non vi vel metu, non dolo vel fraude, sed sponte, provide et ex certa scientia suo et ecclesie sue nomine recognovit se et confessus fuit in deposito habuisse et habere, ac nomine veri et puri depositi recepisse, eique datos, numeratos et ponderatos esse, et realiter cum effectu fuisse a venerabili viro Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, in Polonie et Ungarie Regnis apostolice sedis nuntio, assignante et deponente nomine Camere domini nostri pape atque suo octingentos florenos auri boni, puri et legitimi ponderis de Florencia seu de Ungaria, de pecunia dicte Camere domini nostri pape, per ipsum dominum Episcopum in sua diocesi nomine dicti domini nuntii ratione quorumdam iurium recollecta, idem dominus Episcopus exceptioni non habitorum, non receptorum dictorum florenorum auri renuntians simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri aut ipsorum valorem prefatus dominus Episcopus promisit nomine predicte Camere et dicti domini nuncii solvere et realiter assignare in Avinione Reverendissimis dominis Camerario et Thesaurario domini nostri a pre-

dicta secunda die mensis Augusti ad duodecim menses, renuntians omni exceptioni etc. In cuius rei testimonium sigillum predicti domini Episcopi est presentibus appensum, ipso tamen appenso vel non appenso, corrupto vel non corrupto presens Instrumentum publicum voluit in suo robore permanere. Actum Anno, Indictione, mense, die, loco, hora, Pontificatu quibus supra, presentibus honoratis et discretis viris domino Iohanne Cantore Gneznensis, Sbylucone Preposito Wladislaviensis ecclesiarum, et Nicolao de Brest Wladislaviensis diocesis clerico, notario publico, testibus ad premissa vocatis.

(L. S.) Et ego Amboldus Iohannis de Campino clericus Gneznensis diocesis, notarius etc.

Ex Instrum. miscell. Caps. 226. Nro. 27.

DCCCIV.

Universis fidelibus parrochialem ecclesiam S. Catherinae in Visnitza Cracoviensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salut. etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperancium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia sancte Catherine in Wisnitza Cracoviensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui eandem ecclesiam in ipsius sancte Catherine festivitatibus devote visitaverint annuatim, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vii. Id. Augusti. Anno VIII.

Ex Reg. orig. An. VIII. cod. chart. fol. 537.

DCCCV.

Pontifex omnes processus et sententias per Bernardum episcopum Plocensem factos et latas usque ad quinque menses suspendit.

Innocentius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Nuper Carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris per eius Ambassiatores et nuncios, super hiis et certis aliis ipsius Regis negociis ad nostram presenciam destinatos, coram nobis fecit reverenter proponi, quod licet ecclesia Plocensis etc. ut supra Nro. dccci. pag. 598. usque dubitabat. Nos dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Marci presbitero Cardinali commisimus oraculo vive vocis, ut se de premissorum infamia informaret, que exinde reperiret, nobis deinde relaturus. Cumque postmodum idem Cardinalis huiusmodi informacione per eum recepta, nobis retulisset, se prefatum Bernardum super hiis diffamatum reperisse: Nos Venerabilibus fratribus nostris ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Wladislaviensi ac ... Poznaniensi Episcopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi vel duo, aut alter eorum per se vel alium seu alios eundem Bernardum ex parte nostra peremptorie citare curarent, ut infra trium mensium spacium post citationem huiusmodi computandorum nostro se conspectui personaliter presentaret, facturus et recepturus super premissis, quod iusticia suaderet, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos igitur, ne interim dicti clerici et laici seu alii huiusmodi processuum seu aliorum per eundem Episcopum per se vel alium faciendorum vigore aliquod discrimen incurrere valeant, providere volentes, dicti Regis in hac parte supplicacionibus inclinati, omnes et singulos predictos, et eciam alios quoscunque vigore litterarum nostrarum ad instanciam dicti Bernardi propter premissa, vel eorum occasione forsan factos processus, ac sentencias et penas in eis promulgatas et contentas, ex nunc usque ad quinque menses a data presencium computandos auctoritate apostolica suspendimus, eidemque Bernardo districtius inhibemus, ne interim contra dictos Regem, Regnum ac clericos et laicos, seu alios quoscunque aliquos occasione premissorum processus per se vel alium seu alios usque ad finem dictorum quinque mensium faciat, seu pretextu huiusmodi litterarum nostrarum vel alias fieri faciat vel procuret: Nos enim decernimus irritum et inane, si secus super hiis ab ipso Episcopo vel a quoquam alio scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre suspensionis, inhibicionis et constitucionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis ii. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 514.

DCCCVI.

Ioanni dicto Iura comiti Cracoviensi et Elisabethae eius uxori indulgetur, ut si ipsos in locis ecclesiastico interdicto suppositis mori contigerit, ecclesiasticae sepulturae tradi valeant.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Iohanni dicto Iura Comiti Cracoviensi, et dilecte in Christo filie Nobili mulieri Elisabeth eius uxoir, salutem etc. Devocionis vestre sinceritas promeretur, ut peticionibus vestris, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicacionibus inclinati, ut corpora vestra et cuiuslibet vestrum, si vos in loco ecclesiastico supposito interdicto rebus eximi contigerit ab humanis, dummodo causam huiusmodi non dederitis interdicto, inibi ecclesiastice sepulture tradi, et in ecclesia, in qua seu cuius cimiterio sepelientur corpora supradicta, ea die, excommunicatis et interdictis exclusis, missa et alia divina officia celebrari valeant, devocioni vestre tenore presencium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVIII. Kal. Septembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 305.

DCCCVII.

Iudicibus, ut consules et cives archiepiscopo Rigensi tamquam eorum domino obedire faciant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Arelatensi, et . . . Arosiensi ac . . . Tarbatensi Episcopis, salutem etc. Significavit nobis Venerabilis frater noster Vromoldus Archiepiscopus Rigensis, quod orta dudum inter ipsum Archiepiscopum ac dilectos filios Prepositum et Capitulum ecclesie Rigensis ex parte una, ac Magistrum, preceptores, commendatores et fratres hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani per Livoniam constitutos ex altera super eo, quod Archiepiscopus, Prepositum et Capitulum civitatem Rigensem ad Archiepiscopum Rigensem pro tempore existentem, ac ecclesiam suam Rigensem iure dominii vel quasi pertinere, ipsosque Magistrum, preceptores, commendatores et fratres dictam civitatem occupasse et detinuisse, et detinere indebite occupatam, Magister vero, preceptores, commendatores et fratres predicti civitatem ipsam ad se de iure spectare asserebant, materia questionis: Nos causam huiusmodi, cum partes ipse in Romana Curia presentes existerent, dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Marci presbitero Cardinali ad instanciam dictorum Magistri, preceptorum, commendatorum et fratrum audiendam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii commisimus, et fine debito terminandam: qui in causa ipsa procedens legitime per suam diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, pronuntiavit, decrevit et declaravit, dictam civitatem Rigensem pertinuisse et pertinere iure dominii vel quasi ad dictos Archiepiscopum et ecclesiam Rigensem in spiritualibus et temporalibus pleno iure, ac prefatos Magistrum, preceptores, commendatores et fratres a possessione et detencione civitatis eiusdem fuisse et esse amovendos, et ipsos sentencialiter amovit ab ea, et eciam pronuntiavit eosdem Magistrum, preceptores, commendatores et fratres debere dimittere plene, libere et expedite ipsam civitatem prefatis Archiepiscopo et ecclesie, per eosdem Archiepiscopum et ecclesiam libere possidendam, et ipsos Magistrum, preceptores, commendatores et fratres ad dimissionem dicte civitatis condempnavit, eisdemque Magistro, preceptoribus, commendatoribus et fratribus super hiis perpetuum silentium imposuit. Super cuius quidem sentencie executione idem Archiepiscopus, Prepositus et Capitulum nostras ad vos litteras reportarunt, quodque quia iidem Magister et fratres dilectos filios proconsules, consules, cives et alios homines dicte civitatis ad prestandum eis fidelitatis iuramentum induxerant et compulerant, idem Archiepiscopus timet se possessionem dicte civitatis apprehendere, et alias huiusmodi sentenciam execucioni mandari non posse: quare dictus Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut providere ei super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Archiepiscopi in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ad execucionem dicte sentencie iuxta dictarum litterarum continenciam et tenorem procedentes, ipsos proconsules, consules, cives et homines a iuramento huiusmodi, si et prout iustum fuerit, absolventes, faciatis eos ipsi Archiepiscopo tanquam eorum domino in spiritualibus et temporalibus obedire, intendere et parere, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si eis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per

litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septembris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 581.

DCCCVIII.

Svantoslao clerico Cracoviensi omne ius, quod quondam Wernero de Necolicz in ecclesia de Swislavicz competebat, confertur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Swantoslao Petri de Slaucovia, clerico Cracoviensis diocesis, salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Sane, sicut accepimus, orta dudum inter dilectum filium Lucam de Rosdalovicz et quondam Wernerum de Necolicz presbiteros Pragensis diocesis super eo, quod Wernerus se parrochialem ecclesiam de Swislavicz dicte diocesis, tunc vacantem per obitum quondam Andree ipsius ecclesie Rectoris, vigore quarundam litterarum apostolicarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse, ac de ea sibi provisum fuisse canonice, Lucas vero predicti eandem ecclesiam ad se dē iure spectare asserebant, coram . . . Officiali Pragensi, non ex delegacione apostolica, materia questionis, utroque ipsorum petente dictam ecclesiam sibi adiudicari, et parti alteri super ea perpetuum silencium imponi. Idem Officialis in causa ipsa procedens, pro dicto Luca et contra eundem Wernerum super premissis diffinitivam sentenciam promulgavit, a qua pro parte dicti Werneri fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi dilecto filio Magistro Benvenuto de Utino, Decano ecclesie sancte Marie Civitatis Austrie Aquilegensis diocesis, Capellano nostro et causarum palacii apostolici Auditori, audiendam commisimus, et fine debito terminandam: et tandem, postquam inter partes ipsas ad nonnullos actus in causa huiusmodi usque ad conclusionem iuclusive, quos omnes et singulos ac statum cause ipsius haberi volumus presentibus pro expressis, processum extitit, idem Wernerus apud sedem apostolicam extitit vita functus. Nos igitur, ne si causa huiusmodi careret legitimo defensore, prefatam ecclesiam sine canonico titulo contingat forsitan detineri, provideri volentes, tibique premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideracione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, te in omni iure et ad omne ius, quod eidem Wernero tempore dicti obitus competebat, seu competere poterat in eadem ecclesia, auctoritate apostolica surrogamus, tibique dictum ius conferimus, et de illo eciam providemus, decernentes ex nunc te ad illud ius et prosecucionem ac defensionem cause huiusmodi fore in eo statu vigore surrogacionis et provisionis huiusmodi admittendum, in quo causam inveneris antedictam, et in quo dictus Wernerus, si viveret, posset et deberet admitti, ac eciam irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. et aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem, provisionem, presentacionem, seu quamvis aliam disposicionem Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Wratislaviensis pertinens, auctoritate litterarum nostrarum te asseris expectare. Volumus autem, quod quamprimum vigore presencium predictam parrochialem ecclesiam eviceris, et eius possessionem fueris pacifice assecutus, prefate littere et processus per eas habiti, et quecunque inde secuta quo ad beneficium curatum duntaxat sint cassa et irrita ac nullius roboris vel momenti. Nulli ergo etc. nostre surrogacionis, collacionis, provisionis, constitucionis et voluntatis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 261.

DCCCIX.

Universis Christifidelibus visitantibus ecclesiam Rigensem indulgentiae conceduntur.

Innocentius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia Rigensis Premonstratensis ordinis, in qua, sicut accepimus, in divinis officiis laudabiliter deservitur ac dñs Ihesus Christus multa miracula operatur, congruis honoribus frequentetur, ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis,

qui in Nativitatis, Resurreccionis, Ascencionis domini, Penthecostes, Nativitatis, Assumpcionis, Purificacionis et Annunciacionis beate Marie Virginis, Nativitatis sancti Iohannis Baptiste, sanctorum duodecim Apostolorum, sancte Crucis, sancte Marie Magdalene, sancte Anne, sancte Elisabet, sancte Katherine, sancte Barbare, sancte Dorothee Virginum, et in sanctorum undecim milium Virginum festivitatibus ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, duos annos et duas quadragenas eis de iniunctis penitenciis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 395.

DCCCX.

Praeposito et capitulo ecclesiae Rigensis donatio bonorum episcopalium et castri Dolen per praesules Rigenses facta confirmatur.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Que pro divini cultus observancia ac ecclesiarum statu et suorum commodis ministrorum piis consideracionibus facta sunt et longevis temporibus observata, ut perpetue firmitatis robur accipiant, benigno nos decet favore prosequi, eisque apostolici muniminis presidium impertiri. Sane peticio pro parte dilectorum filiorum ... Prepositi et Capituli ecclesie Rigensis Premonstratensis ordinis nobis exhibita continebat, quod dum bone memorie Nicolaus, antequam Rigensis ecclesia in metropoliticam erigeretur, Episcopus, et deinde post ipsius ecclesie ereccionem huiusmodi Iohannes Archiepiscopus Rigensis indigencias, quas tunc dicti Prepositus et Capitulum patiebantur, paterna consideracione pensantes, eisdem Preposito et Capitulo, ut divinis melius possent vacare serviciis, nonnulla de bonis ad Episcopalem tunc Nicolai et Archiepiscopalem Iohannis eorundem mensam Rigensem spectantibus pia largicione donarunt et eciam assignarunt, et postmodum Venerabilis frater noster Vromoldus Archiepiscopus Rigensis donacionem et assignacionem predictas ex certa sciencia ratificavit, approbavit et auctoritate ordinaria confirmavit, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum Episcopi et Archiepiscoporum sigillis munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur; hiisque eciam premissa peticio subiungebat, quod iidem Prepositus et Capitulum huiusmodi bona eis donata et assignata per quadraginta annos et ultra tenuerunt et possederunt, prout tenent et possident pacifice et quiete: Quare pro parte ipsorum Prepositi et Capituli fuit nobis humiliter supplicatum, ut premissis robur apostolice firmitatis apponere cum suppletione defectuum de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pie facta, ut premittitur, apostolico libenter favore prosequimur, huiusmodi supplicacionibus inclinati, donaciones et assignaciones premissas ratas et gratas habentes, illas auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis intervenorit forsitan in eisdem. Tenores autem dictarum litterarum tales sunt.

Nicolaus dei gracia Rigensis Episcopus omnibus hoc scriptum inspecturis in vero salutari salutem. Quid est, quod propheta vidit animalia habencia oculos ante et retro, nisi quod prelati presentibus et futuris debent temporibus providere. Hinc est, quod diligenti consideracione prehabita perpendimus, quod in lege scriptum est: Non obturabis os bovi trituranti; et Pharao ariolis suis de publicis horreis fecit alimenta ministrare, et quia preteritorum facta sunt documenta futurorum, nos ecclesie nostre, que hactenus laborabat et egestate adeo prevalida, quod panis annis singulis eidem deficiebat, cum tamen ipsa sit quasi bos triturans, portans pondus diei et estus, in hiis maxime, que ad deum sunt, et scriptum sit, qui altari deserviunt, de altari vivant, iurisdiccionem temporalem, quam hactenus habuimus in tribus villis, videlicet Lovgena, Koltemala, Iekeseilen, in quibus ipsa ecclesia decimas obtinebat, ipsi ecclesie cum omni integritate et iure, quo ipsas possidemus, conferimus possidendas perpetuo. Insuper cedimus liti, quam habuimus hactenus super quadam hereditate cuiusdam Livonis, nomine Eppelen, imo et quod plus est, eciam si iure competat nobis prescripta hereditas, ecclesie donacionis titulo liberaliter assignamus, sive sit in agris cultis et (sive) incultis, pascuis, piscariis, arboribus, mellifluis pratis et virguldis perpetuo possidendam. Et ne quisquam successorum nostrorum hoc racionabile factum nostrum valeat irritare, asserens, quod de iure non competebat nobis mensam Episcopalem defraudare, presenti scripto opposicioni eorum respondemus, quod multo plura bona de manu laicorum redempta pecunia nostra, quam secundum beneplacitum voluntatis nostre poteramus erogare, mense addidimus Episcopali, sicut luce clarius poterit demonstrari. Presens igitur scriptum nostro si-

gillo roboratum contra malorum opposiciones, et ob labilitatem temporis, que oblivionem sepius inducit, ecclesie nostre contulimus in munimen. Datum in Toreida Anno dñi MCCLII. die II. Kal. Septembris.

Iohannes miseracione divina sancte Rigensis ecclesie Archiepiscopus tercius, Universis Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, salutem et benediccionem a domino Ihesu Christo. Que manifesta sunt et oculis subiecta fidelibus, non oportet multis narracionum probacionibus explicare: veritas enim sibi sufficit, et veritatis amica simplicitas absque velamine prodit in publicum, ut simpliciter cognoscatur. Manifestissimis igitur constat indiciis, quod ecclesia nostra Rygensis, que prima extitit in plantatione fidei christiane in partibus Lyvonie et Estonie aliisque regionibus finitimis veluti in fundamento fidei radicata et fundata, quasi titulus triumphalis finitimarum gencium posita est in sublimi, ut ad eam tanquam ad matrem respiciant, et solacium inveniant omnes in circuitu naciones. Conveniens est igitur, ut eam omnes sublevent et honorent, qui ab uberibus consolacionis eius tam temporaliter, quam spiritualiter cupiunt refoveri. Nam per solacium eiusdem ecclesie, mediante divina clemencia, propagata est fides catholica, gentilitas paganorum profligata, et super omnia divine religionis cultus in laudibus creatoris et benedicte Virginis (Marie) frequentatur in ea, propter que omnia et alia eorum similia decet ipsam ecclesiam congruis honoribus ampliare, et beneficiis attollere, ut et ipsa possit benefactores suos attollere, et pro loco et tempore beneficiis sublimare. Hac igitur consideracione permoti, ut quod aliis persuademus, ipsi prompto animo faciamus, ad honorem dei et gloriose Virginis Marie, in cuius honore iam dicta ecclesia nostra cathedralis est constructa, castrum dictum Dolen, situm in insula de Dolen, cum omnibus pertinenciis suis, agris, pratis, pascuis, arboribus, melligeris, modiis, piscariis, necnon et ipsius insule proprietatem et temporale dominium cum plena iurisdiccione civili, prout hec omnia quondam dictus Iohannes de Dolen et progenitores ipsius possederunt, et a predecessoribus nostris Episcopis et Archiepiscopis in feudum tenuerant ab antiquo, et nunc nobis vacancia, sine iuris iniuria Capitulo nostro provida deliberacione conferimus, et conferendo presentis scripti patrocinio communimus, auctoritate presencium Prepositum dicti Capituli per nostros fideles vassallos, scilicet dictum Iohannnem de Ikescule et Waldemarum de Rosen in corporalem possessionem mittentes ac legitime inducentes, representatis eidem clavibus dicti castri. Sane ad hanc donacionem faciendam eisdem hoc nos potissimum invitavit, quod propter frequentes hostiles incursus ad tantam inopiam pervenerant et defectum, quod pro suis necessitatibus relevandis nequaquam eis facultates proprie suffecerunt. Cum enim hec omnia denuo in laicum transferre licuerit pro temporali servicio iure hereditario perpetuo possidenda, multo forcius hec nostro licuit assignare Capitulo, pro nobis et successoribus nostris indefesse spiritualibus armis die ac nocte perpetuo pugnaturo. Porro in hominibus nostris, qui nec sunt de dicto feudo nec fuerunt, ac in hereditatibus eorundem, ubicunque consistant, iure nostro per omnia nobis salvo, medietatem piscatorie tocius, que ad dictum castrum pertinere dinoscitur, nostris ac successorum nostrorum usibus reservamus. Terculam eciam, que Putilene dicitur, in territorio illius patrie, que Vophimele nuncupatur, in agris cultis et incultis, pratis, pascuis, rivulis, piscariis, melligeris, arboribus, silvis et virgultis, plano et bousco cum omnibus suis terminis, sicut dictus Iohannes de Dolen olim in feudo tenuerat, huic nostre donacioni addicimus, Capitulo nostro similiter conferimus pleno iure. Cuius rei causa Prepositus et Capitulum dederunt nobis ad solucionem debitorum nostrorum, que in Curia Romana pro nostra confirmacione et pallio contraximus, centum marcas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre donacionis vel confirmacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, ne indignacionem dei omnipotentis et beate dei genitricis Marie, cuius est ipsa ecclesia, incurrere mereatur. Cunctis autem sibi sua iura servantibus sit pax et gaudium, et communicacio sancti spiritus in secula seculorum, amen. Testes sunt, qui presentes fuerunt, dominus Henricus Dunemundensis Abbas, dominus Iohannes de Ikescule, Waldemarus de Rosen, Iohannes filius domini Alexandri, Iohannes Pitkenir, Witstelus, Iacobus milites et vassalli nostri, dominus Henricus de Ostinchus, dominus Svederus, dominus Conradus de Moris, dñus Gerlacus Gygas Consules Civitatis Rygensis, et alii quam plures fide digni. Datum et actum in ecclesia nostra Rygensi Anno Incarnacionis dominice MCCLXXXVIII. mense Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio, quod iniciatum antea fuerat et pretermissum Rome in ecclesia sancte Marie virginis transtyberim ad instanciam Prioris nostri Iohannis et Lenderii, qui socii fuerunt tunc nostri itineris et laboris.

Iohannes miseracione divina sancte Rygensis ecclesie Archiepiscopus Universis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presens scriptum pervenerit, in vero salutari salutem. Cum dilecti nobis in Christo

Prepositus et Capitulum nostrum Rigenses, tanquam filii et amici carissimi, specialiter ad nos et nostram curam pertineant, ipsi quoque tanquam in patrem in nos respiciant, et rectorem, omnem merito materiam et scrupulum amputare tenemur, quo inter nos et ipsos caritas mutari valeat, aut eciam indignacio sustentari, quia non nisi in pacis pulchritudine rite colitur auctor pacis, et per pacem corporis plerumque pax pectoris ac voluntatis quies pacifica procuratur. Considerantes igitur, quod quamvis in insula seu in dominio castri dicti Dolen paucos vicos et paucos homines teneamus, et tam nos quam nostri antecessores tenuerimus ab antiquo, tamen cum iidem homines ad modicum fructum nobis proficiant, et modicum proficere poterunt in futuro, sed nichilominus lites et contenciones cum eorum hominibus, unde nostra pax turbari possit, sepius habeant, nos de speciali gracia non solum propter bonum pacis servande et scismatis evitandi, immo eciam ob nostrum ac nostrorum bone memorie predecessorum ac successorum perpetuam memoriam et salutem predictos homines cum eorum possessionibus et hereditatibus, ubicunque fuerint, in ipsa insula, quam ultra Dunam ipsis in piam et graciosam elemosinam duximus conferendos, salvo tamen iure nostro in castro Rechaline similiter et eciam parte hominum in eadem insula cotidie residencium, necnon et medietate tocius in Duna piscarie, que per mortem hominum in pretactis viccis residencium quandoque vacare, et ad nos aut nostros successores poterit pervenire. Sicut ergo memoratum castrum Dolen cum omnibus suis pertinenciis, casalibus, villis, hominibus, possessionibus, terris cultis et non cultis, aquis et aquarum decursibus, stagnis, silvis, arboribus, melligeris, nemoribus, venacionibus, montibus, planis, vallibus, intersticiis et terminis, prout bone memorie dominus Iohannes de Dolen ac nostri homines memorati quiete ac pacifice possederunt, medietate piscariarum in Duna duntaxat excepta, prelibato Capitulo nostro in donacione primitus facta non taliter, sed sine pretactis viccis dedimus, sic et nunc ex habundanti gracia totaliter ac integraliter et ex certa sciencia nostra damus, et presentis scripti patrocinio confirmamus. In cuius rei evidens testimonium huic Instrumento sigillum nostrum duximus apponendum. Actum in civitate Rigensi, presentibus viris venerabilibus domino W. Preposito nostro, Iohanne Priore nostro et aliis pluribus de Conventu, fratre Danicle Priore fratrum predicatorum et socio suo, fratre Theoderico Gardiano fratrum minorum et socio suo, domino Conrado Capitaneo nostro, fratre Everhardo ordinis Theutonicorum dapifero nostro, et aliis quam pluribus fide dignis ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Anno incarnacionis dominice Millesimo cc. nonagesimo III. In die beate Agathe Virginis et martiris. Pontificatus nostri Anno Nono.

Universis, quorum visum seu auditum presentia perstrinxerint, Vromoldus permissione divina Archiepiscopus Rigensis, ad perpetuam rei memoriam, salutem in domino sempiternam. Pastores tunc iudicantur ecclesiarum rerum fideles dispensatores, cum eas in pios atque necessarios usus fratrum ecclesiis suis deserviencium laudabiliter convertunt, ne ministrorum defectu cultus pereat divinus, et ipse ecclesie deplorent incommoda sue deformacionis. Multa itaque olim recolende memorie domini Nicolaus, antequam ecclesia Rigensis in Metropolitanam erigeretur, Episcopus, Iohannes post eius ereccionem tercius Archiepiscopus Rigensis, predecessores nostri, dispensacionis pietate perlustrati, idem Nicolaus iurisdiccionem temporalem in villis Iekesolle, Coltesolle et Langele, ac hereditatem cuiusdam Lyvonis dicti Eppele ad mensam suam spectantibus, et dictus Iohannes primo castrum Dolen, situm in insula Dolen, cum omnibus pertinenciis suis, agris, pratis, pascuis, arboribus, melligeris, mediis, piscariis, nec non ipsius insule proprietatem et dominium cum plena iurisdiccione civili, ac terram Putilene nuncupatam, sitam in terra Uppomele vulgariter nominata, in agris cultis et incultis, pratis, pascuis, rivulis, piscariis, melligeris, arboribus, silvis et virgultis, plano et buscho, cum omnibus suis terminis, reservatis sibi in insula prefata hominibus suis, qui de feudo infrascripto non fuerunt, ac hereditatibus sive viccis vel mansis earumdem, et tercia parte hominum ipsius insule, salvo eciam sibi iure in castro Kercholme, et medietate piscarie in Duna, tunc vacancia et ad eum legitime devoluta, prout hec omnia quondam dñus Iohannes de Dolen et progenitores sui possederunt, et a predecessoribus nostris Epis et Archiepiscopis in feudum tenuerant, ac deinde dictus Iohannes Archiepiscopus, tum quia ipse et sui antecessores paucos viccos et homines in insula et dominio castrorum predictorum habuerunt, tum quia iidem homines sibi ad modicum fructum profecerunt aut proficere potuerunt, et quod ipsi lites et contenciones ab hominibus sui Capituli Rigensis, unde pax turbabatur, habuerunt, et ex aliis certis racionabilibus et legitimis causis ipsum moventibus, cum possessionibus et hereditatibus eorumdem hominum, ubicunque existerent, tam in insula Dolen, quam ultra Dunam, eciam ius, quod in dicto castro

Kercholme habuit, retenta duntaxat medietate piscarie predicte, totaliter et integraliter et ex certa sciencia dicto Capitulo tamquam egenti et omnino indigenti successive liberaliter donaverunt, ac in dicionem dicti Capituli transtulerunt, per ipsum perpetuis temporibus irrefragabiliter possidenda, mictens dictus dominus Iohannes predecessor noster ipsum in persona tunc ... Prepositi Rigensis, ac eundem Prepositum in persona predicti Capituli per quosdam vasallos et fideles suos, per tradicionem clavium in possessionem castrorum et aliorum bonorum predictorum, prout hec omnia in litteris et eorundem predecessorum super hoc confectis lacius continentur; quodque memoratum Capitulum Rigense vigore donacionum et missionis predictarum possessionem corporalem castrorum et omnium aliorum et singulorum bonorum predictorum apprehendit, ac legitime tenuit spacio quadraginta annorum et ultra pacifice et quiete, et adhuc tenet et possidet sine cuiusquam molestacione, quemadmodum de omnibus et singulis premissis certam et indubitatam noticiam habuimus et habemus. Nos itaque attendentes donaciones, translaciones ac missionem prefatas, per ... Episcopum et ... Archiepiscopum predictos factas ex necessariis et omnino iustis et legitimis causis ipsos racionabiliter ad id inducentibus, ipsas et quamlibet ipsarum approbamus, ratificamus et provida deliberacione prehabita concedimus, ac ex certa sciencia eisdem Capitulo ad perpetuam roboris firmitatem confirmamus. Et quia triplex vinculum difficilius rumpitur, eorundem predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, premissa omnia et singula bona, premisso modo et forma sepedicto Capitulo donata et in ipsum translata, similiter secundum eosdem modum et formam ipsis donatariis sive Capitulo nostro Rigensi antefato de novo conferimus, atque perpetue donacionis et concessionis ac collacionis titulo transferimus in eosdem cum omnibus suppletionibus quomodolibet oportunis: ut autem vetustas temporis non ingerat defectum probacionis, presentes litteras nostras ipsis dedimus nostro pendenti sigillo communitas, confectas super omnibus antedictis et expressis, in perpetuum et efficax testimonium eorundem. Datum et Actum Avinione ad instanciam Venerabilis viri domini Arnoldi Prepositi ecclesie Rigensis, Preposito ipso a nobis specialiter et sine omni subrepcione aut obrepcione impetrante, Anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, indicione septima, die tercia mensis Augusti, Pontificatus nostri Anno Octavo. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis et supplecionis infringere. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 569.

DCCCXI.

Archiepo Magdeburgensi et Vratislaviensi et Misnensi episcopis, ut in locis ordinis fratrum Minorum et monasteriis monialium ordinis S. Clarae per Saxoniam festum coronae domini nostri Iesu Christi celebrari concedant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Magdeburgensi, et ... Wratislaviensi ac ... Misnensi Episcopis, salutem etc. Dominus noster Ihesus Christus Rex Regum, et dominus dominancium ac sanctorum omnium gloria, ut genus humanum secundum magnam misericordiam suam reconciliaret deo patri, de sinu patris eiusdem in hunc mundum descendit, et carne assumpta humana verus homo factus, in ea, propheta testante, languores nostros portavit, ac eandem pro salute humani generis eiusdem capi, verberari, corona spinea coronari, et demum eciam ligno crucis affigi et mori voluit, propter quod christifideles ad eius honorem et laudem affectu mentis et corporis totis viribus excolendos tanto sunt efficacius obligati, quanto exinde nullis eorum suffragantibus meritis pociorem graciam consecuti, et de filiis perdicionis adopcionis filii et hereditatis eterne participes sunt effecti. Sane, sicut peticio carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti nobis exhibita continebat, licet certum festum de huiusmodi corona ad honorem eiusdem domini nostri iam diu ordinatum in ecclesiis cathedralibus parcium Saxonie celebretur, tamen in locis ordinis fratrum Minorum et in monasteriis monialium ordinis sancte Clare dictarum parcium minime celebratur: Quare pro parte dicti Imperatoris fuit nobis humiliter supplicatum, ut celebrandi huiusmodi festum in eisdem locis et monasteriis personis locorum et monasteriorum predictorum licenciam concedere dignaremur. Nos igitur, qui eiusdem Salvatoris nostri laudum preconia extolli intentis desideriis affectamus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus, si non est aliquod canonicum, quod obsistat, universis et singulis fratribus locorum et monialibus monasteriorum predictorum, et presidentibus eisdem locis et monasteriis tam presentibus quam futuris auctoritate nostra concedatis, ut

in predictis locis et monasteriis huiusmodi festum ita solenniter agere possint, sicut in ecclesiis cathedralibus peragitur antedictis. Datum Avinione v. Idus Octobris. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 39.

DCCCXII.

Iisdem, ut festum S. Hedwigae in iisdem locis et monasteriis celebrari auctoritate apostolica concedant.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Magdeburgensi, et ... Wratislaviensi ac ... Misnensi Episcopis, salutem etc. Sedes apostolica illorum vota libenter gracioso favore prosequitur, quos ad sanctorum gloriam et honorem eorum pia desideria dirigere percipit, et in eorum excolendis laudum preconiis delectari cognoscit. Sane peticio carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti nobis exhibita continebat, quod licet festum sancte Hedwige annis singulis in ecclesiis cathedralibus parcium Saxonie celebretur, tamen in locis fratrum Minorum et monasteriis monialium ordinis sancte Clare dictarum parcium minime celebratur. Quare pro parte dicti Imperatoris etc. ut in proxima supradicta usque in finem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 39.

DCCCXIII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Valde Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum cum prebenda in ecclesia Tarbatensi. Datum Avinione v. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Curet, ut Matheus Borzellay de Stachow, Cantor ecclesie Sandomiriensis, consideratione Regis Polonie, cuius dilectus et medicus existit, in ecclesia Wratislaviensi canonicatum cum prebenda obtineat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xv. Kal. Septembris. Anno Octavo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Herbordo Ruvze Clerico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Datum Avinione v. Idus Octobris. Anno VIII.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Cantori ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Curet, Iacobus Thomislay de Gavirom clericus Plocensis, consideratione Regis Polonie, cuius dilectus est, beneficium ecclesiasticum ad collationem Abbatis monasterii de Sechethow ordinis S. Benedicti Cracoviensis diocesis obtineat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xvi. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Susse de Paderborna Preposito ecclesie Warmiensis, salutem etc. Confert ipsi prepositurarn eiusdem ecclesie. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Idus Maii. Anno Octavo.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Posnaniensi, salutem etc. Curet, ut Symon de Legnitz, Canonicus Wratislaviensis, dignitatem et personatum in eadem ecclesia obtineat. Datum Avinione Kal. Septembris. Anno Octavo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Iacobi de Nova Civitate Clerico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Poloniae beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vii. Idus Maii. Anno Octavo.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio nostro Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Concedit eidem, ut idoneum confessorem sibi eligere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Kal. Augusti. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 261, 355, 432 et 434.
et Tom. XXIII. fol. 118 et 159 et Tom. XXIV. fol. 198 et 317.

DCCCXIV.

Episcopo Tarbatensi, ut cum Gerbardo Virkes et Elisabetha de Werden de matrimonio iam inito dispenset.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Gerhardi Virkes et dilecte in Christo filie Elizabet de Werden mulieris tue diocesis petitio continebat, quod ipsi olim ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quomi-

nus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium insimul secundum morem patrie, bannis non editis, cum, ut asseritur, in illis partibus banna in talibus non consueverint edi, per verba de presenti ad invicem contraxerunt: postmodum vero ad eorum pervenit noticiam, quod ipsi quarto sunt invicem affinitatis gradu coniuncti, propter quod in huiusmodi matrimonio licite remanere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si divortium inter eos fieret, gravia possent inter eos eorumque consanguineos et amicos scandala verisimiliter exoriri, pro parte ipsorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de opportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui libenter christifidelibus pacis commoda procuramus, volentes huiusmodi scandalis obviare, dictorum Gerhardi et Elizabet supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, cum eisdem Gerhardo et Elizabet, ut impedimento, quod ex huiusmodi affinitate provenit, non obstante, in dicto matrimonio libere et licite valeant remanere, apostolica auctoritate dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Avinione Kalendis Aprilis. Pontificatus nostri Anno Nono.

Ex Reg. orig. An. IX. Tom. XXV. cod. chart. ep. 133. fol. 413.

DCCCXV.

Conradus Cruczborch se excusat, quod valorem suae vicariae in ecclesia Tarbatensi camerae apostolicae certificare non potuerit.

Reverende pater, Conradus Cruczborch perpetuus vicarius in ecclesia Tarbatensi ad excusandum se super eo, quod non certificavit Cameram de valore fructuum vicarie sue per litteras alicuius collectoris sedis apostolice, vel per litteras Episcopi Tarbatensis, proponit et dicit et probare intendit infrascripta:

Primo videlicet quod ecclesia Tarbatensis distat a Curia Romana per LX. dietas bonas et ultra;

Item, quod ab una parte est transitus ad dictam ecclesiam per mare et ab alia parte est transitus per aliquas partes infidelium;

Item, quod in ipsa diocesi Tarbatensi non est aliquis collector fructuum Camere apostolice;

Item, quod per longa tempora Episcopus Tarbatensis non fuit, nec adhuc est in civitate vel diocesi Tarbatensi, scilicet extra eam bene per XXX. dietas moram trahit in civitate Lubicensi.

Ex Instrum. miscell. Caps. 226. Nro. 17.

DCCCXVI.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Ludolpho Kerchof Clerico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in diocesi Tarbatensi. Datum Avinione V. Kal. Maii. Anno IX.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Witboldo de Elbinga Canonico Warmiensi, Capellano nostro, salutem etc. Nominat eum Capellanum pontificium. Dat. Avinione II. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Theoderico dicto Friso Canonico Tarbatensi, sal. etc. Confert ipsi canonicatum cum prebenda in ecclesia Tarbatensi. Datum Avinione III. Non. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Tom. XXV. cod. chart. fol. 2. et Tom. XXVIII. fol. 281.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

DCCCXVII.

Indulgentiae universis fidelibus capellam cuiusdam hospitalis Cracoviensis dioecesis visitantibus ab Innocentio VI. concessae promulgantur.

Urbanus episcopus servus servorum dei. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Salutem etc. Racioni congruit etc. Olim siquidem per felicis record. Innocencium papam VI. predecessorum nostrum accepto, quod carissimus in Christo filius noster Kazimirus Rex Polonie Illustris fervore pie devocionis et caritatis accensus, quoddam hospitale cum capella situm prope quendam pontem in via, qua itur de civitate Cracoviensi versus Kazimiriam Cracoviensis diocesis, in quo pauperes Christi benigne acciperentur et caritative tractarentur, canonice construi fecerat, illudque [sibi] de bonis sibi a deo collatis sufficienter dotare proposuerat: idem predecessor cupiens Capellam dicti hospitalis congruis honoribus frequentari, et ut Christi fideles eo libencius confluerent ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspicerent se refectos, dicti Regis supplicationibus inclinatus, videlicet vi. Kalendas Augusti Pontificatus sui Anno Octavo, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisus, omnibus vere penitentibus, et confessis, qui in Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis domini et Penthecostes, et dedicacionis ipsius Capelle festivitatibus, necnon Cene domini, Parasceves diebus Capellam et hospitale predicta devote visitaverint annuatim, et ad sustentacionem dictorum pauperum pias inibi elemosinas erogarent, duos annos et duas quadrgenas de iniunctis eis penitenciis, singulis videlicet festivitatum ipsarum, et predictis Cene et Parasceves diebus, quibus hospitale et Capellam predictam visitarent et elemosinas erogarent, ut prefertur, misericorditer relaxavit. Ne tamen pro eo, quod super hiis eiusdem predecessoris littere, eius superveniente obitu, confecte non fuerint, de relaxatione huiusmodi imposterum valeat hesitari, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod dicta relaxacio a predicta dic videlicet vi. Kal. Augusti proinde sorciatur effectum, ac si super ea eiusdem predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes ad probandum plene relaxacionem eandem ubique sufficiant, neque ad id probacionis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et constitucionis infringere etc. Datum Avinione vi Id. Novembris. Pontificatus nostri Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Comm. ep. 336. fol. 94.

DCCCXVIII.

Donationes abbatissae et conventui Strelinensi factae per duces Silesiae, insertis eorumdem ducum litteris, confirmantur.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Racioni congruit et convenit honestati, ut ea, que de benignitate Romani pontificis processerunt, licet eius superveniente obitu littere aposto-

lice confecte non fuerint super illis, suum consequantur effectum. Olim siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et Conventus monasterii Strelinensis ordinis sancte Clare Wratislaviensis diocesis felicis recordacionis Innocencio pape VI. predecessori nostro exposito, quod nobiles viri Bolko et Henricus Duces Slezie pro salute animarum suarum, videlicet Bolko de provinciali advocacia in Strelin viginti, et Henricus predicti totidem marcas argenti de emolumentis et iuribus Curie, ville seu castri sui Iawor, ad ipsum pertinentibus, singulis annis eisdem Abbatisse et eis, que ei succederent in eodem monasterio, persolvendas concesserint, donaverint, prout in patentibus litteris inde confectis Ducum predictorum sigillis munitis, quarum tenores dictus predecessor de verbo ad verbum suis, si super hiis confecte fuissent, litteris inseri voluit et eciam annotari ac earundem litterarum patrocinio communiri, plenius continetur: ac humiliter supplicato, ut donacionibus huiusmodi robur apostolice confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaretur, dictus predecessor volens, ut ea, que pro divini cultus augmento et animarum salute concessa extiterunt, consistant perpetuo illibata, earundem Abbatisse et Conventus supplicationibus inclinatus, donaciones huiusmodi Conventui et monasterio predictis factas, clausula ipsa in dictis litteris eiusdem Bolkonis contenta, videlicet eidem nostre germane Anne contulimus atque donavimus viginti marcarum redditus de provinciali nostra advocacia in Strelin annis singulis persolvendas (?), certis temporibus, videlicet ad quelibet quatuor tempora anni quinque marcarum, iuxta quod soluciones census huiusmodi fieri communiter est consuetum, quas profecto marcas eadem nostra germana tollet et accipiet, et in suo usu committet ad vite sue tempora, que omnium conditor et redemptor faciat diuturna, et eciam alia clausula in eisdem litteris dicti Henrici contenta, videlicet eidem nostre germane Anne contulimus atque donavimus viginti marcarum redditus in civitate nostra Iawor de exactione nostra singulis annis in festo beati Michaelis persolvendas, quas profecto marcas eadem nostra germana tollet et accipiet, et in suos usus convertet ad vite sue tempora, que omnium conditor et redemptor faciat diuturna, ab huiusmodi confirmacione prorsus exclusis, ratas habens et gratas, illas videlicet v. Idus Octobris Pontificatus sui anno VIII. auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmavit et suarum litterarum voluit patrocinio communiri. Tenores vero dictarum litterarum collacionis et donacionis Ducum predictorum, quas, ut prefertur, dictus predecessor noster inseri voluit, talis est. In nomine domini amen. Quoniam naturalis dilectionis pietas fraternum movet animum, ut eam sororem, que delectamentis huius mundi renuntians sponsa Christo dedicata est, amplioribus amoris et fidelitatis exhibicionibus diligere oporteat merito ac favore (?). Hinc est, quod nos Bolko dei gracia Dux Slesie et dominus de Furstinberch tenore presencium omnibus imperpetuum cupimus fore notum, quod prehabita cum nostris fidelibus deliberatione matura, bona atque devota voluntate eidem nostre germane contulimus atque donavimus viginti marcarum redditus de nostra provinciali advocacia in Streclin annis singulis persolvendas in certis temporibus, videlicet ad quelibet quatuor tempora anni quinque marcas, iuxta quod solucionem census huiusmodi fieri communiter est consuetum, quas profecto marcas eadem nostra germana tollet et accipiet, et in usus suos convertet ad vite sue tempora, que omnium conditor et redemptor faciat diuturna. Ne autem nostra donacio, utpote naturali prodiens ex affectu, nostrum meritum attenuet seu minuat apud deum, cupientes aliquid perpetuum seminare, quod in diem messionis sive retribucionis extreme reconditum cum gaudio portatis manipulis metere valeamus, supradictam donacionem premissorum redditum viginti marcarum celestium premiorum intuitu donacione sincera transferimus in monasterium ac collegium Strelinense, donantes atque appropriantes de fratris nostri Ducis Bernhardi expresso consensu sepedictos viginti marcarum redditus prelibato Strelinensi monasterio post mortem prefate nostre germane iure proprietario, non obstantibus quibuscunque impedimentis, perpetuo possidendos. In cuius rei testimonium presentem paginam dedimus sigilli nostri munimine fideliter roboratam. Actum et datum in Strelin Anno dñi millesimo trecentesimo vicesimo quarto, in Vigilia Annunciacionis Virginis gloriose, presentibus hiis testibus, domino Kyliano de Hugwitz, domino Hermanno de Rychinbach, domino Speculo de Bezowe, Kunrado de Vlok, Iohanne et Petro germano suo de Adelungerbach, Petro Boseboldi cive Strelinensi, et aliis fidedignis. In nomine domini amen. Quoniam naturalis dilectionis pietas fraternum movet animum, ut eam sororem, que delectamentis huius mundi renuncians sponsa Christo dedicata est, amplioribus amoris ac fidelitatis exhibicionibus diligere oporteat merito ac favore. Hinc est, quod nos Henricus dei gracia dux Slezie, dominus in Furstinberch et in Iawor, tenore presencium omnibus imperpetuum cupimus fore notum, quod prehabita cum nostris fidelibus deliberacione

matura, bona atque devota voluntate eidem nostre germane Anne contulimus atque donavimus viginti marcarum redditus in civitate nostra Iawor de exactione nostra singulis annis in festo beati Michaelis persolvendos (?), quas profecto marchas eadem nostra germana Anna tollet et accipiet, et in suos usus convertet ad vite sue tempora, que omnium conditor et redemptor faciat diuturna. Ne autem eadem nostra donacio utpote, naturali prodiens ex affectu, nostrum meritum attenuet seu minuat apud deum, cupientes aliquod perpetuum seminare, quod in diem messionis sive retribucionis extreme reconditum cum gaudio portatis manipulis metere valeamus, supradictam donacionem premissorum redditum viginti marcarum celestium premiorum intuitu donacione sincera transferimus in monasterium ac collegium Strelinense, donantes atque appropriantes sepedictos viginti marcarum redditus prelibato Strelinensi monasterio post mortem prefate nostre germane Anne iure proprietario, non obstantibus quibuscunque impedimentis, perpetuo possidendos. In cuius rei testimonium presentem paginam dedimus sigilli nostri munimine de nostra certa sciencia fideliter roboratam. Actum in Strelin Anno domini millesimo trecentesimo vicesimo nono, proxima dominica post diem Nativitatis Marie Virginis gloriose, presentibus testibus ad hoc vocatis, videlicet domino Kytscholdo de Hobgert, domino Henrico de Waldow, Kunrado et Bernhardo fratribus de Zeedlitz, Siffrido Reukeri iudice curie nostre, dño Petzoldo de Zoobata confessore nostro, Petschone de Landiscrone, et aliis multis fidedignis. Datum per manus Iohannis de Oliwitz nostri prothonotarii IV. Idus Septembris. Verum quia ipsius predecessoris superveniente obitu apostolice littere super confirmacione huius confecte non fuerint, Nos, ne dicta Abbatissa et Conventus propterea dicte confirmacionis frustrentur effectu, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod presentes littere ad probandum plene confirmacionem supradictam ubique sufficiant, nec ad id probacionis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et constitucionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione VI. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia ep. 98. fol. 47.

DCCCXIX.

Eidem conventui Strelinensi ordinis S. Clarae dioecesis Vratislaviensis concessio duarum parochialium ecclesiarum eiusdem dioecesis per bonae memoriae Gentilem tituli S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem facta confirmatur.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que in sustentacionem sub sacre religionis habitu domino famulantium pie ac favorabiliter facta sunt, ut illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et Conventus monasterii in Strelin ordinis sancte Clare Wratislaviensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod olim bone memorie Gentilis tit. S. Martini (in Montibus) presbiter Cardinalis, in partibus illis apostolice sedis legatus, attendens, quod quondam Bolcho dux Slezie, qui predictum monasterium in remedium anime sue construi fecerat, antequam dicto monasterio de sufficientibus redditibus pro eius dote providisset, debitum nature persolverat, et quod ipsum monasterium propter ipsius ducis mortem, et etiam propter statum patrie intranquillum adeo erat in temporalibus diminutum, quod eedem Abbatissa et Conventus de ipsius monasterii redditibus non poterant commode sustentari, (ut) fructus, redditus ac proventus beati Michaelis in Strelin et beate Marie Virginis in Alba ecclesia parrochialium ecclesiarum dicte diocesis, in quibus prefate Abbatissa et Conventus iuspatronatus obtinebant, possint libere suis usibus applicare, concessit; ita tamen quod Cappellanis in eisdem ecclesiis perpetuo servituris de dictis fructibus, redditibus et proventibus porcio competens, ex qua congrue sustentari, et alia ecclesiarum ipsarum onera supportare valerent, assignaretur, prout in patentibus litteris inde confectis eiusdem Cardinalis sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur: Quare pro parte dictarum Abbatisse et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut predicte concessioni per dictum Cardinalem facte robur confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti et Boemie Regis Illustris, et Venerabilis fratris nostri Preczslay Episcopi Wratislaviensis nobis super hoc humiliter supplicantium, necnon Abbatisse et Conventus supplicationibus inclinati, concessionem predictam per dominum Cardinalem, ut premittitur, factam ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica et ex certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Volumus autem, quod congrua porcio de fructibus, redditibus et proventibus predictis pro perpetuis

Vicariis inibi instituendis sic assignetur, ex qua dicti Vicarii possint congrue sustentari, et temporalia iura solvere et alia incumbentia eis onera supportare. Tenor, ut diximus, litterarum talis est. Frater Gentilis miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbiter Cardinalis, apostolice sedis legatus, Dilectis in Christo filiabus Abbatisse et Conventui Monasterii in Strelin ordinis sancte Clare Wratislaviensis diocesis, salutem in Domino. Pia vota personarum humilium, que mundi reiectis illecebris, laudibus divini nominis indesinanter invigilant, aure benigna suscipimus, et quatenus ex concesse nobis legationis officio digne possumus, promptis delectamur affectibus adimplere. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod bone memorie Bolcho dux Slezie et dominus in Vurstinberg, qui monasterium novum in remedium anime sue construi fecerat, quique eidem monasterio iuspatronatus beati Michaelis in Strelin et beate Marie Virginis in Alba ecclesia parrochialium ecclesiarum Wratislaviensis diocesis donaverat, antequam dicto monasterio, ut intendebat, de sufficientibus redditibus providisset, debitum nature persolvit, et sic ipsum monasterium propter mortem eiusdem et statum patrie intranquillum adeo est in temporalibus diminutum, quod vos de ipsius redditibus non potestis commode sustentari: Quare nobis humiliter supplicastis, ut predictas ecclesias, in quibus ex donacione predicta iuspatronatus, ut predicitur, obtinetis, pro relevandis vestre indigencie ac paupertatis oneribus, maxime cum ad id loci diocesani et Nobilium virorum Bernhardi, Henrici et Bolchonis filiorum et heredum dicti ducis consensus accedat, vobis in proprios usus concedere dignaremur. Nos itaque humilitatis vestre precibus huiusmodi annuentes, vobis auctoritate, qua fungimur, presencium tenore concedimus, ut predictarum ecclesiarum fructus, redditus et proventus, cedentibus et decedentibus rectoribus earumdem, vestris possitis usibus libere applicare, ita tamen, quod Cappellanis in eis perpetuo servituris de dictis fructibus, redditibus et proventibus porcio per vos competens, ex qua congrue sustentari et alia ecclesiarum ipsarum onera supportare valeant, assignetur, dyocesani predicti in omnibus aliis iure salvo. Datum Posonii XIII. Kal. Iunii. Pontificatus domini Clementis pape Quinti Anno Quinto. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis et communitionis infringere etc. Datum Avinione X. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia ep. 103. fol. 49.

DCCCXX.

Instrumentum, quo Henricus et Nicolaus fratres dicti Slancz et socii ipsorum cives Vratislavienses mille florenos auri certo termino camerae apostolicae Brugis solvere se obligant.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem M.CCC.LX.tercio, Indiccione prima, die quinta mensis Februarii, hora quasi terciarum Wratislavie in domo Iohannis de Grudens civis Wratislaviensis, in mei publici notarii et testium infrascriptorum presencia circumspecti et discreti viri domini Henricus et Nicolaus fratres dicti Slancz, Rudgerus Cratz, Iohannes Noldek, Michael de Opavia, Conradus Mulhem et Nicolaus Stille, cives Wratislavienses, omnes et quilibet eorum in solidum, non vi vel metu, non dolo vel fraude, sed sponte, provide et ex certa sciencia et in veritate recognoverunt et publice confessi fuerunt, non spe future mutuacionis et recepcionis se habuisse et recepisse, ac sibi datos, integre solutos et numeratos esse realiter cum effectu in depositum, ac more veri et puri depositi et commende a venerabilibus viris dominis Iohanne de Cabrespina, doctore decretorum, Canonico Narbonensis, in Regnis Boemie, Polonie et Ungarie, et Arnaldo de Caucina Scolastico Cracoviensis ecclesiarum, in Polonie et Ungarie Regnis predictis apostolice sedis nunciis, dantibus, numerantibus et tradentibus et deponentibus ac assignantibus nomine Camere apostolice atque ipsorum mille florenos auri de Boemia seu Ungaria, auri inquam boni, puri, iusti et recti ponderis de Ungaria seu Boemia, de pecunia dicte Camere domini nostri pape per ipsum dominum Arnaldum in dictis Polonie et Ungarie Regnis racione quorundam iurium recollectos, de quibus quidem florenis auri veri quitos, tacitos, parlatos et vocatos se tenentes dicti cives et quilibet eorum in solidum, exceptioni non habitorum, non receptorum, non numeratorum eis nec ponderatorum predictorum mille florenorum auri renunciantes simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri boni, puri, iusti, recti et legittimi ponderis, aut valorem ipsorum dicti cives et quilibet eorum in solidum per solempnem et legittimam stipulacionem promiserunt, et convenerunt dictis dominis nunciis solvere et restituere, aut alteri ipsorum nomine Camere apostolice predicte, seu eciam recipiendi potestatem habenti in villa Brugensi, eorum periculo, sumptibus et expensis ad tredecim menses continue computandos a predicta quinta die mensis Februarii, re-

nunciantes omni excepcioni etc. Actum Anno, Indiccione, die, mense, hora, loco, quibus supra, Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Petro de Moren Archidiacono de Sabuth in ecclesia Agriensi procuratore domini Guillelmi Cardinalis, Nicolao de Lucza Custode Tytulensis ecclesie, Iohanne predicto de Grudens cive Wratislaviensi, Petro Bartholomei de Zavichost Cracoviensis diocesis, Conrado de Novomay pastore parrochialis ecclesie de Bever Treverensis diocesis testibus ad premissa.

(L. S.) Et ego Amboldus Iohannis de Campino clericus Gneznensis diocesis, notarius etc.

Ex Instrum. miscell. Caps. 226. Nro. 14.

DCCCXXI.

Casimiro regi Poloniae, ut Adelheidim reginam suam coniugem sibi reconciliet et maritali affectione pertractet.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Sacrum matrimonium ad prorogationem humani generis et morum honestatem servandam in paradiso instituit ineffabilis providencia deitatis, illosque coniunctos a domino non licet homini separare, quod licet a cunctis Christi fidelibus servari debeat reverenter, catholici tamen Reges et Principes ad hoc tanto potius astriguntur, quanto ipsorum filialis successio magis oportuna dinoscitur regimini populorum, quantoque facta regalia magis trahuntur a subditis et aliis in exemplum. Sane postquam, divina favente clemencia, noviter fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, de statu Christi fidelium, presertim Regum et Principum apostolice solicitudini commissorum diligencia paterna querentes, displicenter audivimus, quod tua sublimitas Carissimam in Christo filiam nostram Adleydim Reginam Polonie Illustrem, consortem tuam, olim a thoro regali non iudicio ecclesie, cum causa rationabilis non subesset, sed ex quadam turbatione, quod non licebat, nec decebat, auctoritate propria separasti, et separatam longis tenuisti temporibus, prout tenere diceris de presenti, super quo, sicut nosti, in Romana Curia questio ventilatur. Nos autem in hac parte non iuris rigorem servari, sed sinceris animis prefatam tibi reconciliari Reginam paternis desideriis cupientes, Serenitatem tuam hortamur et rogamus attente, quatinus ob reverenciam dei, auctoris matrimonii, ut prefertur, ac apostolice sedis et nostram, et pro reintegrando culminis regalis honore, necnon pro consolatione commissi tibi populi, ex prolis tue carencia tribulati, omni mentis turbatione deposita, dictam Reginam ad tuam plenam et puram reconiliationem admittas, eamque cures maritali affectione tractare, sic preces nostras huiusmodi, que pro tuis salute et honore, tuique Regni prosperitate a paterna caritate mittuntur, reverenter recepturus et filiali obediencia impleturus, quod exinde regis regum, quem graviter ex delicto huiusmodi separationis offendis, recuperes gratiam, nostramque et dicte sedis uberiorem benivolenciam, tuorumque subditorum sinceriorem amorem et pleniorem reverenciam consequaris. Nos enim prefate Regine ac dilecto filio Heinrico Lantgravio Hassie, patri suo, scribimus, quod erga magnitudinem tuam ea, in quibus tibi tenentur, non differant adimplere. Ceterum dilecto filio nobili viro Iohanni Pacoslai Militi, Ambaxiatori tuo, presentium latori, commisimus, quod super hiis excellenciam tuam ex parte nostra vive vocis oraculo admonere procuret, cui super amonitione huiusmodi fidem velis credulam adhibere. Datum Avinione xvi. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 103.

DCCCXXII.

Adelheidi reginae Poloniae, ut se cum Casimiro rege reconciliet ac dotem suam eidem regi persolvi curet.

Urbanus episcopus etc. Carissime in Cristo filie Adeleidi Regine Polonie Illustri, sal. etc. Ad regimen universalis ecclesie, favente clemencia divine bonitatis, assumpti, pacem et dilectionem Christi fidelium nostre solicitudini creditorum, presertim personarum sublimium, quas deus sacramento matrimonii copulavit, vigere paternis desideriis affectantes, ad hoc, prout nos cogit debitum nostri officii et desiderium cordis accendit, partes nostre diligencie, prout nobis ex alto permittitur, adhibemus. Sane nuper displicenter audivimus, quod tu a cohabitione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, consortis tui, longe fuisti tempore separata et existis ad presens, super quo questio in Romana Curia ventilatur. Nos autem attendentes hoc vergere in divine maiestatis offensam, prefatique Regis et tui derogationem honoris et scandalum plurimorum, et propterea gerentes in votis, ut quos deus unam carnem efficit, non dividat diversitas animorum, quodque tu potius per bonam et celerem voluntatem dicti Regis ad eius reducaris consorcium, exhortatorias litteras destinamus, spera-

musque, quod idem Rex, sicut inclitus et devotus filius, nostris monitis et exhortationibus huiusmodi acquiescet, et propterea Serenitatem tuam hortamur et rogamus attente, quatinus dicto Regi debitam subiectionem et obedientiam et reverenciam humiliter exhibens, sibi, prout teneris, coniugali affectu studeas adherere, procurando solicite, quod dos tua et alia eidem Regi pro tui parte promissa effectualiter impleantur, ut omnis discordia inter te et tuos ac dictum Regem precidatur radicitus, nec alterius valeat exoriri. Ceterum etc. ut supra usque in finem. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 104.

DCCCXXIII.

Henrico lantgravio Hassiae, patri eiusdem Adelheidis, super eodem argumento.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico Lantgravio Hassie, salutem etc. Ad regimen etc. ut supra usque adhibemus. Sane nuper displicenter audivimus, quod Carissima in Christo filia nostra Adeleydis Regina Polonie Illustris, nata tua, a cohabitatione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris consortis sui, procurante satore zizanie, longo tempore extitit separata et existit ad presens, super quo questio in Romana Curia ventilatur. Nos autem attendentes hoc vergere in divine maiestatis offensam, ac prefatorum Regis et Regine et tui etiam derogationem honoris ac scandalum plurimorum, et propterea gerentes in votis, ut quos deus unam carnem effecit, non dividat diversitas animorum, quod dicta Regina potius per bonam voluntatem dicti Regis ad eius reducatur consorcium, quam super huiusmodi litigio non absque rancoribus et odiis, ac expensis et laboribus diutius procedatur, eisdem Regi et Regine super hoc nostras exhortatorias litteras destinamus, sperantes, quod ipsi Regia devotione nostris monitis et exhortationibus huiusmodi acquiescent. Quare nobilitatem tuam hortamur et rogamus attente, quatinus ob reverenciam dei ac apostolice sedis et nostram, necnon tuum ac prefatorum Regis et Regine honorem in statum pristinum, auctore domino, restaurandum, pro reconciliandis adinvicem Rege et Regina prefatis opus et operam tue nobilitatis solerter impendas, et quicquid eidem Regi pro dote dicte Regine forsitan debeas, non differas exhibere, ne ex tua culpa tam dampnosa, ac deo et mundo odiosa separatio ulterius differatur. Nos enim dilecto filio nobili viro Iohanni Pacoslai militi, presentium latori, commisimus, quod super hiis prudenciam tuam ex parte nostra vive vocis oraculo admonere procuret, cui super amonitione huiusmodi fidem velis credulam adhibere. Datum Avinione xvi. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 104.

DCCCXXIV.

Wieboldus de Velstey ecclesiae Culmensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Wieboldo de Velstey Electo Culmensi, salutem etc. Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat ac excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum omnium cure nostre divina providencia commissarum spiritualiter et temporaliter augeantur, quodque illis, que suis destitute pastoribus vacacionis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros preficere studeamus, per quorum regimen ecclesie ipse utiliter et salubriter valeant gubernari. Nuper siquidem ecclesia Culmensi ex eo vacante, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Hildesemensem, tunc Culmensem Episcopum, apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Culmensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum concilio de apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Hildesemensem ecclesiam tunc vacantem auctoritate apostolica duximus transferendum, preficiendo eum ipsi Hildesemensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos attendentes, quod nullus preter nos hac vice de ordinacione ipsius Culmensis ecclesie se intromittere potuit neque potest, pro eo, quod nos ante vacacionem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tunc apud dictam sedem quocunque modo vacancium, et imposterum vacaturarum ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, ne prolixe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum dicte ecclesie Culmensis, in sacerdocio constitutum, litterarum sciencia preditum, morum et vite honestate decorum, in spiritualibus providum

et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Culmensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem dicte ecclesie Culmensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod eadem Culmensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina prospere dirigetur et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem Culmensis ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, quod dicta ecclesia Culmensis gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur, tuque preter eterne retribucionis premium nostre benivolencie graciam valeas exinde uberius promereri. Dat. Avinione VIII. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Archiepiscopo Rigensi, Capitulo et vassallis ecclesie Culmensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Culmensis, ut eidem electo reverentiam et obedientiam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 59.

DCCCXXV.

Eidem electo Culmensi indulgetur, ut a quocunque antistite catholico consecrari possit.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Wieboldo Electo Culmensi, salutem etc. Cum nos pridem Culmensi ecclesie, pastoris regimine destitute, de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, iam de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati, tibi, ut a quocunque malucris Catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus Catholicis Epis similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiet iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Rigensi, cui prefata ecclesia metropolitano iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium corrivetur. Datum Avinione V. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 56.

DCCCXXVI.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut de ecclesia cathedrali in oppido Lamburgae erigenda inquirat et referat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris peticio continebat, quod ipse cupiens terrena in celestia, et transitoria in eterna felici commercio commutare, in quadam villa sua Lamburga nuncupata in terra Russie consistente, que nullius diocesis existit, quamque idem Rex, divina favente gratia, a Scismaticis acquisivit, ecclesiam Cathedralem de novo construere et fundare, ipsamque de bonis propriis a deo sibi collatis in certis annuis perpetuis redditibus, ad dei laudem et honorem, ac divini cultus augmentum et fidei catholice propagationem sufficienter dotare proponit, prout ad hoc idem Rex voto per eum emisso se astrinxit. Quare pro parte ipsius Regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut ei faciendi premissa licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, licet divini cultus augmentum et fidei catholice incrementum ferventer appetamus, volentes tamen super premissis cum debita, ut convenit, maturitate procedere, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus an dicta villa insignis existat, ac clerum et populum ad hoc habeat sufficientes, et an

territorium competens pro latitudine diocesis poterit assignari, necnon de quantitate et qualitate dotis assignande, et aliis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis, prout tantum requirit negocium, auctoritate nostra diligencius te informes, et quecunque per informationem huiusmodi inde repereris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, tuoque sigillo signatas quantocius referre et intimare procures, ut iuxta informacionem et relacionem tuam huiusmodi in dicto negocio consulcius procedere valeamus. Datum Avinione VIII. Idus Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Com. ep. 436. fol. 117.

DCCCXXVII.

Eidem archiepiscopo, ut canonicos et clerum Plocenses a censuris, quas resistentes Bernardo episcopo incurrerant, absolvere possit.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Animarum salutem intensis desideriis affectantes, libenter illa concedimus, per que salus ipsa valeat provenire. Dudum siquidem felicis recordacionis Innocencius papa VI. predecessor noster Venerabilem fratrem nostrum Bernardum, Episcopum olim Milcoviensem, a vinculo, quo Milcoviensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum suorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvens, ipsum ad ecclesiam Plocensem, tunc vacantem, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica transtulit, et de illo eidem ecclesie providit, preficiendo eum ipsi Ploceusi ecclesie in Episcopum et pastorem. Et licet, sicut accepimus, pro parte dilectorum filiorum Capituli ipsius ecclesie Plocensis, ac clericorum et personarum ecclesiasticarum civitatis et diocesis Ploeensis occasione provisionis huiusmodi contra dictum Bernardum fuisset ad sedem apostolicam appellatum, tamen idem Bernardus tamquam Plocensis Episcopus diversas excommunicacionum sentencias in singulares Canonicos eiusdem ecclesie ac clericos et personas predictos post et contra appellationem huiusmodi promulgavit. Cum autem postmodum idem predecessor eundem Bernardum a dignitate Episcopali, ac regimine et administracione eiusdem Plocensis ecclesie de dictorum fratrum consilio ex certis causis duxerit amovendum, deinde dicto predecessore sublato de medio, nobisque ad apicem summi apostolatus assumptis, pro parte Capituli, clericorum et personarum predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis de absolucionum a sentenciis huiusmodi, si quas incurrerunt, nec non dispensacionum beneficiis super irregularitate, si quam eciam inde contraxerunt, misericorditer dignaremur. Nos igitur animarum saluti Canonicorum ac clericorum et personarum predictorum providere cupientes, Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris pro eis super hoc nobis humiliter supplicantis, ac ipsorum in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, mandamus, quatenus omnes et singulos Canonicos ac clericos et personas predictos ab eisdem sentenciis, si hoc humiliter pecierint, auctoritate nostra iuxta formam ecclesie simpliciter vel ad cautelam absolvas, et nichilominus cum eisdem Canonicis ac clericis et personis super irregularitate, si quam celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, forsan contraxerunt, eadem auctoritate dispenses, iniuncta eis, si et prout tibi videbitur, penitencia salutari. Datum Avinione VIII. Id. Aprilis. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 467.

DCCCXXVIII.

Imislaus ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur, et ut moris est, commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Imislao Electo Plocensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor illc celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, ut per eius prudenciam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, per quem ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem felicis recordacionis Innocencius papa VI. predecessor noster provisiones omnium ecclesiarum cathedralium tunc apud sedem apostolicam quocunque modo vacancium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinacioni et disposicioni sue reservavit, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Plocensi ex eo vacante, quod idem predecessor ex certis causis racionabilibus Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Plocen-

sem, licet absentem, a vinculo, quo ipsi Plocensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum suorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvit, ipsumque a regimine et administracione ipsius ecclesie auctoritate apostolica amovit, ac deinde dicto predecessore, per eum dicte ecclesie non proviso, sicut domino placuit, rebus humanis exempto, nos divina clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, vacacione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter Romanum Pontificem hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Prepositum sancti Michaelis Plocensis, in presbiteratus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem Plocensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Plocensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia Plocensis sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Plocensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retribucionis premium ac nostram et sedis apostolice benediccionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione VII. Kal. Iunii. Anno Primo.

In e. m. Archiepiscopo Gneznensi, Capitulo et Vassallis ecclesie Plocensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Plocensis, nec non Kazimiro Regi Polonie etc. ut in aliis similibus.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI cod. chart. fol. 192.

DCCCXXIX.

Regi Poloniae, ut quosdam consules et cives Cracovienses satisfacere camerae apostolicae de pecuniis debitis compellat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Cum dudum nonnulli Consules et cives civitatis tue Cracoviensis a dilecto filio Arnaldo de Caucina Scolastico Cracoviensi, apostolice sedis nuncio ac collectore proventuum in Regno tuo apostolice Camere debitorum, pro eorum et dicte civitatis commodis et agendis receperint nonnullas auri et pecuniarum quantitates, quas in villa Brugensi Tornacensis diocesis certis iam elapsis terminis personis ad hoc per dictam sedem deputatis solvere promiserunt, ex eo, quod ipsas quantitates non solverunt, sint excommunicationis, ad quam se sponte obligaverunt, vinculo innodati, et excommunicati publice nunciati, quam excommunicationem diu substinuerunt, prout substinent animis induratis, contempnantque censuram ecclesiasticam, propter quod ad eorum convincendum contemptum oportunum et secundum iura requirendum est auxilium brachii secularis: Serenitatem tuam requirimus, rogamus et hortamur attente, quatenus contra debitores huiusmodi ad solvendum cito quantitates easdem secundum formam obligationis eorum compellas per tuum brachium seculare, facturus similiter in casibus similibus in futurum, ac benigne permittas eosdem debitores et alios laicos tui Regni pro huiusmodi et aliis eorum debitis, in quibus eidem Camere tenentur, et pro futuro tempore tenebuntur, domos eorum vendi et distrahi, iure dominorum, a quibus domus ipse tenentur, in omnibus semper salvo, sic in premissis acturus, quod magnitudinem tuam dignis possimus laudibus commendare, ipsamque in suis et suorum agendis favorabilius prosequi teneamur. Datum Avinione VIII. Idus Iunii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 153.

DCCCXXX.

Casimiro regi Poloniae, ut ecclesiae Romanae contra Bernabonem de Vicecomitibus et alios hostes auxilium exhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salut. etc. Rationis exigit debitum, ut qui laudabiliter gessit, videntis et intelligentis testimonio commendetur. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Iohannes Pacoslai miles, dominus de Resow, ambaxiator tuus, la-

tor presentium, commissa sibi per tuam serenitatem prudenter et solicite apud apostolicam sedem fuerit prosecutus, digne ipsum exinde tue magnitudini commendamus, et quid de commissis cisdem apostolica benignitas, que Regiis votis, prout honeste potest, favorabiliter annuit, duxerit concedendum, ipsius militis relatione fideli percipiet regia celsitudo. Cumque, fili carissime, sancta Romana ecclesia, mater tua, maledictionis alumpni Bernabonis de Vicecomitibus civis Mediolanensis, heretici perfidi, et quorumdam aliorum potencium hostium et hereticorum molestiis et violenciis multipliciter opprimatur: Nos ad exterminium ipsorum hereticorum et hostium, quos in eorum pertinacia induratos nequimus per inductiones benignas convertere, cum auxilio catholicorum principum et fidelium intendentes, magnitudinem tuam confidenter requirimus et rogamus attente, quatinus devote considerans, quod in hoc pio negotio, ex quo, si debitum super eo non apponatur remedium, magna possent in christiano populo animarum et corporum pericula provenire, contra eosdem hostes et hereticos regium velis subsidium exhibere, ac dare opem et operam, quod exhibeatur a fidelibus Regni tui, super quibus eidem Iohanni de hiis per nos informato plenarie velis fidem credulam adhibere. Datum Avinione III. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 201.

DCCCXXXI.

Iaroslao archiepo Gnesnensi eiusque suffraganeis super eodem argumento.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Cum sancta Romana ecclesia, mater vestra, maledictionis alumpni Barnabonis de Vicecomitibus civis Mediolanensis, heretici perfidi, et quorundam aliorum hostium et hereticorum molestiis et violenciis multipliciter opprimatur: Nos ad exterminium ipsorum hereticorum et hostium, quos in eorum pertinacia induratos nequimus per inductiones benignas convertere, cum auxilio catholicorum principum et fidelium intendentes, nonnullorum prelatorum ecclesiarum ac principum aliorumque fidelium auxilium, sine quo tam grave negotium feliciter expedire non possumus, duximus invocandum: fraternitatem igitur vestram confidentius requirimus ac strictius exhortamur, quatinus dilecto filio nobili viro Iohanni Pacoslai militi, domino de Ressow, latori presentium, qui cum gente armorum de partibus vestris contra dictos hostes et hereticos se obtulit profecturum, vestrum consilium et auxilium liberaliter tribuatis, et alios christifideles, presertim subditos vestros, ad subveniendum in hoc pio negocio vestris monitis inducatis, sic efficaces et promptos vos in hac parte reddentes, quod a deo premium et apostolica sede pleniorem benivolenciam mereamini obtinere. Datum Avinione III. Kalendas Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 201.

DCCCXXXII.

Legato sedis apostolicae, ut Ioannem Pacoslai militem, qui Romanae ecclesiae in auxilium veniat, benigne pertractet.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Egidio Episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Dilectus filius nobilis vir Iohannes Pacoslai miles, dominus de Resow de Regno Polonie, fuit apud sedem apostolicam commoratus, zelo devotionis accensus obtulit se in servicium ecclesie cum gente armigera suis expensis ac dicti Regis, nec non Prelatorum et aliorum fidelium Regni predicti subsidiis, quam cito commode poterit, profecturum. Quare fraternitatem tuam hortamur, quatinus eundem militem et gentem, quam ducet, benigne recipiens et pertractans, eos habeas tuis favoribus et auxiliis commendatos. Datum Avinione III. Kal. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Secret. fol. 202.

DCCCXXXIII.

Universis fidelibus regem Poloniae in debellandis Lithuanis et aliis paganis adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Urbanus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Sedes apostolica pia mater illorum vota libenter gracioso favore prosequitur, quos veluti divini nominis fervidos zelatores in fidei catholice defensione delectari cognoscit. Sane peticio pro parte carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris nobis nuper exhibita continebat, quod ipse pro Regni sui Polonie, quod prope naciones perversas infidelium consistit, defensione fidelium eget sub-

sidiis adiuvari: Nos itaque ipsius Regis in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis dominus noster Ihesus Christus licet indignis ligandi atque solvendi contulit, potestate, omnibus Christifidelibus, qui eidem Regi pro defensione dicti Regni sui contra Litwanos, Tartaros et alios infidelcs ac scismaticos auxilium dabunt infra duodecim annos a data presentium computandos, et inibi pro defensione huiusmodi insultum, guerram vel bellum faciendo decesserint seu fuerint vulnerati, si alibi ubicunque de talibus vulneribus decedere eos contingat, suorum, de quibus fuerint veraciter contriti corde et ore confessi, plenam remissionem peccaminum indulgemus. Datum Avinione VIII. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. V. cod. chart. fol. 600.

DCCCXXXIV.

Gotfrido Warendorp omne ius, quod quondam Ioanni Guilaberti in decanatu ecclesiae Tarbatensis competebat, confertur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Gotfrido Warendorp Canonico ac Decano ecclesie Tarbatensis, salutem etc. Dudum cum felicis recordacionis Clemens papa VI. predecessor noster de canonicatu et prebenda ac decanatu ecclesie Tarbatensis, per obitum quondam Iohannis Warendorp eiusdem ecclesie Canonici, prebendati ac decani, qui obtinebat eosdem, vacantibus, disposicioni sedis apostolice specialiter reservatis, quondam Iohanni Guilaberti tunc in Regnis Dacie, Swecie et Norwegic apostolice sedis nuncio providisset, Episcopus Tarbatensis ac Prepositus et Capitulum eiusdem ecclesie, ut dicitur, contra tenorem reservacionis huiusmodi ad decanatum quondam Heydemicum de Brakele primo, et deinde Nicolaum Thisenhusen, qui ad presens ipsum decanatum detinere dicitur occupatum, et ad prebendam predictos Iohannem Wrangelin primo, et deinde Iohannem Los, et demum Engelbertum de Thisenhusen in dictis canonicatu et prebenda ac decanatu dampnabiliter intruserunt, ipsique intrusi fructus, redditus et proventus ex eis perceperunt, prout idem Nicolaus ex dicto decanatu percipere dicitur de presenti: postquam felicis recordacionis Clemens papa VI. predecessor noster de Canonicatu et prebenda prefatis, per obitum dicti Iohannis Guilaberti, qui in Romana Curia diem clausit extremum, apud dictam sedem vacantibus, tibi tuis exigentibus meritis duxit auctoritate apostolica providendum, et cum inter Iohannem Guilaberti tempore mortis sue et Nicolaum prefatos super ipso decanatu lis in Romana Curia verteretur, nos, ne prefatum decanatum, si causa huiusmodi careret legitimo defensore, qui prosequeretur eandem, contingeret absque titulo canonico detineri, volentes super hoc providere tibique premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, te in omni iure et ad omne ius, quod dicto Iohanni Guilaberti in decanatu prefato et ad ipsum tempore obitus sui quomodolibet competebat, seu competere poterat, auctoritate apostolice surrogavimus, dictumque decanatum tibi contulimus, et de illo eciam duximus providendum, prout in nostris et dicti predecessoris literis inde confectis plenius continetur. Verum cum omnia et singula bona ac credita, que ad dictum Iohannem Guilaberti spectabant tempore mortis sue, pro magnis pecuniarum summis per eum receptis pro apostolica Camera et non restitutis eidem, essent ipsi Camere obligata, et nichilominus ex hac et aliis causis disposicioni dicte sedis specialiter reservata, ac fructus et proventus unius anni dictorum canonicatus, prebende ac decanatus per eumdem predecessorem dicte Camere similiter reservati, eidem Camere deberentur, gentes dicte Camere de omnibus fructibus et proventibus dictorum canonicatus, et prebende ac decanatus a tempore obitus eiusdem Iohannis Warendorp usque ad obitum dicti Iohannis Guilaberti, et post eius obitum ipsi Iohanni Guilaberti quomodolibet debitis ad Cameram prefatam spectantibus, ut prefertur, tecum tanquam cum prefati Iohannis Guilaberti successore composuerunt pro certa pecunie quantitate, per te usque ad festum pentecostes proxime futurum eidem Camere assignanda, ad quam usque ad dictum festum solvendam te sollempniter obligasti, dicte tamen gentes eiusdem nostre Camere ac tu voluistis et consensistis expresse, quod si Venerabilis frater noster Episcopus Lubicensis, in partibus illis dicte sedis nuncius ac collector fructuum et proventuum et bonorum dicte Camere debitorum, aut subcollector eiusdem nomine dicte Camere composicionem de fructibus ac proventibus eorundem canonicatus et prebende ac decanatus cum dictis Episcopo, Preposito et Capitulo, aut alio seu aliis personis ante diem composicionis huiusmodi tecum facte forsitan pro maiori summa, quam sit illa, de qua tecum composuerunt eedem gentes Camere prelibate, fecisset, composicio ipsa facta per dictum Episcopum vel eius subcollectorem valeat pleno iure, et composicio pre-

dicta tecum facta nullius sit roboris vel momenti, et quod eo casu, quod ante diem composicionis tecum facte nulla facta fuisset composicio per dictum Episcopum Lubicensem, ipsa composicio facta per te plenam obtineat roboris firmitatem, prout per instrumentum publicum, et per litteras Venerabilis fratris Arnaldi Archiepiscopi Auxicanensis, Camerarii nostri, exinde confectas dicitur plenius contineri. Nos igitur volentes, prout est consonum racioni, de optima tibi in hac parte providere cautela, dictam composicionem tecum factam cum condicionibus in ea contentis ratam et gratam habentes, omnia et singula iura et acciones ad nos et Cameram predictam cum fructibus et proventibus prelibatis, qui eidem Iohanni Guilaberti, ut premittitur, debebantur, spectantia, tibi tenore presencium salva dicta condicione damus, cedimus et donamus, volentes, quod tu ad recuperacionem dictorum fructuum agere et experiri, sicut pro rebus et factis tuis propriis libere valeas, teque procuratorem ut in rem propriam constituimus et eciam ordinamus. Nulli ergo etc. nostre dacionis, cessionis, donacionis, voluntatis, constitucionis et ordinacionis infringere etc. Datum Avinione XIII. Kal. Augusti. Anno Primo.

In e. m. Episcopo Revaliensi, Preposito Osiliensis et Decano Buczowensis Zwerinensis diocesis ecclesiarum, ut predictas litteras exequendas curent. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 494.

DCCCXXXV.

Conradus ecclesiae Osiliensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Conrado Electo Osiliensi, salutem etc. Summi disposicione Rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati, curis assiduis angimur, ut opem et operam, quantum nobis ex alto conceditur, impendamus, quod orbis ecclesie universe pastorum regimine destitute per nostre providencie studium viris committantur idoneis, qui sciant, velint et valeant ecclesias ipsas eis commissas studiose regere, prudenter dirigere et salubriter gubernare. Dudum siquidem bone memorie Hermanno Episcopo Osiliensi regimini Osiliensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Hermanni Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie reservacionem et decretum huiusmodi forsan ignorantes, te Decanum dicte ecclesie, in sacerdocio constitutum, in Osiliensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, huiusmodi eleccioni de te facte, illius tibi presentato decreto, consentiens, eleccionem ipsam obtinuisti per Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Rigensem loci Metropolitanum, huiusmodi reservaccionem et decretum similiter ignorantem, confirmari, licet de facto, et demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis et confirmationis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur eleccionem et confirmacionem predictas, utpote post et contra reservacionem et decretum huiusmodi, licet de facto, ut premittitur, presentatas, et alia inde secuta, irrita, prout erant, et inania reputantes, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem ecclesie talem presidere personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum sciencia, vite ac morum honestate, et aliis multiplicium virtutum tuarum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, nec non concordi eiusdem Capituli te eligencium voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua eidem Osiliensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia, prefata ecclesia, per tue circumspeccionis industriam prospere dirigetur et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in

illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, sic quod eadem Osiliensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur, tuque preter eterne retribucionis premium nostre benivolencie graciam valeas uberius exinde promereri. Datum Avinione VIII. Kal. Augusti. Anno Primo.

In e. m. Archiepiscopo Rigensi, Capitulo et Vassallis ecclesie Osiliensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Osiliensis, ut eidem electo reverentiam et obedientiam debitam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. VI. cod. chart. fol. 81.

DCCCXXXVI.

Arnesto archiepiscopo Pragensi, ut cum Imislao episcopo Plocensi nomine camerae apostolicae de fructibus ecclesiae Plocensis, quos ille veluti intrusus ante suam canonicam institutionem perceperat, componere possit.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Arnusto Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Nuper fidedigna informatione percepimus, quod Venerabilis frater noster Ymislaus Episcopus Plocensis, vacante dudum Plocensi ecclesia per mortem bone memorie Clementis ultimi Episcopi ecclesie supradicte, in eadem ecclesia Plocensi, que erat dispositioni sedis apostolice generaliter reservata, absque aliquo iusto titulo et institutione canonica se intrusit, illamque sic indebite et tempore vacationis huiusmodi, et usque quo sibi per nos fuit de eadem provisum, detinuit indebite occupatam, fructus, redditus, proventus, obventiones et iura percipiendo, et percipi faciendo per se et alios eius nomine provenientia ex et de bonis ac iuribus ecclesie supradicte in anime sue periculum, et dicte Romane ecclesie preindicium et scandalum plurimorum: super quo nos, qui omnium ecclesiarum regimini licet immeriti divina favente clemencia presidemus, de oportuno remedio providere volentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios tum de toto tempore, quo dicta ecclesia per mortem eiusdem quondam Clementis tunc ultimi Episcopi supradicti vacavit, tum de quantitate et qualitate fructuum, redditum, proventuum, obvencionum et iurium predictorum, que obvenerunt et obvenire poterunt ex bonis et iuribus spectantibus et pertinentibus ad ecclesiam supradictam, que ipse recepit et recipi fecit indebite, ut predicitur, ex eadem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii plenarie et diligenter te studeas informare, et redditus et proventus, obventiones et iura huiusmodi provenientes de et ex bonis ac iuribus eiusdem ecclesie infra tempus vacationis predicte, que per informationem eandem invencris, ut premittitur, occupata per eum, nostro et apostolice Camere nomine ab eodem Ymislao Episcopo petere, recipere, exigere, habere et levare, ac de ipsis cum eodem componere, si tibi expedire videbitur, cum utilitate tamen nostre Camere, prout poteris, meliori, omnium sublata morositate, procures, vocato per te ad composicionem huiusmodi Collectore, apostolico nuntio, qui est in partibus ipsis Collector per predictam sedem apostolicam deputatus, quod Collector de compositione predicta habeat conscienciam specialem, illam namque pecuniam, quam de huiusmodi bonis ipsis ab eodem Episcopo vel alio eius nomine recipere et habere valebis, ad Cameram ipsam, quam cicius commode et tute poteris, mittere non postponas; de residuo namque, quod de bonis ipsis propter impotenciam eiusdem Episcopi vel aliter ad presens forsitan habere nequires, datis per te sibi competentibus terminis, ut videbitur tibi decens, ad solvendum residuum ipsum, et recepta ab eo pro parte dicte Camere ydonea fideiussoria cautione de solvendo eidem Camere residuum memoratum in terminis ipsis per te, ut predicitur, statuendis eidem, litteras nostras per nos eidem concessas de provisione sibi facta de ecclesia supradicta, quas ecce tibi inclusas in aliis nostris litteris destinamus, per te volumus retineri et salubriter gubernari, donec tibi nomine quo supra sit de fructibus et iuribus eisdem per eundem Episcopum integraliter satisfactum, necnon quod de residuo, quod modo habere non posses, sis cautus, ut prefertur, ab eo per ydoneam cautionem satisfacto, namque tibi nomine quo supra de fructibus antedictis seu valore debito pro eisdem, et de residuo solvendo in terminis per te, ut predicitur, prefigendis idonea cautione recepta, prefatas bullas de provisione predicta eidem tradere et assignare procures, Contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, Non obstante si dicto Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quicquiquid autem egeris quomodolibet in premissis, nobis et dicte Camere per tuas litteras aut publicum instru-

mentum intimare procures. Nos enim tibi quitandi, absolvendi et liberandi predictum Episcopum, ac omnes et singulos eos, a quibus dicti Episcopi nomine fructus, redditus, proventus, obventiones et iura huiusmodi seu valores ipsorum receperis, levaveris et habueris, de hiis dumtaxat, que exinde ab eo vel aliis ipsius nomine, ut prefertur, recipere te continget, plenam concedimus tenore presentium potestatem. Datum Avinione III. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. V. cod. chart. fol. 497.

DCCCXXXVII.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Buscha Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi, qui iurisperitus ac Kazimiri Regis Polonie Vicecancellarius, necnon ipsius Regis ad Romanam Curiam nuntius destinatus existit, Canonicatum et primam dignitatem post Episcopalem in ecclesia Cracoviensi, indulgetque, ut in Gneznensi et in S. Georgii Castri Cracoviensis ecclesiis Canonicatus et prebendas retinere, ac alios in Poznaniensi et Wladislaviensi ecclesiis vacaturos accipere possit. Datum Avinione Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolai Iohannis de Crapitz Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi precibus Preczlai Episcopi Wratislaviensis, cuius notarius existit, et quia Padue in iure canonico per triennium studuerat, Canonicatum cum prebenda in ecclesia Wratislaviensi. Datum Avinione IIII. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Nicolao Conradi de Bichom Archidiacono ecclesie sancte Marie de Glogovia, qui in Theologica facultate per quadriennium Wratislavie studuerat, in ecclesia Wratislaviensi Canonicatum cum prebenda conferri curet. Datum Avinione V. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Segneo Wlostey Preposito ecclesie sancti Michaelis in Castro Cracoviensi, salutem etc. Confert consideratione Caroli Romanorum Imperatoris, cuius Capellanus est, dignitatem vacaturam in ecclesia Wratislaviensi. Dat. Avinione XIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Gotfrido dicto Kaiphi Canonico Warmiensi, Magistro in artibus, salutem etc. Providet ipsi de Canonicatu in eadem ecclesia. Datum Avinione V. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Vrise de Prussia Canonico Warmiensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatum eiusdem ecclesie. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Camerati presbitero Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi perpetuam Vicariam in ecclesia Warmiensi. Datum Avinione IV. Non. Octobris. Anno I.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Pommerano de Prussia Canonico Wladislaviensi, Magistro in artibus et Baccalario in Medicina, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in ecclesia Wladislaviensi. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati Monasterii Tinciensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Mandat ipsi, ut consideratione Kazimiri Regis Polonie Iohanni nato Iohannis Pacoslay, iuveni etatis sexdecim annorum et in facultate artium studenti, Canonicatum in ecclesia Cracoviensi conferri curet. Datum Avinione VI. Kal. Octobris. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Cracoviensi, sal. etc. Mandat ipsi, ut eidem Iohanni clerico in ecclesia Plocensi Canonicatum et prebendam, quos Imislaus Plocensis Episcopus tempore sue promotionis obtinebat et adhuc obtinet, conferri curet. Datum Avinione VIII. Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Hermanno Verdelexe Canonico Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Conradi Episcopi Osiliensis unam ex maioribus prebendis eiusdem ecclesie. Datum Avinione II. Kal. Augusti. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Henrici dicto de Poznania Canonico Wratislaviensi, sal. etc. Confert ipsi, qui per triennium Bononie et Prage studiis vacaverat, precibus Preczlai Episcopi Wratislaviensis Canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislaviensi. Datum Avinione VI. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Iohanni Berwici de Franckenstein, Decano ecclesie beate Marie Glogoviensis Wratislaviensis diocesis, Canonicatum in ecclesia Wratislaviensi consideratione et precibus Karoli Romanorum Imperatoris et Boemie Regis, cuius Notarius et litterarum corrector existit, conferri curet. Datum Avinione vi. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Theodorico dicto Gozkop perpetuo Vicario in ecclesia Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi hanc Vicariam, quam Wilhelmus dictus Steel, qui in Curia Romana obierat, obtinebat. Datum Avinione iv. Kal. Maii. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Hapezelle perpetuo Vicario in ecclesia Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi Vicariam eiusdem ecclesie, quam Rutherus Olrici Canonicus Osiliensis tempore provisionis sue obtinebat, indulgetque, ut perpetuam Vicariam in ecclesia sancti Thome in antiqua Perova Osiliensis diocesis retinere possit. Datum Avinione xi. Kal. Septembris. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Warmiensi, et dilectis filiis . . . Preposito et . . . Decano ecclesie Salvatoris Warmiensis diocesis, salutem etc. Mandat ipsis, ut Iohanni Iordani presbitero Warmiensi ecclesiam parrochialem in Petriswald dicte diocesis, quam Petrus Gernrich obtinebat, conferant, non obstante, quod idem Iohannes quoddam beneficium ecclesiasticum in diocesi Pomezaniensi possideat. Datum Avinione iii. Kal. Maii. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro Iohannis de Brega clerico Wratislaviensis diocesis, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi, qui in studiis liberalium artium multum profecit, et in Medicina Baccalarius existit, et ex ipsius studiis commendando labore fructus sibi grandes acquisivit, beneficium quoddam ecclesiasticum in diocesi Wratislaviensi vacaturum. Datum Avinione iv. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Pomerani clerico Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi, qui liberalium artium studiis laudabiliter incubuit, ac magisterii honorem accepit, et insuper in Medicina Baccalarius existit, beneficium aliquod ecclesiasticum in diocesi Wladislaviensi vacaturum. Datum Avinione iv. Kal. Decembris. Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Sylow Clerico Cracoviensis diocesis, sal. etc. Confert eidem beneficium ecclesiasticum ad collationem Abbatis et Conventus monasteri Calvimontis de Lysecz ordinis sancti Benedicti Cracoviensis diocesis pertinens. Dat. Avinione iii. Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Theodorico Crudener Clerico Rigensi, salutem etc. Confert ipsi boneficium ecclesiasticum in diocesi Rigensi vacaturum. Datum Avinione iii. Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Alberto de Curia Canonico Warmiensi, sal. etc. Confert ipsi, ex Warmiensi diocesi oriundo, qui in pluribus locis Alemanie in Artibus studuit ac laudabiliter profecit, Canonicatum in eadem ecclesia, indulgetque, ut Capellaniam perpetuam beati Iohannis Evangeliste in eadem ecclesia retinere possit. Datum Avinione vii. Id. Maii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. I. cod. chart. fol. 108, 522 et 525. et Tom. II. fol. 86, 370, 388, 469, 472, 487, 507, 523 et 557. et Tom. III. fol. 476. et Tom. IV. fol. 146, 149, 213, 227, 351, 386 et 655.

DCCCXXXVIII.

Episcopo Posnaniensi, ut de querela Conradi ducis Silesiae contra capitulum Vratislaviense inquirat et referat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Ep̄o Poznaniensi, salutem etc. Peticio pro parte dilecti filii nobilis viri Conradi Ducis Slezie nobis nuper exhibita continebat, quod licet de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine Venerabilis frater noster . . . Episcopus Wratislaviensis solus, et in solidum in eundem Ducem et homines sui ducatus Slezie etiam ratione debita et contractuum per eos initorum iurisdictionem specialem ordinariam habuerit et habere noscatur, tamen dilecti filii Capitulum ecclesie Wratislaviensis falso pretendentes se in eos iurisdictionem habere, in eos auctoritate propria huiusmodi iurisdictionem exercere et usurpare nituntur, propter quod sepe contingit, quod unus pro uno debito duplici pena premitur in gravem ipsorum Ducis et hominum preiudicium et iacturam: Quare idem Dux nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc de remedio oportuno dignaremur. Nos igitur de premissis notitiam non habentes, ac gerentes de tue circumspe-

ctionis industria in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis dicto Episcopo et Capitulo et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus (et) singulis, et eorum circumstantiis universis diligencius te informes, et quicquid per informacionem huiusmodi compereris, nobis per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas harum serie continentes quantocius intimare procures, ut tua relatione instructi super hiis providere salubrius valeamus. Datum Avinione VII. Idus Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia ep. 138. fol. 149.

DCCCXXXIX.

Episcopo Vratislaviensi, ut Ioannem marchionem Moraviae, qui de facto contraxit matrimonium cum Elisabetha, nata quondam Casimiri ducis Thessinensis, moniali ord. Cisterc. a talibus illicitis abstinere moneat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Ad audienciam nostram non absque multa mentis nostre pertubatione pervenit, quod olim dilectus filius Nobilis vir Iohannes de Boemia Marchio Moravie, ac dilecta in Christo filia Elisabeth, nata quondam Kazimiri Ducis Thessinensis, monialis monasterii in Trebnicz Cisterciensis ordinis tue diocesis iam professa, ut dicitur, non intendentes, quod huiusmodi sanctimonialium sponsus dominus noster Ihesus Christus, quemadmodum in castitatis earum observantia delectatur, sic ex violatione fidei per eas illi promisse ad indignationem non immerito provocatur, matrimonium de facto, ymo temerario ausu invicem contraxerunt, et divine reverencie suas concupiscencias preferentes, ad nefariam carnis copulam processerunt, et in huiusmodi dampnabili concubinio cohabitant, colorem liciti matrimonii pretendentes, que si veritati nitantur, in ipsius domini nostri Ihesu et nostram, qui licet immeriti eius vices in terris gerimus, gravem offensam redundare noscuntur. Nos igitur attendentes, quod si tam execrabile facinus non corrigeretur, tanto dampnabilius in plurium transiret scandalum, quanto a patratoribus eiusdem de progeniebus illustribus procreatis traheretur a pluribus perniciosius in exemplum, et propterea volentes super hoc, prout ex debito nostri urgemur officii, de opportuno remedio providere, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii te informans, si ea inveneris veritate fulciri, auctoritate nostra prefatum Iohannem moneas et inducas, quod dictam Elizsabeth omnino a sua cohabitatione dimittat, ipsamque Elizabeth, quod ad dictum suum monasterium revertatur, ibidem secundum professionem perpetuo permansura, ac per emendationem vite melioris satisfactura suo vero sponso, cui promissam ei fidem frangere non expavit, ipsos Iohannem et Elisabeth aliosque contradictores et rebelles, ac eisdem Iohanni et Elisabeth in huiusmodi per eos de facto presumpto matrimonio, ymo verius stuproso concubinio detestabili confovendo, et in ipsorum cohabitatione dampnabili dantes directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem, cuiuscumque preminencie, gradus, status vel condicionis existant, etiam si pontificali, regali vel Imperiali, aut qualibet alia prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si eis vel eorum alicui a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huismodi mentionem. Datum Avinione XIII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex reg. orig. An. II. Secret. fol. 85.

DCCCXL.

Casimiro regi Poloniae, ne calumnias Ioanni de Busca imputatas credat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Ad nostri apostolatus pervenit auditum, quod dilectus filius Iohannes de Busca, tuus Vicecancellarius, tuorum negotiorum in Romana Curia procurator, a quibusdam maliloquis fuit tue serenitati minus veraciter accusatus, quod ipse negligenter et infideliter tua negotia procurabat. Nos igitur, qui pro cunctis, pro quibus possumus, tenemus veritati testimonium perhibere, tue sublimitati testificamur, quod idem Iohannes semper tua negocia fuit coram nobis fideliter et solicite prosecutus, et illud idem semper tempore felicis recordacionis Innocencii pape VI. predecessoris nostri dictum Iohannem audivimus peregisse. Quocirca excellentiam tuam rogamus attente, quatenus eosdem maliloquos, qui semper nituntur discordie zizaniam seminare et innocentes ledere, Regia gravitate non audiens, predictum Iohannem more

solito ad gratiam tue sublimitatis admittas, eumque continuatione Regie benivolentie prosequaris. Datum Avinione Nonis Martii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Secret. fol. 131.

DCCCXLI.

Archiepiscopo Pragensi, ut Marcum praepositum monasterii Strelinensis Praemonstratensis ordinis Vladislaviensis dioecesis seu alium idoneum in abbatem monasterii S. Vincentii extra muros Vratislavienses praeficiat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio solicitudine pulsamur assidua, ut ecclesiarum etc. Dudum siquidem quondam Wilhelmo Abbate monasterii sancti Vincentii extra muros Wratislavienses Premonstratensis ordinis regimini ipsius monasterii presidente, Nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ea vice duximus ordinationi et dispositioni nostre specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero predicto monasterio per obitum dicti Wilhelmi Abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Conventus eiusdem monasterii huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, dilectum filium Marcum prepositum monasterii Strelinensis, per Prepositum soliti gubernari, dicti ordinis Wladislaviensis diocesis, de facto in Abbatem dicti monasterii sancti Vincentii postularunt, ac dilectus filius Matheus Abbas Steynveldensis eiusdem ordinis Coloniensis diocesis, pater Abbas dicti sancti Vincentii monasteriorum, reservationis et decreti predictorum similiter inscius, ut asseritur, auctoritate sibi in ea parte per dilectum filium Abbatem monasterii Premonstratensis Laudunensis diocesis, ad quem approbationes postulationum seu translationum prelatorum eiusdem ordinis de uno monasterio ad aliud faciendarum secundum statuta dicti ordinis dicitur pertinere, commissa postulationem predictam ratificavit et etiam approbavit [etiam] de facto, idemque Marcus a Venerabili fratre nostro Preczlao Episcopo Wratislaviensi, reservationem et decretum predicta similiter, ut asseritur, ignorante, sibi obtinuit munus benedictionis impendi, ac deinde reservatione et decreto predictis ad ipsius Marci deductis noticiam, idem Marcus premissa omnia proponi fecit in Concistorio coram nobis. Nos igitur postulationem et approbationem predictas, utpote etiam post et contra reservationem et decretum predicta, ut premittitur, attemptatas, reputantes, prout erant, irritas et inanes, ac cupientes eidem monasterio sancti Vincentii, de cuius provisione nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, de persona ydonea celeriter et utiliter provideri, ac de meritis ipsius Marci, in presbiteratus ordine constituti, apud nos de religionis zelo, litterarum sciencia, vite ac morum honestate, spiritualium providencia et temporalium circumspectione multipliciter commendati, certam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis plenam in dño fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de ipsius Marci meritis diligentius te informans, si per informacionem huiusmodi premissa veritate fulciri, et eundem Marcum ad hoc ydoneum esse repereris, de persona ipsius Marci, alioquin de persona aliqua dicti ordinis ad regimen ipsius monasterii S. Vincentii utili et ydonea, super quo tuam conscientiam oneramus, hac vice auctoritate nostra provideas, illumque, de quo taliter duxeris providendum, eidem monasterio preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sibique faciendo a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et nichilominus si de persona ipsius Marci eidem monasterio sancti Vincentii provideris, munus benedictionis ei, ut prefertur, impensum, auctoritate predicta ratifices et etiam approbes: si vero de alia persona, quam de dicto Marco, eidem monasterio sancti Vincentii duxeris providendum, eidem persone, de qua provideris, per te vel alium antistitem gratiam et communionem predicte sedis habentem, munus facias benedictionis impendi. Volumus autem, quod tu vel dictus Antistes ab eadem persona, quam eidem monasterio prefeceris, ut prefertur, nostro et ecclesie Romane nomine recipias seu recipiat fidelitatis debite solitum iuramentum sub forma, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod ipsa persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas procures seu procuret quantocius destinare. Datum Avinione II. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VIII. cod. chart. epist. 104. fol. 189.

DCCCXLII.

Generale litterarum studium in civitate Cracoviensi, Casimiro rege petente, cum certis privilegiis instituitur.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. In suprema dignitatis apostolice specula licet immeriti, disponente domino, constituti, ad universas fidelium regiones eorumque profectus et commoda tamquam universalis dominici gregis pastor commisse nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad querenda litterarum studia, per que divini nominis sueque Catholice fidei cultus protenditur, iusticia colitur, tam publica quam privata res utiliter geritur, omnisque prosperitas humane condicionis augetur, libenter favores graciosos impendimus, et oportune commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Cum itaque, sicut nuper pro parte Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris nobis fuit expositum, Civitas sua Cracoviensis, que in Regno suo Polonie consistit, et insignior est aliis civitatibus dicti Regni, a studiis generalibus nimium distare noscatur, et propterea iurisperitorum et litteratarum personarum copia in eodem Regno minime habeatur, multi quidem ex clericis nobilibus dicti Regni eundo ad studia generalia huiusmodi capti, alii vero in captivitate detenti morti traditi fuerint, nos premissa ac eciam eximiam fidei puritatem, quam tam ipse Rex et progenitores sui Polonie Reges, quam eiusdem Regni incole ad sanctam Romanam ecclesiam gessisse, prout ipsi Rex et incole gerere dinoscuntur, attente considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod Regnum ipsum scienciarum muneribus amplietur, fiatque litterarum fertilitate fecundum, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scienciarum fons irrigans, de cuius plenitudine hauriantu niversi litterarum cupientes inibi documenta. Hiis igitur omnibus et presertim ydoneitate dicte civitatis, que ad multiplicanda doctrine semina, et germina salutaria producenda magis congrua ac accommoda inter alias civitates dicti Regni fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, ad obviandum dampnis et periculis verisimiliter proventuris ex distancia studiorum huiusmodi incolis dicti Regni, volentibus acquirere sciencie margaritam, et non solum ad ipsorum, sed eciam aliorum Regnorum circumiacentium incolarum commodum et profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Regis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica statuimus et eciam ordinamus, ut in dicta civitate Cracoviensi de cetero sit studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat tam in iuris canonici et civilis, quam alia qualibet licita preterquam in Theologica facultate, et quod legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis doctoribus, legentibus et studentibus commorantibus in studio generali gaudeant et utantur, quodque illi, qui processu temporis bravium fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti, sibique docendi licenciam, ut alios erudire valeant, ac doctoratus seu magisterii honorem pecierint elargiri, per doctores seu doctorem ac magistros seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Episcopo Cracoviensi, qui pro tempore fuerit, vel ecclesia Cracoviensi pastore carente, Vicario seu officiali dilectorum filiorum Capituli ipsius ecclesie presententur. Idemque quoque Episcopus, aut Vicarius seu officialis doctoribus et magistris in eadem facultate actu inibi Regentibus convocatis, illos in hiis, que circa promovendos ad doctoratus seu magisterii honorem requiruntur, per se vel alium iuxta modum et consuetudinem, que super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licenciam tribuat, et doctoratus per magistrum conferat honorem. Illi vero, qui in eodem studio dicte civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licenciam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine et approbatione alia regendi et docendi tam in civitate predicta, quam singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint regere vel docere, statutis et consuetudinibus quibuscumque firmitate alia vallatis, nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem. Nulli ergo etc. nostre ordinationis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione Kal. Septembris. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. de Curia ep. 113. fol. 139.

DCCCXLIII.

Clericis de canonicatibus et aliis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Gerlaco de Castella rectori ecclesie parrochialis in Meriema Osiliensis diocesis consideratione Regis

Dacie Canonicatum in eadem Osiliensi ecclesia, vacantem per obitum Petri de Waldeck alias Loyteken, conferri curet. Datum Avinione VIII. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Borsoni de Rysinburg Abbati monasterii Lubensis Cisterciensis ordinis, salutem etc. Preficit eum in Abbatem eiusdem monasterii. Datum Avinione VI. Idus Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Conventui monasterii Lubensis, universis Vassallis eiusdem monasterii, ... Ep̃o Wratislaviensi, Karolo Romanorum Imperatori semper Augusto ac Regi Boemie Illustri, ut eidem Abbati obedientiam et reverentiam debitam exhibeant et commendatum habeant. Dat. ut supra.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro de Gostrina Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Bozache Episcopi Cracoviensis, cuius Capellanus et familiaris existit, et quia per XX. annos fructuum Camere apostolice debitorum in diocesi Wratislaviensi succollector extiterat, Canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi. Datum Avinione II. Id. Aprilis. Anno II.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati monasterii de Tincia Cracoviensis diocesis, salutem etc. Mandat ipsi, ut Iacobo Wenceslai de Xenze, rectori parrochialis ecclesie de Gorzicze Cracoviensis diocesis et Regis Polonie familiari et Capellano, Canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi conferri curet. Datum Avinione II. Id. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Luthero, nato quondam Taminonis de Schellendorf, Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi, qui per triennium in Iure Canonico studuit et rector ecclesie parrochialis in Smelwicz diocesis Wratislaviensis extitit, Canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi. Datum Avinione XIIII. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sambiensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Tito Busse clerico Sambiensi, qui in studio generali Montispessulano Magalonensis diocesis studuit, Canonicatum in ecclesia Tarbatensi conferri curet. Datum Avinione III. Kal. Iunii. Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Iohanni Hildebrandi de Tharzeck, Canonico ecclesie sancti Floriani in Suburbio Cracoviensi et familiari Regis Polonie, Canonicatum et prebendam in ipsa ecclesia Cracoviensi conferri curet. Datum Avinione III. Id. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Cracoviensi, sal. etc. Mandat ipsi, ut Petro de Pampite, Cantori ecclesie Wisliciensis Cracoviensis diocesis, consideratione Bodzache Episcopi Cracoviensis Canonicatum in ecclesia Cracoviensi vacaturum conferri curet, indulgetque, quod ipse Petrus Cantoriam Wisliciensem, cuius proventus exiles existunt, retinere possit. Dat. Avinione III. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Petro Czatavi dicto Suchiwilk, clerico Cracoviensi et familiari Regis Polonie, in ecclesia Wratislaviensi Canonicatum cum prebenda conferri curet. Datum Avinione III. Id. Aprilis. Anno II.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Mathie Laurentii Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Kazimiri Regis Polonie, cuius procurator existit, Canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislaviensi, indulgetque, quod in Cracoviensi et in sancti Michaelis in Castro Cracoviensi ac in Scarbimiriensi Cracoviensis diocesis ecclesiis Canonicatus et prebendas retinere possit. Datum Avinione V. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, ac dilectis filiis ... Decano sancti Agricoli Avinionensis ac ... Thesaurario Wratislaviensis ecclesiarum, ut predictas litteras exequantur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Theodoro Damerow Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi, qui in Artibus vigore examinis licentiatus factus est, Canonicatum cum prebenda in ecclesia Wratislaviensi. Datum Avinione III. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Venerabili fratribus ... Auriensi et ... Warmiensi, Ep̃is ac dilecto filio ... Preposito ecclesie Pomezaniensis, ut predictas litteras exequantur. Datum ut supra.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Henrico Werneri Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi, qui pluribus annis in Artibus et Iure Canonico studuit, consideratione Waldemari Regis Dacie, cuius Capellanus existit, Canonicatum et prebendam in Cracoviensi ecclesia, indulgetque, ut in Swerinensi, Caminensi et in Gustrowiensi Caminensis diocesis ecclesiis Canonicatus et prebendas maiores sub expectatione obtinere possit. Datum Avinione III. Id. Martii. Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Theodoro de Hammer Canonico Osiliensi, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi consideratione Waldemari Regis Dacie, cuius familiaris existit, Canonicatum in ecclesia Osiliensi. Datum Avinione viii. Kal. Aprilis. Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Zavissio de Lescino Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi, in Iure Canonico perito et ex nobilibus illarum partium procreato, consideratione Bodzache Episcopi Cracoviensis Canonicatum in eadem ecclesia, indulgetque, ut custodiam ecclesie Wisliciensis Cracoviensis diocesis retinere possit. Datum Avinione v. Kal. Iulii. Anno Secundo.

In e. m. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, ac dilectis filiis ... Abbati monasterii de Andreow Cracoviensis diocesis ac ... Decano ecclesie S. Agricoli Avinionensis, ut predictas exequantur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Theodorico Vresen Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in eadem ecclesia, indulgetque, ut Canonicatum et prebendam in Revalensi ecclesia et parrochialem ecclesiam in Goldenbeke Osiliensis diocesis retinere possit. Dat. Avinione Id. Maii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Preposito ecclesie Wislicziensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Mandat ipsi, ut Bozate Vislai Scolastico ecclesie Wislicziensis consideratione Kazimiri Regis Polonie, cuius dilectus et dispensator generalis existit, Canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi conferri curet, non obstante, quod idem in Wislicziensi Scolastriam et in sancti Egidii Cracoviensis ecclesiis prebendam obtinet. Datum Avinione xiii. Kal. Novembris. Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro Martini Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi, qui Padue per quatuor annos in Iure Canonico studuit, Canonicatum et prebendam in ecclesia Warmiensi, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Budvitz Olomucensis diocesis retinere possit. Datum Avinione vii. Id. Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Venerabilibus fratribus ... Archiepo Pragensi et ... Wratislaviensi Epo executoribus.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro de Gostina Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi, qui per xx. annos et ultra in diocesi Wratislaviensi Camere apostolice succollector erat, in Cracoviensi ecclesia Canonicatum et prebendam, indulgetque, ut Canonicatum et prebendam ecclesie Wratislaviensis et parrochialem ecclesiam sancti Nicolai extra muros Wratislavienses retinere possit. Datum Avinione ii. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Curoniensi, salutem etc. Mandat ipsi, ut Iohanni de Thisenhusen clerico Tarbatensi consideratione Waldemari Dacie Regis, cuius dilectus existit, Canonicatum et prebendam in ecclesia Tarbatensi conferri curet. Datum Avinione viii. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Pilgerimo, nato quondam Friderici Pechwinkil militis, Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam Warmiensis ecclesie, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Mewa Wladislaviensis diocesis retinere possit. Datum Avinione xiv. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Metzlao de Snotzske Canonico ecclesie Scarbimiriensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi precibus Bodzace Episcopi Cracoviensis, cuius notarius et commensalis est, beneficium ecclesiasticum in diocesi Cracoviensi vacaturum. Datum Avinione v. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati monasterii Tynciensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Mandat ipsi, ut Alberto Petri de Scarbimiria perpetuo Vicario eccl. S. Margarethe in Malogostz Gneznensis dioc., consideratione Regis Polonie, cuius dilectus est, Canonicatum eccl. S. Iohanni Bapt. in Scarbimiria Cracov. dioc. conferri curet. Datum Avinione iii. Id. Aprilis. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. VII. cod. chart. fol. 371. et Tom. VIII. fol. 187, 279, 402, 403, 407, 416, 435, 436, 453, 468. et Tom. IX. fol. 367, 390, 395, 410, 425, 429, 470, 514.

DCCCXLIV.

Sbilutus Vladislaviensi ecclesiae in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Urbanus episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Sbiluto Electo Wladislaviensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum omnium cure nostre divina providentia commis-

sarum spiritualiter et temporaliter augeatur, quodque illis, presertim que suis destitute pastoribus vacationis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros preficere studeamus, per quorum regimen ecclesie ipse utiliter et salubriter valeant gubernari. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud apostolicam sedem vacantium, et inantea vacaturarum apud eam ordinationi et dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret acceptari. Postmodum vero ecclesia Wladislaviensi ex eo apud dictam sedem vacante, quod venerabilis frater noster Mathias Episcopus olim Wladislaviensis regimini Wladislaviensis ecclesie, cui tunc preerat, ex certis causis rationabilibus per dilectum filium Iohannem Advocati de Czarnicow, Canonicum dicte ecclesie, procuratorem suum, ad hoc ab eodem Episcopo speciale et sufficiens mandatum habentem, in manibus dilecti filii nostri Nicolai sancte Marie in Via lata diaconi Cardinalis apud sedem eandem libere et sponte cessit, dictusque Cardinalis de speciali mandato nostro super hoc facto oraculo vive vocis cessionem huiusmodi apud sedem admisit eandem: Nos ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis detrimenta patiatur, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Prepositum dicte ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedignorum testimonio commendatum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prefata Wladislaviensis ecclesia per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, grataque in cisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur tuis a domino impositum humeris suscipiens reverenter, sic te in ipsius administratione solicite, prudenter et fideliter exercenda exhibeas studiosum, quod prefata ecclesia per laudabilis tue diligencie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Capitulo ecclesie Wladislaviensis, clero et populo civitatis et diocesis Wladislaviensis, Archiepiscopo Gneznensi et Kazimiro Regi Polonie Illustri etc. ut in aliis similibus.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. ep. 9. fol. 566.

DCCCXLV.

Iudicibus, ut episcopum et cives Tarbatenses contra vexationes fratrum hospitalis S. Mariae Teutonicorum defendant.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Verdensi et . . . Lubicensi ac . . . Osiliensi Episcopis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Tarbatensis peticio continebat, quod ecclesia sua Tarbatensis, in finibus christianitatis et inter infideles situata, ab ipsis infidelibus, qui paganorum more eosdem Episcopum et ecclesiam suosque subditos undique potenter opprimunt et invadunt, quasi ex omni parte taliter inclusa existit, quod ipsi Episcopo suisque subditis de civitate et diocesi Tarbatensibus, que quidem civitas Episcopo, qui est pro tempore, et ecclesie Tarbatensi pleno iure subiecta existit, ad alias partes christianorum ire et redire volentibus non patet exitus et reditus, nisi dumtaxat per terras dilectorum filiorum . . . Magistri et fratrum hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani, quodque fratres hospitalis eiusdem olim per Episcopos Tarbatenses, qui tunc erant, eiusdem Iohannis predecessores, ad diocesim Tarbatensem predictam pro defensione christianitatis et novelle plantationis fidelium illarum partium, et ad hoc presertim, ut Episcopos, qui forent pro tempore, et ecclesiam Tarbatensem ab insultibus infidelium tuerentur, vocati inibique etiam collocati ac de bonis ipsius ecclesie pro defensione et tuicione huiusmodi multis terris et possessionibus, quas ab Episcopo et ecclesia predictis tenent in feudum, in abundancia maxima per eosdem predecessores copiose dotati fuerunt; sed fratres ipsi velut ingrati feudi et beneficiorum huiusmodi immemores, causam, propter quam vocati fuerunt, non attendentes, magis ad subiectionem chri-

stianorum quam ad eorum tuicionem anelant, omnia quasi illarum parcium dominia sibi usurpare et eorum finaliter subicere dicioni volentes, ad quod perficiendum fratres ipsi dictos Episcopum et subditos et alios fideles de civitate et diocesi predictis eorum afflictionibus non compaciendo, sed ipsos forcius affligendo perstringunt, ac hostiliter et longe durius quam infideles opprimunt et invadunt, et quod deterius est, dicti Magistri et fratres cupientes exterminium finale Episcopi et subditorum, ac civium et civitatis Tarbatensium predictorum passus et itinera terrarum suarum, per que ad civitatem ipsam, in qua pre ceteris locis illarum parcium mercimoniorum genera haberi et mercatorum multitudo maior congregari consueverunt, necnon ad partes circumadiacentes liber itinerantibus universis patebat accessus, faciunt custodiri, ut non nisi personis, quibus volunt, accessus et egressus patcant, sicque civitas ipsa exitum et reditum liberum non habendo, cuiusdam quasi obsidionis angustie dispendia cogitur deplorare, quodque fratres ipsi ad validandum fortius obsidionem huiusmodi prohibuerunt et expresse prohibent omnibus et singulis illarum parcium mercatoribus, et aliis hominibus quibuscunque, cuiuscunque status existant, qui causa exercendarum mercium aliisve de causis ad civitatem predictam se conferre consueverant, quod nullus eorum merces aut alias res quascunque pro necessitate et utilitate dictorum Episcopi, civium et civitatis per terras ipsorum ducat vel reducat, sub penis gravissimis ad hoc appositis et adiectis, facultatem aufferentes omnimodam civibus et mercatoribus huiusmodi consueta invicem commercia exercere, propter quod status Episcopi, subditorum, civium et civitatis eorundem quam pluribus periculis et incommodis noscitur subiacere, eisque excidium quodammodo imminere videtur. Et hiis ecce non contenti fratres ipsi mala malis accumulando, ipsos Episcopum, subditos, cives et civitatem in iuribus et libertatibus eorum impediverunt multipliciter et impediunt, non permittentes ipsos moneta sua, cuius fabricatio ab antiquo ad Episcopum Tarbatensem, qui est pro tempore, eo quod superior dominus temporalis in dictis civitate et diocesi Tarbatensibus existit, ratione huiusmodi superioritatis et dominii noscitur pertinere, et qua moneta tam ipse Episcopus quam subditi, cives ac civitas predicti et predecessores ipsorum hactenus usi sunt, uti libere et gaudere, propter quod in eorum bonis et redditibus defectus multiplices et dampna quam plurima patiuntur. Et ut Magister et fratres predicti propositi sui perversum affectum ad finem perducant optatum, occasionemque habeant civitatem ipsam invadendi, exquisitis causis frivolis, non causam pro causa fingentes, cives predictos diffidarunt et diffidant, eisque iniurias et terrores incusserunt et incutunt, ac dampna plurima comminantur inferre, ut ipsos tirannidi eorum resistere non valentes, tandem sue indebite subiciant servituti, ac dominia parcium illarum liberius valeant usurpare, ex quibus status fidelium et neophitorum in partibus illis existentium periclitatur omnino, stragesque, seditiones et incommoda ac nonnulla gravamina et pericula timentur verisimiliter evenire. Quare pro parte dicti Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis paterna solicitudine curaremus. Nos igitur iuiurias et oppressiones huiusmodi, si sit ita, plurimum detestantes, predictis supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si vocatis evocandis de premissis summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii constiterit, Magistrum et fratres predictos auctoritate nostra monere curetis, ut ab oppressionibus, diffidationibus, molestationibus et perturbationibus supradictis, ac omnibus aliis et quibuscunque iniuriis et violentiis dictorum Episcopi, civium et civitatis omnino abstineant et desistant, ipsosque moneta sua, sicut hactenus usi sunt, libere uti, mercatores et personas alias cum mercibus aut aliis rebus ad civitatem predictam per terras eorum ire et redire volentes tute transire permittant, nullaque ipsis itinerantibus impedimenta inferant, nec terrarum suarum itinera sive passus impediant, ipsos Magistrum et fratres ad hoc, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam aliasque penas, de quibus vobis videbitur, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne aliquis etc. Datum Avinione x. Kalendas Februarii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XI. cod. chart. fol. 508.

DCCCXLVI.

Abbati Tinciensi, ut de quodam monasterio monialium ord. S. Augustini per Casimirum regem fundando in civitate Cracoviensi, et de quantitate dotis, numero monialium et aliis se informet et referat.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati Monasterii Tinciensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie Illustris

peticio continebat, quod ipse de salute propria cogitans, ac cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, proponit de bonis suis a deo sibi collatis pro divini cultus et sacre religionis augmento ad honorem dei et sanctarum Agnetis et Dorothee virginum et beate Anne fundare, constituere et dotare in civitate Cracoviensi unum monasterium monialium ordinis sancti Augustini, que sub cura et secundum instituta ordinis fratrum Predicatorum vivere debeant et perpetuum altissimo reddere famulatum: Quare pro parte dicti Regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut sibi faciendi premissa licenciam concedere dignaremur. Nos itaque cupientes de huiusmodi ipsius Regis proposito et omnibus negotium ipsum concernentibus plenius informari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis, et presertim de quantitate dotis et numero monialium predictorum et aliis, que circa predicta fuerint attendenda, te diligenter informare, et quecunque per informationem huiusmodi reppereris, et que alias tibi circa hec videantur agenda, per tuas litteras harum seriem continentes tuoque sigillo signatas nobis plenarie referre et insinuare procures, ut tua relatione recepta possimus super hoc consultius providere. Datum Avinione Nonis Februarii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. ep. 188. fol. 238.

DCCCXLVII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut Nicolao de Cozuchow archidiacono Cracov. de aliqua capituli Cracoviensis villa campestri provideat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus de Cozuchow Archidiaconus ecclesie Cracoviensis fide dignorum commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur in exhibitione gracie liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod in diocesi Cracoviensi sunt nonnulle ville campestres consuete in beneficia perpetua tamquam patrimoniales porciones Canonicis eiusdem ecclesie dumtaxat assignari, ac iuxta ipsius ecclesie statuta ville ipse, cum vacant, eisdem Canonicis in dignitate maioribus et antiquioribus secundum eorum receptionis ordinem per dilectos filios Capitulum eiusdem ecclesie conferri et assignari consueverunt et debent, et quod licet dictus Nicolaus, qui etiam ipsius ecclesie Canonicus prebendatus existit, aliis prefate ecclesie Canonicis maior dignitate, et in receptione antiquior ac in assecucione villarum earundem pocior existeret et existat, ac plures ex dictis villis successive vacaverint, tamen iidem Capitulum villas ipsas non eidem Nicolao, sed aliis predicte ecclesie Canonicis in dignitate minoribus, et in receptione iunioribus contulerunt contra statuta predicta temere veniendo. Nos igitur volentes eundem Nicolaum premissorum meritorum suorum intuitu, necnon consideracione Carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris, pro dicto Nicolao nobis super hoc humiliter suplicantis, favore prosequi gracie specialis, ac de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in dño fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si vocatis dictis Capitulo et aliis, qui fuerint evocandi, premissa repereris veritate fulciri, unam de dictis villis, si qua vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam idem Nicolaus per se vel procuratorem suum ad hoc legittime constitutum infra unius mensis spacium, postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandam, eidem Nicolao cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni tue auctoritate nostra reserves, districtius inhibendo dictis Capitulo, ne de huiusmodi villa interim eciam ante acceptacionem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod Nicolaus vel procurator predicti illam noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac nichilominus huiusmodi villam, quam reservabis, si, ut premittitur, vacat vel cum vacaverit, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis post acceptacionem predictam dicto Nicolao auctoritate predicta conferre et assignare procures, inducens per te vel alium seu alios eundem Nicolaum vel dictum procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ville, ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, sibique faciens de ipsius ville fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus unica vice responderi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis etc. seu quod in Gneznensi Canonicatum et prebendam, et in dicta Cracoviensi ecclesiis Archidiaconatum, et medietatem ville dicte Tave Cracoviensis diocesis in perpetuum beneficium assignari consuetam noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse, quam primum vigore presentium aliquam ex dictis villis fuerit pacifice assecutus, dictam mediatem ville

prefate, quam, ut prefertur, obtinet, quamque extunc vacare decernimus, omnino, prout ad id se sponte obtulit, demittere teneatur, et insuper irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione VI. Id. Februarii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XII. cod. chart. fol. 405.

DCCCXLVIII.

Casimirum regem Poloniae de eo, quod Carolus imperator nunquam procuraverit, ut ecclesia Vratislaviensis a subiectione Gnesnensis ecclesiae liberetur et Pragensi subiiciatur, et de episcopo Vormatiensi certiorem pontifex reddit.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Cum ad officii nostri debitum spectet non solum pacificare discordes, sed futuris discordiis et scandalis obviare, et ad audienciam nostram pervenerit, quod quidam maliloqui seminare inter fratres benivolos zizaniam satagentes, tue sublimitati retulerunt, quod Carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus apud sedem apostolicam procurasset, quod ecclesia Wratislaviensis liberaretur a subiectione ecclesie Gneznensis, cui ut sue metropoli subesse dinoscitur, et subiceretur ecclesie Pragensi, de quo tua sublimitas contra dictum Imperatorem dicitur perturbata: Nos intendentes in hac parte perhibendo testimonium veritati huiusmodi tuam perturbationem tollere, ac omnem inter te et ipsum Imperatorem fraternam benivolenciam conservare, Celsitudinem tuam certam reddimus per presentes, quod idem Imperator nunquam directe vel indirecte apud nos huiusmodi fecit negocium procurari, ad hec adicientes, quod Venerabilis frater noster Theodericus Episcopus Wormaciensis apud nos nusquam laboravit impedire tuam supplicationem, per quam nobis supplicare curasti, quod Electi et postulati ad Cathedrales ecclesias Regni tui non tenerentur personaliter ad Romanam Curiam accedere, sed possent suarum electionum et postulationum negocia per procuratores legitimos promovere. Igitur Serenitatem Regiam rogamus attente, quod de hiis tuus animus totaliter conquiescat, dictosque Imperatorem et Episcopum solite dilectionis plenitudine prosequaris. Datum Avinione VI. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. fol. 53.

DCCCXLIX.

Universis fidelibus capellam S. Spiritus in hospitali pauperum Vislicensi dioc. Crac. visitantibus indulgentiae conceduntur.

Urbanus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut Capella sancti Spiritus in hospitali pauperum opidi Weliczca Cracoviensis diocesis consistens, que per Carissimum in Christo filium nostrum Cazimirum Regem Polonie Illustrem canonice dicitur esse constructa pariter et dotata, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes nec non in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli et dicte Capelle dedicationis festivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, et per octavas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon ipsius beate Marie Virginis Nativitatis et Assumptionis, ac Nativitatis dictorum beati Iohannis et Apostolorum Petri et Pauli festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam Capellam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum, celebritatis et octavarum ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam Capellam visitaverint, ut prefertur, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Datum Avinione VI. Nonas Marcii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. fol. 239.

DCCCL.

Conrado de Bruynsberg, ut capitulum fratrum hospitalis S. Ioannis Ierosolimitani in oppido Carpentoractensi personaliter accedat.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Conrado de Bruynsberg priori prioratus Alamanie hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, salutem etc. Perfidorum Turchorum Crucis hostium ac persecuto-

rum immanium populi christiani adeo peccatis exigentibus, et ex christianorum desidia excrevit potencia et grassatio sedula in christifideles de partibus orientis, quod insula Rodi, in qua, sicut nosti, resident dilecti filii ... Magister et Conventus ordinis hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, cuius ordinis tu professor et honorabile membrum existis, et alie vicine sibi partes fidelium, quod prout ex notificatione dictorum Magistri et Conventus et nonnullorum fidedignorum relationibus multiplicatis dolenter audivimus, nisi celeriter succurratur eisdem, sunt in magno periculo constitute: propter quod nos cupientes de possibili et celeri in hac parte remedio providere, cum negocium generalis passagii, quod moleste referimus, non procedat solicite de presenti, et ingruens necessitas exigat, quod dictis partibus de fidelium subsidio congruo celeriter succurratur, per dictos Magistrum et Conventum, ac quosdam magnates et potentes populos certam unionem ad habendum quarumdam gentium armigerarum et galearum numeros ad defensionem dictarum insule ac partium, impugnationemque dictorum Turchorum providimus de proximo faciendam. Cum itaque ad providendum pro parte dictorum Magistri et Conventus de personis et sumptibus pro unione huiusmodi oportunis ordinatum sit, de nostro beneplacito et auctoritate prefatorum Magistri et Conventus in civitate nostra Carpentoratensi, prope Romanam Curiam constituta, per dilectum filium Guidonem de Turre dicti hospitalis Marescallum, prefatorum Magistri et Conventus nuncium ad hoc specialiter deputatum, teneri generale Capitulum omnium priorum et quorumdam preceptorum eiusdem ordinis consistentium in partibus cismarinis, assembleyam vulgariter nuncupatam, ipseque Marescallus et nuncius ad hoc specialiter per suas litteras te requirat per presentium portitorem, ut tu et quatuor preceptores tui prioratus, quos ad hoc pro melioribus duxeris eligendos, ad assembleyam veniatis eandem, te et eosdem preceptores hortamur attente, tibi et ipsis sub excommunicationis pena mandantes, quatinus huiusmodi requisitioni et mandatis Marescalli prefati super adventu vestro ad assembleyam eandem parere humiliter et efficaciter studeatis, alioquin tam ipse Marescallus auctoritate dictorum Magistri et Conventus, quam nos curaremus contra vestram inobedienciam de oportuno remedio providere. Datum Avinione XVIII. Kal. Maii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XI. cod. chart. fol. 522.

DCCCLI.

Praeposito et conventui monasterii Tremesnensis Gnesnensis dioecesis quoddam privilegium Eugenii III, quo una cum suis villis et possessionibus expressis sub B. Petri protectione suscipiuntur, transcribitur.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis ... Preposito et Conventui monasterii Tremesnensis, per Prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Augustini Gneznensis diocesis, salutem etc. Vestre devotionis sinceritas promeretur, ut vos et monasterium vestrum paterno prosequentes affectu petitiones vestras, quantum cum deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Tenorem igitur cuiusdam privilegii felicis recordationis Eugenii pape III. predecessoris nostri, eiusdem predecessoris et bone memorie nonnullorum Episcoporum, presbiterorum et diaconorum sancte Romane ecclesie Cardinalium, qui tunc erant, suscriptionibus et signis consuetis in talibus roborati, quod incipit vetustate consumi, et quod inspici et examinari fecimus diligenter, de verbo ad verbum ad vestre supplicationis instanciam presentibus absque signis et subscriptionibus predictis annotari fecimus: qui talis est. Eugenius episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Bernardo Preposito Cremocensis ecclesie eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, Imperpetuum et ociens illud a vobis (?). Quod rationi et honestati conveniens esse dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium, ut fidelis et pia devotio celerem consequatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia impresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hoc propriis duximus exprimenda vocabulis, Cremesen cum hominibus et pertinenciis suis, villam Ovetisson cum foro, Capella in Lonsicia cum omnibus ad eam pertinentibus, Wasnon forum cum villa, Luben cum lacu, Velacon cum lacu, Camen lacus cum duabus villis superiacentibus, Strelen, Pilchuchon, Palenda, Mloderono, Woglono, Chomese cum lacu. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones

aufferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et conservatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesanorum Episcoporum canonica iusticia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens temere contra eam venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax dñi nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum Iudicem premium eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum Parisiis per manum Hugonis presbiteri Cardinalis, agentis vicem domini Guidonis dei sancte Romane ecclesie diaconi Cardinalis et Cancellarii, II. Kalendas Iunii. Indictione X. Incarnationis dominice anno MCXLVII. Pontificatus dñi Eugenii pape III. anno tertio. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, huiusmodi privilegium auctoritate apostolica innovamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius alicui de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. Datum Avinione XI. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. ep. 640. fol. 494.

DCCCLII.

Nicolao Truoliui et Hermanno Craus civibus Cracoviensibus conceditur, ut unusquisque altare in parochiali ecclesia B. Mariae Virginis Cracoviensi fundare et dotare possit.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Truolini Civi Cracoviensi, sal. etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitiones tuas, et presertim illas, que divini cultus augmentum et animarum salutem respicere dinoscuntur, quantum cum deo possumus, ad exauditionis graciam favorabiliter admittamus. Sane peticio pro parte tua nuper nobis exhibita continebat, quod tu de propria salute cogitans, et cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio mutare, quoddam altare in parrochiali ecclesia beate Marie Virginis Cracoviensi fundare, et de bonis a deo tibi collatis pro uno perpetuo capellano ibidem domino servituro sufficienter dotare proponis. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi faciendi premissa licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, tuum pium et laudabile propositum plurimum in domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi fundandi et construendi predictum altare in prefata ecclesia, dote sufficienti primitus per te predicto Capellano, ut premittitur, assignata, ac iure dicte parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, ac etiam iure patronatus in dicto altari tibi et heredibus tuis imperpetuum reservato, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium licenciam elargimur. Nulli ergo etc. Datum Avinione Idibus Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Eadem gracia conceditur Hermanno Craus Civi Cracoviensi. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. fol. 553.

DCCCLIII.

Iudicibus, ut sententiam pro Ioanne Petri Brunonis canonico Vratislaviensi contra quondam Wenceslaum ducem Silesiae latam exsequantur, et filios eiusdem ducis ad praedicto Ioanni satisfaciendum censuris ecclesiasticis compellant.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis ... Decano et ... Cantori ac ... Thesaurario ecclesie Poznaniensis, salutem etc. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii Iohannis Petri Brunonis Canonici ecclesie Wratislaviensis peticio continebat, quod olim ipse et quondam Albertus eius frater, clericus perpetuus beneficiatus in ecclesia predicta, contra quondam Wenceslaum ducem Slezie Wratislaviensis diocesis, qui super quibusdam pecuniarum summis, terris, possessionibus et rebus aliis ad eos communiter spectantibus iniuriabatur eisdem, super hiis apostolicas ad Officialem Wratislaviensem in communi forma litteras impetravit, dictumque Wenceslaum super quadam pecunie summa tunc expressa, in qua eis communiter ex causa etiam tunc expressa legitime tempore impetracionis dictarum litterarum, et tunc etiam tenebatur, petendo ipsum condempnari et compelli ad dandum et solvendum sibi huiusmodi pecunie summam, corum predicto Officiali huiusmodi litterarum vigore traxerunt in causam,

idemque Officialis, cognitis huiusmodi cause meritis, et iuris ordine observato, pro dictis Iohanne et Alberto diffinitivam sentenciam promulgavit, et deinde dictus Albertus viam fuit universe carnis ingressus, dicto Iohanne sibi universali herede relicto. Postmodum vero, premissis omnibus pro parte dicti Iohannis nobis expositis, nos Venerabili fratri nostro ... Episcopo Poznaniensi, cum dictus Iohannes, sicut asserebat, predicti ducis potenciam merito perhorrescens, eum infra civitatem seu diocesim Wratislaviensem nequiret convenire secure, nostris dedimus litteris in mandatis, ut si esset ita, sentenciam ipsam, sicut esset iusta, faceret auctoritate nostra, usuris cessantibus, appellatione remota, firmiter observari, prefatusque Iohannes eundem ducem fecit super premissis coram eodem Episcopo auctoritate huiusmodi litterarum nostrarum ad iudicium evocari, idemque Episcopus, quia sibi legitime constitit, huiusmodi sentenciam fore iustam, prefatum ducem per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut infra certum peremptorium terminum competentem tunc expressum eidem sentencie cum effectu pareret, et deinde in ipsum Wenceslaum huiusmodi monicioni infra dictum terminum vel etiam post parere, aut coram eodem Episcopo causam aliquam rationabilem, quare ad hoc minime teneretur, allegare contumaciter non curantem, excommunicationis sentenciam promulgavit, iusticia exigente, ipsumque mandavit et fecit excommunicatum publice nunciari, et deinde sentenciam huiusmodi multipliciter aggravavit. Ac postmodum, sicut eadem peticio subiungebat, idem Wenceslaus nulla super hoc satisfactione impensa, dicta sentencia, quam per annum et amplius sustinuerat animo indurato, sic ligatus viam extitit universe carnis ingressus, dilectis filiis nobilibus viris Ruperto, Wenceslao, Henrico et Boleslao eius natis, domicellis dicte Wratislaviensis diocesis, sibi universalibus heredibus relictis, quodque dilecta in Christo filia Anna relicta dicti ducis vidua dicte diocesis, corpus dicti ducis ad cimiterium ecclesie Legnicensis dicte Wratislaviensis diocesis portari fecit, ipsoque corpore ibidem existente ac pannis sericis cooperto, et nonnullis luminaribus circumdato, ... Decanus et Capitulum ac universi vicarii eiusdem ecclesie ad quandam capellam suam ita prope dictum cimiterium consistentem, quod de ipso cimiterio officium, dum in dicta ecclesia cantabatur, audiri poterat, se conferentes, in eadem capella missam et alia divina officia pro commemoratione defunctorum pluries solemniter cantando celebrarunt, et deinde dicta Anna prefatum corpus conniventibus Decano et Capitulo supradictis in dicto cimiterio fecit tumulari in ecclesiastice discipline contemptum, dicti Iohannis preiudicium et scandalum plurimorum, quodque prefati heredes predicto Iohanni de premissis, in quibus eorum pater, ut premittitur, fuerit condempnatus, satisfacere non curarunt. Quare pro parte dicti Iohannis nobis fuit humilites supplicatum, ut providere ei super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis, qui fuerint evocandi, vobis constiterit, quod in dicto duce tempore mortis suc apparuerint signa penitencie manifesta, dictos heredes ad observationem sentencie predicte, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, usuris cessantibus, compellatis; alioquin si de huiusmodi signis contritionis vobis non constiterit, ut prefertur, corpus dicti ducis, si a fidelibus corporibus discerni poterit, exhumari faciatis, et procul ab ecclesiastica sepultura iactari; super aliis vero, auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, simili appellatione cessante, decernatis, facientes, quod decreveritis, censura simili firmiter observari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem etc. Datum Avinione XVI. Kal. Iunii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. ep. 274. fol. 267.

DCCCLIV.

Episcopo Vratislaviensi, ut archiepiscopum Gnesnensem ab vexandis praeposito et conventu monasterii Tremesnensis ordinis S. Augustini desistere compellat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Peticio dilectorum filiorum Guewomiri prepositi et conventus monasterii Tremesnensis, per prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Augustini Gneznensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod licet electio prepositi dicti monasterii ad dictos conventum et confirmatio electionis huiusmodi ad Archiepiscopum Gneznensem, qui est pro tempore, etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, ipsique conventus eundem Guewomirum in prepositum eiusdem monasterii tunc vacantis elegerunt, ac venerabilis frater noster Iaroslaus Archiepiscopus Gneznensis electionem huiusmodi confirmaverit canonice, ipseque Guewomirus dictum monasterium ex tunc laudabiliter rexerit atque

regat, tamen idem Iarislaus Archiepiscopus prefatum Guewomirum prepositum ab eodem monasterio nisus est et nititur pro sue libito voluntatis, et absque causa rationabili amovere, et quendam Episcopum religiosum in eodem monasterio intrudere, seu eidem preposito in coadiutorem deputare in prioris et conventus preiudicium ac monasterii predictorum lesionem enormem: Quare dicti prepositus et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut eis providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis dictis Archiepiscopo et Episcopo, et aliis, qui fuerint evocandi, premissa inveneris ita esse, prefatum Archiepiscopum, ut a predictis gravaminibus deinceps omnino desistat, auctoritate nostra, appellatione remota, compellas, Non obstante, si eisdem Archiepiscopo et Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione III. Nonas Iunii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. Part. I. cod. chart. ep. 373. fol. 298.

DCCCLV.

Eidem, ut cum Belicone et Iuta de matrimonio iam contracto dispenset.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Oblata nobis pro parte nobilis viri Beliconis dicti Cormez domicelli et nobilis mulieris Iute, nate quondam Czakonis de Teschyn tue diocesis peticio continebat, quod olim ipsi ignorantes se quarto consanguinitatis gradu invicem fore coniunctos, licet scirent alias inter eos consanguinitatem existere, matrimonium per verba de presenti invicem contraxerunt, illudque carnali copula consumarunt et prolem exinde procrearunt: postmodum vero ad ipsorum Beliconis et Iute pervenit noticiam, quod ipsi dicto quarto consanguinitatis gradu erant, prout sunt, coniuncti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, si perpetua fieret inter eos separatio, gravia scandala possent inde exoriri, pro parte ipsorum Beliconis et Iute fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de absolutionis ab excommunicationis sentencia, quam propterea incurrerunt, beneficio et oportune dispensationis gracia de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui salutem animarum querimus singulorum, cupientes scandalis huiusmodi obviare, ipsorum Beliconis et Iute in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita et tibi expediens videatur, quod dicta concedatur dispensatio, super quo tuam conscienciam oneramus, ipsis Belicone et Iuta ad tempus separatis, de quo tibi videbitur expedire, ipsos a sentencia excommunicationis, quam propter premissa incurrisse noscuntur, iuxta formam ecclesie absolvas, iniunctis eis inter alia sub virtute iuramenti prestandi, quod similia de cetero non committant, nec facientibus prebeant auxilium, consilium vel favorem, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et demum cum eisdem Belicone et Iuta, dummodo ipsorum parentum et consanguineorum eorum citra tercium gradum ad id accedat assensus, dictaque Iuta propter hoc rapta non fuerit, ut impedimento, quod ex premissis provenit, non obstante, matrimonium invicem de novo contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, licite remanere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legittimam decernendo. Volumus autem, quod alter ipsorum Beliconis et Iute alterius superviventis perpetuo remaneat innuptus. Datum Avinione II. Nonas Iunii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. Part. I. ep. 299. cod. chart. fol. 274.

DCCCLVI.

Ducibus Theschinensi et Opoliensi indulgetur, ut in locis interdictis missam et alia divina officia sibi facere celebrari possint.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Prsemislao Duci Theschinensi, salutem etc. Devotionis tue sinceritas promeretur, ut votis tuis, in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presencium indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contingerit declinare, liceat tibi in illis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce tibi et familiaribus tuis domesticis missam et alia divina officia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter

interdici. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione Nonis Iunii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Eadem gracia conceditur nobili viro Bolconi Duci Opoliensi. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. ep. 398. fol. 307.

DCCCLVII.

Episcopo Vratislaviensi, ut causam inter Arnaldum de Caucina et Ioannem ducem Ossvenciniensem super quibusdam decimis scholatriae Cracoviensis audiat et decidat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Arnaldi de Caucina Scolastici ecclesie Cracoviensis peticio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Iohannes Dux Ossvenciniensis dicte diocesis super quibusdam decimis, ad ipsum Arnaldum racione Scolastrie sue dicte ecclesie pertinentibus, et pecuniarum summis et rebus aliis iniuriatur eidem. Nos itaque ipsius Arnaldi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audias causam, (et) appellatione remota, usuris cessantibus, debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per censuram firmiter observari, Testes autem, qui nominati fuerint etc. Non obstantibus etc. Datum Avinione vi. Kalendas Septembris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. X. cod. chart. fol. 273.

DCCCLVIII.

Arnaldo de Caucina, ut pecuniam ex decimis collectam mercatoribus Florentinis Venetiis, Bruxellis seu Brugis assignet.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum dilectus filius Thomas Morus de Albertis mercator Florentinus, Romanam curiam sequens, ibidem procurator et factor dilectorum filiorum nobilis viri Nicolai Iacobi Militis, et Benedicti Nerocii de Albertis antiquis de Florencia octo milia florenorum auri boni ponderis, vel eorum valoris summam tradendam per te vel alium seu alios nomine tuo in loco de Veneciis aut Broyssellis seu Brugis prefatis Nicolao Iacobi et Benedicto Nerocii, seu eorum alteri, aut alii seu aliis de speciali mandato ipsorum infra duos menses, a tempore receptionis per eos de dictis florenis faciende immediate sequentes, gentibus Camere nostre in dicta Curia suis periculo et expensis se et sua ac ipsorum Nicolai et Benedicti bona ad hoc efficaciter obligando promiserit assignare: discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios de proventibus et iuribus ad Cameram pertinentibus antedictam in partibus, ubi es nuncius apostolicus deputatus, iam collectis, seu inantea colligendis de predicta octo milium florenorum auri summa prefatis Nicolao et Benedicto, vel eorum alteri, aut alii seu aliis eorum seu alterius ipsorum ad hoc speciale mandatum habentibus, quibus huiusmodi summam recipiendi, et de receptis te quitandi concedimus per alias nostras litteras facultatem, tradas illico et assignes quatuor milia florenorum, et statim cum per litteras gentium dicte Camere, aut alias tibi legittime constiterit, per eundem Thomam aut alium seu alios eius nomine dicta quatuor milia florenorum sic recepta fore prefatis gentibus dicte Camere assignata, tu reliqua quatuor milia florenorum eisdem tradere et assignare procures; ita quod per duas soluciones per te, ut predicitur, faciendas predicta summa octo milium florenorum sit eisdem Nicolao et Benedicto integraliter assignata, de quibus quidem singulis assignationibus duo publica consimilia fieri facias instrumenta, quorum altero penes quos tanget dimisso, reliquum eidem Camere nostre absque more dispendio mittere non postponas. Datum Avinione x. Kal. Octobris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. fol. 332.

DCCCLIX.

Praedictis mercatoribus, ut dictam summam ab eodem Arnaldo recipiant.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis nobili viro Nicolao Iacobi Militi, et Benedicto Nerocii de Albertis antiquis de Florencia, salutem etc. Per alias nostras damus litteras in mandatis dilecto filio Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncio, ut vobis seu alteri vestrum, aut alii seu aliis a vobis super hoc speciale mandatum habentibus octo milium florenorum auri boni ponderis vel eorum valoris summam in loco de Veneciis, aut Broyssellis seu Brugis de proventibus et iuribus ad Cameram apostolicam pertinentibus in partibus, ubi est nuncius apostolicus de-

putatus, iam collectis, seu in antea colligendis modo subscripto tradat realiter et assignet: quam quidem florenorum auri summam dilectus filius Thomas Morus de Albertis mercator florentinus, Romanam curiam sequens, ac ibidem factor et procurator, infra duos menses a tempore receptionis dictorum florenorum per vos vel alterum vestrum, aut alium seu alios de vestro speciali mandato faciende immediate sequentes, gentibus Camere nostre in dicta curia suis et vestris periculo et expensis se, et sua ac vestra bona ad hoc efficaciter obligando, assignare promisit. Modus autem, per quem eidem nuncio mandavimus per eum vobis vel alicui vestrum dictam pecuniam assignari, talis est, videlicet quod de dicta summa octo milium florenorum idem nuncius vobis vel alicui vestrum tradat et assignet indilate quatuor milia flor. et statim cum per litteras gentium dicte Camere aut alias legitime eidem nuncio constiterit, per dictum Thomam aut alium seu alios eius nomine dicta quatuor milia flor. sic recepta fore prefatis gentibus ipsius Camere assignata, ipse reliqua quatuor milia florenorum vobis vel alteri vestrum statim per se vel alium seu alios tradat etiam et assignet; ita quod per duas soluciones huiusmodi prefata summa octo milium florenorum sit vobis integraliter assignata. Quocirca discretioni vestre a dicto nuncio modo premisso et non aliter petendi et recipiendi, ac de receptis tantummodo quitandi et absolvendi dictum nuncium seu solventes pro eo predictam summam octo milium florenorum auri plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem, quod de hiis, que receperitis de predictis, supradictum Thomam et gentes Camere nostre prefate studeatis fideliter more solito reddere certiores. Datum Avinione x. Kal. Octobris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. fol. 333.

DCCCLX.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Bogumili de Czamecow advocati, Preposito ecclesie Wladislaviensis, sal. etc. Confert ipsi Prepositurام eiusdem ecclesie, quam Sbilutus Episcopus Wladislaviensis tempore sue promotionis obtinebat; indulgetque, ut in ecclesia Poznaniensi Canonicatum et prebendam retinere possit. Datum Avinione xvi. Kal. Februarii. Anno Tercio.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Michaeli Vistow de Perusio Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi, qui in Iure Canonico studet et studii dilectorum filiorum Universitatis Parisiensis Rector fuit, Canonicatum in ecclesia Warmiensi. Datum Avinione xii. Kal. Decembris. Anno Tercio.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao dicto Seresberg Canonico Poznaniensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam in ecclesia Poznaniensi. Datum Avinione iii. Nonas Aprilis. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Grotonis Canonico Cracoviensi, sal. etc. Mandat ipsi, ut Paulo Petri clerico Cracoviensi consideratione Regis Polonie, cuius dilectus existit, beneficium ecclesiasticum in diocesi Cracoviensi conferri curet. Datum Avinione vi. Id. Februarii. Anno Tercio.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Grotonis Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie, cuius dilectus existit, Canonicatum Cracoviensem, quem Sbilutus Epus Wladislaviensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Avinione vi. Id. Februarii. Anno III.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Marquardo Luigherame Canonico Tarbatensi, Baccalario in decretis, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum Tarbatensem, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem S. Trinitatis in Wisby Lincopiensis dioc. retinere possit. Dat. Avinione Non. Februarii. Anno III.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Epo Wratislaviensi, ac Dilecto filio ... Preposito ecclesie sancti Floriani in Suburbio Cracoviensi, salutem etc. Mandat eis, ut Nicolaum Cozuwicz Archidiaconum ecclesie Cracoviensis in pacifica possessione eiusdem Archidiaconatus ac bonorum ad eundem spectantium conservent ac defendant. Datum Avinione vii. Id. Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XI. cod. chart. fol. 300, 338, 386, 478, 505. et Tom. XII. fol. 37, 68 et 505.

DCCCLXI.

Nicolaus ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Electo Plocensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit uni-

versis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, ut per eius providenciam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, per quem ecclesie ipse, superni auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem bone memorie Imislao Episcopo Plocensi regimini Plocensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Imislai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti, ut asseritur, ignari, te Cantorem eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, in eorum et dicte ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi illius tibi presentato decreto licet de facto consensisti, et deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis noticiam, huiusmodi electionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata, et alia inde secuta, prout erant, reputavimus irrita et inania, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis apud nos commendatum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus, necnon dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata ecclesia, gracia tibi assistente divina, per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, grataque suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus onus regiminis ipsius ecclesie tuis a domino impositum humeris devote suscipiens, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod ipsa ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Plocensis, Clero et populo civitatis et diocesis Plocensis et universis vassallis ecclesie Plocensis, Archiepiscopo Gneznensi et Kazimiro Regi Polonie.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 33.

DCCCLXII.

Preczlao ep̃o et capitulo Vratislaviensi oppidum Grotcoviae cum omnibus iuribus et pertinentibus a Boleslao duce Silesiae IIIMCCL. marcis anno MCCCXLIV. emptum, insertis eiusdem ducis et Ioannis regis Bohemiae litteris, confirmatur.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que pro ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum utilitatibus provide acta sunt, ut ea illibata consistant, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte Venerabilis fratris nostri Pretzlai Episcopi et dilectorum filiorum Capituli Wratislaviensium nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipsi a dilecto filio nobili viro Boleslao Duce Slesie opidum Grotkow et eius districtum, ac nonnulla castra, villas, possessiones, prata, silvas, pascua, dominia et iurisdictiones omnes, et alia iura in diocesi Wratislaviensi consistentia pro certo pretio, quod persolverunt dicto duci, emerunt, ac clare memorie Iohanes Boemie Rex emptionem huiusmodi confirmavit, prout in litteris antedictis inde confectis dictorum Ducis et Regis sigillis munitis, quarum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Episcopi et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmationis adicere cum suppletione defectuum, si qui forsan intervenerint, de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsorum Episcopi et Capituli in hac parte supplicationibus inclinati,

emptionem et confirmationem huiusmodi ratas habentes et gratas, illas auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si qui forsan intervenerit in cisdem. Tenores vero dictarum litterarum tales sunt. In nomine domini amen. Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum lapsu temporis a memoria hominum elabantur, convenit ex scripture et testium aminiculo, sicut sapientum sanxit auctoritas, roborari. Hinc est, quod nos Boleslaus dei gracia Dux Slesie et dominus Legniczensis et Bregensis notum facimus omnibus singulis presentium noticiam habituris, quod in bona valitudine mentis et corporis, non illecti, non decepti, sed voluntarie et ex certa sciencia de voluntate et concessu illustris principis domine Katherine conthoralis nostre, et dilectorum filiorum nostrorum Wenzeslai et Ludwici ducum Slesie et dominorum Legniczensium, et habito maturo consilio cum fidelibus nostris terrigenis et deliberatione diligenti, pro nostra magna necessitate rite et rationabiliter, simpliciter et pure vendimus, tradidimus et resignavimus opidum nostrum Grockow cum toto eius distructu, et cum omnibus et singulis homagiis, feudis, castris, iudiciis, obedienciis, subiectionibus, fructibus, redditibus, obvencionibus, iuribus, ductilibus supremis et inferioribus, et aliis iurisdictionibus et pertinenciis quibuscumque in ipso opido et districtu consistentibus, quocumque nomine censeantur, nullo penitus excluso, prout in suis metis et graniciis circumferencialiter sunt distincti, et cum omni eo iure et dominio, quo nos eos dinoscebamus retroactis temporibus possedisse, nichil iuris penitus in ipsis opido et districtu nobis vel dictis conthorali seu filiis reservando, Venerabili in Christo patri domino Preczlao dei gracia Episcopo, et honorabilibus viris dominis Capitulo ecclesie Wratislaviensis et eorum successoribus tenendum, habendum, vendendum, ac titulo emptionis legitime ac iure hereditario et titulo proprietatis perpetuo possidendum, et in utilitatem ipsorum iuxta eorum beneplacitum convertendum, pro tribus milibus marcharum et ducentis quinquaginta marchis grossorum Pragensium numeri seu Polonici pagamenti. Que tria milia marcharum, et ducentas quinquaginta marchas recognoscimus tenore presentium nos a predictis dominis Episcopo et Capitulo in parata pecunia integraliter percepisse, ac in utilitatem seu necessitatem nostram convertisse, omnes et singulos feudales, terrigenas, advocatos, officiales, consules, iuratos, cives, opidanos, incolas et inhabitatores, quocumque nomine subiectionis nuncupantur, in dictis opido et districtu consistentes a debito fidelitatis, quo nobis vel nostris heredibus astricti fuerant, totaliter absolventes, et transferentes in eosdem Episcopum et Capitulum et ipsorum successores omne ius et dominium nostri principatus, que in predictis districtu et opido habebamus. Et ne predicta vel aliquid eorum in recidive oblivionis defectum per quempiam in posterum deducantur, premissa omnia et singula per manum Iohannis nostri notarii conscribi fecimus, et sigillorum nostri, coniugis ac filiorum nostrorum antedictorum appencione munimus. Datum et actum ibidem in Grotkow XIV. Kalendas Februarii, Anno domini millesimo CCC. quadragesimo quarto, Presentibus subvocatis fidedignis, Stephano de Parchowicz, Gunthero de Pegrella, Nicolao Ztamber Militibus, Mersano de Pegrella, Hanlo Ztamber, Octone de Persvitz et Iohanne nostre curie notario, qui presentia habuit in commisso. — Nos Iohannes dei gratia Boemie Rex, Lucemburgensis Comes, princeps supremus Sleszianorum et dominus Wratislavie, tenore presentium recognoscimus et fatemur, quod in nostra presentia constituti Venerabilis in Christo pater dominus Prezcdzlaus Episcopus Wratislaviensis, ac honorabiles viri Octo de Domyn et Nicolaus de Pandvytz doctor decretorum, Canonici et procuratores Capituli Wratislaviensis, nobis humiliter supplicarunt, quatenus bona Grotkow, opidum, districtum, castra, villas, possessiones, prata, silvas, pascua, dominium, iurisdictionem, utilitates, proventus cum pertinenciis quibuscunque, que ab illustri principe domino Bolezlao Duce Slezie et domino Bregensi, sororio nostro dilecto, libero suorum heredum ad hec accendente consensu, emptionis et venditionis titulo interveniente, suis pecuniis compararunt, eis inpheodare, eosque nomine et titulo veri pheudi investire de Regie magestatis munificencia dignaremur. Nos eorum iustis annuentes petitionibus, ipsos videlicet Episcopum et predictos procuratores Capituli vice et nomine Wratislaviensis ecclesie supradicte de bonis predictis nomine veri pheudi secundum naturam et ius commune pheudi, recepto primitus et prestito ab eodem Episcopo et procuratoribus antedictis solito et debito iuramento, investivimus, et presentibus investimus, ut ipsi Ep̃us et Capitulum ac successores eorum nobis et heredibus nostris successoribus regibus Boemie, qui pro tempore fuerint, tanquam vero pheudi domino, ratione bonorum predictorum constanter et fideliter de cetero pareant et intendant. In cuius rei testimonium presentes fieri et sigilli nostri voluimus appencione muniri. Actum et datum Prage, Presentibus Illustri Karolo primogenito Marchione Moravie (et) Iohanne

Duce Karinthie filio nostris dilectis, Bolcone Duce Opoliensi, Henrico Duce Saganensi principibus nostris, necnon Reverendis in Christo patribus domino Arnesto sancte Pragensis ecclesie Archiepiscopo et Iohanne Episcopo Misnensi, ac fidelibus nostris dilectis Renzzone de Plancy, Hyncone dicto Bra de Duba, Pitramo Pragensi, Henrico de Luchcenburc, Wancone de Wartenberc, et aliis pluribus baronibus, clericis et militibus fidedignis, in die sancti Clementis, Anno domini millesimo ccc. quadragesimo quarto. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et suppletionis infringere etc. Datum Avinione XIII. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex reg. orig. An. IV. Com. fol. 56.

DCCCLXIII.

Archiepo Gnesnensi eiusque Suffraganeis, ut pecunias ex decima receptas Arnaldo de Caucina collectori assignent.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Dudum pro nonnullis ecclesie Romane necessitatibus facilius supportandis decimalem triennalem proventuum ecclesiasticorum vestrarum civitatum et diocesium duximus imponendam, ac vos eiusdem decime constituimus collectores sub certis modis et relaxationibus tunc et post per nos et alios de nostro mandato factis. Volentes itaque, quod pecunia huiusmodi decime iam collecta et imposterum colligenda ad nostram Cameram deferatur, fraternitati vestre tenore presentium precipiendo mandamus, quatenus huiusmodi pecuniam iam, ut prefertur, collectam, et per vos pro portionibus mensas vestras contingentibus solutam seu debitam dilecto filio Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis Nuncio, collectori fructuum et proventuum in Regno Polonie nostre Camere debitorum, infra unius mensis spacium a presentatione presentium vobis facta numerandum, reliquam vero, quam in futurum recipietis, et pro vobis seu dictis mensis vestris solvetis, infra alium mensem, postquam idem Nuncius, aut eius Succollector vos super hoc requisierit, immediate secuturum, ipsi nuncio seu aliis personis, quas ipse seu idem Succollector ad hoc deputaverit, in loco tuto integre solvere et assignare curetis. Si vero aliqui vestrum in faciendo et exequendo processus contra clerum et personas ecclesiasticas suarum civitatum et diocesium pro solutione dicte decime, secundum quod in dictis litteris impositionis eiusdem decime vobis iniunximus, se reddiderunt, quod non credimus, forsitan negligentes, processus ipsos contra subditos eis clerum et personas eosdem fideliter facere, et quantum in eis fuerit, infra dictum mensem a prefata presentatione, ut predicitur, numerandum, exequi teneantur: alioquin in quemlibet vestrum nostris super hiis contempnentem seu negligentem obedire mandatis excommunicationis sentenciam promulgamus, contra illos ex vobis, qui sentenciam ipsam incurrerint, ad alia processuri, prout viderimus expedire. Datum Avinione III. Idus Iunii. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. fol. 238.

DCCCLXIV.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Henrico dicto Strala Canonico et Cantori ecclesie Plocensis, salutem etc. Confert ipsi, qui de nobili genere ex utroque parente procreatus et per tres annos in iure Canonico studuit, Canonicatum cum prebenda et Cantoriam in ecclesia Plocensi, quos Nicolaus Episcopus Plocensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Avinione V. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao Francisci de Xanze, perpetuo Capellano in ecclesia de Regnicz Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi eamdem Capellaniam alias Vicariam, per obitum Theodorici de Zanchosai vacantem. Datum Avinione III. Non. Ianuarii. Anno Quarto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Arnoldo de Calmaria Canonico Tarbatensi, Baccalaureo in Iure Civili, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum Tarbatensem etc. Datum Avinione XIII. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Iohanni de Buska presbitero Cracoviensi et Demetrio de Russia civi Cracoviensi, salutem etc. Concedit ipsis una cum sociis et familiaribus suis, proficiscentibus contra Turchos aliosque infideles impugnantes christianos seu terras eorum, ut confessor eos absolvere et in articulo mortis indulgenciam plenariam ipsis impartiri possit. Dat. Avinione V. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Mathie nato quondam Martini de Srem, Rectori parroch. ecclesie in Bolecovicz Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie, beneficium ecclesiasticum in ecclesia cathedrali Cracoviensi. Dat. Avinione Kalendis Augusti. Anno IV.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Stanislai de Slaucovicze clerico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie, cuius familiaris et dilectus existit, beneficium ecclesiasticum in diocesi Cracoviensi. Datum ut supra.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Osiliensi, salutem etc. Mandat eidem, ut Iacobo Weltstede presbitero Tarbatensi perpetuam Vicariam S. Marie in ecclesia Osiliensi, quam Iacobus Hapezelle perpetuus Vicarius in parrochiali ecclesia S. Thome in antiqua Pereva obtinebat, conferat. Datum Avinione v. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XIII. cod. chart. fol. 188, 326, 431, 466. et Tom. XIV. fol. 337, 345 et 526.

DCCCLXV.

Universis fidelibus ecclesiam Varmiensem visitantibus indulgentiae conceduntur.

Urbanus episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum Virgo dei genitrix gloriosa sedibus perlata sydereis quasi stella matutina prerutilat, devote consideracionis indagine perscrutamur, dum eciam infra pectorum archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, mater gracie, pietatis amica, humani generis consolatrix, quod pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula consolatrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quinimo pocius debitum arbitramur, ut ecclesias et loca in honore sui nominis dedicata gratiosis remissionum prosequamur impendiis et graciarum muneribus honoremur. Cupientes igitur, ut ecclesia Warmiensis, que in honorem et sub vocabulo eiusdem beate Marie virginis est fundata, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem uberioris dono gracie celestis conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, Epiphanie, resurrectionis, ascensionis et corporis domini Ihesu Christi, pentecostes, necnon in nativitatis, annunciationis, purificationis et assumptionis ipsius beate Marie, nativitatis sancti Iohannis Baptiste, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et dicte ecclesie dedicationis festivitatibus, ac festo omnium Sanctorum, et per ipsarum nativitatis, Epiphanie, resurrectionis, ascensionis et corporis domini, necnon nativitatis et assumptionis beate Marie, ac nativitatis beati Iohannis, et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octabas, et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singularum videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, et octabarum predictarum et predictorum sex dierum diebus, quibus ecclesiam prefatam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, Presentibus post decennium minime valituris. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis x. Kal. Februarii. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XVI. cod. chart. fol. 19 et 370.

DCCCLXVI.

Episcopo Posnaniensi, ut regis Poloniae votis obsecundans, prioribus fratrum Praedicatorum et Minorum in Polonia loca quaedam ab ipso rege sibi concessa recipere permittat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Pia principum vota fidelium, que propagacionem catholice fidei ac divini cultus sacreque religionis augumentum respiciunt, libenti affectione prosequimur, eisque favorem benivolum impertimur. Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri Cazimiri Regis Polonie Illustris peticio continebat, prefatus Rex per diligenciam suam plura silvas, nemora et loca Merice nuncupata Cracoviensis et Gneznensis diocesium versus metas Russie et Ungarie consistentes, in quibus fere bestie seviebant, ad culturam redegerit, et in eis castra, villas et opida construxerit et edificari fecerit, itaque quasi nova terra in magna distancia accrevit Regno suo, ac fideles christiani ibidem degentes, qui alicubi scismaticis sunt admixti, et alicubi confines habent proximos cum eisdem, libenter haberent viros litteratos et providos, quorum doctrinis et exemplis in fide catholica roborati infideles attraherent ad fidei unitatem, pro parte dicti Regis fuit nobis humiliter supplicatum, ut sibi, quod in Betz et Radom, in

Scaveva, Sidlow, in Cantzin et in Opoczno opidis dictarum diocesium, eorum videlicet singulis unum locum fratrum ordinis mendicantium construere et edificare, dictisque fratribus, quod huiusmodi loca ibidem recipere et perpetuo retinere valeant, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi dicti Regis laudandum opus et pium propositum in domino commendantes, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis diligentius te informans, si per informationem huiusmodi premissa ita esse (repereris), et in quolibet dictorum opidorum unus locus huiusmodi fratrum mendicantium decenter recipi valeat, dilectis filiis Priori fratrum predicatorum et Ministro provinciali fratrum minorum ordinum, et ipsorum ordinum fratribus provinciarum ipsarum partium secundum morem dictorum ordinum, quod in prefatis opidis videlicet prior predicatorum et ipsius ordinis fratres predicatores in Betz ac in Radom, necnon minister et ipsius ordinis minorum fratres in Chantzin, in Saveva, in Sydlow ac in Opoczno opidis predictis, eorum scilicet quolibet unum locum cum singulis ecclesiis seu oratoriis, campanilibus, campanis, domibus et aliis necessariis officinis pro usu et habitatione ipsorum recipere et perpetuo retinere valeant, dummodo in quolibet opidorum predictorum saltem duodecim fratres ipsorum ordinum decenter valeant sustentari, felicis recordationis (Bonifacii) pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, quod fratres ordinis mendicantium in aliqua civitate, castro vel villa seu alio loco quocunque loca de novo recipere non presumant absque sedis apostolice licencia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mencionem, et quibuslibet aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, iure camere, parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam auctoritate apostolica licenciam largiaris, eis nichilominus concedendo, quod fratres dictorum ordinum, qui in ipsis locis, cum constructa fuerint, pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis, libertatibus, indulgenciis et immunitatibus gaudeant, quibus fratres dictorum ordinum quomodolibet pociuntur. Datum Avinione v. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XV. cod. chart. fol. 393.

DCCCLXVII.

Officiali Posnaniensi, ut causam rectoris parochialis ecclesiae S. Michaelis Gneznensis dioecesis contra Swanchonem canonicum de certis decimis audiat et decidat.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Poznaniensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Iohannis dicti Pertes Rectoris parrochialis ecclesie sancti Michaelis Gneznensis diocesis peticio continebat, quod licet perceptio omnium decimarum provenientium ex fructibus excrescentibus in agris ville dicte Coltzeno eiusdem diocesis ad Rectorem ipsius ecclesie pro tempore existentem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineret, et tam idem Iohannes Rector, quam predecessores sui Rectores dicte ecclesie, qui fuerunt pro tempore, fuissent in pacifica possessione vel quasi iuris percipiendi decimas huiusmodi a tempore, cuius contrarii memoria non existit, tamen quondam Iohannes dictus Czartek Canonicus ecclesie Gneznensis falso asserens predictas decimas ad se racione prebende, quam in dicta Gneznensi ecclesia obtinebat, pertinere, eundem Rectorem super hoc, petendo sibi dictas decimas adiudicari, et dicto Rectori super eis perpetuum silencium imponi, coram quondam Mathia dicte ecclesie Gneznensis Scolastico, cui Venerabilis frater noster Iaroslaus Archiepiscopus Gneznensis causam huiusmodi audiendam commiserat et fine debito terminandam, fecit ad iudicium evocari. Idemque Scolasticus, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, pro dicto Rectore et contra dictum Canonicum diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, promulgavit. Cumque postmodum Swancho dictus Longus Canonicus dicte ecclesie Gneznensis, cui, prefato Iohanne Canonico defuncto, de dicta prebenda provisum fuerat, falso pretendens dictas decimas ad prefatam prebendam pertinere, fructus huiusmodi decimarum per dictum Rectorem recollectos de facto arrestasset, et per secularem potenciam parcium earundem cultoribus dictorum agrorum inhiberi fecisset, ne huiusmodi fructus decimarum per dictum Rectorem portari permitterent, prefatus Rector eundem Swanchonem, petendo eum compelli, ut ipsum Rectorem huiusmodi fructibus suis gaudere permitteret, coram dilecto filio Iohanne de Lyndenow Canonico Monasterii sancte Marie in Arena ordinis sancti Augustini Wratislaviensis dyocesis, cui prefatus Archiepiscopus causam huiusmodi auctoritate ordinaria audiendam commiserat et fine debito ter-

minandam, huiusmodi commissionis vigore fecit ad iudicium evocari. Idemque Iohannes de Lyndenow, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, pro dicto Rectore diffinitivam sentenciam promulgavit, a qua prefatus Swancho, eam iniquam asserens, ad dictum Archiepiscopum appellavit, dictumque Rectorem fecit in causa huiusmodi appellacionis coram dilecto filio Morano Archidiacono dicte Gneznensis ecclesie, cui prefatus Archiepiscopus causam appellacionis huiusmodi audiendam commiserat et fine debito terminandam, huiusmodi commissionis pretextu ad iudicium evocari, ac peciit dictum Rectorem, qui predictos fructus reccperat, declarari in excommunicacionis sentenciam latam in raptores decimarum vigore constitucionum Synodalium, quas alias minime exprimebat, incidisse. Et quod prefatus Archidiaconus sua, ut dicebat, sentencia declaravit, dictum Rectorem in huiusmodi excommunicacionis sentenciam incidisse, eumque in dicta Gneznensi et nonnullis aliis ecclesiis mandavit et fecit excommunicatum publice nunciari, dictus Rector senciens exinde indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellavit, idemque Archidiaconus huiusmodi appellacione, infra cuius prosecucionis tempus, de quo non modicum supererat, idem Rector existebat, contempta eundem Rectorem de predicta Gneznensi ecclesia, in qua quondam vicariam obtinebat, prout obtinet, tanquam excommunicatum eiecit. Quare pro parte dicti Rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Cum autem dictus Rector, sicut asserit, dicti Swanchonis potenciam merito perhorrescens, eum infra civitatem seu diocesim Gneznensem nequcat convenire secure: Nos ipsius Rectoris supplicacionibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fueriut evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, decernas, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Avinione v. Idus Aprilis. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XVI. cod. chart. fol. 88.

DCCCLXVIII.

Ioanni dicto cantori de Luthomusl, ut meliorem praebendam vacantem in ecclesia Vratislaviensi optare possit.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni dicto Cantori de Luthomusl Canonico Wratislaviensi, licentiato in decretis, salutem etc. Sedes apostolica merita personarum provida meditacione considerans, illos speciali favore prosequitur non indigne, qui litterarum sciencia ac propriis virtutum meritis adiuvantur. Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod in ecclesia Wratislaviensi, in qua maiores et minores prebende cxistunt, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine est obtentum, quod antiquiores ipsius ecclesie Canonici in dicta civitate seu diocesi Wratislaviensi commorantes, iuxta ipsorum rceptionum ordinem minores obtinentes prebendas, Canonicorum decedencium in eadem possunt libere, cum vacant, meliores optare prebendas, idque in eadem ecclesia pacifice observatum cxtitit a tempore, cuius contrarii memoria non existit, quodque tu ad dicte ecclesie negocia procuranda in Curia carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, et alibi utilior eidem ecclesie esse dinosceris, quam alii eiusdem ecclesie Canonici in dicta diocesi, et non in prefata ecclesia residentes. Nos igitur volcntes te decanatum ecclesie sancti Apolinaris Pragensis obtinentem, qui dicti Imperatoris ad nos nuncius destinatus existis, quique apud nos de litterarum sciencia ac morum honestate multipliciter commendaris, horum intuitu favore prosequi gracie specialis, tuis supplicacionibus inclinati, ut secundum tue receptionis ordinem, licet a dictis ecclesia, civitate et diocesi absens existas, meliores in ipsa ecclesia vacantes prebendas per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum perinde optare possis, ac si in dicta diocesi resideres, statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie iuramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, tibi auctoritate apostolica de gracia concedimus speciali. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Viterbii vi. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XVI. cod. chart. fol. 421.

DCCCLXIX.

Florianus ecclesiae Cracoviensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Floriano Electo Cracoviensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pre-

tulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut ipse circa cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, ut per eius providenciam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et Rector providus deputetur, per quem ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem bone memorie Bodzata Episcopo Cracoviensi regimini Cracoviensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Bodzate Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te Prepositum eiusdem ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, in eorum et dicte ecclesie Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti, et electionem ipsam a Venerabili fratre nostro Iaroslao Archiepiscopo Gneznensi loci metropolitani, reservationem et decretum predicta eciam ignorante, obtinuisti confirmari eciam de facto, et deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis noticiam, huiusmodi electionis et confirmationis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem et confirmationem predictas utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptatas irritas, prout erant, et inanes reputantes, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit ueque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis virtutum meritis, prout fidedignis testimoniis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus nec non dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata ecclesia gratia tibi assistente divina per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte ecclesie devote suscipiens, curam et administrationem ipsius ecclesie sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et administratori fructuoso gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Viterbii XVII. Kalendas Septembris. Anno Quinto.

In e. m. Capitulo ecclesie Cracoviensis, Clero et populo civitatis et diocesis Cracoviensis, universis Vasallis ecclesie Cracoviensis et Archiepiscopo Gneznensi et Kazimiro Regi Polonie Illustri.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XV. cod. chart. fol. 64.

DCCCLXX.

Iudicibus, ut causam quorumdam oppidorum contra episcopum Posnaniensem audiant et decidant, et eaedem ab excommunicatione absolvere possint.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis . . . Decano et . . . Archidiacono Dobrinensibus ac . . . Scolastico ecclesie Plocensis, sal. etc. Exhibita nobis pro parte Wola, Polikow, Moscka, Mlotzini, Mothocow, Wamrisew, Sochaczew et Cirvonk villarum ruralium universitatum Poznaniensis diocesis peticio continebat, quod licet perceptio omnium decimarum proveniencium ex fructibus excrescentibus in dictis villis et earum prediis ad Rectorem parrochialis ecclesie de Sgerz Plocensis diocesis pro tempore existentem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, et tam dilectus filius Brovislaus ipsius ecclesie Rector, quam predecessores sui Rectores eiusdem ecclesie, qui fuerunt pro tempore, fuerint in possessione pacifica vel quasi iuris percipiendi huiusmodi decimas a tempore, cuius contrarii memoria non existit, ac incole dictarum villarum huiusmodi decimas predicto Rectori pro tempore preterito solverint et parati sint solvere in futurum; tamen Venerabilis frater noster Iohannes

Episcopus Poznaniensis, minus veraciter pretendens huiusmodi decimas ad se pertinere, dictos incolas monuit, ut sibi dictas decimas solverent antedictas, et demum in eos diversas excommunicationis sentencias promulgavit, dictasque villas ecclesiastico supposuit interdicto, prefatusque Rector occasione dictarum decimarum predictos incolas multipliciter molestavit: Quare pro parte dictarum universitatum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, prefatis incolis, si hoc humiliter postulaverint, receptis tamen prius ab eis cautionibus ydoneis super eo, pro quo excommunicati habentur, quod si sentencias easdem in eos tibi constiterit iuste latas, vestris et ecclesie mandatis parebunt, eos ab huiusmodi excommunicationum sentenciis absolvere, et prefatum interdictum relaxare, si et prout iustum fuerit, procuretis, ac auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, auctoritate nostra firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, Non obstante, si eisdem Episcopo et Rectori vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolica non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kalendas Novembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XV. cod. chart. fol. 390.

DCCCLXXI.

Iudicibus, ut Goffridum abbatem monasterii de Lokna ordinis Cisterciensis Gnesnensis diocesis canonice electum defendant.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis . . . de Grisovia et . . . de Henrichow monasteriorum Abbatibus Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Exibita nobis pro parte dilecti filii Goffridi Abbatis monasterii de Lokna Cisterciensis ordinis Gneznensis diocesis peticio continebat, quod licet dilecti filii Iohannes de Landa et Iohannes de Bessovia eiusdem ordinis dicte Gneznensis et Wladislaviensis diocesium monasteriorum Abbates in ipsum Goffridum Abbatem nullam haberent iurisdictionem ordinariam seu etiam delegatam, tamen iidem Abbates de Landa et de Bessovia monasteriorum de mandato, ut dicebant, Carissimi in Christo filii nostri Kazmiri Regis Polonie Illustris, et ad suggestionem dilecti filii Hermanni Cellerarii dicti monasterii de Lokna, et quorundam aliorum ipsius Cellerarii complicum dictum Goffridum Abbatem predicto suo monasterio de Lokna de facto privarunt, ipsumque Hermannum in ipso monasterio de Lokna intruserunt, ipseque Hermannus eundem Goffredum Abbatem predicto monasterio in Lokna spoliavit, seque in eo intrusit, illudque occupavit, ut detinuit et detinet indebite occupatum, fructus precipiendo ex eo: Quare pro parte dicti Goffredi Abbatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationibus huiusmodi inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, etiam simpliciter et de plano et sine strepitu et figura iudicii, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerunt nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis etc. Datum Rome apud sanctum Petrum Nonis Novembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. X. Tom. XV. cod. chart. fol. 391.

DCCCLXXII.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Conrado Hermanni de Plawe Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi, qui in remotis partibus per triennium in iure canonico studuit, consideratione Elisabeth senioris regine Ungarie, cuius dilectus existit, canonicatum in eccl. Wratislav., indulgetque, ut canonicatum et prebendam in eccl. Quinqueeccl. retinere possit. Dat. Viterbii x. Kal. Octob. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Henrico Langhen de Baard Canonco Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in ecclesia Osiliensi. Datum Viterbii XI. Kal. Septembris. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Grotkaw, Rectori altaris S. Michaelis in ecclesia Wratislaviensi, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi, qui etiam in Medicina Buccalarius existit et in studio Montispessulani in Artibus actu regit, rectoriam eiusdem altaris. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis Id. Februarii. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Mandat ei, ut Petro de Chlapova clerico Poznaniensi, iuveni quindecim annorum, beneficium ecclesiasticum in sua diocesi conferat. Datum Avinione Kal. Decembris. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Emink Canonico Gneznensi, decretorum doctori, sal. etc. Confert ipsi canonicatum in ecclesia Gneznensi. Datum Avinione xiii. Kal. Dec. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Henrico Grotkow Canonico Warmiensi, salutem etc. Providetur ipsi de canonicatu in ecclesia Warmiensi. Datum apud Montempessulanum xiv. Kal. Februarii. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Mandat ei, ut Gasparo nato nobilis viri Iordani de Baysen Militis, cuius progenitores Warmiensi ecclesie multa fidelia servitia prestiterunt, ac Arnaldo Nicolai de Brunsberg, Magistro in Artibus et in iure canonico studenti, de canonicatibus dicte ecclesie provideat. Datum ut supra.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Cracoviensi, salutem etc. Mandat ei, ut Stanislao Petri Szupparii, clerico Cracoviensi, consideratione Regis Polonie, cuius dilectus est, canonicatum in ecclesia Cracoviensi conferri curet. Datum apud Montempessulanum xii. Kal. Martii. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Adam de Platzitz laico Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Impertitur illi absolutionem plenariam in articulo mortis. Volumus autem, quod tu, fili, vestes, quas deinceps fieri facies, longas saltem usque ad genua deferas: alioquin presens gratia quoad te duntaxat nullius sit roboris vel momenti. Datum Viterbii Non. Octobris. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Crapitz Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et prebendam in dicta ecclesia consideratione Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, cuius Secretarius et familiaris existit, et quia in studio Paduano per tres annos in iure canonico studuit. Datum Avinione iii. Non. Decembris. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Francisco de Stabilwitz Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia, quem Iohannes de Insula alias dictus Kynola obtinebat. Datum apud Montempessulanum ii. Id. Ianuarii. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati monasterii Tinciensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Mandat ei, ut Iohanni de Tarsek Canonico ecclesie Cracoviensis Scolasteriam ecclesie collegiate Vilciensis eiusdem dioc. conferri curet. Datum apud Montempessulanum xi. Kal. Febr. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Culmensi, salutem etc. Curet, ut Petrus Damentz clericus Culmensis canonicatum in ecclesia Wladislaviensi obtineat. Datum apud Montempessulanum xiii. Kal. Februarii. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Clementi de Lugow Rectori altaris S. Andree in ecclesia Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie beneficium ecclesiasticum in diocesi Wratislaviensi. Datum apud Montempessulanum xii. Kal. Martii. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Dirconi nato Nicolai de Urscotz clerico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta dioc. Datum Avinione Kal. Decembris. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis . . . Wratislaviensis ac . . . Budisinensis Misnensis diocesis ecclesiarum Prepositis, salutem etc. Constituuntur ipsi conservatores Abbati et conventui monasterii S. Vincentii Premonstratensis ordinis extra muros Wratislavienses. Datum Rome apud S. Petrum ii. Non. Novembris. Anno V.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Concedit ipsi, ut Iohanni nato Petri Scolmeyster, suo familiari et continuo commensali, et Henrico Gerdonis de Brunsberg, qui Parisiis in Artibus plurimis annis studuit, clericis Culmensis et Warmiensis diocesium, beneficia vacantia in dicta sua diocesi conferre possit. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis x. Kal. Februarii. Anno V.

Ex Reg. orig. Tom. XV. cod. chart. fol. 178, 203, 214, 251, 440, 457, 461, 468, 509. et Tom. XVI. fol. 32, 73, 75, 97, 272, 278, 346 et 467.

DCCCLXXIII.

Casimiro regi Poloniae, ut Petro de Calesio nuntio apostolico fidem adhibeat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Dilectum filium Petrum de Calesio Prepositum ecclesie Nemausensis ordinis sancti Augustini, apostolice sedis nuncium, harum latorem, ad presenciam Carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, ad eius solicitandum adventum ad partes Italie, dante deo, felicem et reipublice multipliciter fructuosum, presencialiter destinavimus, qui si commode possit, ad tue serenitatis presenciam debeat se conferre, inducturus magnificentiam Regiam super aliquo subsidio pro adventu huiusmodi tribuendo. Igitur eidem nuncio, si ad te venerit, vel eius litteris, si venire nequiret, super hiis, que tue Magnitudini ex parte nostra narraverit seu scripserit, velis fidem indubiam adhibere. Datum Rome apud Sanctum Petrum xvi. Kal. Ianuarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Secret. fol. 26.

DCCCLXXIV.

Decano ecclesiae Cracoviensis, ut Nicolao de Curnik praeposituram eiusdem ecclesiae conferendam curet.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Decano ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcumque notariorum sedis apostolicc tunc vacantia et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Cum itaque postmodum Prepositura ecclesie sancte Marie Cracoviensis, que sine cura existit, et quam quondam Bertrandus Bertrandi ipsius ecclesie Prepositus, dicte sedis notarius, dum viveret, obtinebat, et per ipsius Bertrandi obitum, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit, et vacare noscatur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsa prepositura disponere potuerit neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes dilectum filium Nicolaum de Curnik Canonicum Cracoviensem, decretorum doctorem, qui, ut asseritur, carissimi in Christo filii nostri Kazimiri Regis Polonie Illustris Cancellarius existis, horum intuitu favore prosequi gratie specialis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si post diligentem examinationem eundem Nicolaum de Curnik ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, prepositurام predictam sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Nicolao conferas et assignes auctoritatc nostra, inducens per te vel alium seu alios eundem Nicolaum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prepositure, ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, ammoto exinde quolibet detentore, faciens ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi prepositurام in dicta ecclesia, ut est moris, admitti, sibique de ipsius prepositure fructibus, redditibus proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus etc. Datum Avinione viii. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Comm. ep. 21. fol. 38.

DCCCLXXV.

Iudicibus, ut de matrimonio inter Hermannum Tzurchow et Elisabeth Maczkowine Caminensis et Vladislaviensis dioecesium inquirant.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, et dilectis filiis Boldoni de Prosko ac Gregorio de Gorka Canonicis ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Lubberti Below clerici et Hermanni Tzurkow laici Caminensis et Wladislaviensis diocesium peticio continebat, quod licet olim dictus Hermannus cum dilecta in Christo filia Elizabeth Maczkowinne muliere dicte Wladislaviensis diocesis matrimonium per verba de presenti legitime contraxisset, carnali inter eos copula subsecuta, tamen postea dicta Elizabet ad seductionem dilectorum filiorum Nicolai Ghadisknecht, Iohannis de Borchvelde et Mewis de Matzecowe laicorum dicte Wladislaviensis diocesis consanguineorum et affinium ipsius Elizabet matrimonium cum dilecto filio Ghodeke alias dicto Gotfrido Papen laico dicte Wladislaviensis diocesis dicitur contraxisse de facto, et deinde quamquam dilectus filius Iohannes rector parrochialis ecclesie beate Marie Virginis in opido Danczk predicte Wladisla-

viensis diocesis, cuius Ghodeke et Elizabet predicti parrochiani tunc erant, publice inhibuisset, ne simul carnali copula iungerentur, tamen dilecti filii Iohannes dictus Grolle et Fridericus Papen et Henricus Pelcgrinnen, Thomas de Lapide, Luboken Zaac, Nicolaus Godisknecht, Herbert Grelle et Iohannes de Hammen laici prefate Wladislaviensis diocesis predictam Elizabet in eodem thoro cum dicto Godeke iacere fecerunt in predicti Hermanni iniuriam et contemptum, propter que predictus Hermannus dictam Elizabet, petendo eam sibi adiudicari in uxorem, coram Venerabili fratre nostro . . . Episcopo Wladislaviensi, tunc in certo loco dicte Wladislaviensis diocesis presente, traxit in causam, et deinde postquam coram ipso Episcopo ad nonnullos actus fuerat in ipsa causa processum, cum prefatus Episcopus prefatos Hermannum et Lubbertum, qui eidem Hermanno patrocinabantur in dicta causa, ad instanciam dilectorum filiorum Iohannis Pomerani Archidiaconi Pomeranie in ecclesia Wladislaviensi, et Alberti de Zubcow presbiteri Wladislaviensis diocesis dicencium se assessores dicti Episcopi in causa predicta citari fecisset, ut certo termino coram eo, non tamen expresso in quo loco, comparerent, pro parte ipsorum Lubberti et Hermanni coram eodem Episcopo, qui se ad alium locum infra eandem diocesim eisdem Hermanno et Lubberto non tutum transtulerat, et in eo tunc residebat, propositum extitit, quod ipse locus propter capitales inimicitias, quas habebant, ipsis tutus non erat, aliumque locum sibi assignari securum fuit ab eodem Episcopo humiliter postulatum, et quia prefatus Episcopus eos super hoc audire contra iusticiam denegavit, pro parte ipsorum Lubberti et Hermanni exinde sentientium indebite se gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum, sed propter imperitiam ipsorum appellancium, quia in partibus illis non sunt multi iurisperiti, omissum extitit apostolos postulare, idemque Episcopus reputans dictos Hermannum et Lubbertum contumaces, in eos propter huiusmodi contumaciam excommunicationis sentenciam promulgavit, eosque mandavit et fecit excommunicatos publice nunciari. Quare pro parte ipsorum Hermanni et Lubberti fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc paterna solicitudine curaremus. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis etc. Datum apud Montemflasconem Balneoregensis diocesis VII. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XVIII. cod. chart. fol. 462.

DCCCLXXVI.

Rex Poloniae ab infamia circa falsas litteras apostolicas suo nomine factas absolvitur atque insons reputatur.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kazimiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam, cui tam prompte, tam fideliter obsecundas, gerere comprobaris, nos excitant et inducunt, ut que ad conservationem Regii honoris expedire perspicimus, diligenti studio prosequamur. Cum itaque, sicut accepimus, ab aliquibus tue celsitudinis emulis famam Regii nominis denigrare conantibus tam in iudicio, quam extra iudicium minus veraciter asseratur, certas apostolicas litteras, per quas tecum fuisse dispensatum dicebatur, quod cum dilecta in Christo filia nobili muliere Anna nata dilecti filii nobilis viri Henrici ducis Zaganiensis Wratislaviensis diocesis matrimonium contrahere posses, falso fuisse tuo nomine fabricatas: Nos ad famam ipsius tui nominis conservandam omnem infamiam, si qua forsan contra celsitudinem tuam occasione premissorum, a quibus te reputavimus insontem, foret exorta, velut frivolam et inanem tenore presentium penitus abolemus, ita quod nichil ex predictis contra excellentiam tuam in iudicio vel extra imperpetuum possit obici vel opponi. Per hoc autem litteras predictas non intendimus approbare. Nulli ergo etc. nostre abolitionis infringere etc. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. VI. Comm. fol. 57.

DCCCLXXVII.

Fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum contra infideles pugnantibus altare portatile conceditur.

Urbanus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Dum in mente revolvimus labores assiduos et pericula quam plura, quibus dilecti filii Magister, preceptores et fratres hospitalis B. Marie Theotonicorum Ierosolimitani, velut athlete Christi et intrepidi pugiles, contra paganos et infideles par-

cium Livonie et Ruscie pro defensione et exaltacione ac incremento catholice fidei se indesinenter exponunt, dignum reputamus et congruum, ut peticionibus suis, illis presertim, quas ex devocionis fervore prodire conspicimus, favorabiliter annuamus. Olim siquidem pro parte dicti Magistri nobis exposito, quod dilecti filii Livonie in Dunemunde, in Criseburgh, in Ragniche, in Brandeburg, in Osterrode, in Balge, in Elbing, in Danczk, in Swetza, in Thorin, in Lipa, in Strasberg, in Segewalde, in Wendem, in Goldingen, in Yerwia, in Velin, in Revaliar et in Narwia preceptores dicti hospitalis parcium Pruscie, Livonie, Sambiensis, Pomezaniensis, Warmiensis, Wladislaviensis, Culmensis, Rigensis, Curoniensis, Tarbatensis et Revaliensis Civitatum et diocesium, cum pro defensione, exaltacione et incremento huiusmodi cum exercitibus suis expediciones armorum contra infideles, scismaticos et paganos faciebant, non poterant ortum diei pro audienda missa propter itineris et more pericula expectare, nos prefatis preceptoribus, quod preceptores ipsi, qui tunc erant et essent pro tempore, propriis utentes banderiis seu vexillis, cum in expedicione armorum contra infideles, scismaticos et paganos essent, possent super altari portatili missas per proprios vel alios sacerdotes ydoneos, in locis tamen congruis et honestis, antequam illucesceret dies, circa tamen diuturnam lucem, cum qualitas negociorum pro tempore ingruencium id exigeret, in eorum presencia facere celebrari, per nostras litteras duximus indulgendum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes prefatos preceptores favore prosequi gracie amplioris, ipsorum Magistri et fratrum in hac parte supplicacionibus inclinati, ut liceat cuilibet dictorum preceptorum, qui sunt et erunt pro tempore, propriis utencium banderiis seu vexillis, cum in expedicione armorum contra infideles, scismaticos et paganos extiterint, ut preferrtur, habere altare portatile cum debita reverencia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possint per proprium vel alium sacerdotem ydoneum missam vel alia divina officia, sine iuris alieni preiudicio, in cuiuslibet ipsorum presencia facere celebrari, prefatis preceptoribus auctoritate presencium de speciali gracia indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Montemflasconem III. Non. Septembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XIX. cod. chart. fol. 405.

DCCCLXXVIII.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Woibocz Canonico et Scolastico ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Confert ipsi, qui in iure Canonico studet, in ordine presbiteratus constitutus, consideratione Regis Poloniae, cuius dilectus, familiaris et Notarius secretus existit, Canonicatum cum prebenda et Scolasteriam in dicta ecclesia, quos Stanislaus Episcopus Plocensis tempore sue promotionis obtinebat; indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Czthow Cracoviensis diocesis et Capellam sanctorum Felicis et Adaucti in castro Cracoviensi retinere possit. Datum Rome apud Sanctum Petrum V. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Stanislao de Sluzin Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie, cuius dilectus et Notarius fidelis existit, Canonicatum in dicta ecclesia, quem Episcopus Plocensis tempore sue promotionis obtinebat, indulgetque, ut in Lanciciensi et Crusviciensi Gneznensis et Wladislaviensis diocesium ecclesiis Canonicatus et prebendas retinere possit. Datum Rome apud Sanctum Petrum X. Kal. Maii. Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Alberto Nicolai de Lodza Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi dignitatem et personatum in dicta ecclesia. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Ep̄o Auriensi et ... Preposito et ... Archidiac. Legnicensibus Vratisl. dioc. executoribus.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Pomezaniensi, et dilectis filiis ... Decano Warmiensis ac ... Scolastico Xanctensis Coloniensis diocesis ecclesiarum, salutem etc. Mandat cis, ut Iacobum de Ludenow in pacifica possessione Canonicatus Warmiensis contra Tydemannum de Attis intrusum retineant et defendant. Datum Rome apud S. Petrum VI. Id. Marcii. Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Conrado Duci Slezie, Osnitzensi et Koslensi et dilecte in Christo filie Nobili mulieri Agneti cius uxori, salutem etc. Concedit ipsis altare portatile, et ut possint ante diem facere divina celebrari, et in locis interdictis cum eorum familia divinis officiis interesse. Datum Rome apud S. Petrum VIII. Kal. Decembris. Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Semovito Duci Mazoviensi, salutem etc. Conceditur ipsi, ut una cum familia sua in locis interdictis divinis officiis interesse possit. Dat. Rome etc. Nonis Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Vratislaviensi, salutem etc. Iubet ei, ut universis et singulis regularibus et secularibus utriusque sexus personis, cuiuscunque status ordinis, conditionis, dignitatis et preeminentie existant, ingressum in monasterium monialium in Trebnitz prohibeat. Datum Rome apud Sanctum Petrum viii. Kal. Decembris. Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Warmiensi et . . . Culmensi Episcopis, ac dilecto filio . . Abbati monasterii Pelpelin Wratyslaviensis diocesis, salutem etc. Constituuntur ipsi conservatores Bartholomeo Episcopo Sambiensi. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis x. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Zwerinensi et . . . Revaliensi Epis, ac dilecto filio . . . Thesaurario ecclesie Zwerinensis, salutem etc. Cureut, ut Michael Hildenstin perpetuus vicarius in ecclesia S. Nicolai de Sundis Zwerinensis diocesis ecclesiam parrochialem sancte Marie Tarbatensis, quam Everhardus Cruse obtinebat, recipiat. Datum apud Montemflasconem Kalendis Septembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Lubucensi et . . . Poznaniensi Episcopis, ac dilecto filio . . . Abbati monasterii iu Lubin Poznaniensis diocesis, salutem etc. Constituuntur conservatores Pretzlao Episcopo Vratislaviensi. Datum Rome apud Sanctum Petrum ii. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Vromoldo Archiepiscopo Rigensi, salutem etc. Concedit eidem, ut cimiteria et ecclesias per sacerdotem idoneum reconciliare valeat. Datum ut supra.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao dicto Strossberg Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi Cantoriam ecclesie Poznaniensis vacantem per obitum Nicolai de Curnik Canonici Gneznensis. Datum Rome apud S. Petrum vi. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filiö Petro de Znegna Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum dicte ecclesie, quem Florianus Episcopus Cracoviensis tempore sue promotionis obtinebat. Datum Rome etc. vi. Idus Decembris. Anno Sexto.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Brest Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome iii. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XVII. cod. chart. fol. 234, 319, 356, 444, 475, 477, 475 et Tom. XVIII. fol. 222 et Tom. XIX. fol. 189, 249, 290, 418, 457 et 479.

DCCCLXXIX.

Carolus Romanorum imperator in causa iurisdictionis exorta inter capitulum et cives Vratislavienses iudex constituitur.

Urbanus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ad cunctorum Christi fidelium salutem et pacem ferventibus studiis intendentes, animarum periculis libenter occurrimus, et quibuslibet scandalis, quantum cum deo possumus, obviamus. Sane nuper ad audienciam nostram deducto, quod inter dilectos filios Capitulum ecclesie Wratislaviensis ex parte una, et dilectos filios Capitaueum, consules, iudices, scabinos, iuratos et commune civitatis Wratislaviensis ex altera super eo, quod Capitulum suos familiares et subditos laicos infra ambitum dicte civitatis, que murata est, eciam extra locum, in quo predictis Capitulo iurisdictio corporalis competit, delinquentes ibidem reppertos vel per alios remissos et contrahentes ibidem eciam repertos, ubi alias forum sortirentur de iure et coram ipsis capitaneo, consulibus, iudicibus, scabinis et iuratis conventos ad ipsorum capituli seu iudicis eorum examen et cognitionem et punitionem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine remitti debere, et si huiusmodi familiares et subditi sint conventi, non remittantur, ut prefertur, ipsis capitulo de simili consuetudine licere dictam civitatem ecclesiastico supponere interdicto, vel cessare et per clericos ipsius civitatis cessari facere penitus a divinis, capitaneus vero, consules, iudices, scabini, iurati et commune predicti huiusmodi familiares et subditos dictorum capituli infra dictum ambitum et extra locum, in quo prefatis capitulo iurisdictio temporalis competit, et presertim delinqueutes et contrahentes ibidem etiam reppertos ad ipsos capitulum de consuetudine vel alias nunc remitti debere, et propterea ipsis capitulo predictam civitatem ecclesiastico interdicto supponere, vel cessare seu cessari facere a divinis

non licere asserebant, prout asserunt, orta esset materia questionis: nos super premissis provideri et disponi salubriter cupientes, venerabilibus fratribus Guidoni Portuensi et Guillelmo Sabinensi Episcopis, ac dilectis filiis nostris Bernardo Basilice duodecim Apostolorum presbitero et Petro sancte Marie nove diacono Cardinalibus oraculo vive vocis mandavimus, quod se tam cum procuratore predictorum capitanei, consulum, iudicum, scabinorum, iuratorum et universitatis apud apostolicam sedem existente, quam cum dilectis filiis Decano et quibusdam Canonicis eiusdem ecclesie eciam apud eandem sedem existentibus, super premissis plenarie informarent, et super eis viam bonam providerent, per quam obviaretur discordie ac scandalis supradictis, et provideretur perpetue paci parcium predictarum. Qui quidem Cardinales, ut postmodum ex eorum relatione didicimus, auditis super hiis eisdem procuratore ac Decano et Canonicis, pro bono pacis earundem parcium et ad obviandum scandalis prelibatis providerunt et ordinaverunt, quod carissimus in Christo filius noster Carolus Romanor. Imperator semper Augustus, an dicta remissio de premissa consuetudine sit facienda, auditis parcium iuribus vel ipsis partibus vocatis legitime comparere contumaciter recusantibus, concordia vel iudicio ordinet vel disponat. Et quod si altero istorum modorum ordinaverit seu disposuerit, dictos familiares seu subditos laicos infra predictum ambitum dicte civitatis murate, extra tamen locum, in quo eisdem capitulo iurisdictio competit, delinquentes aut contrahentes ibidem repertos ad examen, cognitionem et punitionem ipsorum capituli de consuetudine predicta fore remittendos, mandet capitaneo, iudicibus, consulibus, scabinis et iuratis supradictis, quod ipsos delinquentes seu contrahentes absque qualibet difficultate remittant ad capitulum supradictos seu iudicem eorundem, eisdem capitaneo, iudicibus, consulibus, scabinis et iuratis super impedimentis in dicta remissione prestandis de cetero perpetuum silentium imponendo; quodque si prefati capitaneus, iudices, consules, scabini et iurati contra huiusmodi ordinationem et dispositionem per predictum Imperatorem factam, predictam remissionem non faciendo, venerint, liceat eisdem capitulo sicut prius dictam civitatem ecclesiastico supponere interdicto, seu cessare et per eiusdem civitatis clericos cessari facere usque ad satisfactionem condignam penitus a divinis: si vero predictus Imperator per huiusmodi concordiam vel iudicium terminaverit in predictis casibus predictam remissionem fieri non debere, ipsis capitulo super remissione ipsa eo casu perpetuum silentium imponere non omittat. Nos igitur, qui pacem et concordiam cunctorum christifidelium querimus et libenter scandalis obviamus, et de circumspecta providencia Imperatoris prefati fiduciam gerimus pleniorem, ad obviandum huiusmodi scandalis et pro bono pacis parcium predictarum premissas viam et ordinacionem per eosdem Cardinales proinde assumptam et factam utiles dictis partibus extimantes, ipsam ordinationem ex certa sciencia tenore presentium ratificamus et approbamus et etiam confirmamus, et volumus per dictum Imperatorem iudicio vel concordia, ut prefertur, executioni mandari, prout superius continetur, ac proinde vigorem habere, ac si venerabilis frater noster Episcopus Wratislaviensis et dictum capitulum in premissis secundum iuris formam concorditer consensissent, omnem defectum, qui in premissis intervenisset, supplendo de apostolice potestatis plenitudine. Et insuper si per eundem Imperatorem de remissione predicta facienda, ut prefertur, contra dictos capitulum disponi seu ordinari contigerit, eisdem capitulo predicta auctoritate tenore presentium districtius inhibemus, ne occasione predicta dictam civitatem de cetero interdicant, seu in ea cessent vel cessari faciant quomodolibet a divinis. Per hec autem in aliis casibus, in quibus iidem capitulum de privilegio vel consuetudine possent eandem civitatem ecclesiastico interdicto supponere, seu dictum cessum facere, seu fieri facere a divinis, eis nullum volumus preiudicium generari. Nulli ergo etc. nostre ratificationis, approbationis, confirmationis, voluntatis et inhibitionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Decembris. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XX. cod. chart. fol. 399.

DCCCLXXX.

Episcopo Pomesaniensi, ut causam Glabuvez de Tessundorf militis contra filias audiat, et quod iuris est, decernat.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Boudonis Rectoris, plebani nuncupati, parrochialis ecclesie in Hollandia Pomezaniensis diocesis peticio continebat, quod olim dilecte in Christo filie Sophia, Anna et Gela, dilecti filii nobilis viri Glabuvez de Tessundorf militis et ipsius Boudonis fratris filie, Pomezaniensis diocesis predicte asserentes, quod ipse quondam Sophie earum matri et dicti militis uxori ab intestato successerant, eundem militem, petendo hereditatem ipsas ex successione huiusmodi contingentem sibi adiu-

dicari, coram dilectis filiis Iudicibus secularis Curie partium earundem traxerunt in causam, et licet omnia bona, que dictus miles tenebat, ad ipsos Boudonem et militem pro indiviso pertinerent, tamen iidem Iudices perperam in causa huiusmodi procedentes, lite eciam minime contestata, medietatem omnium bonorum predictorum predictis filiabus per suam, ut dicebant, diffinitivam sentenciam adiudicarunt, propter quod dictus miles ad dilectos filios Consules Civitatis Culmensis, ad quos ab eisdem Iudicibus de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine appellatur, appellavit, iidemque Consules perperam in huiusmodi appellationis causa procedentes, prefatam sentenciam per suam, ut dicebant, diffinitivam sentenciam confirmarunt, propter quod dictus Boudo ad dilectum filium . . . Magistrum Hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, ad quem ab eisdem Consulibus de simili consuetudine appellatur, appellavit, ipsumque Magistrum pluries congruis loco et tempore humiliter requisivit, ut in huiusmodi causa appellationis ad eum emisse procedere vellet, et quia prefatus Magister eundem Boudonem super hoc audire contra iusticiam denegans, ei expresse dixit, quod in premissis nichil innovare vellet, prefatique Iudices predictas sentencias, ut simulabant, exequendo, dictas filias in possessionem predictorum bonorum ad ipsum Boudonem, ut premittitur, pertinencium induxerunt, [ipsum Boudonem, ut premittitur, pertinencium induxerunt] ipsum Boudonem bonis ipsis indebite spoliando, prefatus Boudo senciens ex premissis indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellavit, et deinde nobis humiliter supplicavit, ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint vocati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante, si eisdem filiabus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel exeommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum XI. Kal. Ianuarii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 61.

DCCCLXXXI.

Universis fidelibus ecclesiam S. Petri in oppido Hosteyn Pomesanieusis dioecesis visitatibus indulgentiae conceduntur.

Urbanus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Petri de opido Hosteyn Pomezaniensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libencius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberioris dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphanie, resurrectionis, ascensionis et corporis domini nostri Ihesu Christi, pentecostes, necnon in nativitatis, annunciationis, purificationis, assumptionis beate Marie Virginis ac nativitatis beati Iohannis Baptiste dictorumque apostolorum Petri et Pauli, ac dicte ecclesie dedicationis festivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum et per octabas ipsarum nativitatis epiphanie, resurrectionis, ascensionis et corporis domini, necnon ipsius beate Marie nativitatis et assumptionis ac nativitatis dicti beati Iohannis et apostolorum predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem pentecostes immediate sequentes dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum, celebritatis et octabarum ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus ipsam ecclesiam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, Presentibus post decennium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Februarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 529.

DCCCLXXXII.

Archiepo Gnesuensi eiusque suffraganeis, ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum usque ad duos annos in suis dioecesibus colligant, et Casimiro regi ad restauranda quaedam in dioecesi Cracoviensi castra tradant.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gnesnensi eiusque Suffraganeis, salutem etc. Exposcit debitum nostri pastoralis officii, ut non solum conservacioni, sed pro-

pagacioni catholice fidei ac animarum et corporum catholicorum custodie solicite intendentes, circa hec adhibere oportuna et honesta remedia, quantum nobis ex alto permittitur, studeamus. Nuper siquidem Carissimi in Christo filii nostri Ludovicus Hungarie et Kazimirus Polonie Reges Illustres nobis significare curarunt, quod cum nuper inter ipsum Regem Polonie ex una parte, et nonnullos scismaticos ac perfidos infideles ex altera treuge penderent et servarentur hinc inde, ipseque Rex Polonie nullum eorundem infidelium formidaret insultum, iidem infideles ex innata eis malicia et execranda fallacia in terras eiusdem Regis super hoc improvisi subito, clandestine ac hostiliter irruerunt, terras ipsas depopulando ac earum incolas captivando, necando, et mulieribus abutendo, ecclesias prophanando ac eciam destruendo, et inter alia mala et dampna, que in dicto Regno patraverunt et intulerunt, castra Wrucz, Plonee, Rotemburch et Polcolsko Cracoviensis diocesis utique nobilia et forcia occuparunt et funditus destruxerunt, et alia mala innumera commiserunt in gravem divine maiestatis offensam, detrimentum fidei predicte, ac eiusdem Regis Polonie et suarum Regni ecclesiarum dampnum gravissimum ac evidens periculum in futurum. Quare dicti Reges nobis humiliter supplicarunt, quatenus cum ipse Rex Polonie tam pro defensione dicti Regni, quam ad resistendum protervis eisdem infidelibus dicta castra intendat reficere, ac facere forciora, quam fuerunt temporibus retroactis, illaque gentibus necessariis communire et tenere munita, et propter resistenciam ac guerrram, quam facit contra infideles eosdem, multum sit gravatus oneribus expensarum, et ex defensione ac resistencia huiusmodi ecclesie ac persone ecclesiastice dicti Regni, sicut et laici, et earum bona sicut laicorum defendentur ab infidelibus prelibatis, dignaremur per prelatos et alias personas ecclesiasticas prefati Regni predictorum refectioni castrorum de aliquo competenti subsidio facere provideri. Nos igitur prefatorum Regum huiusmodi rationabilibus peticionibus inclinati, decimam omnium fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum duorum annorum dicti Regni Polonie a vobis, ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque exemptis et non exemptis, dicti Regni, quantacunque prefulgeant dignitate, seu cuiuscunque sint preeminencie, condicionis aut status, religionis vel ordinis, quibus et eorum alicui nulla privilegia vel indulgencias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, officia, cantoratus et prebendas, ac quecunque, qualiacunque et quotcunque beneficia ecclesiastica in dicto Regno obtinentibus, ac imposterum obtenturis, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sorciuntur, et a dilectis filiis Magistris et fratribus Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et domus sancte Marie Theotonicorum, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, necnon hiis, quorum facultates ad integram solucionem huiusmodi decime, supportatis aliis oneribus consuetis, non suppetunt ultra, quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigenciam commode possint, ac illis, qui nichil possint solvere de decima supradicta, super quorum impotencia vestras consciencias oneramus, quos Cardinales ac Magistros et fratres et impotentes pro parte vel toto ab eiusdem prestacione decime exemptos et liberos fore decernimus et immunes, exigendam et colligendam per vos et singulos vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus, prout in dicto Regno consistunt, quos ad hoc Collectores et receptores auctoritate presencium deputamus, de omnibus fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis nostris et dictarum personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum, secundum modum et morem ac consuetudinem in exactione et collectione huiusmodi hactenus observatos, exhibendam prefato Regi in subsidium refectionis dictorum castrorum auctoritate apostolica imposuimus, solvendam vobis vel aliis, quos ad hoc in vestris civitatibus et diocesibus deputabitis, in terminis infrascriptis, videlicet medietatem in omnium Sanctorum proxime venturo, et reliquam medietatem in Resurrectionis dominice extunc immediate secuturo festivitatibus, Anno extunc sequenti, similibus terminis observatis. Quocirca fraternitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatenus vos et singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus per vos, vel alium seu alios a quibuslibet personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, civitatum et diocesium predictarum de universis proventibus et redditibus ecclesiasticis beneficiorum ecclesiasticorum, que habent et obtinent in civitatibus et diocesibus vestris predictis, existentibus dumtaxat intra dictum Regnum levetis, et eciam exigatis in termino prefato decimam supradictam etc. ut in forma solita. Datum apud Montemflasconem Id. Maii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXI. cod. chart. fol. 565.

DCCCLXXXIII.

Iudicibus, ut causam de DCCC. scutis, quae archiepiscopus Bremensis archiepiscopo Rigensi solvere debeat, audiant et decidant.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Verdensi, ac dilectis filiis ... Decano ac ... Thesaurario ecclesie Verdensis, sal. etc. Exhibita nobis pro parte venerabilis fratris nostri Vromoldi Archiepiscopi Rigensis peticio continebat, quod olim bone memorie Engelbertus Archiepiscopus Rigensis, ipsius Vromoldi Archiepiscopi predecessor, de bonis ad eum ratione sue Rigensis ecclesie pertinentibus bone memorie Ottoni Archiepiscopo Bremensi octingenta scuta argenti mutuavit, que idem Otto Archiepiscopus pro communi servicio per eum Camere nostre apostolice debito eidem Camere persolvit, et ad restituendum eidem Engelberto Archiepiscopo huiusmodi octingenta scuta infra certum terminum iam elapsum se et suam Bremensem ecclesiam, prout ex licencia sedis apostolice recipere poterat, obligavit, confecto super hoc publico instrumento, quodque venerabilis frater noster Albertus Archiep̄us Bremensis, de cuius persona, dicto Ottone viam universe carnis ingresso, eidem Bremensi ecclesie auctoritate apostolica provisum extitit, de predictis octingentis scutis eidem Vromoldo Archiepiscopo, de cuius persona, dicto Engelberto sublato de medio, prefate Rigensi ecclesie est provisum, satisfacere indebite contradicit: Quare pro parte ipsius Vromoldi Archiepiscopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super promissis de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerint, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui etc. Datum apud Montemflasconem VI. Idus Iunii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 514.

DCCCLXXXIV.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Bartholomeo Abbati monasterii de Lubens Cisterciensis ordinis Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Preficitur in Abbatem eiusdem monasterii vacantis per obitum Boysoviz, qui extra Curiam Romanam diem clausit extremum. Datum apud Montemflasconem XII. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Alberto Nicolai de Lodza Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in ecclesia Poznaniensi. Datum Rome apud Sanctum Petrum XVII. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Scolactico ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Committit eidem, ut causam inter Thomam rectorem parrochialem ecclesie in Streylin et Canonicos regulares S. Marie in Arena Wratislaviensis audiat et decidat. Datum Rome apud Sanctum Petrum VII. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Ade Prandoche de Kolatha rectori parrochalis ecclesie in Chelnitze Gneznensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi rectoriam eiusdem ecclesie. Datum apud Montemflasconem XII. Kal. Iunii. Anno Septimo.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Brunonis clerico Wratislaviensi, sal. etc. Confert ipsi consideratione Caroli Romanorum Imperatoris et Boemie Regis, cuius dilectus, familiaris et suus Thesaurarie Regni Boemie notarius existit, beneficium ecclesiasticum in diocesi Wratislaviensi. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Id. Decembris. Anno Septimo.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Mathie Francisci Canonico ecclesie Wisliciensis Cracoviensis diocesis, in Iure Canonico Baccalario, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum XIV. Kal. Decembris. Anno VII.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Schaf clerico Culmensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum III. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Nicolai dicto Gunther de Klowen clerico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Id. Aprilis. Anno Septimo.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Wratislaviensi et ... Caminensi Episcopis, ac dilecto filio ... Abbati monasterii Novecelle Misnensis diocesis, salutem etc. Constituuntur Conservatores Petro Episcopo Lubucensi. Dat. Rome apud Sanctum Petrum vi. Kal. Martii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Ruperto Duci Slezie, salutem etc. Conceditur eidem, ut altari portatili gaudere et in locis interdictis divinis officiis interesse possit. Datum Rome apud S. Petrum Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Idem conceditur Agneti ducisse Slezie relicte quondam Bolkonis vidue Wratislaviensis diocesis. Datum Rome apud Sanctum Petrum vi. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Petro de Olsna clerico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Polonie, cuius in servitiis occupatus est, ecclesiam parrochialem in Weliczce Cracoviensis diocesis, eumque absolvit a macula infamie, quod eamdem ecclesiam, nondum ad presbiteratus ordinem promotus, per annum tenuerit et fructus perceperit. Datum apud Montemflasconem xii. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XX. cod. chart. fol. 168, 445, 539. et Tom. XXI. fol. 321, 407, 410, 413, 417, 458, 494, 512 et 535.

DCCCLXXXV.

Siffridus Blomemberch ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Siffrido Blomemberch Electo Rigensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur, ut cum de ipsarum regiminibus, presertim Romane ecclesie immediate subiectarum agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacancium, et inantea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Rigensi Premonstratensis ordinis per obitum bone memorie Vromoldi Archiepiscopi Rigensis, qui nuper apud sedem predictam debitum nature persolvit, apud sedem ipsam vacante, nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Canonicum eiusdem ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Rigensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod predicta ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et etiam studiosum, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum iii. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Rigensis, Clero et populo civitatis et diocesis Rigensium, universis Vassallis, et universis Suffraganeis ecclesie Rigensis, ut eidem electo obedientiam etc. debitam exhibeant.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 71.

DCCCLXXXVI.

Casimiro regi Poloniae, ut pecunias et quandam domum ad cameram apostolicam pertinentes eidem camerae restituat.

Urbanus episcopus etc. Carissimo in Christo filio Cazmiro Regi Polonie Illustri, salutem etc. Inter cetera solicitudinis studia, que tibi magnitudo regie dignitatis inducit, illud te convenit habere precipuum, ut Regem regum, per quem regnas et regeris, nullis excessibus provoces, perversis aliquibus actibus non offendas, sed eum potius per continuum exercitium laudabilis actionis propitium tibi constituas et placatum, ipsum in ecclesiis et personis ecclesiasticis, illarum manutenendo libertates et iura, et ab earum, presertim Romane ecclesie matris tue iniuriis abstinendo, solicite, quibus potes, studiis honorando: per hoc enim potissime tuum tibi regnum stabilies, nominis Regalis decorem gloriosis augebis titulis, et devotionem in eodem regno degentium tibi propensius solidabis. Sane nuper relatione fide digna percepimus, quod tu seu nonnulle gentes tue de tuo speciali mandato tam tempore felicis memorie Innocentii pape VI. predecessoris nostri, quam alias de arrario (?) Cracoviensis ecclesie de pecuniis per Collectorem Camere apostolice receptis et ibidem repositis, et eciam aliunde diversas pecuniarum summas diversis viscibus, que omnibus computatis ad sex milia quadringentos et viginti florenos ascendere dinoscuntur, recepisti, nec non quandam domum in civitate Cracoviensi consistentem, que predicte Camere nostre apostolice obligata existit, occupasti, non attendendo, quod taliter res recipere non licuit alienas, precipue ad eandem Romanam ecclesiam pertinentes. Cum autem regalem magnificenciam nullatenus deceat prefate Romane et nostra bona vel iura occupare, diminuere vel turbare, sed ea potius augmentare, et favoribus prosequi et tueri, Serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus predictas pecuniarum summas per te, seu gentes tuas, ut premittitur, receptas prefate Camere nostre apostolice, seu Collectori nostro in partibus illis deputato, sublato cuiuslibet difficultatis et dilationis obstaculo, facias assignari, et dictam domum realiter et omnino dimittas, in premissis taliter te habendo, quod omnipotentem dominum tibi constituas propitium, nosque devotionis tue promptitudinem non immerito commendare possimus. Datum apud Montemflasconem Idibus Iunii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

G. de Bosco.

Ex Originali Caps. 229. Nro. 5.

DCCCLXXXVII.

Instrumentum, quo Ioannes de Lo consul Thorun. d. flor. auri a nuntio apostolico in depositum acceptos Brugis solvere promittit.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem m.ccc.lxx. Indictione viii. die xix. mensis Augusti, hora quasi sexta, Cracovie in domo habitacionis venerabilis viri domini Arnaldi de Caucina Scolastici Cracoviensis, in Polonie et Ungarie regnis apostolice sedis nuncii et Collectoris, in mei publici notarii et testium subscriptorum presencia discretus vir Cunradus de Esin civis Thorunensis, procurator ad infrascripta, procuratorium coram dicto domino Arnaldo sub sigillis constituencium infrascriptorum exhibuit in hec verba. In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem m.ccc.lxx. Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini, domini nostri Urbani pape quinti anno octavo, Indictione viii. die iii. mensis Augusti, hora vi. vel quasi in domo habitacionis discreti viri Iohannis de Lo Consulis in opido Thorunensi, in mei notarii publici et testium subscriptorum presencia constituti discretus vir iam dictus Iohannes de Lo consul iam nominati opidi Thorunensis, et discreta mulier domina Kunigundis relicta Nicolai Gerug pie memorie, eciam civis opidi memorati, omnes insolidum et quilibet eorum constituerunt, fecerunt et ordinarunt modo, quo potuerunt, meliori ipsorum verum ac legitimum procuratorem, negociorum gestorem et nuncium specialem discretum virum Kunradum de Hesin dictum civem Thorunensem, licet absentem, tanquam presentem ad cambiendum seu cambia faciendum et pecunias levandum, recipiendum racione depositi nomine ipsorum constituencium a venerabili viro domino Arnaldo de Caucina Scolastico Cracoviensi, Subcollectore pecuniarum domini nostri pape, et de eisdem pecuniis, quas dictum procuratorem reciperc contigerit, de huiusmodi receptis recognoscendum se habere in deposito in eadem (?) recognoscendi loco, tempore, et quibus idem dominus Collector deputaverit assignandas, et promittendum, prout mandaverit idem dominus Collector, ad obligandum ipsos constituet (?), et penis, sentenciis submittendum eiusdem nuncii et in animam eorum iurandum super omnibus firmiter observandum, et in forma, qua super talibus causis prefatus dominus nuncius cum mercatoribus facere consuevit, et omnia et singula, que ipsi constituentes facerent et cognoscerent et pro-

mitterent, et ipsos obligarent, si personaliter interessent, ratum et gratum et firmum perpetuo habituri quicquam per dictum procuratorem in huiusmodi cambio et recognicione factum fuerit, et eciam procurat.... vel ordinat.... promittent michi notario publico infrascripto nomine dicto, qui(?) cum domini nostri pape et quorum interest dictum procuratorem ab omni onere satisfaciendi relevandi, iudicio sisti et iudicatum solvi sub omnium rerum ipsorum et cuiuslibet eorum mobilium et immobilium ypotheca. In cuius rei evidenciam maiorem ac firmiorem ipsorum sigilla presenti instrumento sunt appensa. Actum et datum Anno, Indictione, mense, die, hora, loco, Pontificatu quibus supra, Presentibus discretis viris dño Thoma de Raconicz sacerdote ac capellano ecclesie parrochialis sancti Iohannis, Iohanne dicto Leschari, Magistro Nicolao Carpentoratensis civitatis et aliis pluribus fidedignis ad predicta vocatis et specialiter rogatis. Et ego Stephanus Strelicz clericus Wratislaviensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, supradicti procuratoris constitutioni, licet absentis, tanquam presentis una cum prenominatis testibus omnibus et singulis presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam redegi manuque mea propria conscripsi, signo meo et nomine consuetis et solitis consignavi rogatus et requisitus specialiter in evidens testimonium omnium premissorum. Supradictus Cunradus, procurator procuratorio nomine Iohannis de Lo et Kunigundis supradictorum, quo supra nomine procuratorio atque suo recognovit se recepisse, et realiter cum effectu habuisse in deposito, ac nomine veri et puri depositi recepisse, eique datos numeratos et ponderatos esse et fuisse a venerabili viro domino Arnaldo de Caucina supradicto, dante, assignante, numerante et deponente nomine camere domini nostri pape atque suo quingentos florenos auri boni et puri ponderis de Ungaria aut Florencia de pecunia dicte Camere domini nostri pape, per ipsum dominum nuncium in dictis regnis racione quorundam iurium recollecta, idem Cunradus quo supra nomine excepcioni non habitorum, non receptorum, non numeratorum sibi predictorum florenorum auri renuncians simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri aut valorem ipsorum prefatus Cunradus nomine quo supra promisit nomine predicte Camere et dicti domini nuncii solvere et realiter assignare in villa Brugensi discretis viris de societate antiquorum Albertorum aut procuratori ipsorum mercatorum de Florencia, aut cui dominus noster papa a predicta die XIX. mensis Augusti ad XII. menses proxime ibidem duxerit committendum, renuncians omni excepcioni etc. Actum Anno, Indiccione, die, mense, hora, loco, quibus supra, presentibus discretis viris dominis Alberto Cristini Canonico Cracoviensi, Petro de Zavichost et Iohanne Clementis de Opathovecz clerico Cracoviensis diocesis, notariis publicis ad premissa testibus.

(L. S.) Et ego Amboldus Iohannis de Campino clericus Gneznensis diocesis etc. Notarius etc.

Ex Instrum. miscell. Caps. 230. Nro. 13.

DCCCLXXXVIII.

Duobus clericis de canonicatibus providetur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Lichtenowe de Prussia Canonico Caminensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut beneficium ecclesiasticum in ecclesia Wladislaviensi retinere possit. Datum Rome XIV. Kal. Februarii. Anno Octavo.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Theoderico de Dumerow Canonico Warmiensi, in utroque iure Baccalareo, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et prebendam in dicta ecclesia vacantes per obitum Tilonis Slusow. Datum apud Montemflasconem XVIII. Kal. Iulii. Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXII. cod. chart. fol. 134. et Tom. XXIII. fol. 200.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

DCCCLXXXIX.

Arnaldus de Caucina collector apostolicus in regnis Hungariae et Poloniae constituitur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Arnaldo de Caucina Scolastico ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia et probitate, providencia quoque circumspecta, aliisque virtutibus pluribus, quibus, prout fidedignorum relacione nobis innotuit, te dominus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi exequenda commiserimus, solerti ac salubri studio gubernabis et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te in Ungarie et Polonie Regnis apostolice sedis nuncium nostrumque collectorem ac receptorem usque ad beneplacitum auctoritate apostolica facimus, constituimus et eciam deputamus, omnes et singulos nuncios, collectores, receptores et succollectores apostolicos inibi hactenus per sedem ipsam vel eius auctoritate deputatos penitus revocando, ipsosque a collectorie et succollectorie officiis eis commissis totaliter amovendo, tibi per te vel alium seu alios fide ac facultatibus ydoneos petendi, exigendi et recipiendi nostro et ipsarum Camere et ecclesie Romane nomine omnia et singula res et bona nobis, et ecclesie Romane et Camere apostolice in prefatis provinciis quacumque racione vel causa debita et debenda inantea, vel ad nos seu ad eas nunc et imposterum pertinentia, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, et si necesse fuerit super hiis componendi, transigendi et paciscendi, insuper quoque omnibus et singulis commissionibus ac litteris apostolicis tibi et aliis quibuscumque tuis predecessoribus auctoritate apostolica missis, concessis seu alias destinatis, ac dictam Cameram nostram seu eius iura concernentibus, ceptis et non ceptis, utendi easque exequendi et ad effectum plenarium deducendi, ac si tibi specialiter per nos essent destinate, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendi, et eciam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, nec non de receptis quitandi et absolvendi, Non obstantibus etc. auctoritate predicta facultatem plenariam concedentes; ita tamen, quod de fructibus, redditibus, proventibus et aliis bonis quibuscumque ad dictam Cameram nostram pertinentibus, ultra duos annos dilacionem dare nequeas, et in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si ample sint et diffuse, si vero parve fuerint, in duabus unum dumtaxat succollectorem constituas et eciam deputes, ac omnium et singulorum succollectorum, quos deputare te continget, nomina et cognomina nobis seu Camerario nostro clare et distincte transmittere, ac singulis bienniis de receptis per te et gestis eidem Camerario nostro, seu gentibus dicte Camere racionem et computa reddere non postponas. Sic igitur in premissis

diligenter, solicite ac fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari valeas, nostramque et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione VI. Idus Martii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Cameral. fol. 12.

DCCCXC.

Hinco Bucononis ecclesiae Vladimiriensi praeficitur in episcopum et de more commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Hinconi Bucononis Electo Ladimiriensi, salutem etc. Apostolatus officium quanquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, gubernare. Dudum siquidem bone memorie Petro Episcopo Ladimiriensi regimini Ladimiriensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Petri Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini professorem, in sacerdocio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignis testimoniis percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Ladimiriensi ecclesie de eorumdem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Ladimiriensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata Ladimiriensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Ladimiriensis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retribucionis premium nostram ac sedis predicte benediccionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Nonas Maii. Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Ladimiriensis, Clero et populo civitatis et diocesis Ladimiriensis, universis Vassallis et Archiep̄o Haliciensi, ut eidem electo obedientiam et reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. I. cod. chart. fol. 193.

DCCCXCI.

Iuramentum fidelitatis et obedientiae, et professio fidei catholicae Andreae episcopi Cerethensis in Moldavia ab episcopo Cracoviensi et suis collegis auctoritate apostolica instituti.

Sanctissimo in Christo Patri ac domino, domino Gregorio digna dei providencia pape XI. Andreas Ep̄us Cerethensis, Capellanus vester, humilis et devotus, Reverenciam et obedienciam debitas cum pedum osculo beatorum. Sanctissime pater, Noveritis, quod nuper Sanctissimus in Christo pater dominus Urbanus olim papa quintus suis dedit litteris in mandatis Episcopo Cracoviensi et suis collegis, ut me in Episcopum Cerethensis Ecclesie consecrarent, mandans iuramentum a me recipi sub forma in litteris apostolicis interclusa, et nichilominus iniungens, ut formam iuramenti prestiti in meis patentibus litteris meo sigillo signatis ad Sanctam Sedem Apostolicam destinarem. Proinde cupiens man-

datis apostolicis semper prono animo in singulis obedire, eandem formam presentibus Vestre Sanctitati transmitto in hec verba. Ego Andreas Episcopus Cerethensis iuro, promitto, et fide data pure et simpliciter me tactis dei sacrosanctis ewangeliis iurasse, promisisse et spopondisse presentibus confiteor, et Sacrosancte Romane Ecclesie recognosco articulos et capitula infrascripta, que me indicant ad Unitatem Ecclesie pertinere, et eius sp . . . utpote unum de membris corporis ecclesiastici vivificari et foveri. Equidem sub ipso iuramento promitto, et fide data polliceor me credere et simpliciter profiteri sanctam trinitatem Patrem et Filium ac Spiritum sanctum unum deum omnipotentem, totamque in trinitate deitatem, coessentialem et consubstantialem, coeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, que sunt in celo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Item credo siugulam quanque in Trinitate personam unum verum deum, plenum et perfectum. Credo ipsum filium dei verbum dei eternaliter natum ex patre, consubstancialem, unius et eiusdem omnipotencie, et coequalem per omnia patri in divinitate, in tempore natum de spiritu sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex patre eternam, alteram ex matre temporalem, deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, neque secundum fantasiam, sed unum et unicum filium dei, in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana naturis, sed in unius persone singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, et tercia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, et die quadragesimo post resurreccionem cum carne, cum qua resurrexit, et anima ascendisse ad celum, et sedere ad dexteram patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala. Credo eciam spiritum sanctum plenum et perfectum, verumque deum ex patre et filio procedentem, coequalem et consubstantialem, et coomnipotentem et coeternum per omnia patri et filio. Credo hanc Sanctam Trinitatem non tres deos, sed unum deum omnipotentem, eternum, iuvisibilem et incomutabilem. Credo Sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credo eciam veram resurreccionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam eternam. Credo eciam novi et veteris testamenti, idest legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem deum et dominum omnipotentem. Credo hanc esse veram fidem katholicam, et quod hanc super dictis articulis tenet, et predicat Sacrosancta Romana Ecclesia, et propter diversas hereses, a quibusdam ex ignorancia, et ab aliis ex malicia introductas, dicit et predicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram penitenciam suorum posse consequi veniam peccatorum, quod si vere penitentes in caritate decesserint, antequam dignis penitencie fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas penis purgatoriis post mortem purgari, et ad penarum huiusmodi alleviacionem et liberacionem prodesse eis fidelium virorum suffragia, scilicet sacrificia, oraciones et elemosinas, et alia pietatis officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesie instituta. Credo eciam illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas eciam, que post contracti peccati maculam vel in suis manentes corporibus vel eisdem exute, prout dictum est superius, sunt purgate, in celum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana Ecclesia credit et firmiter asseverat, et quod nichilominus in die Iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis racionem. Credo, sicut eciam docet et tenet eadem ecclesia Romana, septem esse Ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra, aliud est sacramentum confirmacionis, quod per manus imposicionem Episcopi conferunt crismando renatos, Aliud est sacramentum ordinis, Aliud matrimonium, Aliud est extrema unccio, que secundum doctrinam Beati Iacobi infirmantibus exhibetur, Sacramentum eucharistie ex azimo sacrificat Ecclesia Romana predicta, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transmutatur in corpus, et vinum in sanguinem dñi nostri Ihesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures, uec una mulier simul habere permittitur plures viros: Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas et tercias, et deinceps nupcias successive licitas esse dixit, si impedimentum Canonicum et causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et Principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso domino in beato

Petro Apostolorum Principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter et humiliter recognoscit, et sicut pre ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si que de fide suborte fuerint questiones, suo debent iudicio diffiniri: Ad quam potest gravatus quilibet in negociis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest iudicium, et eidem omnes ecclesie sunt subiecte, ipsarumque Episcopi obedienciam et reverenciam sibi debent: apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, Patriarchales precipue diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit, sua tamen precellenti dignitate et superioritate tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva. Unde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta et lecta est, et fideliter exposita, veram, sanctam et orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto, et corde ac ore profiteor, ...que prout eam veraciter tenet et fideliter docet et predicat Sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabiliter servaturum, et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, et quoquo modo deviaturum promitto, et abrenuncio omni scismati. Primatum quoque ipsius Sacrosancte Romane Ecclesie, prout in premissa serie continetur, ad ipsius Ecclesie obedienciam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto et sponte suscipio, et me omnia premissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesie primatum et ipsorum recognicionem, acceptacionem, suscepcionem, observanciam et perseveranciam servaturum prestito corporaliter iuramento promitto et confirmo. Sic me deus adiuvet, et hec Sancta dei ewangelia, quod si contra hec aliquid sentire, confiteri, aut alias agere presumpsero, me scismaticum et anathematizatum eo ipso recognosco, ac severitati Sacrorum Canonum subiacere. Premissis itaque hiis omnibus et singulis volo et promitto fideliter et firmiter adherere et me subicere, et a meis subditis observari iuxta meum posse et facultatem, quam michi deus omnipotens de alto concedere dignabitur de sua clementissima pyetate. In cuius Iuramenti et sponsionis evidenciam clariorem presentes scribi feci, sigillum meum proprium eidem appendendo. Scriptum et datum Cracovie die Nona mensis Maii, Anno dñi MCCCLXXI. Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini, dñi Gregorii pape XI. Anno Primo.

Ex Instrum. miscell. Caps. 230. Nro. 37.

DCCCXCII.

Otto ecclesiae Curoniensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Crecorius episcopus etc. Dilecto filio Ottoni Electo Curoniensi, salutem etc. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis nos apostolice servitutis necessitas obligat, earum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exolvamus in eo potissime, ut illarum regimina, que propriis sunt destitute pastoribus, personibus talibus committantur, per quorum solerciam circumspectam et solertem circumspeccionem ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem bone memorie Iacobo Ep̄o Curoniensi regimini ecclesie Curoniensis hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitani presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per operacionis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Iacobi Episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie, reservacionis et decreti predictorum, ut asseritur, ignari, te Custodem eiusdem ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, in Episcopum Curoniensem, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti eciam de facto, et demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur huiusmodi eleccionem et quecunque inde secuta utpote post et contra reservacionem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptata reputantes, prout erant, irrita et inania, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam

de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te dicti ordinis professorem, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspeccione aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus ac concordi dictorum Capituli te eligencium voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, ipsi Curoniensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspeccionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, ac grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se cummissam, tuque preter eterne retribucionis premium apostolice sedis et nostre benivolencie graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione v. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepo Rigensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Curoniensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Curoniensis, ut eidem electo reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. III. cod. chart. fol. 54.

DCCCXCIII.

Episcopo Posnaniensi, ut processus per episcopum Vratislaviensem contra ducem Falkenbergensem factos observari faciat.

Gregrius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Preczlai Episcopi Wratislaviensis peticio continebat, quod cum olim castrum Iawirink dicte diocesis ad ipsum Episcopum et mensam suam Episcopalem ac ecclesiam Wratislaviensem pleno iure pertinens, et infra limites bonorum Episcopalium et in fundo Episcopatus Wratislaviensis ac dominii consistens, per Mathiam de Trentz laicum eiusdem diocesis, quem prefatus Episcopus inibi Castellanum deputaverat, teneretur, ipseque Mathias redditus atque iura ipsius castri nomine dicti Episcopi perciperet, nobilis vir Henricus Dux Falkimbergensis dicte diocesis, conspiracione dolosa cum predicto Mathia concepta, fecit occulte, quod dictus Mathias dolose, fraudulenter et proditorie dicto Duci et eius gentibus suo nomine recipientibus dictum castrum nocturno tempore aperuit, et gentes ipsas recepit, eis, dicto Episcopo ignorante, castrum huiusmodi prodiciose tradendo, cuius prodicionis occasione prefatus Dux eundem Episcopum et suam ecclesiam dicto castro cum suis iuribus et pertinenciis spoliavit, et illo detinet spoliatum de presenti in anime sue periculum, dicti Episcopi ac sue mense Episcopalis preiudicium, ac scandalum plurimorum: propter quod prefatus Episcopus, cum premissa adeo essent, prout sunt, notoria, quod nulla poterant, prout nec possunt tergiversacione celari, prefatum Ducem eiusque fautores, coadiutores et complices per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut infra certum peremptorium terminum competentem tunc expressum prefatum castrum eidem Episcopo et eius ecclesie cum suis iuribus et pertinenciis universis restituerent et libere dimicterent, ac in ipsos Ducem, fautores, coadiutores et complices huiusmodi monicioni parere contumaciter non curantes, excommunicacionis sentenciam promulgavit, iusticia exigente, et demum ipsius Ducis excrescente contumacia, eius terram ecclesiastico supposuit interdicto. Quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmacionis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi processus dicti Episcopi, sicut sunt iusti, facias auctoritate nostra, appellacione remota, inviolabiliter observari, et eos, prout iusticia suadebit, aggraves auctoritate supradicta, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si eisdem Duci, fautoribus, coadiutoribus et complicibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis xii. Kal. Iulii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. I. cod. chart. fol. 377

DCCCXCIV.

Instrumentum publicum de Andreae ord. Minorum in episcopum Cerethensem in Moldavia consecratione per ep̄um Cracoviensem facta.

In Christi nomine amen. Sub anno nativitatis domini M.CCC.LXXI. Indictione nona, in die IIII. mensis Augusti Pontificatus sanctm̄i in Christo patris et dn̄i nostri, dn̄i Gregorii divina dei providencia pp. XI. (anno I.) horarum vesperarum vel quasi, in domo habitationis fratrum Minorum in civitate Lemburgii, in mei publici notarii et testium subscriptorum presencia ad hoc vocatorum Reverendus in Christo pater dominus Andreas Episcopus Czeretensis, frater ordinis Minorum, legit, presentavit et exhibuit quandam litteram in pergameno conscriptam Venerabilis in Christo patris domini Floriani Episcopi Cracoviensis, mandans eandem litteram per me notarium infrascriptum publicari, transumi, redigi, exemplari et fideliter copiari. Cui quidem littere appensum existit sigillum rotunde figure, ad tergum de cera alba, ad faciem vero rubea, in filis duplicis serici dependentis ruffi et viridi colorum. In cuius sigilli medio ymago episcopalis, tenens curvaturam in sinistra manu, et cum dextra duobus digitis signando, inferius vero clippeus cum tribus hastis apparebant. In cuius circumferencia cruce imposita hee littere legebantur: Sigillum Floriani Episcopi Cracoviensis. Cuius littere tenor talis noscebatur. In Christi nomine amen. Ascensurus in celum dominus Ihesus Christus curam sancte ecclesie sponse sue commisit beatis apostolis et eorum sequacibus, Episcopis gloriosis, disponens eosdem pro labilitate condicionis humane iuxta . . . . . subditorum: quibus etsi plurimum gracie divine debeatur in assecucione tanti apicis, tamen potestatis plenitudo eiusdem in collacione sacri pontificalis ordinis condonatur. Eapropter nos Florianus divina et apostolice sedis providencia Episcopus Cracoviensis ad universorum deducimus noticiam per presentes, nos habuisse, et cum ea qua decet reverencia recepisse litteras apostolicas Sanctissimi in Christo patris et domini domini Urbani pape quinti, quarum tenor sequitur in hec verba. Urbanus episcopus servus servorum dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Pragensi et Wratislaviensi ac Cracoviensi Episcopis, Salutem et apostolicam benedictionem. Summi dispositione rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati curis assiduis angimur, et assidua meditatione pulsamur, ut ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum sciat non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare. Hodie siquidem per vos accepto, quod nobilis vir Laczko Dux Moldaviensis ac populus sui ducatus, qui licet christianitatis nomine glorientur, tamen scimatici fuerant hactenus et adhuc erant, quorundam fratrum ordinis Minorum predicacionibus inducti abnegare volebant omne scisma et profiteri sanctam fidem, quam Apostolica et Catholica tenet Ecclesia, ac pro parte ipsius ducis nobis humiliter supplicato, ut opidum suum Czerethense Halecensis dyocesis in civitatem erigere et civitatis vocabulo insignire, ac ipsi Episcopum katholicum, qui ipsos ducem et populum in dicta fide instrueret et nutriret, preficere dignaremur. Nos vobis per nostras litteras dedimus in mandatis, ut si prefati dux et populus vellent firmiter, pure ac simpliciter fidem suscipere prelibatam, dictum opidum, postquam predicti dux, populus seu aliqua pars eorum, de qua vobis expediens videretur, abnegassent omne scisma et dictam fidem devote suscepissent et eam professi fuissent, in civitatem erigere et opidum ipsum civitatis vocabulo decorare, ac ibidem Ecclesiam kathedralem constituere seu fieri facere studeretis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum itaque postmodum pro parte dicti ducis expositum fuerit coram vobis, quod si prefatum opidum per vos in civitatem erigi et ibidem talem Ecclesiam constitui seu fieri contingat, ut prefertur, dilectus filius Andreas de Cracovia dicti ordinis fratrum Minorum professor, in sacerdocio constitutus, utilis et ydoneus esse ad regimen dicte Ecclesie, cum facta seu in Cathedralem constituta extiterit, ut prefertur. Nos cupientes eidem ecclesie, si premissa fieri contingant, de persona ydonea provideri, que sciat, debeat et valeat predictam ecclesiam et populum sibi commissum salubriter regere et feliciter gubernare, sed de ipsius Andree meritis et ydoneitate noticiam non habentes, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum de persona dicti Andree, si eum utilem et ydoneum ad regimen dicte ecclesie esse repereritis, alioquin de persona ad hoc utili et ydonea, super quo vestras consciencias oneramus, eidem Ecclesie, cum, ut premittitur, facta seu constituta fuerit, hac vice auctoritate nostra provideatis, preficientes eandem personam ipsi ecclesie in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et nichilominus unus vestrum, ascitis et in hac sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis

antistitibus, gratiam et communionem apostolice sedis habentibus, eidem persone, de qua prefate ecclesie providebitis, munus consecrationis impendatis. Volumus autem, quod ille ex vobis, qui eidem persone prefatum munus impendet, et postquam illud impenderit, ab eadem persona nostro et ecclesie Romane nomine recipiat fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, quodque ille ex vobis, qui prefatum munus, ut prefertur, dicte persone impendet, formam iuramenti, quod ipsa persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per ipsius persone patentes litteras, eius sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius studeat destinare. Datum apud Montemflasconem pridie Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Octavo. Harum igitur auctoritate litterarum et potestate nobis in hac parte tradita per easdem volentes mandatis apostolicis, ut tenemur, humiliter obedire, Venerabilem in Christo patrem dominum Andream fratrem de ordine Minorum, virum sciencia sacre pagine illustratum, in temporalibus providum, in spiritualibus circumspectum, moribus honestum, vita laudabilem famaque preclarum, assistentibus nobis Venerabilibus in Christo patribus et dominis Derslao de ordine Predicatorum Elatensi et Nicolao de ordine Minorum Syensi Episcopis, in Episcopum promovimus ecclesie Czerethensis, nuper eadem apostolica auctoritate erecte et fidem orthodoxam suscipientis, Christi cooperante virtute, sibi iuxta formam ecclesie munus consecrationis, prout decuit, impendentes, preficientes ipsum eadem auctoritate eidem ecclesie Czerethensi in Episcopum et pastorem, iuramentumque fidelitatis et obediencie iuxta formam in litteris apostolicis interclusam recepimus nomine sedis apostolice, prout ab ea nobis iniunctum fuerat in mandatis, et quam idem dominus Andreas suis litteris suo sigillo signatis ad ipsam sanctam sedem apostolicam se missurum promptum obtulit et paratum. In quorum omnium testimonium et evidenciam ampliorem presentes confici iussimus, ipsas nostri sigilli pendentis munimine roborantes. Actum et datum Cracovie in ecclesia nostra Cathedrali die nona mensis Martii, Anno nativitatis domini M.CCC.LXXI. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Gregorii pape XI. Anno primo. Post cuius quidem littere presentacionem, lectionem, exhibicionem et publicacionem per me notarium infrascriptum mandatum est fieri presens publicum instrumentum. Acta sunt hec Anno, Indictione, mense, die, hora, loco quibus supra, presentibus hiis testibus Reverendis in Christo patribus dominis Ludovico Vicinensi de ordine Minorum, Iacobo Kioviensi de ordine sancti Basilii Episcopis, Nicolao de Broniszewicze clerico Gneznensis diocesis, Laurencio et aliis testibus ad premissa.

(L. S.) Et ego Andreas quondam Henrici de Lemberga clericus Lubicensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, in predictis omnibus, dum sic agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, et occupatus aliis negociis per alium scribam scribi feci, me subscribens, signo et nomine meis solitis de mandato domini Andree Episcopi Cerethensis supradicti in fidem et testimonium omnium premissorum fideliter consignando.

(Die XXVII. Ianuarii anno MCCCLXXII. fuit presens instrumentum Gregorio PP. XI. presentatum et traditum nomine eiusdem Andreae episcopi per Nicolaum de Auximo. Vide de eodem episcopatu instituendo Theineri Vet. Monum. Hung. Tom. II. Nro. 197. pag. 99.)

Ex Instrum. miscell. Caps. 230. Nro. 35.

DCCCXCV.

Magistro hospitalis S. Mariae Teutonicorum, ut concordiam cum Ioanne episcopo et capitulo ecclesiae Varmiensis ineat.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Magistro hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani et Preceptoribus domorum hospitalis eiusdem, salutem etc. Cum Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Pragensi nostris demus litteris in mandatis, ut super omnibus litibus et controversis inter vos et nonnullos fratres vestri hospitalis ex parte una, et Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Warmiensem, et dilectos filios Prepositum, Decanum et Capitulum ecclesie Warmiensis ex altera vertentibus vos concordet: discrecionem vestram nobis caram rogamus et hortamur attente, vobis uichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac eciam vestre salutis intuitu ad bonam concordiam vos disponatis, et a quacunque turbacione et molestacione dicte Warmiensis ecclesie et eius iurium cessetis, nec non fratres dicti vestri hospitalis, qui nonnullas terras et possessiones dicte Warmiensis ecclesie, eciam post inhibicionem per felicis recordacionis Urbanum papam V. predecessorem nostrum eis factam, invasisse dicuntur, corrigatis, et fratres ipsos ad restituendum ablata dicte ecclesie compellatis cum effectu, in premissis taliter vos ha-

bentes, quod devocionis vestre promptitudinem non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Nonas Septembris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. II. cod. chart. fol. 534.

DCCCXCVI.

Carolo Romanorum imperatori, ut partes suas ad faciendam concordiam inter praedictos interponat.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto, salutem etc. Ad pietatis opera tanto te, fili carissime, confidencius exhortamur, quanto te illis devocius vacare percipimus, quantoque magis serenitatem tuam decet in eis iugiter exerceri. Nuper siquidem per nos accepto, quod inter Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Warmiensem ex parte una, et Magistrum et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani super nonnullis terris, possessionibus et iuribus ad dictam ecclesiam Warmiensem, ut iidem Episcopus, Prepositus, Decanus et Capitulum asserunt, spectantibus erat materia questionis exorta, Nos Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Pragensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut partes coram se evocet et ad amicabilem composicionem et concordiam inducat, et si in facto discordent, testes et munimenta, que utraque pars coram eo producere voluerit, recipiat, et deinde que in premissis peregerit, nobis referre non postponat. Cum autem favor tuus in premissis sit plurimum oportunus, excellenciam tuam attente rogamus, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverencia, et eciam pietatis intuitu ad reducendum Episcopum, Prepositum, Decanum et Capitulum ac Magistrum et fratres predictos ad concordiam benignitatis tue partes interponas, ipsosque Episcopum, Prepositum, Decanum et Capitulum, eorumque terras, possessiones atque bona, que progenitores tui a manibus infidelium eripuerunt, habeas favorabiliter commendata, ita quod omnipotentem dominum tibi constituas propicium, nosque, qui te sincere diligimus, devocionis tue promptitudinem dignis in domino laudibus attollamus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIIII. Kal. Octobris. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. II. cod. chart. fol. 111.

DCCCXCVII.

Archiep̃us Pragensis iudex controversiae inter ep̃um Varmiensem et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum vertentis constituitur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Warmiensis, et dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli ecclesie Warmiensis peticio continebat, quod nonnulli fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani ipsum Episcopum nonnullis villis, lacubus, nemoribus et silvis ad suam mensam episcopalem et dictam ecclesiam Warmiensem spectantibus, eciam postquam dictus Episcopus occasione premissorum nuncium ad sedem apostolicam destinavit, indebite spoliarunt, et adhuc detinent spoliatum in animarum suarum periculum, dictorum Episcopi et ecclesie Warmiensis preiudicium non modicum et gravamen. Quare pro parte dictorum Episcopi, Prepositi, Decani et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vocatis, qui fuerint evocandi, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii ac sine observatione consuetorum terminorum tibi constiterit ita esse, prefatum Episcopum et suam mensam episcopalem ac ecclesiam Warmiensem ad huiusmodi villas, lacus et silvas, quibus, ut premittitur, spoliati existunt, auctoritate apostolica restituere et reintegrare procures, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, necnon de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. II. cod. chart. fol. 534.

DCCCXCVIII.

Eidem archiepiscopo super eodem argumento.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Cum, sicut accepimus, inter Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Epum Warmiensem, ac dilectos filios Prepositum, Decanum et Capitulum Warmiensis ecclesie ex parte una, ac Magistrum et fratres hospitalis beate Marie Theutonicorum Ierosolimitani super quibusdam terris, possessionibus et iuribus ad dictam Warmiensem ecclesiam, ut iidem Episcopus, Prepositus, Decanus et Capitulum asserunt, pertinentibus, et nonnullis aliis articulis ex altera fuerit materia questionis exorta: Nos cupientes, ut premissis finis debitus imponatur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partes ipsas, ut per se vel personas legitimas ad experiendum et transigendum et amicabiliter componendum super omnibus litibus et controversiis inter eos vertentibus coram te compareant, evoces, et super hiis, in quibus partes ipse in facto discordaverint, tu testes, quos utraque parcium earundem coram te duxerit producendos, et quecumque munimenta, que produxerint, recipias, ac testes ipsos super articulis et capitulis, que partes ipse exhibuerint, secundum interrogatoria a partibus ipsis exhibenda, si ea exhibere voluerint, alioquin iuxta datam tibi a deo prudenciam summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, eciam sine consuetorum terminorum observacione examines diligenter, munimenta predicta custodiri fideliter faciendo, ac testes reprobatorios, si quos partes ipse exhibere voluerint, iuxta iuris disposicionem examines diligenter, ac deposiciones omnium testium predictorum fideliter redigi facias in scriptis, predictasque partes super omnibus premissis, quantum poteris, ad amicabilem concordiam et composicionem inducas, et si partes ipsas ad concordiam seu composicionem reduxeris, huiusmodi composicionem seu concordiam, alioquin predicta dicta testium, ac omnia et singula munimenta, que coram te fuerint exhibita, fideliter in scriptis redacta, et alia, que in premissis peregeris, sub tuo sigillo inclusa ad nostram presenciam quantocius trasmittas, eisdemque partibus terminum peremptorium prefigas, quo per te vel procuratores ydoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis causam huiusmodi contingentibus se nostro conspectui representent, audituri id, quod super hiis duxerimus ordinaudum; Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus quibuscunque commissionibus super premissis apud sedem apostolicam factis, dummodo earum vigore ad libelli oblacionem non sit processum, nec non tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, et de duabus dietis in consilio generali, nec non de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Diem vero prefixionis huiusmodi et formam et quicquid super hiis, ut premittitur, duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. II. cod. chart. fol. 535.

DCCCXCIX.

Cum Anna et Hedwige quondam Casimiri regis Poloniae natis super defectu natalium dispensatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Anne clare memorie Kazimiri Regis Polonie nate, salutem etc. Sedis apostolice circumspecta benignitas, nonnunquam Iuris rigorem mansuetudine temperans, libenter defectum patientibus subvenit, et aliene culpe tenebris offuscatis lumen aperit claritatis. Attendentes igitur eximie devotionis affectum, quem clare memorie Kazimirus Rex Polonie genitor tuus ad Romanam, dum vixit, gessit ecclesiam, et etiam nobilitatem tui generis boneque indolis signa, quibus tu etate minor apud nos commendaris testimonio fidedigno, et propterea

ac etiam consideratione Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie et Polonie Illustris, pro te dilecta consobrina sua nobis super hoc humiliter supplicantis, volentes tibi gratiam facere specialem, ipsius Ludovici Regis in hac parte supplicationibus inclinati, te, [ut] defectu natalium, quem pateris ex predicto Kazimiro Rege, tunc coniugato, et quadam nobili muliere soluta genita, ac constitutionibus tam apostolicis, quam aliis et legibus quibuscumque nequaquam obstantibus, ad omnia Iura natalium et ingenuitatis et alias legitima, omnesque actus legitimos et civiles honores de speciali gratia auctoritate apostolica ex nunc habilitamus, restituimus, legitimamus ac reddimus habilem, legitimam et capacem, ita quod in quibuscumque bonis etiam feudalibus in Regno Polonie et extra illud consistentibus, preterquam ad successionem dicti Regni ac Iurium et pertinenciarum ipsius, que de demanio eiusdem Regni existunt, ad que successionem, Iura et pertinencias nullatenus venire seu consequi auctoritate presentium valeas, omnibus et singulis personis proinde ex testamento vel ab intestato succedere possis, ac si ex legitimo fuisses matrimonio procreata. Ac insuper si, inspirante deo, aliquem approbatum ordinem sanctimonialium professa fueris, ut in eo ad omnem administrationem et dignitatem, etiam Abbatissalem, si ad eam canonice vocata extiteris, promoveri valeas et assumi, tecum tenore presentium dispensamus. Nulli ergo etc. nostre habilitationis et legitimationis, restitutionis, redditionis et dispensationis infriugere etc. Datum Avinione v. Idus Octobris. Anno Primo.

In e. m. Hedwigi clare memorie Kazimiri regis Polonie nate.

Ex Reg. orig. An. I. Indulg. et Privileg. ep. 575. fol. 145.

DCCCC.

Archiep̃o Gnesnensi eiusque collegis, ut fratres Minores verbum dei in partibus Russiae praedicantes foveant et defendant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznesi et ... Cracoviensi ac ... Czeretensi Episcopis, salutem etc. Iustis petentium desideriis, illis presertim, que defensionem et augmentum catholice fidei respicere dignoscuntur, libenter annuimus, et ut consequantur effectum, favorem apostolicum impertimur. Sane dilecti filii Nicolaus de Crosna vicarius partium Ruscie et alii fratres ordinis fratrum minorum in eisdem partibus commorantes nobis significare curarunt, quod licet ipsi et quilibet ipsorum in dictis et nonnullis aliis partibus scismaticorum et infidelium baptisandi et alia sacramenta ecclesiastica conferendi, ac ligandi et absolvendi, et nonnulla alia spiritualia faciendi habeant a sede apostolica plenariam facultatem, cuius vigore nonnullas personas utriusque sexus partium predictorum, per eos ad catholicam fidem et ad obedienciam sacrosancte Romanc ecclesie matris et magistre cunctorum fidelium reductas, baptizarunt, eisque huiusmodi alia sacramenta ecclesiastica contulerunt, ac ipsas absolverunt a peccatis earum, et alia fecerunt secundum predictam eis traditam facultatem: quidam tamen Iohannes presbiter Wratislaviensis diocesis in civitate Lamburgensi dictarum partium Ruscie, sacerdotem catholicum verbis se asserens, sed factis negans, invidie, ut creditur, stimulis concitatus, in agro dominico sicut inimicus homo letalia zizania seminans, ponendo scismata et errores inter fideles et filios Romane ecclesie prelibate, et eos a dicta fide recedere, et ad infidelitatem seu dampnabilem ritum scismaticorum redire temere et dampnabiliter faciendo, ac obviando, ne alii infideles et scismatici ad prefatas fidem et obedienciam convertantur, publice coram fidelibus necnon scismaticis et infidelibus predicavit et predicare presumit, quod iidem vicarius et fratres predictam baptizandi et alia sacramenta ecclesiastica conferendi, necnon ligandi et absolvendi facultatem non habebant, et quod baptizati per eos erant rebaptizandi, et eis alia sacramenta ecclesiastica predicta conferenda de novo, et absoluti iterum absolvendi, cum gesta per eos efficaciam non haberent, propter que multi ex eisdem conversis et absolutis ad infidelitatis et scismatis vomitum sunt reversi, et alii a conversione salutifera retrahuntur, alii vero de suo statu, quem credunt dubium, non sine multa perplexitate vacillant in ipsius Iohannis et multorum aliorum, quos in eterne mortis precipicium secum trahit, animarum periculum et manifestam damnationem, ac scandalum gravissimum fidelium partium predictarum. Quare iidem vicarius et fratres nobis humiliter supplicarunt, quatinus super hiis providere de oportuno remedio paterna diligencia dignaremur. Nos igitur de premissis merito perturbati, ac intendentes circa ea apostolice solicitudinis studium adhibere, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in dicta civitate Lamburgensi et alibi, ubi videritis expedire, coram quibuscunque populis tam fidelibus, quam infidelibus et scismaticis ex parte nostra publicari et dici solemniter faciatis, quod iidem vicarius et fratres bapti-

zandi et alia sacramenta ecclesiastica conferendi, necnon ligandi et absolvendi et nonnulla alia spiritualia exercendi, que in concessis eis a memorata sede continentur privilegiis, habent plenariam facultatem, dictumque Iohannem presbiterum, et alios, siqui forte similia attemptarent, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, ordinis, status vel conditionis existant, eciam si pontificali vel alia qualibet prefulgeant dignitate, ut desistant ab huiusmodi falsis assercionibus et quorumcunque seductione, per censuram ecclesiasticam ac suspensionem ac interdictum a predicationis officio et privationem quorumlibet aliorum suorum officiorum et beneficiorum, necnon carcerationem et alia oportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium (non) evocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, seu si aliquibus coniunctim vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi aut interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia indulgencia dicte sedis generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Dat. Avinione XIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo. Ex Reg. orig. An. I. Secret. et de Curia fol. 339.

DCCCCI.

Nicolao de Curia Regnitz canonico Vratislaviensi melior eiusdem ecclesiae praebenda confirmatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Curia Regnitz Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita etc. Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim prebenda ecclesie Wratislaviensis, in qua de antiqua et approbata et hactenus observata consuetudine est obtentum, quod antiquiores eiusdem ecclesie Canonici gradatim meliores, si volunt, possint, cum vacant, obtinere prebendas, quam quondam Laurentius Harclibi eiusdem ecclesie Canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Laurentii obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, tu iuxta tue receptionis ordinem antiquior eiusdem ecclesie Canonicus existens predictam prebendam sic vacantem, que una de melioribus prebendis ipsius ecclesie existit, iuxta dictam consuetudinem infra tempus legitimum optasti canonice, nisi apostolice reservationes obstarent, aut ipsius prebende collatio esset ad sedem apostolicam iuxta Lateranensis statuta concilii legitime devoluta, ipsamque prebendam vigore optacionis huiusmodi es pacifice assecutus. Cum autem sicut eadem peticio subiungebat, tu dubites dictam prebendam tempore optacionis huiusmodi fore disposicioni apostolice reservatam, aut eius collacionem ad sedem predictam, ut premittitur, devolutam, teque propterea posse super ea imposterum molestari: Nos volentes te premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod optacio predicta perinde a data presentium, dummodo idem Laurentius dicte sedis fraudator non fuerit, valeat et plenam obtineat roboris firmitatem, ac si de dicta prebenda tempore optacionis huiusmodi nulla per sedem predictam specialis reservacio facta foret, aut ipsius prebende collacio non esset ad sedem ipsam, ut prefertur, devoluta. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Datum Avinione XIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Indulg. et Privileg. fol. 74.

DCCCCII.

Instrumentum, quo Otto Vestwal et Henricus Kactzer cives Cracovienses de cc. flor. se camerae apostolicae obligant.

In nomine dñi amen. Sub anno nativitatis eiusdem MCCCLXX[I]. indictione VIII. die XIIII. mensis Decembris, hora vesperarum Cracovie in domo venerabilis viri domini Arnaldi de Caucina Scolastici

Cracoviensis, in Polonie et Ungarie Regnis apostolice sedis nuncii et collectoris, circumspecti viri domini Otto Vestwal et Henricus Kactzer cives Cracovienses ambo, et quilibet eorum insolidum, non vi vel metu, non dolo vel fraude, sed sponte, provide et ex certa sciencia recognoverunt et publice confessi fuerunt se habuisse et habere, ac nomine veri et puri depositi recepisse, eisque datos, numeratos et ponderatos esse et fuisse realiter cum effectu a predicto domino Arnaldo nuncio dante, assignante numerante, ponderante et deponente nomine camere domini nostri pape atque suo ducentos florenos auri boni ponderis de Ungaria aut Florencia de pecunia dicte camere domini nostri pape, per ipsum dominum nuncium in dictis Regnis ratione quorundam iurium recollecta, prefati cives et quilibet eorum insolidum exceptioni non habitorum, non receptorum, non numeratorum eis, nec ponderatorum florenorum auri renunciantes simpliciter et expresse. Quos quidem florenos auri aut valorem ipsorum predicti cives et quilibet eorum insolidum promiserunt nomine predicte camere et dicti domini nuncii solvere realiter, et assignare in villa Brugensi aut partibus illis collectori discreto viro domino ... de societate antiquorum Albertorum civium de Florencia vel procuratori ipsorum, aut cui dominus noster papa ibidem duxerit committendum, a predicta XIIII. die Decembris ad decem menses, renunciantes omni exceptioni etc. Actum anno, indictione, mense, die, hora, loco quibus supra, Presentibus discretis viris dominis Iohanne Bartholomei de Zavichost licentiato in Iure Canonico, Paulo de Novaam ... vicario Cracoviensi, Iohanne Clementis de Opathovicz, Martino Petermanni de Wignanovicz clericis Cracoviensis diocesis, notariis publicis testibus ad premissa.

(L. S.) Et ego Amboldus Iohannis de Campino etc. Notarius publicus etc.

Ex Instrum. miscell. Caps. 230. Nro. 57.

DCCCCIII.

Universis Christi fidelibus capellam S. Georgii Olsnicensis Vratislaviensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut Cappella, quam dilecta in Christo filia Nobilis mulier Eufemia ducissa Slesie in quodam fundo sito infra parochiam ecclesie sancti Georgii extra muros Olsnicenses Wratislaviensis dioecesis in honorem, et sub vocabulo sancte Crucis et beate Marie Virginis fundasse et construxisse pariter et dotasse dicitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurectionis, Ascensionis, Corporis dñi nostri Ihesu Christi, Pentecostes, necnon in Nativitatis, Annunciacionis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste, et dictorum apostolorum Petri et Pauli, et Sancte Crucis predicte festivitatibus, et in celebritate omnium Sanctorum, ac per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurectionis, Ascensionis, Corporis domini, necnon beate Marie Virginis Nativitatis et Assumptionis ac Nativitatis beati Iohannis, et apostolorum Petri et Pauli festivitatum ipsarum predictorum, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes prefatam Cappellam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis, et octabarum et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam Cappellam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, Presentibus post viginti annos minime valituris. Datum apud Villamnovam Avinionensis dioecesis XVI. Kal. Ianuarii. Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Indulg. et Privileg. ep. 572. fol. 445.

DCCCCIV.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Wenceslao, nato quondam Wenceslai Ducis Slesie, Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Caroli Romanorum Imperatoris, cuius consanguineus est, et in studio Montispessulani in Iure Canonico studens existit, Canonicatum in ecclesia Wratislaviensi. Datum Avinione VIII. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Hinconi Ade de Opatowicz Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi consideratione Elizabeth Romanorum Imperatricis semper Auguste, cuius dilectus, familiaris et continuus commensalis existit, Canonicatum in dicta ecclesia. Dat. Avinione XI. Kal. Maii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni dicto Radalatia Canonico Cracoviensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum iv. Kal. Februarii. Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Wilhelmo Vishus Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum apud Pontemsorgie Avinioncnsis diocesis xiv. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Derslay Segnei de Przezwed Canonico Ceretensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Elisabeth Romanorum Imperatricis, cuius dilectus est, principalem dignitatem in ecclesia S. Marie in Visliczia Cracoviensis diocesis. Dat. Avinione xi. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Waldemberg Canonico Wladislaviensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione v. Idus Novembris. Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Preposito ecclesie Pomezaniensis, salutem etc. Ut Henricum de Bischoffverder in pacifica possessione Canonicatus sui Warmiensis contra Gerhardum Alf intrusum defendat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis. v. Kal. Augusti. Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Casparo de Baysen Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia, quem Iohannes de Reserburg frater hospitalis B. Marie Theotonicorum obtinebat. Datum Avinione xiii. Kal. Novembris. Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecte in Christo filie Nobili mulieri Agneti Ducisse Slezie, salutem etc. Conceditur eidem, ut monasteria religiosarum inclusarum ingredi possit. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv. Id. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Bertoldo dicto Fulleschussel Preposito ecclesie S. Egidii Wratislaviensis, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi dictam prepositurarn per obitum Thome de Lulow vacantem, indulgetque, ut canonicatum in Capella S. Thome Castri Rathiboriensis eiusdem diocesis retinere possit. Datum Avinione xvi. Kal. Ianuarii. Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Piscatoris Canonico Warmiensi, sal. etc. Confert ipsi ecclesiam parrochialem in Budiwitz Olomucensis diocesis. Dat. Avinione xv. Kal. Iunii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis ... Preposito Lubucensis ac ... Cantori Poznaniensis ecclesiarum, salutem etc. Ut Petro nato quondam Nicolai dicti Vrauenstat, presbitero Wratislaviensi, parrochialem ecclesiam in Landa Gneznensis diocesis, quam Symon dictus Magister ante suum ingressum in monasterium de Landa ord. Cisterciensis Gneznensis diocesis obtinebat, et assumte huiusmodi religionis habitu amisit, conferri curent. Datum Avinione Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Ut Henrico Wittenborch, perpetuo beneficiato in ecclesia Tarbatensi, parrochialem ecclesiam de Lemezele Rigensis diocesis vacantem per obitum Reveri de Grymine eiusdem Rectoris conferri curet. Dat. Avinione ii. Non. Novembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Abbati monasterii in Polpelin Wratislaviensis diocesis et Preposito ac Cantori ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Ut Henrico de Bischoffwerder clerico Pomezaniensi ecclesiam parrochialem in Ischwe Wladislaviensis diocesis, quam olim Petrus de Poznania obtinebat, conferri curent. Datum Avinione ii. Id. Decembris. Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Wyslay de Zucyna Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Regis Ungarie, cuius dilectus est, Canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Chelnicze eiusdem diocesis retinere possit. Datum Avinione Id. Octobris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Andree de Strenow Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione regine Ungarie, cuius Capellanus et familiaris existit, canonicatum et prebendam in dicta ecclesia; indulgetque, ut canonicatum et prebendam ac Cancellariam ecclesie Ceretensis, ac parrochialem ecclesiam in Reitzechovicz Cracoviensis diocesis retinere possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Id. Iulii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Lubucensi et dilectis filiis Thesaurario Cracoviensis ac Cantori Poznaniensis ecclesiarum, salutem etc. Mandat eis, ut Abrahe nato Iohannis de Seletz, clerico Cracoviensi, parrochialem ecclesiam in Chelm, quam Nicolaus dictus Scrowo-

ronek, qui habitum regularem in domo fratrum sepulchri dominici Ierosolymitani ord. S. Augustini Cracoviensis diocesis assumpsit, obtinebat, conferri curent. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII Id. Augusti. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati monasterii in Lecno Gneznensis diocesis, salutem etc. Mandat ipsi, ut Thome Goslay Canonico Gneznensi Capellaniam S. Crucis in Pysdri Poznaniensis diocesis conferri curet. Datum Avinione XVI. Kal. Iulii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Tyloni de Glogovia Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia vacantem per obitum Laurentii Harclibi. Datum Avinione XII. Kal. Decembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Mandat ei, ut Hermanno Vekener clerico Tarbatensi canonicatum et prebendam in ecclesia Osiliensi, si quos per obitum Iacobi Hapeselle vacare contigerit, conferri curet. Datum Avinione VI. Id. Novembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Poznaniensi, salutem etc. Mandat ei, ut Nicolao, nato nobilis viri Pretzlai de Margenino militis, consideratione Caroli Romanorum Imperatoris et Boemie regis, cuius familiaris existit, canonicatum in ecclesia Crusviciensi Wladislaviensis diocesis, quem quondam Nicolaus de Brescze obtinebat, conferri curet. Datum Avinione Non. Ianuarii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati monasterii in Valkena Tarbatensis diocesis, salutem etc. Mandat ei, ut Henrico de Velde clerico Tarbatensi canonicatum in dicta ecclesia conferri curet. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis XII. Kal. Iunii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Wenceslao Nigri Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, cuius Capellanus existit, canonicatum in dicta ecclesia. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IV. Id. Iulii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Henrici de Poznania Canonico Wratislaviensi, Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione XIV. Kal. Aprilis. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati monasterii S. Marie in Arena extra muros Wratislavienses, salutem etc. Curet, ut Petro dicto Grolog clerico Poznaniensi canonicatus in ecclesia Gneznensi conferatur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Septembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Ep̄o Pomezaniensi, salutem etc. Curet, ut Nicolao dicto Stampe clerico Culmensi canonicatus in ecclesia Wladislaviensi conferatur. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Eidem. Curet, ut Iohannes de Royde rector parrochialis ecclesie in Marienburg canonicatum in ecclesia Warmiensi obtineat. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Kronitich Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione IV. Id. Novembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Curet, ut Iohanni Dolmane clerico Culmensi canonicatus in ecclesia Caminensi conferatur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Septembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Kalis Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione XIII. Kal. Maii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Strasschin presbitero Wladislaviensi, sal. etc. Confert ipsi canonicatum in ecclesia Tarbatensi. Datum Avinione VI. Id. Novembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Abbati monasterii de Claratumba Crac. dioc. salutem etc. Curet, ut Mezlao Mezlai Canonico Cracoviensi et consanguineo Floriani Episcopi Cracoviensis beneficium curatum ad suam collationem pertinens conferatur. Datum Avinione Kal. April. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Cancellario ecclesie Parisiensis, salutem etc. Curet, ut Iohannes Rutenbeck, clericus Tarbatensis, qui Parisiis in iure canonico studet, consideratione Haquini Svecie et Norvegie regis, cuius dilectus est, in ecclesia Tarbatensi canonicatum obtineat. Datum Avinione Kal. Februarii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Woina Canonico Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Wurmedut eiusdem diocesis retinere possit. Datum Avinione Non. Martii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Rodgero Essen Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione Kal. Octobris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Mathic nato quondam Petzoldi dicti Sluptza, Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione Non. Decembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Henrico Haselowe Canonico Tarbatensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione vi. Id. Novembris. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Pragensi, salutem etc. Mandat ei, ut Iohanni Petri de Dichtrichsdorf clerico Pomezaniensi, Magistro in Artibus, qui in Theologia studet et in eisdem artibus in studio Pragensi actu regit, canonicatum in ecclesia Warmiensi conferri curet. Datum Avinione v. Kal. Februarii. Anno I.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Arnoldo nato quondam Guntheri de Rogicen Canonico Warmiensi, magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi, ex utroque parente nobilis generis militari procreato, et qui per quatuor annos et ultra in iure canonico studuit, canonicatum in dicta ecclesia. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Linborgh Rectori parrochialis ecclesie in Swynen Culmensis diocesis, salutem etc. Confertur ipsi beneficium ecclesiasticum in ecclesia Warmiensi. Datum Avinione iii. Non. Decembris. Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. II. fol. 65, 84, 115, 118, 121, 162, 442, 447, 462, 472. Tom. III. fol. 143, 243, 255, 464. Tom. IV. fol. 300, 340, 516, 542, 600, 627. et Tom. VII. fol. 315, 335, 388, 420, 422, 439, 491 et 528.

DCCCCV.

Fratres Sepulchri dominici de Mechovia ordinis S. Augustini dioecesis Cracoviensis ab omni iurisdictione ordinariorum iuxta insertum Eugenii IV. privilegium eximuntur, et soli patriarchae Hierosolymitano subiiciuntur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Prepositis et fratribus Domus Sepulchri dominici Ierosolimitani de Mechovia ordinis sancti Augustini Cracoviensis diocesis, salutem etc. Vestre devocionis sinceritas promeretur, ut vos et domum vestram paterno presequentes affectu, peticiones vestras, quantum cum deo possumus, ad exaudicionis graciam admittamus. Tenorem igitur cuiusdam privilegii felicis recordacionis Urbani pape IIII. predecessoris nostri, quod incipit: Vetustate etc. et quod inspici et examinari fecimus diligenter, de verbo ad verbum ad vestre supplicationis instanciam presentibus annotari fecimus: qui talis est. Urbanus episcopus servus servorum dei, Dilectis filiis Prepositis et fratribus ecclesie dominici sepulchri de Mechovia ad Ierosolimitanam ecclesiam pertinentibus ordinis sancti Augustini Cracoviensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum sanctam Ierosolimitanam ecclesiam, de cuius regimine benignitas conditoris divini, prout dignanter sibi placuit, nos licet immeritos ad apostolice dignitatis fastigium evocavit, illa de causa potissime affectum gerimus specialem, quia deus et redemptor noster dominus Ihesus Christus cum sua corporali presentia insignem reddidit, et consecratam suo pretioso sanguine venerandam unitati fidelium stabilivit: ex huiusmodi enim affectionis nostre sinceritate procedit, quod non solum ipsius ecclesie Iura in suo robore conservare cupimus, sed etiam attollendis eius honoribus et profectibus ampliandis insistere iugiter affectamus. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ecclesiam vestram de Mechovia, et omnia ipsius membra existentia in Polonia, Boemia, Sclavonia et Ruscia, Ungaria et Theutonia ab omni Iurisdictione, potestate et dominio Archiepiscoporum omnium et aliorum quorumlibet prelatorum, seu Capitulorum tam Cathedralium, quam aliorum ecclesiarum, et omnium ecclesiasticarum personarum totaliter et perpetuo auctoritate apostolica eximimus, statuentes, ut dicta ecclesia Mechoviensis et membra predicta in spiritualibus et temporalibus soli Ierosolimitane ecclesie, et nulli alii sint subiecta, ita quod nec dicti Archiepiscopi seu prelati, Capitula ecclesiasticeque persone, nisi tantum Patriarcha Ierosolimitanus, qui pro tempore fuerit, dictam ecclesiam vestram et membra ipsius, utpote ab earum Iurisdictione totaliter exempta, vel vos aut personas omnes domino servientes in illis, et imposterum servituras communiter vel divisim interdicere, suspendere vel excommunicare valeant, aut alias quocunque modo in vos et ecclesias vestras, membraque predicta et personas eorum potestatem vel Iurisdictionem aliquam exercere: nos enim, si secus presumptum fuerit, decernimus irritum et inane. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostre exemptionis, nostrique statuti et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Urbemveterem ii. Nonas Novem-

bris. Pontificatus nostri Anno Secundo. Nos itaque vestris in hac parte supplicationibus inclinati, huiusmodi privilegium auctoritate apostolica innovamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum Ius alicui de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostre innovationis infringere etc. Datum Avinione II. Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Indulg. et Privileg. fol. 77.

DCCCCVI.

Praeposito in Scepus, ut causam episcopi Cracoviensis de certis decimis contra Raphaelem de Tarnow militem audiat et decernat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Preposito ecclesie sancti Martini in Czepus Strigoniensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostris Floriani Episcopi Cracoviensis peticio continebat, quod bone memorie Iohannes Episcopus Cracoviensis, eciam de consensu dilectorum filiorum Capituli ecclesie Cracoviensis, a quadraginta annis citra quondam Spichoni de Tarnow militi Cracoviensis diocesis concessit, ut percepcio omnium decimarum proveniencium ex fructibus excrescentibus in villis, terris, prediis et aliis possessionibus eciam noviter excultis, que quondam fuerunt dicti militis, et quarum percepcio ad Episcopum Cracoviensem pro tempore existentem eciam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinebat, et que in fructibus solvi, levari et percipi consueverunt et debebant, in certa summa pecunie solverentur et eciam levarentur, et quod ex dicta summa pecunie, que pro huiusmodi decimis persolvitur, ad medietatem vere decime fructuum predictorum vix ascendit, quodque dilectus filius Raphael de Tarnow miles dicte diocesis, ipsius Spichonis filius et heres, qui post prefati Spichonis obitum villas, terras, predia et possessiones predictas tenuit, prout adhuc tenet, quamvis concessio predicta de iure non tenuerit, decimas ex huiusmodi proventibus debitas eidem Floriano Episcopo solvere indebite contradicit: Quare pro parte dicti Floriani Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Episcopi supplicacionibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, testes autem, qui fuerint vocati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante, si eidem Raphaeli vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit concessum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione V. Id. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XV. cod. chart. fol. 472.

DCCCCVII.

Episcopis Posnaniensi et Vladislaviensi, petente praeprimis rege Hungariae, quinque clericis suorum dioecesium beneficia ecclesiastica conferendi facultas conceditur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolencia prosequentes, illam tibi gratiam libenter concedimus, per quam te possis aliis reddere graciosam. Hinc est, quod nos etiam consideratione carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, pro te dilecto consiliario suo nobis super hoc humiliter supplicantis, tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhitum aliis provideri, huiusmodi dicti Regis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue reservandi hac vice dumtaxat auctoritate apostolica donacioni tue quinque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, quorum cuiuslibet fructus, redditus et proventus, si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem Episcopi Poznaniensis pro tempore existentis pertinentia, dummodo aliquod ex beneficiis ipsis canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, si qua tempore reservationis huiusmodi vacabunt, vel cum vacaverint, que quinque persone ydonee, quas ad hoc duxeris eligendas, per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spatium, postquam personis vel procuratoribus predictis vacationis illorum innotuerit, duxerint acceptanda, conferenda singula videlicet beneficiorum ipsorum singulis personis eisdem post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis

suis, inhibendi quoque districtius successoribus tuis Episcopis Poznaniensibus, qui erunt pro tempore, ne de beneficiis ipsis interim eciam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac huiusmodi beneficia, que, ut premittitur, preservabis, si tunc, ut prefertur, vacabunt, vel cum vacaverint, singula videlicet beneficiorum ipsorum singulis personis eisdem post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis eadem auctoritate conferendi, et de illis etiam providendi, inducendi quoque per te vel alium seu alios ipsas personas, vel procuratores predictos earum nomine in corporalem possessionem beneficiorum ac iurium et pertinenciarum predictorum eadem auctoritate, et defendendi inductas, ac faciendi eisdem personis de beneficiorum ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores quoque etc. non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis etc. usque mentio specialis, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem: nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et insuper volumus, quod de nominibus beneficiorum huiusmodi et personarum, quibus ea a te conferri contigerit, et de die collationis huiusmodi Cameram nostram, seu collectorem proventuum eidem Camere debitorum in illis partibus deputatum certificare procures. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Idus Iulii. Anno II.

In e. m. Venerabili fratri Sbulucho Episcopo Wladislaviensi.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XIII. cod. chart. fol. 540.

DCCCCVIII.

Exsecutoribus, ut de statu Haliciensis, Primisliensis, Laudimiriensis et Chelmensis ecclesiarum pontificem certiorem reddant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi, ... Cracoviensi ac ... Plocensi Episcopis, sulutem etc. Intelleximus per relationes quorundam, quod Halicziensis, Primisliensis Laudimiriensis et Chelmensis ecclesie cathedrales fore noscuntur, nonnullis aliis pretendentibus, ecclesias ipsas non cathedrales, sed dumtaxat parrochiales ecclesias existere. Nos de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandavimus, quatenus de hiis, videlicet an prefate ecclesie cathedrales vel dumtaxat parrochiales existant, et an populum christianum habeant, nos diligenter informare curetis, et quicquid per informationem huiusmodi reperietis, nobis per vestras litteras patentes, manu publica confectas vestrisque sigillis signatas, harum seriem continentes quantocius rescribere non tardetis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Idus Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XV. cod. chart. fol. 131.

DCCCCIX.

Salvus passus pro Nicolao de Grisnia de Polonia.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus et aliis personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, quocunque nomine nuncupentur, nec non Nobilibus viris Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Senescalis, Iusticiariis, Potestatibus, Officialibus ceterisque Dominis temporalibus, Universitatibus quoque ac Communitatibus Civitatum, Castrorum et aliorum quorumcunque locorum, et aliis universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum dilectus filius Nicolaus dictus de Grisnia de Polonia, ordinis fratrum minorum professor, ad Ungarie et nonnullas alias partes pro certis arduis negociis fidem catholicam tangentibus accedere propouat in brevi: Nos cupientes eundem Nicolaum cum eius comitiva eundo, morando et ad nos redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Nicolaum benigne recommendatum habentes, nullam ei et eius comitive predicte in personis, equitaturis, bonis et rebus suis inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, nec de aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed ei pocius de securo conductu, si a vobis illum pecierit, sic libere providere pro nostra et apostolice sedis reverencia studeatis, quod vestra possit exinde apud nos devocio merito commendari. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Id. Iulii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XV. cod. chart. fol. 131.

DCCCCX.

Episcopo Cracoviensi, ut episcopos schismaticos in terra Russiae, si qui ibi inveniantur, amoveat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Ecclesiarum regimini presidentes ad hoc assidue debent haberi soliciti, ut ipsorum possit provenire subsidiis, quod ubique vigeat gloria catholice puritatis. Sane nuper ad nostrum non sine mentis turbatione pervenit auditum, quod in terra Russie quamplures Episcopi scismatici fore noscuntur: Nos cupientes super hoc, prout tenemur, ex debito pastoralis officii salubriter providere, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos Episcopos predicte terre Russie, quos per summariam informationem scismaticos esse repereris, ab eorum ecclesiis et episcopatibus auctoritate apostolica prorsus amoveas atque prives, Contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quidquid autem in premissis peregeris, et nomina illorum, quos per te forsan privari contigerit, per tuas patentes litteras manu publica confectas, tuoque sigillo sigillatas harum seriem continentes nobis quantocius rescribere non postponas. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIII. Kal. Augusti. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XV. cod. chart. fol. 131.

DCCCCXI.

Universis Christifidelibus ecclesiam fratrum Eremitarum S. Augustini iu Czechonoro Plocensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia domus fratrum heremitarum sancti Augustini in Czechonoro Plocensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurreccionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, nec non in Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis, et Assumpcionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Martini Episcopi et Confessoris, sub cuius vocabulo ecclesia ipsa est dedicata, et dicte ecclesie dedicacionis festivitatibus, ac celebritate Omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurreccionis, Ascensionis, et Corporis domini, nec non ipsius beate Marie Virginis Nativitatis et Assumpcionis, ac Nativitatis dicti beati Iohannis et Apostolorum Petri et Pauli festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octabarum harum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam ecclesiam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam seu ad fabricam ipsius ecclesie manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Id. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XIII. cod. chart. fol. 494.

DCCCCXII.

Iisdem ecclesiam fratrum Eremitarum S. Augustini in Warschova Posnaniensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Universis Christo fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia domus fratrum heremitarum sancti Augustini in Warschora (?) Poznaniensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de

omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resureccionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis et Assumpcionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli, beati Martini Episcopi et Confessoris, sub cuius vocabulo ecclesia ipsa est dedicata, et dicte ecclesie dedicacionis festivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurreccionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon ipsius beate Marie Virginis Nativitatis, Assumpcionis, ac Nativitatis dicti beati Iohannis, et apostolorum Petri et Pauli festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octabarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam ecclesiam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, Presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, seu ad fabricam ipsius ecclesie manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia in perpetuum vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Id. Octobris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XIII. cod. chart. fol. 494.

DCCCCXIII.

Episcopo Plocensi, ut abbati et conventui castri Plocensis et abbatissae et conventui S. Mariae Magdalenae Plocensis eorum monasteria permutandi det licentiam.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Plocensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie quamquam immeriti, disponente domino, presidentes, iuxta pastoralis officii debitum subditorum omnium et maxime sub regulari habitu militantium studio pro vite utilitatibus libenter intendimus, et in hiis, que ad perseveranciam divini servitii eis oportunum fore credimus, quantum nobis est possibile, partes nostre solicitudinis adhibemus. Sane nuper pro parte dilectorum (?) Abbatis et Conventus Castri Plocensis, et dilectarum in Christo filiarum Abbatisse et conventus sanctimonialium sancte Marie Magdalene Plocensis monasteriorum sancti Benedicti et Premonstratensis ordinum nobis fuit expositum, quod ipsi Abbas et Conventus dicti monasterii castri Plocensis ad predictum monasterium Sanctimonialium, et prefate Abbatissa et Conventus eiusdem monasterii Sanctimonialium ad predictum monasterium Castri Plocensis, ut inibi quiecius et devotius omnipotenti deo domino valeant famulari, et ex aliis certis rationabilibus causis cupiunt se transferri, areas solummodo commutando, et non possessiones atque iura: quare pro parte dictorum Abbatis, Abbatisse et Conventuum nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ex hoc utilitati et commodo utriusque monasterii consulatur, ipsis transferendi se ad predicta monasteria, ut prefertur, licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Quia igitur de premissis certam notitiam non habemus, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus, quatenus si est ita et tibi videatur, Abbati et Conventui dicti monasterii Castri Plocensis transeundi ad monasterium Sanctimonialium, ac ipsis Abbatisse et Conventui ipsius monasterii Sanctimonialium transeundi ad dictum monasterium Castri Plocensis, ut prefertur, etiam possessionibus et iuribus sibi remanentibus, auctoritate apostolica licenciam largiaris. Datum Avinione VIII. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Indulg. et Privileg. fol. 212.

DCCCCXIV.

Fidelibus ecclesiam fratrum Eremitarum S. Augustini in Rava Gnesnensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia domus fratrum heremitarum sancti Augustini in Rava Gneznensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurreccionis, Ascensio-

nis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis et Assumpcionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli, beate Catherine virginis et martiris, sub cuius vocabulo ecclesia est dedicata, et dicte ecclesie dedicacionis festivitatibus ac celebritate omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurreccionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon ipsius beate Marie Virginis Nativitatis et Assumpcionis, ac Nativitatis dicti beati Iohannis, et apostolorum Petri et Pauli festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octabarum vero et sex dierum dictorum diebus, quibus predictam ecclesiam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, Presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, seu ad fabricam ipsius ecclesie manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Id. Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XIII. cod. chart. fol. 495.

DCCCCXV.

Episcopo Varmiensi, ut novas praebendas in sua ecclesia iuxta Anselmi episcopi ordinationes crsatas proventibus augmentare possit.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Hiis, que ad salubrem statum ecclesiarum, presertim Cathedralium cedere valent, libenter annuimus et favorem apostolicum impartimur. Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim bone memorie Anselmus Episcopus Warmiensis predecessor tuus, qui, ut asseritur, ecclesiam Warmiensem canonice fundavit ac dotavit, inter cetera statuit et etiam ordinavit, quod in eadem ecclesia esset perpetuo numerus viginti quatuor Canonicorum, et viginti quatuor prebende in fructibus et redditibus equales existerent, quodque idem Anselmus Episcopus, dum vixit, sexdecim dumtaxat ex huiusmodi prebendis pro sexdecim Canonicis fundavit, erexit atque dotavit, ac antequam de reliquis octo prebendis aliquid aliud ordinaret, extitit vita functus, et quod postmodum tu, de cuius persona prefate ecclesie auctoritate apostolica provisum extitit, cupiens huiusmodi statum et ordinationem prefati Anselmi Episcopi adimplere, octo alias prebendas in eadem ecclesia ex fructibus, qui eidem ecclesie accreverant, pro octo Canonicis de novo crcasti. Que quidem octo prebende predictis aliis sexdecim prebendis in redditibus minores existunt: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi augmentandi de fructibus, redditibus et proventibus, qui hactenus eidem ecclesie excreverunt vel excrescunt imposterum, predictas octo prebendas, ipsasque aliis sexdecim prebendis prefatis adequandi licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue de huiusmodi fructibus ac prebendis dicte ecclesie, qui hactenus excreverunt vel excrescunt imposterum, prefatas octo prebendas per te, ut prefertur, de novo creatas predictis aliis sexdecim prebendis adequandi auctoritate apostolica tenore presencium licenciam elargimur. Nulli etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione III. Nonas Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Indulg. et Privileg. fol. 188.

DCCCCXVI.

Officiali Posnaniensi, ut de subiectione, quam fratres sepulchri dñici Ierosol. ord. S. Augustini hospitalis S. Mariae de Nissa dioec. Vratislaviensis domui Mechoviensi eiusdem ord. Cracoviensis dioec. debent, inquirat et referat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio .. Officiali Poznaniensis ecclesie, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Czikonis Prepositi et fratrum domus sepulchri dominici Ierosolimitani Mechoviensis ordinis sancti Augustini Cracoviensis diocesis peticio continebat, quod licet de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine hospitale sancte Marie de Nissa dicti ordinis Wratislaviensis diocesis cum omnibus membris suis predicte domui dumtaxat immediate subiectum existat, et omnimoda iurisdiccio in Magistrum et fratres hospitalis et membrorum predictorum pro tempore existentes ad Prepositum dicte domus, qui est pro tempore, dumtaxat pertineat, ac predecessores dicti Czikonis Prepositi eiusdem domus, qui fuerant pro tempore, fuissent in pacifica pos-

sessione vel quasi Iuris exercendi huiusmodi iurisdiccionem a tempore, cuius contrarii memoria non existit, tamen dilecti filii Iohannes Magister et fratres hospitalis ac membrorum predictorum se ab huiusmodi subieccione contra iusticiam subtrahere, ac Prepositurarn dicte domus sepulchri dominici Ierosolimitani possessione exercicii huiusmodi iurisdiccionis spoliare, seque iurisdiccioni et dominio dilectorum filiorum Iohannis Prepositi et fratrum domus de Szderasz dicti ordinis Pragensis diocesis nuper de facto subicere presumpserant, ac idem Iohannes Prepositus et fratres eiusdem domus de Szderasz hospitale ac membra predicta tamquam eis subiecta de facto occuparunt, et ea detinent indebite occupata, ac ibidem huiusmodi iurisdiccionem exercere presumunt, in animarum suarum periculum et dictorum Prepositi et fratrum domus sepulchri dominici non modicum preiudicium et gravamen. Quare pro parte ipsorum Prepositi et fratrum eiusdem domus sepulchri dominici fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presencium ad iudicium non trahatur, et de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, et aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si prefatis Iohanni Preposito et Magistro ac fratribus domus de Szderasz, et hospitalis ac membrorum predictorum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione Nonis Novembris. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XV. cod. chart. fol. 531.

DCCCCXVII.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Grotkaw Canonico Gneznensi, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi consideratione Waldemari regis Dacie, cuius familiaris et medicus existit, canonicatum in dicta ecclesia, vacantem per obitum Arnaldi de Lacaucina, fructuum camere apostolice collectoris in Ungaria et Polonia. Datum Avinione II. Id. Ianuarii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Cracoviensi, salutem etc. Curet, ut Nicolaus de Paczonow, clericus Cracoviensis, consideratione Elizabeth Romanorum Imperatricis semper Auguste, cuius dilectus est, canonicatum et prebendam ecclesie S. Martini in Czypus Strigoniensis diocesis, vacantes per obitum Arnaldi de Caucina collectoris, obtineat. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Cantori ecclesie Wladislaviensis, salutem etc. Curet, ut Stanislaus de Skezin canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis, eidem per Urbanum V. collatos, postquam canonicatum et prebendam ecclesie Lanciciensis Gnesnensis dioc. dimiserit, et Wislaus Iacobi de Cerrin eosdem canonicatum et prebendam Lanciciensis ecclesie obtineant. Datum apud Poutemsorgie Avinionensis diocesis VI. Id. Maii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Henrico de Elbinga Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia vacantem per obitum Ladislai de Zabow, indulgetque, ut in ecclesiis B. Petri Wissegradensi et in Wolfframburg Pragensis et Olomucensis diocesium canonicatus sub expectatione obtineat. Datum Avinione VII. Kal. Aprilis. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Osiliensi, salutem etc. Ut Iohanni Cracianync de Livonia canonicatum in dicta ecclesia conferri curet. Datum Avinione XI. Kal. Novemb. An. II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Abrahe Dirsconis Canonico ecclesie B. Marie Wislicziensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione V. Id. Novembris. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Poznaniensi, salutem etc. Indulget ipsi consideratione et precibus Ludovici regis Ungarie, ut duabus personis idoneis canonicatus et prebendas in sua ecclesia Poznaniensi conferre possit. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Id. Iulii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Gneznensi, salutem etc. Mandat ei, ut Petro Tomislai clerico Gneznensi canonicatum in dicta ecclesia conferri curet. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Cantori ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Ut Barthe de Lubnitza Cantori ecclesie Wladislaviensis canonicatum in eadem ecclesia Wladislaviensi conferri curet. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis vii. Id. Maii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Laurencio nato quondam Nicolai de Uneyow Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Id. Augusti. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Himoni Ade de Opacovecz Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione et precibus Elizabethe Romanorum Imperatricis semper Auguste, cuius dilectus, Capellanus domesticus et continuus commensalis existit, canonicatum et prebendam in ecclesia Gneznensi; indulgetque, ut ecclesiam parrochialem in Gretz retinere, et dignitates et prebendas sub expectatione in Cracoviensi et Gneznensi ecclesiis accipere possit. Datum Avinione Non. Martii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Plocensi, salutem etc. Curet, ut Abraham Abrahe, ex utroque parente de nobili genere genitus, clericus Plocensis canonicatum in dicta ecclesia obtineat. Datum Avinione xiii. Kal. Iulii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Cracoviensi, snlutem etc. Curet, ut Iohanni Andree clerico Poznaniensi, ex utroque parente de nobili genere procreato, canonicatus in ecclesia Cracoviensi conferatur. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Plocensi, salutem etc. Curet, ut Nicolaus Borszonis Canonicus Plocensis, in iure canonico poritus, canonicatum in ecclesia Wladislaviensi obtineat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis vi. Id. Iulii. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Wratislaviensi, salutem etc. Ut Baldewino de Elbinga perpetuo Vicario in ecclesia Warmiensi ecclesiam parrochialem in Widenow Wratislaviensis diocesis, quam Henricus de Elbinga tempore sue translationis ad ecclesiam parrochialem in Wolfsramkirch Olomucensis diocesis obtinebat, conferri curet. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Octobris. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Decano S. Apollinaris Pragensis, salutem etc. Ut Nicolao nato Rudolphi dicti Crutzburg de Elbinga Canonico Warmiensi Vicariam perpetuam in dicta ecclesia sub expectatione conferri curet. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Alberto de Pruczia nato dilecti filii Opetz de Calve Canonico Warmiensi, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi in dicta ecclesia canonicatum vacantem per obitum Iohannis Henken. Datum Avinione v. Id. Decembris. Anno II.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Stamppe Canonico Wladislaviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia, quem olim Henricus de Nedissen obtinebat. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iii. Non. Augusti. Anno II.

Ex Reg. orig. An. II. Tom. XI. cod. chart. fol. 80, 87, 187, 260, 481, et Tom. XII. fol. 321, 327, 331, 345, 371. et Tom. XIV. fol. 261, 331, 333, 386, 461. et Tom. XV. fol. 380 et 407.

DCCCCXVIII.

Officiali Cracoviensi, ut Hinconi de Opatovecz canonicatum et praebendam in ecclesia Cracoviensi conferri curet.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Cracoviensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica generosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem intendentes de canonicatu et prebenda ecclesie Cracoviensis, quos quondam Stanislaus de Zkezin eiusdem ecclesie Canonicus tunc temporis obtinebat, cum illos vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinari, canonicatus et prebendam predictos, dum adhuc idem Stanislaus ageret in humanis, videlicet ii. Idus Septembris, pontificatus nostri Anno Se-

cundo, collationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandos, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda predicti per ipsius Stanislai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes dilectum filium Hinconem Ade de Opatowecz Rectorem parrochialis ecclesie in Gretz Pragensis diocesis, de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis apud nos multipliciter commendatum, horum intuitu necnon consideratione Carissime in Christo filie nostre Elizabeth Romanorum Imperatricis semper Augustc, pro dicto Hinconc notario et capellano suo continuo commensali nobis super hoc humiliter supplicantis, favoribus prosequi graciosis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si post diligentem examinationem dictum Hinconem, qui in presbiteratus ordine constitutus est, ad hoc ydoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Canonicatum et prebendam predictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Hinconi auctoritate nostra conferre et assignare procures etc. Datum Avinione VII. Idus Ianuarii. Anno Tercio. Ex Reg. orig. An. III. de Curia cod. chart. fol. 220.

DCCCCXIX.

Officiali Vratislaviensi, ut litem inter cives Olavienses Vratislav. dioec. et Ioannem de Nymptz de quodam lacu dirimat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Wratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Magistri civium, consulum, iuratorum et Universitatis opidi Olaviensis Wratislaviensis diocesis peticio continebat, quod olim dilectus filius Iohannes de Nymptz asserens se presbiterum dicte diocesis, falsoque pretendens, quod dicti Magister civium, Consules, Iurati et Universitas super quibusdam pecuniarum summis, terris, possessionibus et rebus aliis iniuriabantur eidem, super hiis apostolicas ad Decanum ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis in communi forma litteras impetravit, et minus veraciter pretendens, quod quidam lacus tunc expressus in dicta diocesi consistens, et ad dictos Magistrum civium, Consules, Iuratos et Universitatem iusto titulo pertinens, in cuius possessione dicti Magister civium, Consules, Iurati et Universitas existebant, ad ipsum presbiterum iusto titulo pertinebat, et quod dicti Magister civium, Consules, Iurati et Universitas predictum lacum detinebant indebite occupatum, eosdem Magistrum civium, Consules, Iuratos et Universitatem, petendo lacum huiusmodi sibi adiudicari, coram dilecto filio Iohanne Binnonis Canonico Wratislaviensi, cui prefatus Decanus super premissis commiserat vices suas, donec eas ad se duceret revocandas, huiusmodi litterarum et commissionis pretextu fecit ad iudicium evocari, idemque Canonicus perperam in huiusmodi causa procedens, contra dictos Magistrum civium, Consules, Iuratos et Universitatem diffinitivam sentenciam promulgavit iniquam, a qua prefati Magister civium, Consules, Iurati, et Universitas tanquam simplices et iuris ignari ad sedem apostolicam appellarunt, et super huiusmodi eorum appellacione apostolicas, in quibus inter cetera dicebantur, quod prefatus Decanus eidem Canonico totaliter vices suas commiserat, ad te sub certa forma litteras impetrarunt, dictumque Iohannem in causa appellacionis huiusmodi coram te ipsarum litterarum vigore fecerunt ad iudicium evocari. Cum autem, sicut accepimus, pro parte dicti presbiteri oppositum fuerit, quod ad ipsum Decanum fuerat appellandum, pro parte dictorum Magistri civium, Consulum, Iuratorum, et Universitatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eos ad appellandum a prefata sentencia restitui, et alias in premissis providere de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, prefatisque Magistro civium, Consulibus, Iuratis et Universitate ad appellandum a prefata definitiva sentencia auctoritate apostolica restitutis, super quo tibi tenore presencium concedimus potestatem, et pro parte ipsorum ab eadem sentencia appellato, auditis quoque hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante, si eidem presbitero vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii. Anno Tercio. Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. fol. 192.

DCCCCXX.

Praeposituram S. Michaelis in castro Cracoviensi pontifex suae dispositioni reservat.

Gregorius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Dudum intendentes de prepositura ecclesie sancti Michaelis in castro Cracoviensi, quam quondam Segneus Wlostegi ipsius ecclesie Prepositus tunc temporis obtinebat, cum illam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinari, prepositurum predictam, dum adhuc idem Segneus ageret in humanis, videlicet v. Kal. Augusti proxime preteriti collationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo Cracoviensi, et dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos eiusdem prepositure collatio, provisio, electio, seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de ipsa prepositura contra reservationem nostram huiusmodi disponere quoquo modo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid contra reservationem eandem contingeret attemptari scienter vel ignoranter. Ne igitur de reservatione, inhibitione et decreto huiusmodi valeat hesitari, nos illa presentibus voluimus et fecimus annotari. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis, constitutionis, voluntatis et annotationis infringere etc. Datum Avinione Kal. Februarii. Pontificatns nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Indulg. et Privileg. fol. 31.

DCCCCXXI.

Ioanni episcopo Varmiensi augmentandi dotes dignitatum suae ecclesiae facultas datur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut peticionibus tuis, illis presertim, per quas ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum utilitas procuratur, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte tua peticio continebat, quod in ecclesia tua Warmiensi sunt nonnulle dignitates, que iuxta qualitatem et condicionem ipsarum minus sufficienter dotate existunt, et quod ex nonnullis novalibus et villis de novo in diocesi Warmiensi exortis et creatis, ad dilectos filios Prepositum, Decanum et Capitulum eiusdem ecclesie iusto titulo spectantibus, tot redditus excreverunt et excrescent, dante domino, in futurum, quod ex eis dotes dignitatum potuerunt augmentari: Quare nobis humiliter supplicasti, ut dotes huiusmodi de dictis excrescentibus redditibus iuxta ordinationes et statuta fundatoris eiusdem ecclesie augmentandi licenciam concedere dignaremur. Nos igitur huiusmodi tuum laudabile propositum in domino commendantes, ac volentes illi favorem apostolicum impertiri, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue augmentandi de consilio tamen et assensu Prepositi, Decani et Capituli predictorum, vel maioris aut sanioris partis eorum, et absque cuiuscunque preiudicio dignitatum dotes huiusmodi de redditibus, qui ex eisdem novalibus et villis provenerunt et provenient, prout tibi expedire videbitur, iuxta tamen ordinationes et statuta predicta, dummodo sint rationabilia, statutis et consuetudinibus ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis non obstantibus quibuscumque, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presentium facultatem. Datum Avinione v. Kal. Marcii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Indulg. et Privileg. fol. 40.

DCCCCXXII.

Eidem disponendi de certis suae ecclesiae emolumentis in pane, cerevisia etc. facultas datur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam geris, premeretur, ut peticionibus tuis, illis presertim, per quas cultus divini nominis augeatur, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper peticio tua continebat, quod in ecclesia tua Warmiensi quedam emolumenta, que ex bonis et terris, non tamen ex corporibus prebendarum aut dignitatum, personatuum vel officiorum seu beneficiorum aliorum eiusdem ecclesie, in pane cervisia et quibusdam denariis, vivalibus et custodialibus inibi numcupatis, consistentia proveniunt, inter Canonicos et alias personas eiusdem ecclesie inibi personaliter residentes, licet divinis officiis non intersint, distribui consueverint, quod in divini cultus cedit non modicum detrimentum: Quare nobis humiliter supplicasti, ut providendi tibi super hoc licenciam concedere apostolica auctoritate dignaremur. Nos igitur cultum divinum non minui, sed augeri totis desi-

deriis affectantes, et puritatis et dilectionis zelum, quam ad eandem ecclesiam sponsam tuam habere dinosceris, attendentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue disponendi, statuendi et ordinandi de dictis emolumentis et ditsributionibus pro Canonicis et personis eisdem, qui in prefata ecclesia divinis officiis intererunt, prout equum et iustum tibi videbitur, constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis non obstantibus quibuscumque, plenam et liberam tibi auctoritate predicta concedimus facultatem. Datum Avinione v. Kal. Martii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Indulg. et Privileg. fol. 40.

DCCCCXXIII.

Eidem facultas divinum officium in sua ecclesia ordinandi et regulandi datur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Votis tuis libenter annuimus, illis presertim, per que tua Warmiensis ecclesia decoretur et cultus divini nominis augeatur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper peticio continebat, divinum officium in horis diurnis pariter et nocturnis in prefata ecclesia non ita decenter et honeste, sicut velles, celebratur: Nos cupientes, ut huiusmodi officium ad dei laudem et gloriam inibi honeste et continue decantetur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue ordinandi et regulandi huiusmodi officium in dicta ecclesia, prout tibi expedire videbitur et iustum fuerit, non tamen illud diminuendo, sed potius augmentando, Constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis non obstantibus quibuscumque, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presentium facultatem. Datum Avinione v. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Indulg. et Privileg. fol. 41.

DCCCCXXIV.

Iudicibus, ut civium Posnaniensium sacrilegos ausus contra clerum et ecclesias reprimant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus . . . Wratislaviensi et . . . Lubucensi Episcopis, ac dilecto filio . . . Abbati monasterii de Lubes Wratislaviensis diocesis, salutem etc. Ad reprimendas insolencias transgressorum et transgressiones insolencium refrenandas, si nervus publice discipline lentescat, eorum ad peccandum voluntas fit lapsior, et exemplum impunitate periculosius in alios derivatur: propter quod ad presidentis officium pertinet sic debitam execucionem adhibere iusticie, quod commissa iam crimina puniat, et committendorum imposterum audaciam interdicat. Sane lamentabilis querela multorum nostrum frequenter turbavit auditum, amaricavit et mentem, quod nonnulli iniquitatis filii, a quorum oculis dei timor abscessit, in civitate et diocesi Poznaniensibus pretextu guerrarum, quibus eedem civitas et diocesis dicuntur multipliciter fatigari, et alias temere clericos et ecclesiasticas personas seculares et regulares, eciam in dignitatibus constitutos, civitatis et diocesis predictarum, bellicis actibus se minime immiscentes, non absque inieccione manuum violenta capere, detinere, carceribus mancipare, tormentis subicere, verberibus cedere, vulnerare, morti tradere, et crudelibus affliccionibus ad redempciones indebitas personaliter cohercere, ecclesias quoque, monasteria, hospitalia et alia pia loca secularia et regularia dicte diocesis invadere, frangere, capere, occupare, occupata detinere, diruere ac incendio concremare, ac ecclesias, monasteria et loca ipsa libris, calicibus, crucibus, sanctorum reliquiis, paramentis et ornamentis alias divino cultui et usui deputata spoliare, ac huiusmodi libros, calices, cruces, sanctorum reliquias, paramenta et ornamenta ausu sacrilego, nec non fructus, redditus, res et bona alia personarum ecclesiasticarum, monasteriorum, hospitalium et aliorum locorum huiusmodi tam in ipsis ecclesiis, quam extra illas existencia eciam violenter rapere, depredari, ac in predam abducere seu asportare presumpserunt hactenus, et cotidie presumere non verentur, propter que clerici et persone ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et locorum ipsorum ea coacti deseruerunt ac deserunt, ac ecclesie obsequiis debitis et christifideles sacramentis ecclesie, ac pauperes et infirmi pie hospitalitatis subvencione fraudantur, quodque nonnulli, qui gloriantur, cum malefecerint, huiusmodi criminum patratores, nec non clericos et personas ecclesiasticas captos ab eis, ac insuper bona et res huiusmodi per eos . . . . . asportata scienter in civitatibus, castris, fortaliciis, terris et aliis locis eorum receptarunt et receptant, aliqui vero commistim omnia seu nonnulla ex eis fieri seu committere

fecerunt et eciam mandarunt, seu eorum nomine aliorum mandato facta sive commissa rata habuerunt et habent, alii eciam eisdem predictorum criminum patratoribus in committendis eisdem excessibus per se et alios prestiterunt et prestant auxilium et favorem, eaque omnia, que in gravem eciam divine maiestatis offensam, animarum periculum, ecclesiastice libertatis contemptum et plurimorum scandalum cedere dinoscuntur, in civitate et diocesi memoratis sic sunt notoria, sic ea fama publica divulgavit et divulgat, sicque nociva prothdolor experiencia manifestat, quod tergiversacione aliqua nequeunt occultari. Cupientes igitur huic morbo, ne per moras temporum factus cronicus fomenta respuat medicine, oportunam et congruam adhibere medelam, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios omnes et singulos tam clericos, quam laicos, cuiuscunque status, ordinis vel condictionis existunt, huiusmodi clericorum seu personarum ecclesiasticarum se, ut premittitur, bellicis actibus non immiscencium captores, detentores, carceri mancipatores, compulsores, verberatores, vulneratores, occisores, nec non ipsorum clericorum seu personarum ecclesiasticarum sic captorum seu detentorum aut carceratorum acceptatores, ecclesiarum effractores et incendiarios, ac rerum et bonorum in ipsis ecclesiis existencium violentos spoliatores, raptores et depredatores, nec non talia fieri mandantes seu procurantes, aut eorum nomine seu mandato facta rata et grata habentes utpote excommunicatos a canone generaliter per omnes ecclesias et loca, in quibus expedire videritis, auctoritate nostra excommunicatos publice nuncietis; et insuper omnes et singulos tam sic excommunicatos a canone, quam huiusmodi ecclesiarum, monasteriorum et locorum ac personarum ecclesiasticarum predictorum spoliatores, librorum, fructuum, redditiuum et aliorum bonorum prefatorum occupatores, detentores, receptores, depredatores, abductores et asportatores, necnon eos, qui talia fieri seu committere mandarunt seu fecerunt, aut eorum nomine seu mandato facta seu commissa rata habuerunt, seu habent, ipsorumque ea patrancium ac rerum et bonorum huiusmodi in predam asportatorum receptatores ex parte nostra generaliter publice in ecclesiis coram populo per vos vel alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, huiusmodi captos et spoliata, rapta, abducta et asportata restituant, seu de ipsis et aliis huiusmodi per eos commissis debitam satisfaccionem impendant, et si infra dictum terminum id non impleverint, in illos, qui alias ob premissa a iure excommunicati non sunt, generalem excommunicacionis sentenciam proferatis, ipsorumque omnium huiusmodi monita non implencium terras, opida, castra, villas et loca subiciatis ecclesiastico interdicto; preterea tam predictos, quam alios omnes et singulos clericos, personas ecclesiasticas seculares et regulares, Comites, Proceres, Barones, Nobiles, Milites et laicos, Communia quoque ac universitates civitatum, castrorum, villarum, et aliorum quorumcunque locorum generaliter et publice eadem auctoritate monere curetis, ut a talibus omnino deinceps abstineant, alioquin extunc in omnes et singulos, qui talia committere aut acceptare presumpserint, in singulares scilicet personas, in illis videlicet casibus expressis, in quibus excommunicacionem per iam edictos canones non subierunt, excommunicacionis . . . . . civitates, opida, castra, terras, villas et loca interdicti generalis sentenciam proferatis; et nichilominus omnes et singulos, quos simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, solerti et subtili adhibita diligencia, reppereritis talia commisisse aut fecisse, vel mandasse fieri aut committi, aut eorum nomine vel mandato facta seu commissa rata et grata habuisse, seu in futurum committere vel facere aut mandare fieri, aut eorum nomine vel mandato facta seu commissa rata et grata habere, si singulares persone, sive ab eodem canone, sive vigore monicionis huiusmodi excommunicati sint, excommunicatos nominatim, candelis accensis, si vero Universitates seu Communitates fuerint, et monicionibus huiusmodi non paruerint, eas eciam nominatim, ipsarumque omnium singularum personarum, Universitatum, Communitatum eisdem monicionibus non parencium civitates, opida, castra, terras, villas et loca interdicta tamdiu diebus dominicis et festivis in ecclesiis atque locis, in quibus vobis videbitur expedire, cum maior in eis fuerit Cleri et populi multitudo, publice nuncietis et faciatis ab aliis publice nunciari, ipsosque excommunicatos ab omnibus arcius evitari, donec super hiis satisfecerint competenter, et cum vestris litteris rei veritatem continentibus ad sedem apostolicam venerint pro absolucionis ab excommunicacione predicta et interdicti huiusmodi relaxacionis beneficiis obtinendis. Nos enim, ne sub spe venie consequende faciliter incentivum delinquendi aliquibus forsitan prebeatur, absolucionem ab excommunicacionum sentenciis, ac relaxacionem seu suspensionem interdicti huiusmodi nobis vel successoribus nostris Romanis pontificibus tantummodo reservamus, ita videlicet, ut nullus, preterquam in mortis articulo, quemquam ab excommu-

nicacionum sentenciis huiusmodi absolvere possit. Ceterum si forsan predictorum huiusmodi scelerum patratorum et receptancium eos, eaque fieri mandancium, ipsisque dancium in illis per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem presencia per monicionem et requisicionem huiusmodi, seu citacionem de ipsis faciendam eis secure vel commode haberi nequiret, vobis monicionem et requisicionem huiusmodi et citaciones quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam citatorum et monitorum huiusmodi pervenire valeant, faciendi plenam concedimus tenore presencium potestatem, et volumus, quod perinde ipsos citatos, requisitos et monitos, ut premittitur, artent, ac si eis facte et insinuate presencialiter et personaliter extitissent, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu quod iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere non presumant, aut de duabus dictis in concilio generali, quam aliis quibuscunque constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdiccioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione .... (.. Martii?) Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. fol. 168.

DCCCCXXV.

Ioanni episcopo Varmiensi statuta suae ecclesiae in melius commutandi facultas datur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Warmiensi, salutem etc. Votis tuis libenter annuimus, illis presertim, per que status tue Warmiensis ecclesie salubriter dirigatur, eique honoris et prosperitatis proveniant incrementa. Exhibita siquidem nuper tua peticio continebat, quod olim bone memorie Anselmus Episcopus Warmiensis, primus fundator eiusdem ecclesie, pro confirmatione status honoris et iurium ipsius ecclesie, attentis et consideratis qualitatibus temporum, que tunc erant, nonnulla utilia et salubria, que, quotcunque et qualiacunque fuerint, haberi volumus pro expressis presentibus, statuit et etiam ordinavit, et quod propter mutacionem et variacionem temporum, que secuta fuerunt et nunc sunt, huiusmodi ordinata et statuta possunt in melius commutari: Quare nobis humiliter supplicasti, ut pro bono dicte ecclesie huiusmodi statuta et ordinata mutandi licentiam tibi concedere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes statum eiusdem ecclesie salubriter dirigi atque regi, gerentes quoque de tue circumspectionis industria fiduciam in domino specialem, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue huiusmodi statuta et ordinata in melius commutandi, ac eis addendi, detrahendi, necnon in prefata ecclesia aliqua de novo ordinandi et statuendi, prout expediens et utile dicte ecclesie fuerit, de dilectorum filiorum Capituli eiusdem ecclesie aut saltem maioris et sanioris partis eorum consilio et assensu, et alias secundum canonicas sanctiones, quibuscunque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque alia firmitate roboratis non obstantibus, tenore presentium concedimus facultatem. Datum Avinione v. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Indulg. et Privileg. fol. 40.

DCCCCXXVI.

Nicolao de Teschin decanatus ecclesiae Opatoviensis Cracoviensis dioecesis confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Teschin Decano ecclesie Opatoviensis Cracoviensis diocesis, salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, nos inducunt, ut te favore apostolico prosequamur. Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim Decanatu ecclesie Opatoviensis Cracoviensis diocesis, quem quondam Thomas de Brega ipsius ecclesie Decanus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Thome obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Venerabilis

frater noster Petrus Episcopus Lubucensis, verus patronus dicti decanatus, et in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi Decanum ad eundem Decanatum existens, te ad eundem Decanatum sic vacantem Venerabili fratri nostro Floriano Episcopo Cracoviensi infra tempus legitimum presentavit, dictusque Episcopus Cracoviensis te in Decanum dicte ecclesie instituit canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu dubites dictum decanatum, qui dignitas existit, cuique imminet cura animarum, tempore presentacionis seu institucionis huiusmodi fore dispositioni apostolice specialiter reservatum, teque propterea posse super eo imposterum molestari, Nos volentes te premissorum meritorum intuitu favore prosequi gracioso, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et tibi auctoritate apostolica concedimus, quod presentacio et institucio predicte et quecunque inde secuta proinde a data presencium, dummodo idem Thomas familiaris noster non fuerit, valeant, plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si de dicto Decanatu nulla per sedem apostolicam specialis reservacio facta foret. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Datum Avinione VI. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XVI. cod. chart. fol. 879.

DCCCCXXVII.

Iudicibus, ut Nicolaum Friczkonis in possessione parochialis ecclesiae de Opatowicz Cracov. dioec. defendant.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Wratislaviensis et ... Beate Marie Cracoviensis Prepositis et ... Decano sancti Agricoli Avinionensis ecclesiarum, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Nicolai Frizkonis Rustici, Rectoris parrochialis ecclesie in Oppathowicz Cracoviensis diocesis, peticio continebat, quod licet olim ipse dictam ecclesiam tunc per liberam resignacionem Marci de Pilchowicze vel Zlodezey, olim ipsius ecclesie Rectoris, per eum de dicta ecclesia in manibus Venerabilis fratris nostri Floriani Ep̄i Cracoviensis extra Romanam Curiam sponte factam, et ab eodem Ep̄o extra eandem Curiam auctoritate ordinaria admissam, (vacantem), vigore quarumdam litterarum apostolicarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset, tamen dilectus filius Meczlaus de Mazovia, qui se gerit pro Canonico ecclesie Scharbimiriensis dicte diocesis, falso asserens dictam parrochialem ecclesiam ad se spectare, et acceptacioni huiusmodi indebite se opponens, impedivit ac fecit, quominus acceptacio huiusmodi debitum sortita fuerit effectum, seque in eadem parrochiali ecclesia intrusit, illamque occupavit et detinuit indebite occupatam, fructus percipiendo ex ea, ortaque preterea inter eosdem Nicolaum et Meczlaum super dicta parrochiali ecclesia et eius occasione materia questionis: Nos causam huiusmodi, cum partes ipse in Romana Curia presentes existerent, dilecto filio Magistro Iohanni de Vayrolis, Capellano nostro et Auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam dicti Nicolai audiendam commisimus et fine debito terminandam, et deinde ad instanciam dilecti filii Andree Iacobi, alias de Sapiencia, qui se gerit pro clerico predicte diocesis, falso asserentis dictam parrochialem ecclesiam ad se spectare, eidem Auditori commisimus, ut causam, quam idem Andreas contra Nicolaum et Meczlaum predictos super eadem parrochiali ecclesia et eius occasione movere intendebat, audiret et fine debito terminaret: et subsequenter postquam ad nonnullos actus in causa huiusmodi inter partes ipsas coram prefato Auditore processum fuerat, dictus Meczlaus coram eodem Auditore in iudicio comparens, huiusmodi liti et cause, ac omni iuri sibi in dicta parrochiali ecclesia quomodolibet competenti sponte cessit, idemque Auditor in causa ipsa procedens legitime, diffinitivam sentenciam, per quam prefatam parrochialem ecclesiam eidem Nicolao adiudicavit, ipsisque Meczlao et Andree super ea perpetuum silencium imposuit, promulgavit, dictusque Nicolaus super execucione huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transiverat iudicatam, nostras ad vos sub certa forma litteras impetravit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ad ipsius Nicolai noticiam devenerit, quod ipse Meczlaus, eciam postquam huiusmodi liti et cause ac iuri renunciavit, ut prefertur, dilectum filium Wyslaum Iacobi de Conyn, qui se gerit pro clerico Gneznensis diocesis, in dicta ecclesia substituerit, dictusque Wyslaus se in dicta ecclesia, huiusmodi lite pendente, intruserit, eamque occupaverit, prout occupare dicitur de presenti, pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, ad execucionem predictarum litterarum, vobis, ut premittitur, directarum, proinde quo ad inducendum eundem Nicolaum, vel procuratorem suum

eius nomine in corporalem possessionem dicte parrochialis ecclesie, iurium et pertinenciarum ipsius, et ad defendendum inductum, et ad amovendum ipsum Wyslaum ab eadem contra ipsum Wyslaum procedatis, ac si dictus Wyslaus ad omnes terminos in predicta causa fuisset evocatus, ac sentencia contra eam promulgata extitisset, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus Constitucionibus apostolicis et aliis contrariis quibuscumque, seu si eidem Wyslao vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione VI. Kal. Iulii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. ep. 208.

DCCCCXXVIII.

Officiali Pomesaniensi, ut de controversia inter Wicboldum episcopum et consules Culmenses vertente inquirat et referat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Pomezaniensi, salutem etc. Dudum felicis recordacionis Urbanus papa V. predecessor noster causam appellacionis et negocii principalis, que inter dilectos filios Iohannem Storchvest Proconsulem, Iohannem Nichilo, Conradum Cornerii, Nicolaum Pellificis, Petrum Aucupis, Iohannem Monachi, Iohannem Gerlaci, Petrum Selsthitz, Martinum Gimener, Hermannum Gerhardi, Henselmum Gerronis, Iohannem Sartoris, Albertum et Nicolaum dictos de Semenawe Consules Communis civitatis Culmensis ex parte una, et Venerabilem fratrem nostrum Wicboldum Episcopum Culmensem super eo, quod Proconsul, Consules et Commune se quemdam iudicem, scultetum nuncupatum, in civitate predicta, qui omnimodam iurisdiccionem et exercicium iurisdiccionis inter laicales personas, tam in causis civilibus, quam criminalibus in civitate predicta et extra, infra terminos libertatis et districtus civitatis prefate exerceat, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine eligere posse, sibique et ipsum Iudicem ad audiendas causas huiusmodi deputare licuisse et licere, ipsumque iudicem de causis ipsis cognoscere, et iurisdictionem huiusmodi exercere consuevisse, dictumque Episcopum Proconsulem, Consules ac Commune predictos possessione electionis et deputacionis huiusmodi iudicis contra iusticiam spoliasse, seque quendam iudicem alium in preiudicium libertatis Proconsulis, Consulum ac Communis predictorum posuisse, ac nonnullos cives ipsius Civitatis contra libertatem predictam incarcerasse, Episcopus vero predictus premissa non esse vera, dictamque iurisdictionem ad Episcopum Culmensem pro tempore existentem pertinere asserebat, prout asseruit, et nonnullis aliis articulis communiter vel divisim ex altera pro parte dictorum Proconsulis, Consulum ac Communis ad sedem apostolicam interiecte, quondam Iohanni Rabimelli, Capellano sedis apostolice, et Auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam Proconsulis, Consulum ac Communis predictorum audiendam commisit et fine debito terminandam, non obstante, quod causa ipsa ad Romanam Curiam devoluta, et in ea tractanda et finienda non esset: coram quo Magistris Henrico Fredecke de Byschoffwerder procuratore dictorum Proconsulis, Consulum et Communis, et Henrico de Longacuria substituto per Magistrum Lambertum de Orseyc procuratorem dicti Episcopi, prout ad hoc a dicto Episcopo sufficiens mandatum habebat, in iudicio comparentibus, et per quemlibet eorum quodam in causa huiusmodi pro parte sua dato libello, et per eos lite in causa huiusmodi legitime contestata, ac de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius Auditoris presencia prestitis iuramentis in terminis ad hoc datis, supradictusque Magister Henricus Fredecke coram eodem Auditore in iudicio comparens, predicti Henrici de Longacuria non comparentis contumaciam accusavit, et in eius contumaciam nonnullas proposiciones et articulos pro parte sua in huiusmodi causa tradidit. Postmodum vero prefatus Auditor ad eiusdem Henrici Fredecke instanciam predictum Episcopum, cum idem Henricus de Longacuria tunc a dicta Curia absens (esset), ad respondendum dictis proposicionibus et dicendum contra eosdem articulos quicquid vellet, in audiencia publica citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo dictus Henricus Fredecke coram eodem Auditore in iudicio comparens, predicti Ep̃i non comparentis contumaciam accusavit. Et tandem postquam ad nonnullos alios actus per dictum Autorem inter partes ipsas processum fuerat, dicto predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, Nos divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, omnibus Auditoribus dicti palacii commisimus, ut omnes et singulas causas, quas ex commissione eiusdem predecessoris audiebant, in eo statu, in quo tempore obitus ipsius predecessoris remanserant, coram eis resumerent, easque audirent et fine debito terminarent iuxta tenores commissionum factarum eisdem. Et deinde postquam ad

nonnullos alios actus in causa huiusmodi per dictum Auditorem inter ipsas partes processum fuerat, Nos causam huiusmodi dilecto filio Magistro Hugoni Fabri, Capellano nostro et Auditori causarum dicti palacii, ex certis causis audiendam commisimus et fine debito terminandam: coram quo prefatus Henricus Fredecke in iudicio comparens petitorium tam pro parte sua, quam pro parte altera in causa huiusmodi intentatum suspendit, et voluit duntaxat in possessorio procedi, et deinde idem Hugo Auditor ad nonnullos alios actus in causa huiusmodi possessorii dicitur processisse. Verum quia per ea, que coram eisdem Auditoribus in huiusmodi causa apud dictam sedem sunt habita, de ipsius cause meritis plene liquere non potest, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus testes, litteras et instrumenta, que pars dictorum Proconsulis, Consulum et Communis super dictis suis articulis, quos idem Hugo Auditor una cum interrogatoriis partis alterius sub sigillo suo tibi transmittit inclusos, coram te duxit producenda, infra duos menses post recepcionem presencium prudenter accipere, ac testes ipsos secundum eadem interrogatoria diligenter examinare procures, litteras et instrumenta predicta transcribi fideliter faciendo. Si vero alterutra parcium predictorum testes alterius voluerit reprobare, tu testes super reprobacione huiusmodi coram te producendos infra unius mensis spacium predictos duos menses immediate sequentes sapienter recipias, eosque secundum interrogatoria a partibus ipsis exhibenda, si ea exhibere voluerint, alioquin iuxta datam tibi a deo prudenciam examines diligenter, deposiciones omnium testium predictorum fideliter in scriptis reductas una cum articulis et interrogatoriis supradictis, ac transumptis litterarum et instrumentorum predictorum sub tuo sigillo inclusas ad nostram presenciam quantocius transmissurus, ac significaturus nobis, que et quanta sit fides eisdem instrumentis et litteris adhibenda, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel procuratores ydoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis huiusmodi causam contingentibus se apostolico conspectui representent, iustam dante domino sentenciam recepture, Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compellas, preterquam super criminibus, veritati testimonium perhibere. Diem vero prefixionis huiusmodi et formam, et quicquid super hiis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Datum Avinione III. Kal. Iulii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. fol. 249.

DCCCCXXIX.

Exsecutoribus, ut sententias pro fratribus hospitalis S. Spiritus Vladislaviensis ord. Cruciferorum cum stella de decimis oppidi Iaczow contra episcopum Vladislaviensem latas exsequantur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati Monasterii beate Marie in Arena Wratislaviensis, et ... Decano sancti Agricoli Avinionensis, ac ... Officiali Wratislaviensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Iohannis Prioris, Magistri nuncupati, et fratrum hospitalis Sancti Spiritus Wladislaviensis ordinis Cruciferorum cum stella peticio continebat, quod licet percepcio omnium decimarum, proveniencium ex fructibus excrescentibus in terris et possessionibus ville de Iaczow Wladislaviensis diocesis, ad Priorem pro tempore existentem et fratres dicti hospitalis de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, et tam ipse prior, quam predecessores sui priores, qui fuerunt pro tempore, et fratres eiusdem hospitalis fuissent in pacifica possessione vel quasi iuris percipiendi huiusmodi decimas a tempore, cuius contrarii memoria non existit, tamen Venerabilis frater noster Sbilucus Episcopus Wladislaviensis minus veraciter pretendens, percepcionem huiusmodi decimarum ad se spectare, eosdem priorem et fratres super huiusmodi decimis multipliciter molestavit, perturbavit et inquietavit, ipsosque priorem et fratres per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, quatinus a percepcione huiusmodi decimarum desisterent, alioquin, ut dicebat, in ipsos priorem et fratres excommunicacionis, et in ecclesiam dicti hospitalis interdicti sentencias promulgabat, propter quod dicti prior et fratres ad sedem apostolicam appellarunt, idemque Episcopus huiusmodi appellacione, infra cuius prosecucionis tempus, de quo non modicum supererat, iidem prior et fratres existebant, contempta, utriusque sexus homines ibidem degentes per alias suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut a participacione dictorum prioris et fratrum tanquam excommucatorum abstinerent, alioquin, ut dicebat, in eosdem homines excommunicacionis sentenciam promulgabat, propter quod prefati prior et fratres denuo ad sedem appellarunt eandem, ac felicis recordacionis Urbanus papa V. predecessor noster causam appellacionum huiusmodi et negocii principalis quondam

Thome de Paxcono, Capellano sedis apostolice et Auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam dictorum prioris et fratrum audiendam commisit et fine debito terminandam, non obstante, quod causa huiusmodi de sui natura ad Romanam Curiam devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset: coram quo dilectis filiis Magistris Theodorico de Puteo prioris et fratrum et Henrico de Longacuria Episcopi predictorum procuratoribus in iudicio comparentibus, et per quemlidet eorum quodam in causa huiusmodi pro parte sua dato libello in termino cis ad hoc dato, in quo quidem libello pro parte dicti Episcopi dato idem Henricus proposuit et dixit, quod licet omnes et singuli Episcopi Wladislavienses, qui fuerunt pro tempore, et eciam Wladislaviensis a decem, viginti, triginta, quadraginta, sexaginta annis et ultra et citra, et a tempore et per tempus, cuius contrarii memoria hominum non existebat, salvis infra dicendis, fuissent soli et insolidum in plena et pacifica possessione decimarum, provenienciuni ex omnibus et singulis fructibus agrorum et terrarum ville Iaczow Wladislaviensis diocesis, infra dictam villam et eius territorium et districtum excrescencium, et iure percipiendi easdem a dictis temporibus et per ipsa tempora dicte decime, et ius percipiendi easdem ad dictos Episcopos pro tempore et ipsam ecclesiam Wladislaviensem spectassent et pertinuissent, et tunc eciam spectarent et pertinerent solum et insolidum pleno iure, dictique Episcopi et eorum quilibet pro tempore per se et suos eorum nomine a dictis temporibus et per ipsa tempora antedictas decimas collegissent et percepissent, ac fructus et proventus earundem in usus suos et dicte ecclesie et alias canonice, ut decuit, convertissent pacifice et quiete, nichilominus tamen dicti prior et fratres per se et per alios eorum nomine prefatum Episcopum auctoritate propria inde, et super omnibus et singulis supradictis et earum percepcione tam coniunctim quam divisim impedierant, et tunc impediebant, fecerant et tunc eciam faciebant, quominus dictus Episcopus posset et valeret dictas decimas habere et tenere, ac fructus et redditus percipere ex eisdem, dictique prior et fratres se in dictas decimas et earum percepcionem intruserant, dictosque Episcopum et ecclesiam predictis decimis et earum percepcione nequiter spoliarant, et spoliari mandaverant, et huiusmodi spoliacionem eorum nomine factam ratam et gratam habuerant, et tunc eciam habebant, in animarum suarum periculum, et dicti Episcopi et ipsius ecclesie non modicum preiudicium et gravamen, ac peciit pronunciari, decerni et declarari dictas decimas Ville de Iaczow ad Ep̄um et ecclesiam Wladislavienses spectasse, et tunc eciam spectare, pertinuisse et tunc eciam pertinere pleno iure, easque dictis Episcopo et ecclesie adiudicandas fore et adiudicari, ac opposiciones, spoliaciones et impedimenta predicta fuisse et esse illicitas et illicita, temerarias et temeraria, et de facto presumpta, ipsumque Episcopum et ecclesiam predictos restituendos et reintegrandos fore, ac restitui et reintegrari ad dictas decimas et ad percepcionem et possessionem earundem, dictosque priorem et fratres amovendos fore et amoveri ab occupacione, percepcione et detencione decimarum predictarum, ac ipsis et eorum cuilibet, ac hospitali et eorum rectoribus predictis super decimis et opposicionibus et impedimentis predictis perpetuum silencium imponendum fore et imponi, et alias in et super premissis et eorum quolibet tam coniunctim vel (quam) divisim fieri iusticie complementum. Postmodum vero Theodorico et Henrico predictis coram eodem Auditore in iudicio comparentibus, et per eos lite in causa huiusmodi legitime contestata, ac de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius Auditoris presencia prestitis iuramentis, ac traditis per eos nonnullis proposicionibus et articulis in causa huiusmodi, et contra eosdem proposiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis iuribus et munimentis, quibus partes ipse volebant in huiusmodi causa uti, et contra eadem predicta quibusdam excepcionibus hinc inde datis in terminis eis ad singulos actus huiusmodi per dictum Auditorem peremptoriis et successive assignatis, demum cum dictus Thomas Auditor viam esset universe carnis ingressus, prefatus predecessor causam huiusmodi dilecto filio Magistro Rogero de Freteno, Capellano sedis apostolice et Auditori causarum palacii, predictorum audiendam commisit et fine debito terminandam. Et deinde post nonnullos alios citacionis actus in causa huiusmodi per dictum Rogerum Auditorem habitos, prefato Urbano predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, Nos divina disponente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, omnibus Auditoribus dicti palacii commisimus, ut causas, quas ex commissione dicti predecessoris audiebant, in eo statu, in quo tempore obitus eiusdem predecessoris remanserant, coram eis resumerent, easque audirent et fine debito terminarent iuxta tenores commissionum factarum eisdem. Idemque Rogerus Auditor ad dicti Theoderici, coram eo in iudicio comparentis, instanciam prefatum Henricum ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi, vel dicendum causam rationabilem, quare in ea concludi non deberet,

per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo dicto Theoderico coram eodem Rogero Auditore in iudicio comparente, predicti Henrici non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam in causa ipsa concludi petente, dictus Rogerus reputans eundem Henricum quo ad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, et in eius contumaciam cum dicto Theoderico in causa huiusmodi concludente conclusit, et habuit pro concluso, et ad eiusdem Theoderici instanciam prefatum Henricum ad suam in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam audiendam per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem, in qua dicto Theoderico coram eodem Rogero Auditore in iudicio comparente, et predicti Henrici non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Rogerus Auditor reputans eundem Henricum quo ad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, et in eius contumaciam visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis acticatis, habitis et productis in causa huiusmodi, ipsisque cum diligencia recensitis et examinatis, ac facta super hiis omnibus Coauditoribus suis dicti palacii relacione plenaria et fideli, de ipsorum Coauditorum suorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello pro parte predictorum prioris et fratrum in causa huiusmodi exhibito petita fuerunt, prefatos priorem et fratres et ipsum hospitale ab impeticione dicti Sbiluci Episcopi Wladislaviensis absolvendos fore, et absolvit, dictoque Episcopo et suis successoribus super molestacionibus, perturbacionibus et inquietacionibus predictis perpetuum silencium imponendum fore, et imposuit, necnon dictas interdicti et excommunicacionis sentencias fuisse et esse iniustas, ipsasque interdicti et excommunicacionis sentencias fuisse et esse revocandas, cassandas et annullandas, ac eciam revocavit, cassavit et annullavit, et pro parte dictorum prioris et fratrum et hospitalis a predictis interdicti et excommunicacionis sentenciis legitime fuisse et esse appellatum, ipsumque Episcopum in expensis legitimis in huiusmodi causa factis condempnandum fore, et condempnavit, ipsarum taxacione sibi in posterum reservata, a qua quidem sentencia pro parte dicti Episcopi fuit ad sedem appellatum predictam. Nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia interiecte quondam Iohanni Rabinelli, Capellano nostro et Auditori causarum palacii predicti, audiendam commisimus et fine debito terminandam, coram quo Theoderico et Henrico predictis in iudicio comparentibus, et per quemlibet eorum quodam in causa huiusmodi pro parte sua dato libello, et per eos lite in causa huiusmodi legitime contestata, ac de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius Iohannis Auditoris presencia prestitis iuramentis, ac traditis per eos nonnullis proposicionibus et articulis in causa huiusmodi, et contra eosdem proposiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis iuribus et munimentis, quibus partes ipse volebant in huiusmodi causa uti, et contra eadem producta quibusdam excepcionibus utrinque datis in terminis eis ad singulos actus huiusmodi per dictum Iohannem Auditorem peremptoriis et successive assignatis, demum cum dictus Iohannes Auditor viam esset universe carnis ingressus, nos causam huiusmodi dilecto filio Magistro Galhardo de Novaecclesia, Capellano nostro et Auditori causarum palacii apostolici, audiendam commisimus et fine debito terminandam: qui ad instanciam dicti Theoderici, coram eo in iudicio comparentis, prefatum Henricum ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi, vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certum peremptorium terminum competentem, in quo Theoderico et Henrico predictis coram eodem Galhardo Auditore in iudicio comparentibus, ac Theoderico in causa huiusmodi concludi petente, Henrico vero predictis in ea concludere recusante, nec causam aliquam racionabilem allegante, quare in ea concludi non deberet, dictus Galhardus Auditor reputans eundem Henricum quo ad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, et in eius contumaciam cum dicto Theoderico in causa huiusmodi concludente conclusit, et habuit pro concluso, et ad eiusdem Theoderici instanciam prefatum Henricum ad suam in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam audiendam per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem, in quo Theoderico et Henrico predictis coram eodem Galhardo Auditore in iudicio comparentibus, ipsoque Theoderico sentenciam ipsam ferri petente, prefatus Galhardus Auditor, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis acticatis, habitis et productis in causa huiusmodi, ipsisque cum diligencia recensitis et examinatis, ac facta super hiis omnibus Coauditoribus suis dicti palacii relacione plenaria et fideli, de ipsorum Coauditorum suorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, per Rogerum Auditorem predictum bene fuisse

et esse processum, sentenciatum et diffinitum in hac causa, eiusque sentenciam confirmandam fore, et confirmavit, et pro parte dicti Episcopi ab ea male fuisse et esse appellatum, dictumque Episcopum in expensis litis in hac instancia factis condempnandum fore, et condempnavit, ipsarum taxacione sibi imposterum reservata, a qua quidem sentencia pro parte dicti Episcopi fuit ad sedem appellatum eandem. Nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia dicti Galhardi Auditoris interiecte dilecto filio Magistro Hugoni Fabri, Capellano nostro et Auditori causarum palacii predicti, audiendam commisimus et fine debito terminandam, coram quo Henrico et Theoderico predictis in iudicio comparentibus, et per quemlibet eorum quodam in causa huiusmodi pro parte sua dato libello, et per eos lite in causa huiusmodi legitime contestata, ac de calumpnia et de veritate dicenda in ipsius Hugonis Auditoris presencia prestitis iuramentis, ac traditis per eos nonnullis proposicionibus et articulis in causa huiusmodi in terminis eis ad hoc datis, dictus Hugo Auditor ad eiusdem Theoderici instanciam prefatum Henricum ad respondendum dictis proposicionibus, et dicendum contra eosdem articulos quicquid vellet, necnon ad producendum et produci videndum omnia acta, iura et munimenta, quibus partes ipse vellent in huiusmodi causa uti, per quosdam Cursores nostros successive citari fecit ad certos peremptorios terminos competentes, in quibus dictus Theodericus coram eodem Hugone Auditore in iudicio comparens, predicti Henrici non comparentis contumaciam accusavit, et in eius contumaciam nonnulla iura et munimenta, quibus pro parte sua in huiusmodi causa voluit uti, produxit in dicto termino ad hoc dato, predictusque Hugo Auditor ad eiusdem Theoderici instanciam prefatum Henricum ad dicendum contra eadem producta quicquid vellet, necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi, vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, per quosdam Cursores nostros successive citari fecit ad certos peremptorios terminos competentes, in quibus dicto Theoderico coram eodem Hugone Auditore in iudicio comparente, et predicti Henrici non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam in causa huiusmodi concludi petente in dicto termino ad hoc dato, prenominatus Hugo Auditor reputans eundem Henricum quoad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, et in eius contumaciam cum dicto Theoderico in causa huiusmodi concludente conclusit, et habuit pro concluso in dicto termino ad hoc dato, et ad eiusdem Theoderici instanciam prefatum Henricum ad suam in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam audiendam per quendam Cursorem nostrum citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem, in qua dicto Theoderico coram eodem Hugone Auditore in iudicio comparente, et predicti Henrici non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Hugo Auditor reputans eundem Henricum quo ad actum huiusmodi, prout erat, merito contumacem, et in eius contumaciam visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis acticatis, habitis et productis in causa huiusmodi, ipsisque cum diligencia recensitis et examinatis, ac facta super hiis omnibus Coauditoribus suis dicti palacii relacione plenaria et fideli, de ipsorum Coauditorum suorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, per Galhardum Auditorem predictum in presenti causa bene, iuste et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, eiusque sentenciam confirmandam fore, et confirmavit, et pro parte dicti Episcopi male et perperam a dicta sentencia fuisse et esse appellatum, dictumque Episcopum in expensis litis alias factis legitime, convenienter nichilominus condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter Galhardus, cui nos commisimus, ut eciam expensas coram prefato Rogero Auditore factas taxaret, illas coram ipso Rogero Auditore in centum et triginta tribus, et coram se in viginti uno, ac Hugo Auditores predicti coram se factas expensas huiusmodi in quindecim florenis auri, in contumaciam dicti Henrici procuratoris, de mandato eorundem Galhardi et Hugonis Auditorum, ad instanciam predicti Theoderici, per quosdam Cursores nostros ad videndum taxari expensas huiusmodi ad certos terminos peremptorios competentes successive citati, et non curantis comparere, eodem Theoderico coram eisdem Galhardo et Hugone Auditoribus in dictis terminis successive in iudicio comparente, et dicti Henrici non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam expensas ipsas taxari petente, successive providis moderacionibus taxaverunt eiusdem Theoderici super expensis eisdem iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis dictorum Rogeri et Galhardi ac Hugonis Auditorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Nos itaque ipsorum prioris et fratrum in hac parte supplicacionibus inclinati, que super hiis ab cisdem Rogero et Galhardo ac Hugone Auditoribus, non obstante, quod dilecti filii Capitulum ecclesie Wladislaviensis ad causam huiusmodi vocati non fuerint,

alias proinde facta sunt rata habentes et grata, dictasque diffinitivas sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios premissa execucioni debite demandantes, dictasque diffinitivas sentencias, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, faciatis eisdem priori et fratribus de predictis florenorum summis pro dictis expensis iuxta predictorum instrumentorum earuudem condempnacionum et taxacionum tenores plenam et liberam satisfaccionem impendi, Contradictores auctoritate predicta, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si eidem Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione VIII. Idus Iulii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. fol. 261.

DCCCCXXX.

Episcopo Vratislaviensi, ut cum Bolkone duce de Munsterberg et Eufemia super matrimonio inito dispenset.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Oblate nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Bolkonis ducis de Munsterberg, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Eufemie relicte quondam ducis Wentzeslai de Valkinbirg tue Wratislaviensis diocesis peticionis series continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium simul in facie ecclesie contraxerunt, illudque carnali copula consumarunt. Cum autem postmodum, sicut eadem peticio subiungebat, ad eorum pervenerit noticiam, quod dicti Bolko et Wentzeslaus dux ipsius Eufemie maritus, dum viverent, tercio erant consanguinitatis gradu coniuncti, propter quod iidem Bolko dux et Eufemia in sic contracto matrimonio licite remanere nequiverint, dispensatione apostolica super hoc non obtenta, et ex eorum separatione, si fieret, inter eorum consanguineos et communes amicos gravia possent scandala verisimiliter exoriri, pro parte Bolkonis ducis et Eufemie predictorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis gracia dignaremur. Nos igitur volentes huiusmodi scandalis, quantum cum deo possumus, salubriter obviare, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, dictaque Eufemia propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Bolkone et Eufemia, ut ipsi impedimento affinitatis, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante, in sic contracto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum apud Villamnovam Aviniouensis diocesis XI. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Indulg. et Privileg. fol. 152.

DCCCCXXXI.

Episcopo Cracoviensi, ut Ioannem ducem Ossveniensem ad solvendum quinque millia marcharum argenti, et quingentos florenos auri, quas summas eius pater Arnaldo de Caucina nuncio apostolico debebat, compellat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Floriano Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Cum quondam Iohannes dux Osswantziniensis in causa, que inter ipsum ducem et quondam Arnaldum de Caussina Scolasticum ecclesie Cracoviensis, apostolice sedis nuncium et in partibus illis fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum collectorem, super nonnullis decimis ad ipsum Arnaldum ratione sue Scolastrie dicte ecclesie per dictum ducem debitis vertebatur, pro decimis ipsis in quinque milibus marchis argenti, et in quingentis florenis auri pro expensis, quas idem Arnaldus in causa huiusmodi fecerat, sententialiter fuerit condempnatus, idemque Iohannes dux, non satisfacto dicto Arnaldo de premissis, viam fuerit universe carnis ingressus, dilecto filio nobili viro Iohanne duce Osswantziniensi eius nato sibi universali herede relicto, ac subsequenter prefatus Arnaldus, antequam de receptis per eum nomine Camere nostre apostolice computum reddidisset, etiam decesserit: nos indempnitati Camere nostre apostolice providere volentes, ac de circumspectione tua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quateuus prefatum Iohannem ducem modernum ad satisfaciendum tibi nomine predicte Camere nostre de predictis quinque milibus marchis, et de quingentis florenis auri, in quibus, ut premittitur, extitit condempnatus, per ap-

posicionem interdicti in terris dicti ducis, et alias per censuram ecclesiasticam, ac alia Iuris remedia, de quibus tibi videbitur, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, previa monitione compellas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus constitutionibus apostolicis de una et de duabus dietis, et aliis contrariis quibuscumque, seu si eidem Iohanni vel quibuscumque aliis communiter vel divisim a sede apostolica iudultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim tibi predictum ducem modernum ab huiusmodi quinque milibus marchis et quingentis florenis, postquam illos tibi persolverit, quittandi, liberandi et absolvendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus potestatem, ac volumus, quod de predictis quinque milibus marchis et quingentis florenis dilecto filio Petro Stephani Canonico ecclesie Agriensis, apostolice sedis nuncio, reddas rationem, cui quidem nuncio recipiendi nomine nostro et dicte Camere huiusmodi quinque milia marcharum et quingentos florenos, et te de receptis quittandi plenam et liberam tenore presentium concedimus potestatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VIII. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. de Curia fol. 152.

DCCCCXXXII.

Henricus ecclesiae Varmiensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Henrico Electo Warmiensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales ministros eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacantium, et inantea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Warmiensi per obitum bone memorie Iohannis Episcopi Warmiensis, qui nuper apud sedem predictam debitum nature persolvit, apud sedem ipsam vacante, Nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Prepositum ecclesie in Wolframskirch Olomucensis diocesis, in sacerdocio constitutum, litterarum sciencia preditum ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis virtutum meritis, pro uttestimoniis fidedignis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Warmiensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Warmiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextra domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Septembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Capitulo ecclesie Warmiensis, Clero et populo civitatis et diocesis Warmiensium et universis vassallis eiusdem ecclesie, Archiepiscopo Rigensi et Carolo Romanorum Imperatori etc.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia cod. chart. fol. 86.

DCCCCXXXIII.

Archiepiscopo Pragensi, ut litem inter episcopum Varmiensem et fratres hospitalis S. Mariae Teutonicorum componat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Olim fidedignis relatibus intellecto, quod inter bone memorie Iohannem Episcopum Warmiensem et dilectos filios Prepositum, Decanum et Capitulum ecclesie Warmiensis ex parte una, et Magistrum et fratres hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani super quibusdam terris, possessionibus et iuribus ad dictam ecclesiam, ut dicebatur, pertinentibus, et nonnullis aliis articulis ex altera orta fuerat materia questionis: Nos ex certis causis tibi dedimus per nostras litteras in mandatis, quatinus partes ipsas ad experiendum, transigendum et componendum super omnibus litibus et controversiis inter eos vertentibus coram te evocares, et super premissis omnibus, quantum posses, ad amicabilem concordiam et composicionem induceres, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut accepimus, ambe partes predicte de tuo beneplacito et consensu in dilectos filios Iacobum Engilgeri Officialem et Nicolaum Bonkonis Canonicum Wratislavienses, et Nicolaum Resenburg in Rosenburg, et Iohannem de Pusillia in Ylavia ecclesiarum Rectores, necnon nobiles viros Peregrinum de Rakewitz, et Moncelinum Zoldon, ac Henricum de Melsak et Iohannem de Leysa milites Pomezaniensis et Warmiensis diocesium, tanquam arbitros et arbitratores et amicabiles compositores, super omnibus litibus et controversiis huiusmodi compromiserunt: qui quidem arbitri compromissum huiusmodi acceptantes, auditis et examinatis testibus, quos utraque parcium predictarum super premissis producere voluit, et cognitis cause meritis, super nonnullis articulis pronunciarunt et suum arbitrium protulerunt, reliquis articulis et questionibus remanentibus indecisis. Et quia super aliis articulis huiusmodi dicti arbitri concordare non poterant, terminum compromissi huiusmodi usque ad festum beati Michaelis proxime preteriti prorogarunt, infra quem nichil penitus processerunt. Nos igitur cupientes litibus et controversiis huiusmodi finem imponi, fraternitati tue per apestolica scripta mandamus, quatinus, si prefati arbitri huiusmodi terminum dicti festi ad alium longiorem forsitan prorogarunt, eosdem arbitros ad decidendum huiusmodi controversias atque lites, et super eis suum arbitrium proferendum, prout iustum fuerit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam arceas et compellas. Si vero terminum huiusmodi nullatenus prorogarunt, et terminus compromissi huiusmodi sit elapsus, partes predictas ad compromittendum de novo in eosdem arbitros omnibus viis et modis, quibus scies et poteris, horteris, excites, moveas et inducas, et si compromissum huiusmodi de novo fecerunt, vel primum alium compromissum huiusmodi de novo fecerint, vel primum alium compromissum continuaverint, et partes ipse coram eisdem arbitris concordare nequiverint, tu eosdem arbitros auctoritate predicta compellas, ut super hiis in quibus partes ipse in facto discordaverint, testes, quos utraque parcium predictarum, et munimenta, que coram eis produxerint, recipiant, ac testes ipsos super articulis et capitulis, que exhibuerint, secundum interrogatoria a partibus ipsis exhibenda, alioquin iuxta datam eis a domino prudenciam summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, eciam sine consuetorum terminorum observacione examinent diligenter, ipsorum deposiciones et munimenta predicta transcribi fideliter faciendo, ac deposiciones et munimenta predicta, et alia, que in premissis egerint, sub eorum sigillis inclusa ad nostram presenciam quantocius transmittere non postponant, eisdemque partibus terminum peremptorium prefigant, quo per se vel procuratores ydoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis eorum causam huiusmodi concernentibus se nostro conspectui representent, auditure id, quod super hiis duxerimus ordinandum, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus de duabus dietis editis in concilio generali, necnon fel. recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, et de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, et aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, Seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, Aut si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per liiteras apostolicas etc. Datum Avinione vi. Id. Octobris. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. fol. 299.

DCCCCXXXIV.

Ducibus Lithuanorum, ut fidem catholicam accipere velint, subditosque suos ad idem faciendum invitent.

Gregorius episcopus etc. Nobilibus viris Oligerdo Magno et Kenstuto ac Lubardo fratribus ducibus Lituanorum, Viam veritatis agnoscere et agnitam custodire. Salvatoris nostri domini Ihesu Christi, qui de celis misericorditer descendit in mundum, ut salvos faceret omnes, qui credent in eundem, vices licet indigni tenentes in terris, omnium mortalium salutem, qui utique ab ipso domino sunt creati, precordialibus desideriis affectamus et solicitis studiis, prout nostre fragilitati conceditur, procuramus, et quod in hac parte per nos ipsos non possumus, per alias personas fideles et providas anhelantes satagimus adimplere. Advertentes igitur, inter vos et dilectos filios fratres domus sancte Marie Theotonicorum eorumque subditos, et nonnullos alios christianos durissimum et letale bellum temporibus viguisse ac vigere continue, gerimus in desiderio cordis nostri, quod vos et vester populus ad fidem catholicam, sine qua salus esse non potest, per ministerium predicatorum eiusdem fidei, sicut fecerunt hactenus et adhuc faciunt alie nationes quam plurime, voluntarie veniatis, quia illud sacrificium et obsequium eidem salvatori acceptabile redditur, quod a voluntate prebetur, sicque anime vestre et cunctorum Lituanorum per gratiam dei et eius veram fidem ac opera caritatis erute de potencia Sathane, qui per infidelitatis errorem et execranda opera detinet eas miserabiliter captivatas, eternaliter fiant salve, cessent bella, effusiones cruoris, mortes crudeles, captivitates impie, rapaces prede, servitutes miserabiles, labores gravissimi et incendia consumptiva aliaque mala innumera, que solent ex bellicis actibus evenire, fiatque pax individua inter vos ac fratres eosdem et alios christianos, ut quos una iunget fides, nulla possit presertim tam dira et prolixa discordia separare, sequatur optata tranquillitas, servetur mutua caritas, et utrinque dulcedo fraterne communionis accedat, opes amisse resurgant et supervenient ampliores, ac unitis in Christo celestia et terrestria preparentur, ceterisque infidelibus diabolica fraude deceptis imitativo demonstretur exemplo, quid felicitatis et gratie, quid consolationis et gaudii, quidve securitatis et pacis conversis successerit Lituanis, ac ceteris incredulis pandatur aditus in viam salutis dirigendi similiter gressus suos. Eapropter Nobilitatem vestram, quam optamus salvari, ac in presenti seculo apud omnes Christicolas ac demum in excelsis fieri gloriosam, caritative hortamur in domino, quatenus ad recipiendum dictam fidem vos et vestri subditi, quos ad hoc proinde inducatis, vestros disponatis animos humiliter et devote. Nos enim, si in hoc volueritis exhibere consensum, viros religiosos in lege divina eruditos ad predicandum vobis fidem prefatam et alia, que ad animarum vestrarum salutem spectabunt, ac ad tractandum auctoritate apostolica veram et firmam concordiam cum dictis fratribus et omnibus aliis christianis, qui magisterio sancte catholice et apostolice ecclesie intendunt fideliter, cum oportuna potestate curabimus destinare, super quibus vobis plenius exponendis dilecto filio Dobrogestio Preposito ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, Capellano et familiari Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie et Polonie Illustris, latori presencium, de nostra intencione informato plenarie, velitis fidem plenariam adhibere. Datum Avinione x. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. fol. 90.

DCCCCXXXV.

Ludovico regi Hungariae et Poloniae, ut pro conversione Lithuanorum laborare sollicite velit.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, sal. etc. Cum tua devota serenitas ad ampliacionem catholice fidei libenter intendat, nosque experiri optemus conversionem Lituanorum infidelium tuo Regno Polonie vicinorum, de qua nobis spes aliqualis est data, et propterea ducibus eorundem Lituanorum scribamus secundum tenorem presentibus interclusum: serenitatem eandem, quam in hac parte credimus velle ac posse utiliter operari, confidenter requirimus attentiusque rogamus, quatenus ob reverenciam dei et amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute, nostrorumque adiectione precaminum velis in hoc viis et modis, quibus poteris, solicitis studiis laborare, nosque informare de hiis, que circa id crederis esse per sedem apostolicam faciendum. Super quo dilecto filio Dobrogostio Preposito ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, latori presencium, digneris fidem indubiam adhibere. Datum Avinione x. Kal. Novembris. Anno Tercio.

In e. m. Elisabeth Regine Polonie et Wladislao Duci Opuliensi.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. fol. 89.

DCCCCXXXVI.

Semovito duci Masoviensi super eodem argumento.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Semovito Duci Mazoviensi, salutem etc. Ex verbis dilecti filii Dobrogestii Prepositi Cracoviensis ecclesie, decretorum doctoris, latoris presentium, audivimus iocundanter, quod tu zelo fidei orthodoxe ignitus ipsius ampliacionem, et specialiter couversionem infidelium Lituanorum viciuorum tuo Ducatui toto corde desideras, et quod pro illa, si sperares proficere, solicitis studiis laborares. Proinde igitur tuam devocionem multipliciter in domino commendantes, Nobilitati tue notum facimus, quod ducibus dictorum Lituanorum pro ipsorum suique populi conversione scribimus secundum tenorem presentibus interclusum, Nobilitatem eandem rogantes attentius et hortantes, quatinus pro dicta conversione omnibus modis, quibus poteris, ob reverenciam dei et amorem dicte fidei, ac pro anime tue salute et ob nostrarum precum adiectiouem velis efficaciter laborare, nosque informare de hiis, que circa hoc videris expedire, dicto Preposito super hiis, que tibi iu huiusmodi sancto negocio ex parte nostra narraverit, fidem plenariam adhibendo. Datum Avinione x. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anuo Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. fol. 89.

DCCCCXXXVII.

Arnoldo de Culmaria beneficium ecclesiasticum in dioecesi Tarbatensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Arnoldo de Culmaria subdiacono Rigensis diocesis, Baccalario in legibus, salutem etc. Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimouio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gracias liberales. Volentes itaque tibi premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, personatum seu officium cum cura vel sine cura, si qua, si quis aut si quod in ecclesia Tarbatensi vacat ad presens, vel cum vacaverit, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in ipsa ecclesia non existat, quam vel quem seu quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem vacatio illius innotuerit, duxeritis acceptandam vel acceptandum, conferendam vel conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Tarbatensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in dicta ecclesia dignitatuum vel personatuum aut officiorum collatio, provisio, presentacio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de huiusmodi dignitate, personatu vel officio interim etiam ante acceptacionem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam vel illum seu illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scieuter vel ignoranter coutingeret attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis etc. Datum Avinione ii. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia cod. chart. fol. 198.

DCCCCXXXVIII.

Ioanni de Essendi de canonicatu in ecclesia Tarbatensi providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanui de Essendi Canonico Tarbatensi, salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Cum itaque nuper dilecto filio Voldemaro de Rosen, Thesaurario ecclesie Tarbatensis, de prepositura ipsius ecclesie, que tunc certo modo vacare sperabatur, per nostras litteras mandaverimus provideri, et propterea quam primum ipse dictarum litterarum vigore dicte prepositure fuerit possessionem pacificam assecutus, Thesauraria eiusdem ecclesie, quam idem Voldemarus tunc temporis obtinebat, prout obtiuet, vacare speretur: Nos volentes tibi, qui, ut asseris, in iure Canonico pluribus annis studuisti, et carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti familiaris existis, premissorum intuitu graciam facere specialem teque in eadem ecclesia amplius honorare, prefatam Thesaurariam, que simplex officium existit, cum eam premisso vel alio quovismodo preterquam per ipsius Voldemari obitum vacare contigerit, conferendam tibi cum omni-

bus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Tarbatensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos ipsius Thesaurarie collatio, provisio, presentacio seu quevis alia disposicio pertinet etc. Non obstantibus quibuscunque statutis etc. Datum Avinione Nonis Novembris. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia cod. chart. fol. 188.

DCCCCXXXIX.

Syfrido archiepiscopo Rigensi privilegium ecclesiae suae ab Innocentio PP. III. collatum transcribitur.

Gregorius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Tenorem quarundam litterarum felicis recordacionis Inuocencii pape III. predecessoris nostri in Regestris ipsius predecessoris repertum pro eo, quod sicut exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Syfridi Archiepiscopi Rigensis peticio continebat, predicte originales littere, quibus dictus Archiepiscopus se asserit indigere, casualiter amisse sunt, de Regestro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Archiepiscopi supplicacionis instanciam fecimus presentibus annotari: qui talis est. Innocencius episcopus servus servorum dei, Universis Christifidelibus in Saxonia et Guestfalia constitutis. Sicut ecclesiastice religionis censura compelli non patitur ad credendum invitos, sic sponte credentibus apostoliea sedes, que mater est omnium generalis, munimine sue protectionis indulget, et fideles ad defensionem eorum salubribus monitis exhortatur, ne si nuper conversis negatum fuerit defensionis auxilium, vel in primos revertantur errores, vel eos saltem peniteat credidisse. Accepimus enim, quod cum bone memorie M. Episcopus Livonensis fuisset provinciam Livonensem ingressus, in verbo domini laxans predicacionis sue retia in capturam inter populos barbaros, qui honorem deo debitum animalibus brutis, arboribus frondosis, aquis limpidis, virentibus herbis et spiritibus immundis impendunt, usque adeo domino concedente profecit, ut multos a suis erroribus revocatos ad agnicionem perduceret veritatis, et sacri baptismatis unda renatos doctrinis salutaribus informaret. Verum inimicus homo, qui tamquam leo rugiens circuit, querens quem devoret, invidens conversioni eorum pariter et saluti, persecucionem paganorum circumadiacencium in eos iniquis suggestionibus excitavit, cupiencium eos debere de terra et de partibus illis christiani nominis memoriam abolere. Ne igitur nostre negligencie valeat imputari, si hii, qui iam crediderunt, retro cogantur abire, ne presumant aliqui fidem nostram recipere, si illi, qui iam receperunt, a paganorum incursibus remaneant indefensi, Universitatem vestram monemus et hortamur attencius, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus, nisi pagani circa Livonensem ecclesiam constituti cum christianis treugas inire voluerint, et initas observaverint, ad defensionem christianorum, qui sunt in partibus illis, potenter et viriliter in nomine dei exercituum assurgatis. Nos autem omnibus de partibus vestris, qui sanctorum limina visitare voverunt, presencium auctoritate concedimus, ut in voti commutacione emissi in defensionem Livonensis ecclesie ad partes illas pro reverencia nominis christiani procedant. Omnes siquidem, qui ad defendendam Livonensem ecclesiam, et christianos in illis partibus constitutos divino zelo succensi duxerint transeundum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et eis apostolici patrocinii beneficium impartimur. Datum Laterani III. Nouas Octobris. Pontificatus nostri Anno Secundo. Ceterum ut earundem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim, eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, que haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque et ubicunque, sive in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense: per hoc autem nullum ius alicui de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostre constitucionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II. Non. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XIX. cod. chart. fol. 363.

DCCCCXL.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Decano ecclesie Warmiensis, salutem etc. Mandat ei, ut Iohanni de Buco clerico Camiuensi de canonicatu et prebenda in ecclesia Warmiensi provideri curet. Datum Avinione Id. Maii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Sambiensi, salutem etc. Ut Ambrosio nato nobilis viri Tustyn de Wargen domicelli, clerico Sambiensi, canonicatum in ecclesia Tarbatensi conferri curet. Datum Avinione iv. Non. Iulii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Cracoviensi, sal. etc. Ut Iohanni nato nobilis viri Petri de Sczekoczini comitis Sandeczensis, clerico Cracov. canonicatum in eccl. Cracoviensi consideratione et precibus Ludovici regis Ungarie et Elisabethe ipsius regis matris conferri curet. Dat. ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Alberto Alexii clerico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi, de nobili genere ex utroque parente procreato, consideratione Elisabethe senioris regine Ungarie beneficium ecclesiasticum in ecclesia Gneznensi. Datum Avinione xi. Kal. Aprilis. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Kettener diacono Sambiensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in ecclesia Warmiensi. Datum Avinione iv. Non. Iulii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Gregorio Raczegi Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et prebendam in dicta ecclesia, vacantes per obitum Iohannis de Chatlupa. Datum Avinione Kal. Iulii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . S. Marie in Arena Wratislaviensis et . . . de Claratumba Cracoviensis diocesis monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Ut Derslaum natum nobilis viri Sangnei de Przesvod domicelli, clericum Cracoviensem, in pacifica possessione canonicatus et prebende in ecclesia Cracoviensi, quos Zagotha Sambonis de Parzolchovicze indebite detinet, defendant. Datum Avinione iii. Id. Octobris. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Pyczoni nato quondam Swanchoslai de Moglicz, Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum et prebendam, quos Henricus Sag, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, obtinebat. Datum Avinione viii. Kal. Novembris. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis de Claratumba et de Antiquobrzesko Cracoviensis diocesis monasteriorum Abbatibus ac Preposito ecclesie S. Marie Cracoviensis, salutem etc. Ut Petro Pauli de Coprilwiniczia provideant de parrochiali ecclesia in Bikupite Cracoviensis diocesis. Datum Avinione iv. Id. Novembris. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Ut Ivoni Nicolai de Slaucovia Canonico Poznaniensi archidiaconatum Poczemensem in eadem ecclesia, quem quondam Nicolaus Czebulk obtinebat, conferri curet. Datum Avinione Non. Februarii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Alberto Nicolai de Lodza archidiac. Cirvensi in ecclesia Poznaniensi, sal. etc. Confert ipsi archidiaconatum Cirvensem. Dat. Avinione Kal. Aprilis. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iarmido Nicolai de Bolszowa Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi in dicta ecclesia canonicatum vacantem per obitum Andree de Czarnotino. Datum Avinione iv. Id. Iulii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Michaeli Stanislai de Mescow Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia vacantem per obitum Petri de Gostina. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis Id. Iunii. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Kundebeke de Dulmen Canonico Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi cononicatum in dicta ecclesia vacantem per obitum Andree Boskul. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis iv. Id. Augusti. Anno III.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Lemberga monacho monasterii S. Huberti in Ardena ord. S. Benedicti Leodiensis dioc. salut. etc. Indulget ipsi, ut de monasterio Vallisdei Cisterc. ord. Leodiensis dioc. ad ord. S. Benedicti transire possit. Dat. Avinione iii. Non. Novembris. Anno III.

Ex Reg. orig. An. III. Tom. XVI. cod. chart. fol. 47, 92, 122, 152, 382, 406, 418, 479, 525. et Tom. XVIII. fol. 215, 453, 456, 465.

DCCCCXLI.

Praeposito Vratislaviensi, ut controversiam inter rectorem parochialis ecclesiae in Slyzav Vratislaviensis dioecesis et episcopum Lubucensem de quibusdam decimis componat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Preposito ecclesie Wratislaviensis, sal. etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Symonis Rectoris parrochialis ecclesie in Slyzaw Wratislaviensis diocesis petitio continebat, quod licet perceptio omnium decimarum proventuum a fructibus excrescentibus

in alodyo, predio ecclesie Lubucensis nuncupato, infra limites parrochialis ecclesie in Slyzaw consistenti, ad Rectorem eiusdem ecclesie pro tempore existentem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinere noscatur, et tam idem Symon Rector dicte ecclesie, quam predecessores sui eiusdem ecclesie Rectores, qui fuerunt pro tempore, fuerint in possessione pacifica vel quasi iuris percipiendi huiusmodi decimas a tempore, cuius contrarii memoria non existit, tamen venerabilis frater noster Petrus Episcopus Lubucensis, qui huiusmodi predium sive alodium certis agricultoribus pro certa annua pensione locasse dicitur, talem cum dicto Rectore, ipsius diocesani non accedente consensu, celebravit contractum, videlicet quod idem Rector dictos agricultores pro certa parva parte huiusmodi fructuum ab omni solutione decimarum pro se ac suis successoribus imperpetuum quittos et liberatos dimitteret, idemque Symon Rector ex inductione et persuasione tamquam homo simplex et iuris ignarus in hoc consensit, ac nonnulla instrumenta publica super huiusmodi contractu pro parte dicti Episcopi de facto confecta extiterant. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Rector motus consciencia ac saniori ductus consilio prefatam suam ecclesiam in premissis cognoscat enormiter fore lesam, pro parte dicti Rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerunt evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, summarie et de plano ac sine strepitu iudicii et figura, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante, si eidem Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione v. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XX. cod. chart. fol. 336.

DCCCCXLII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut contra quemdam presbyterum nonnullos errores spargentem secundum canones procedat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Plurium fidedignorum relatibus nuper ad nostrum pervenit auditum, quod quidam Milleczius presbiter olim Canonicus Pragensis sub specie sanctitatis spiritu elationis et temeritatis assumpto, et predicationis officio, quod sibi non competit, usurpato, nullos errores non solum temerarios et iniquos, sed etiam hereticos et scismaticos, utique nimium scandalosos et periculosos fidelibus, presertim simplicibus dicere et publice predicare in tuis civitate et diocesi Gneznensi presumpsit hactenus et presumit, nonnullas personas utriusque sexus ad eius sectam, quam damnabiliter inchoavit, ac in errores detestabiles et reprobandos actus in derogationem catholice fidei et contemptum sacrorum canonum inducendo, prout in quibusdam articulis scriptis in cedula, quam sub bulla nostra tibi mittimus, continetur. Nos igitur de hiis, si vera sint, merito condolentes ab intimis, cum non sint aliquatenus toleranda, et de negligencia tue fraternitatis et aliorum antistitum, in quorum civitatibus et diocesibus idem Milleczius et sui complices conversantur, ac Inquisitorum heretice pravitatis in illis partibus deputatorum, quod contra tales adversus dictam fidem temere insurgentes et premissa detestabilia presumentes, si ita sit, non processistis, prout tenemini, et nobis de premissis nichil notificare curastis, plurimum admirantes, eidem fraternitati per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus auctoritate nostra de premissis te plenarie informes, et si invencris ita esse, adversus prefatos Milleczium et sequaces ac fautores eorum, si sint in tuis civitate vel diocesi prelibatis, procedas secundum canonicas sanctiones, ac errores contentos in dicta cedula publice in predicationibus reprobes, ac per clericos seculares et religiosos peritos in lege domini facias reprobari, Contradictores etc. invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante, si alicui vel aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione Idibus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Venerabilibus fratribus Wratislaviensi, Luthomuslensi, Olomucensi et Cracoviensi Episcopis te Archiepiscopo Pragensi.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. de Curia fol. 1.

DCCCCXLIII.

Carolo imperatori Romanorum super eodem argumento.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto et Boemie Regi, salutem etc. Plurium fidedignorum relatibus etc. ut in precedenti usque continetur. Nos igitur de hiis, si vera sint, merito condolentes ab intimis, cum non sint aliquatenus toleranda, Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Pragensi ac Wratislaviensi, Luthomislensi et Olomucensi Episcopis, in quorum civitatibus et diocesibus ipse Melleczius et sui sequaces plurimi esse dicuntur, precipiendo mandamus, quod de premissis contentis in dicta cedula contra eosdem Milleczium et sequaces diligenter inquirant, et si ea reppererint esse vera, super ipsis secundum canonicas sanctiones, et prout ad eorum spectat officia, auctoritate nostra iusticie debitum exequantur. Quare devotam serenitatem tuam catholice fidei ac iusticie zelatricem requirimus et rogamus attencius, quatenus prefatis Archiepiscopo et Episcopis contra iam dictos Milleczium ac sequaces et fautores eorum liberaliter ac prompte prebeas tuum brachium seculare, cum ipsi Archiepiscopus et Episcopi, seu eorum aliquis ad hoc te duxerint requirendum, ut regnum et terre tua predicta a talibus maculis celeriter et totaliter expurgentur, ac prout hactenus fuerunt, consistant in dicte fidei claritate. Datum Avinione iv. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Secret. de Curia fol. 12.

DCCCCXLIV.

Ioannes ecclesiae Gnesnensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Gneznensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacantium et inantea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Gneznensi ex eo apud dictam sedem vacante, quod venerabilis frater noster Iaroslaus Episcopus tunc Archiepiscopus Gneznensis regimini eiusdem ecclesie Gneznensis, cui tunc preerat, per dilectos filios Nicolaum Scolasticum Wladislaviensis et Pretzlaum Maucive Canonicum dicte Gneznensis ecclesiarum procuratores ipsius Iaroslai, ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habentes, in manibus dilectorum filiorum nostrorum Guillermi tituli sancti Stephani in Celiomonte et Guillermi tituli sancti Clementis presbiterorum Cardinalium apud dictam sedem libere et sponte cessit, dictique Cardinales cessionem huiusmodi de speciali mandato nostro facto eis super hoc oraculo vive vocis apud eandem sedem admiserunt: Nos ad provisionem eiusdem ecclesie Gneznensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Gneznensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Gneznensi personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Decanum ecclesie Cracoviensis, in sacerdocio constitutum, cui de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione ac aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, pro quo eciam dilecti filii Capitulum ipsius Gneznensis ecclesie per eorum litteras nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Gneznensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Gneznensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dicta Gneznensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria in eisdem spiritualibus

et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte ecclesie Gneznensis suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et eciam studiosum, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Kal. Maii. Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Gneznensis, Clero et populo civitatis et diocesis Gneznensium, universis Vassallis eiusdem ecclesie, et universis Suffraganeis ecclesie Gneznensis etc.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia cod. chart. fol. 61.

DCCCCXLV.

Idem electus Gnesnensis Ludovico regi Poloniae et Hungariae commendatur.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Ungarie et Polonie Regi Illustri, salutem etc. Gratie divine premium et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares principes prelatis, presertim ecclesiarum Cathedralium regimini presidentibus oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Dudum siquidem etc. usque incrementum. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari, Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Electum et prefatam ecclesiam Gneznensem sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Electus tue celsitudinis fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propicio, prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum ut supra.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia cod. chart. fol. 61.

DCCCCXLVI.

Iaroslao episcopo olim archiepiscopo Gnesnensi e mensa archiepiscopali quorumdam bonorum ususfructus ad vitam conceditur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iaroslao Episcopo olim Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Etsi apostolice sedis benignitas cunctis indigentibus consueverit sue pietatis gremium aperire, prelatis tamen et maxime pontificali dignitate preditis in eorum opportunitatibus, ne ipsorum status decenciam temporalium rerum defectus obnubilet, libenter sue munificentie gratiam impertitur. Cum itaque dudum propter debilitatem persone tue regimen ecclesie Gneznensis, cui tunc preeras, in manibus dilecti filii nostri Guillelmi tituli sancti Stephani in Celiomonte, ac bone memorie Guillelmi tituli sancti Clementis presbiterorum Cardinalium per procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum sponte ac libere apud sedem apostolicam cessisse noscaris, ac cessione huiusmodi per dictos Cardinales apud dictam sedem de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis admissa, nos eidem ecclesie per huiusmodi cessionem vacanti Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Archiep̃um Gneznensem preficiendum duxerimus in Archiep̃um et pastorem: pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut ne tu propter cessionem huiusmodi carens redditibus opportunis cogaris in opprobrium pontificalis dignitatis tuique status decencie mendicare, tibi super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque volentes propterea tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi usumfructum de locis infrascriptis in Gneznensi et Wladislaviensi diocesibus consistentibus, videlicet de loco seu dominio Oppatow cum maldratis, decimationibus et fertonibus in territorio Kalisiensi usque ad fluvium Wartha, Item Gosezonow, Item de villis in Pomerania consistentibus, videlicet Grotzno et Cireknicia, et de oppido Camen cum Polonicali Cireknicia et cum districtibus et villis suis, necnon omnibus et singulis iuribus et pertinentiis, decimationibus et pecuniis ibidem quomodocumque provenientibus una cum iure patronatus beneficiorum ecclesiasticorum inibi consistentium, prout hactenus ad mensam Archiepiscopalem Gneznensem spectare consueverunt, pro alimentis tuis, quamdiu vixeris, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus, constituimus et etiam assignamus, tibi possessionem locorum, villarum et opidi predictorum cum eorum iuribus et pertinenciis universis supradictis, sicut ad prefatam mensam Archiepiscopalem Gneznensem pertinent, pro usufructu huiusmodi adipiscendi et retinendi eadem auctoritate potestatem concedentes, Non obstantibus quibuscumque apostolicis et aliis constitutionibus, seu statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmi-

tate alias roboratis, necnon quibuscumque privilegiis seu indulgentiis a sede apostolica qualitercumque concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in litteris nostris mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre concessionis, constitutionis, assignationis et voluntatis infringere etc. Datum Galloni Arelatensis diocesis XVII. Kal. Iunii. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Indulg et Privileg. ep. 44. fol. 14.

DCCCCXLVII.

Officiali Gnesnensi, ut Ioanni de Traulang canonico Plocensi canonicatum et praebendam in ecclesia Gnesnensi conferri curet.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Gneznensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnes Canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, tunc apud sedem apostolicam vacantia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Canonicatus et prebenda ecclesie Gneznensis, quos venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Gneznensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Gneznensem tunc vacantem obtinebat, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis eidem Iohanni Archiepiscopo de mandato nostro apud sedem predictam impensum [eidem], apud eandem sedem vacaverint et vacent ad presens, nullusque preter nos hac vice de dictis Canonicatu et prebenda disponere potuerit neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes dilectum filium Iohannem Andree de Tranlang Canonicum ecclesie Plocensis, qui, ut asseritur, ex utroque parente nobilibus genitus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate, aliisque virtutum suarum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favoribus prosequi gratiosis, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si post diligentem examinationem dictum Iohannem, in presbiteratus ordine constitutum, ad hoc ydoneum esse repereris, super quo tuam consciencia oneramus, predictos Canonicatum et prebendam, quorum fructus, redditus et proventus triginta florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Iohanni auctoritate nostra conferre et assignare procures, inducens per te vel alium seu alios eundem Iohannem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto ab eis quolibet detentore, ac faciens ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad dictam prebendam in eadem ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine Iuris Canonici assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Gneznensis contrariis etc. Datum apud Orgonum Avinionensis diocesis III. Nonas Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia fol. 334.

DCCCCXLVIII.

Executoribus, ut Vromoldo de Vifhusen canonicatum in ecclesia Tarbatensi conferri curent.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Osiliensi, et dilectis filiis ... Thesaurario Osiliensis ac Hermanno Bicheshonet Canonico Rigensisi ecclesiarum, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Vromoldus de Vifhusen, perpetuus Vicarius in terra Tarbatensi, apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus et prebenda ipsius ecclesie, quos quondam Iohannes Rutembeke ipsius ecclesie Canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Iohannis obitum, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens: Nos volentes dictum Vromoldum, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari prosapia procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu, necnon consideratione dilecti filii nostri Petri sancte Marie in Vialata dyaconi Cardinalis, pro dicto Vromoldo dilecto familiari suo continuo commensali nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratie specialis,

discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prefatos Canonicatum et prebendam, etiam si sint dispositioni apostolice specialiter reservati, sicut premittitur, [vacant,] et tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, eidem Vromoldo cum plenitudine Iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende iuriumque et pertinenciarum predictorum eadem auctoritate, et defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes eum vel dictum procuratorem pro eo ad dictam prebendam in eadem ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis etc. Datum Novis Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septembris. Anno Quarto.

Ex reg. orig. An. IV. de Curia fol. 289.

DCCCCXLIX.

Archiepiscopo Pragensi, ut inter episcopum Cracoviensem et praepositum S. Mariae Cracoviensis concordiam instauret.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Pragensi, salutem etc. Cum dudum dilectus filius Helias de Vodrono Cantor ecclesie Xanctonensis, Clericus Camere apostolice, tunc in Ungaric, Alamannie et nonnullis aliis partibus apostolice sedis nuncius, Venerabilem fratrem nostrum Florianum Episcopum Cracoviensem, et dilectum filium Nicolaum de Curiuk Prepositum ecclesie sancte Marie Cracoviensis, ad exigendum et levandum decimam, per nos personis ecclesiasticis parcium earumdem pro necessitatibus nobis et Romane ecclesie imminentibus dudum impositam, auctoritate nostra duxerit deputandos, et sicut accepimus, inter ipsos Episcopum et Prepositum gravis fuerit exorta discordia, propter quod negocia eis commissa remanent incompleta: nos super hoc providere volentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus prefatos Episcopum et Prepositum, quos et eorum quemlibet ad presenciam tuam, si tibi videbitur, personaliter evoces, auctoritate nostra concordes, et ad concordiam huiusmodi faciendam per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, de quibus tibi videbitur, ad exequendum et explendum negocia eis per dictum Heliam commissa compellas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus constitucionibus apostolicis de una et de duabus dietis, et aliis contrariis quibuscumque, seu si eisdem Episcopo et Preposito vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis Nonis Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Cam. Tom. VIII. cod. chart. fol. 51.

DCCCCL.

Ioanni decano Pragensi, ut praedictos episcopum et praepositum etc. ad rationem decimarum etc. reddendam compellat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Decano ecclesie sancti Apolinaris Pragensis, licentiato in decretis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Florianus Episcopus Cracoviensis, et dilecti filii Nicolaus de Curiuk Prepositus sancte Marie Cracoviensis, nec non Nicolaus Sciolert Cantor Poznaniensis ecclesiarum ad hoc per dilectum filium Heliam de Vodrono Cantorem ecclesie Xanctonensis, Clericum Camere nostre apostolice, tunc in partibus illis apostolice sedis nuncium, deputati, varias pecuniarum summas et alias de decimis per nos personis ecclesiasticis dictarum parcium pro necessitatibus nobis et ecclesie Romane imminentibus, et eciam de subsidiis et procuracionibus alias ibidem auctoritate apostolica impositis, nec non de spoliis et bonis condam Arnaldi de Caucina Scolastici ecclesie Cracoviensis, fructuum et proventuum Camere apostolice in illis partibus debitorum collectoris, ac de denario sancti Petri et aliis quampluribus iuribus ad predictam Cameram nostram pertinentibus receperint: nos de circumspectione tua plurimum in domino confidentes, convocandi predictos Episcopum, Prepositum et Nicolaum Cantorem et eorum quemlibet in civitate Pragensi seu Wratislaviensi, aut alio loco convenienti, de quo tibi videbitur, ac ipsorum et cuiuslibet

eorum computa et raciones, vocato ad hoc dilecto filio Petro Stephani Canonico Agriensi, apostolice sedis nuncio, seu deputato ab eo, de omnibus et singulis per eos receptis recipiendi, audiendi et examinandi, ac huiusmodi computa et ractiones approbandi vel reprobandi, ipsosque et eorum quemlibet (compellendi) ad prestandum seu solvendum ea, in quibus predicte Camere tenentur, per censuram ecclesiasticam, et eciam per captionem et detencionem personarum, si tibi videbitur, citandi quoque ipsos et corum quemlibet, si expedire videbis, ut infra certum terminum peremptorium competentem, quem eis prefixeris, sedis apostolice conspectui personaliter se representent, facturi et recepturi pro premissis, prout iusticia suadebit, non obstantibus constitucionibus apostolicis de una et de duabus dietis et aliis contrariis quibuscumque, discrecioni tue plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem, ac volumus, quod quicquid in premissis feceris, nec non diem citacionis huiusmodi et formam, si eam per te fieri contingat, per tuas patentes litteras manu publica confectas, tuoque sigillo sigillatas nobis quantocius intimare non tardes. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis Nonis Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. VIII. cod. chart. fol. 55.

DCCCCLI.

Ioannes ecclesiae Rigensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Rigensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacantium, et inantea vacaturarum ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Rigensi Premonstratensis ordinis per obitum bone memorie Siffridi Archiepiscopi Rigensis, qui apud sedem predictam debitum nature persolvit, apud sedem ipsam vacante, Nos ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Priorem eiusdem ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, pro quo etiam dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie per suas patentes litteras nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Rigensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dicta ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et etiam fructuosum, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione x. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Rigensis Premonstratensis ordinis, Clero et populo civitatis et diocesis Rigensium, universis Vassallis et Suffraganeis ecclesie Rigensis, ut eidem Iohanni electo obedientiam et reverentiam debitam et devotam exhibeant etc.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia cod. chart. fol. 77.

DCCCCLII.

Henricus de Slesvicensi ad Osiliensem ecclesiam transfertur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Henrico Episcopo Osiliensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut iuxta cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providenciam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, et ecclesiis ipsis votive properitatis afferat incrementa. Dudum siquidem bone memorie Conrado Episcopo Osiliensi regimini Osiliensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contigerit, per operationis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie nostre ordinacioni et provisioni ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Conradi Epi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, et nos, vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Epum Sleswicensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, sicut testimoniis fidedignis accepimus, divina gracia insignivit, et quod tu, qui regimini Sleswicensis ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, dictam Osiliensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam dicte Osiliensi ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo eidem Slewicensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam Osiliensem ecclesiam auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem dicte Osiliensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad eandem Osiliensem ecclesiam transeundi, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opera illius clemencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prelibate Osiliensi ecclesie per tuam diligentem solerciam, tuumque ministerium curiosum honoris et prosperitatis multiplicium votiva provenient incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Osiliensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administracionem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod ipsa Osiliensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus actibus tuis lacius difundatur, tuque preter eterne retribucionis premium nostre benedictionis augmentum, ac sedis predicte graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione x. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Capitulo, Clero, et populo ecclesie et civitatis Osiliensium et universis Vassallis ecclesie Osiliensis et Archiepiscopo Rigensi, ut eidem Episcopo reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. IV. de Curia cod. chart. fol. 83.

DCCCCLIII.

Abbati monasterii Polplinensis Vladislaviensis dioec. ut de causa Nicolai Mutbekeze presbyteri eiusque patris contra archidiaconum Dyminensem Caminensis dioecesis inquirat et decernat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati monasterii Polpelyn Vladislaviensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Nicolai Muthekeze presbiteri et Hinrici ipsius presbiteri patris laici Caminensis diocesis peticio continebat, quod dilectus filius Woldemarus de Podbuske archidyaconus Dyminensis in ecclesia Caminensi sepius fictis et obrectis falsis causis sub sua iurisdictione infra archidyaconatum suum Dyminensem in eadem ecclesia, et presertim dictos presbiterum et laicum per se et per Thidericum Budden et alios suos officiales aggravare, et eis quam plures tal-

lias imponere non veretur, et quod dudum dilectus filius Eghardus de Gnogen clericus tunc officialis dicti archidyaconi prefatum Henricum ad perhibendum testimonium in quadam causa tunc coram eodem officiale vertente citari mandavit atque fecit, ipsumque Henricum quamvis quemdam filium suum carnalem ad excusandum, cum gravi infirmitate detinetur, ad ipsum officialem destinasset, variis sentenciis multipliciter aggravavit et ultra quam centum florenis eum dampnificavit, quodque prefatus archidyaconus huiusmodi iurisdictionem ad eum ratione dicti archidyaconatus pertinentem sepius locavit atque locat, et dudum iurisdictionem ipsam dilecto filio Bernardo Rozenow plebano loci Dyminensis dicte diocesis pro certis pecuniis ad certum tempus locavit, qui per quemdam eius substitutum prefatos presbiterum et laicum multipliciter aggravavit, et cum dicto substituto eisdem graves intulit iniurias, a quibus quidem gravaminibus prefati presbiter et laicus ad sedem apostolicam, vel ad venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum Caminensem disiunctive appellarunt, sed idem Episcopus pro parte dictorum presbiteri et laici requisitus, eis in premissis de oportuno remedio providere non curavit: quare pro parte dictorum presbiteri et laici nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum etiam dictus archidyaconus ex eo, quod prefati presbiter et laicus ab eo sive a suis officialibus a pluribus gravaminibus per ipsum irrogatis ad predictam sedem appellarunt, contra eos sit motus, ipsis tam in huiusmodi appellationum causis, quam super quibuscunque aliis iniuriis et gravaminibus eis per dictum archidyaconum per Thidericum et Bernardum et alios officiales predictos irrogatis, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante, si eisdem archidyacono, officiali et plebano vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione VI. Kalendas Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XX. cod. chart. fol. 386.

DCCCCLIV.

Eidem, ut de causa Nicolai Muthekeze eiusque patris contra quosdam nobiles Caminensis dioec. inquirat et decernat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati monasterii Polpelyn Vladislaviensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Nicolai Muthekeze presbiteri et Hinrici Muthekeze senioris ipsius Nicolai patris, laici crucesignati Caminensis diocesis, petitio continebat, quod dilecti filii Ulricus Moltzan et Hartwicus Wucsenicze milites, Nicolaus Vos, Gherardus Stal, Ludolfus Hanc, Ulricus Moltzan, Vicko Monckedorp, Richardus Vos, Hartwicus Breyde et Ludolphus Lankow, armigeri dicte diocesis, eisdem presbitero et laico communiter certas pecuniarum summas dare et solvere ex causa mutui legitime tenentur, et quod prefati milites et armigeri huiusmodi pecuniarum summas eisdem presbitero et laico dare et solvere indebite contradicunt; preterea dilecti filii Hinricus Babersin, Hennike Schonow, Kuzegarde senior, Nicolaus Ghelder, Thymmo Schutte, Henninghus Kule, Ludolphus Swinckendorp armigeri, Nicolaus Cleri et Thidericus Burowe laici dicte Caminensis et Zwerinensis diocesium, associatis sibi quibusdam eorum in hac parte complicibus, prefatos presbiterum et laicum nonnullis equis, omnibus pecuniarum summis, vestibus et rebus aliis ad eosdem presbiterum et laicum communiter pertinentibus nequiter spoliarunt, et alias eis iniurias et dampna irrogarunt, propter que noti dicti laici executio impeditur: quare pro parte presbiteri et laici predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis in premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus etc. Datum Avinione III. Nonas Novembris. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XX. cod. chart. fol. 387.

DCCCCLV.

Iudicibus, ut de causa Arnoldi Langen clerici dioecesis Varmiensis contra quosdam nobiles dictae dioecesis inquirant, et contra eosdem culpabiles usque ad excommunicationem procedant.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . in Unckow et . . . in Oliva ac . . . Polpelin Caminensis et Wladislaviensis diocesium monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Dudum per fel. recordationis Urbanum papam V. predecessorem nostrum accepto, quod nonnulli diversarum partium principes, marchiones, duces, comites, barones et alii nobiles, necnon potestates, capitanei, bailivi, scabini, advocati, rectores, iudices, consules aliique officiales et consiliarii civitatum, opidorum, castrorum, terrarum et aliorum locorum, aliique layci et laicales persone dominium seu iurisdictionem in temporalibus obtinentes, necnon ipsarum civitatum communia ac opidorum, castrorum, terrarum et aliorum locorum universitates non attendentes, quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas nulla est attributa potestas, ipsos clericos et personas ecclesiasticas temeritate propria bannire, seu relegare aut proscribere non verebantur, ipse predecessor omnes et singulos talia presumentes aut ea fieri mandantes, seu eorum nomine vel mandato facta rata habentes, vel in eis faciendis dantes consilium, auxilium vel favorem, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, status vel conditionis existerent, si singulares persone essent, eorum videlicet singulas, et si communia vel universitates forent, omnes et singulos eorundem communium et universitatum potestates, capitaneos, bailivos, scabinos, advocatos, rectores, iudices et consules ac officiales quoscunque, quocunque nomine censerentur, ac consiliarios et privatas personas, que huiusmodi sacrilegii principaliores patratores existerent, excommunicationis sentenciam incurrere, necnon quelibet eorumdem communium et universitatum talia presumentium civitates, opida, terras, castra et alia loca ecclesiastico interdicto subiacere voluerit ipso facto, et quod nullus ab eisdem sentenciis per alium quam per Romanum pontificem, preterquam in mortis articulo, posset absolvi, nec interdictum huiusmodi per alium eciam relaxari. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Arnoldi dicti Langen clerici Warmiensis diocesis peticio continebat, (quod) Gerhardus Rudolfi, Schiphus Willer, Iohannes Kremer, Mattias Kistenbuk, Iohannes Trumpe, Iohannes Schottele, Conradus Rode, Conradus Rudolfi, Kalganus de Huntenberg, Nicolaus Brezeke consules, necnon Iohannes de Hamme, Iohannes Rudolfi proconsules opidi Brunsberg dicte diocesis, in reprobum sensum dati, ad instanciam Iohannis de Helsberg presbiteri, Nobilium virorum Henrici de Crummetich, Iohannis de Traupe, Hermanni de Bludow, Ebirhardi de Bludow, Conradi de Appelow militum, Tilonis de Rogiten, Gunteri et Tilonis dictorum Guntirssone fratrum, Nicolai et Iohannis dictorum Nickilsson fratrum, Hanniconis Lichtenvelt, Iohannis dicti Carnificis de Elbingo, Mattie de Kalksteyn, Hermanni Muel, Petri Dicken, Hermanni Gerunges, Martini Eden, Henrici Beckindorp, Bartoldi Rosenwatir, Hanniconis, Gerconis et Gerungi dictorum Witten fratrum, Rudolfi Hannus Rudolfisson, Alberti de Rudolfishone, Rulonis Sgroder, Hanniconis Unimelant, Henrici Rosinort, Hermanni et Nicolai dictorum de Huntinberg fratrum, Gerconis Welige, Odin Plunkocwen, Hanniconis Risebeken, Ernesti Scherer, Hanniconis Vicken, Cuniconis Vlugge, Hanniconis et Klauconis dictorum Flucke fratrum, Clauconis et Heyniconis dictorum Flucke fratrum, Matthie Merseman, Runnielke Schroder, Rotgeri et Nicolai dictorum Bornencans fratrum, Werneri de Lanken, Hanniconis Schile, Hanniconis et Ottonis dictorum Cort Rodolfsson fratrum, Petri Lubiker, Nicolai Melczer Dri, Dinge Ogerer, Heynemani Witte, Hermanni Sculce to Gronow, Flemyngi de Wosen, Hermanni Wippelvurt, Tiderici de Mynngeyn, Henrici de Buchsen, Hermanni de Curow, Henzeli Cruyceborg, Tilonis Harman, Goskonis Calcop, Goskonis Bachus, Flemyngi Sgroder, Arnoldi Keyghe, Cauconis Bellyn, Henrici Sgotten, Arnoldi Plunkowen, Tilonis Vrennevelt, Gerconis Pluncowen, Nicolai Deberyn, Iohannis de Owe, Coniconis de Tidemansdorp laycorum dicte diocesis, qui dictum clericum odio prosequebantur capitali, eundem clericum tunc in habitu et tonsura clericalibus incedentem, eciam nullis suis demeritis exigentibus, de dicto opido ac eius territorio et districtu, de quo quidem opido idem clericus traxit originem, et in quo bona sua existebant, ac iidem consules et proconsules dominium optinent temporale, bannierunt, relegarunt et proscripserunt, ac ipsum omnibus bonis et rebus suis patrimonialibus, que in dicto opido obtinebat, spoliarunt, spoliari eum mandarunt et fecerunt, propter que prefati presbiter, consules et proconsules ac milites et layci excommunicationis sentenciam iuxta constitutionem predictam incurrisse, dictumque opidum interdicto huiusmodi subiacere noscuntur: quare pro parte dicti clerici nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere ei in premissis de benignitate apostolica

dignaremur. Cum autem dictus clericus, sicut asserit, potenciam dictorum presbiteri, consulum et proconsulum, ac militum et laycorum merito perhorrescens, eos infra civitatem seu diocesim Warmiensem nequeat convenire secure, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, dictos presbiterum, consules et proconsules, milites et laycos sacrilegos tamdiu, appellatione remota, excommunicatos publice nuncietis, et facietis ab aliis nunciari et ab omnibus arcius evitari, donec bannicionem, relegacionem et proscriptionem huiusmodi, quatenus ad eas de facto processerunt, revocaverunt, et prefato clerico super eis congrue satisfactionem et ab excommunicationis sentencia absolucionis et interdicti huiusmodi relaxationis beneficia a nobis meruerint obtinere; super aliis vero vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Non obstante, si eisdem presbitero, consulibus, proconsolibus, militibus et laycis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione II. Idus Novembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XX. fol. 388.

DCCCCLVI.

Petro Stephani collectori in Hungaria et Polonia recipiendi denarium B. Petri et alia camerae apostolicae debita potestas datur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Stephani Canonico ecclesie Strigoniensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. De circumspectione et fidelitate tua quam plurimum in domino confidentes, petendi, exigendi et recipiendi nomine nostro ac camere nostre apostolice censum denarii beati Petri, necnon quascunque pecunias eidem camere qualitercunque debitas et alia quecunque arreragia seu remanencias tam de dicto censu quam de decimis, procuracionibus, subsidiis et aliis quibuscunque prefate camere in regnis Ungarie et Polonie, ac in civitate et diocesi Wratislaviensi, Lubicensi, Culmensi ac Caminensi, ac in tota provincia Gneznensi qualitercunque debitas, et annalia beneficiorum per nos seu auctoritate nostra, aut predecessorum nostrorum Romanorum pontificum collatorum seu confirmatorum, et inantea per nos conferendorum et confirmandorum, vel de quibus mandamus provideri, et etiam a quibuscunque commissariis sive delegatis, in partibus illis auctoritate apostolica qualitercunque deputatis, omnes et singulas pecunias per eos nomine dicte camere receptas, ponendi quoque ad manus camere predicte fructus, redditus et proventus omnium et singulorum beneficiorum, eciam si dignitates archiepiscopales, episcopales aut alias fuerint eidem camere obligate, necnon contra quoscunque contradictores et rebelles, vel non solventes aut detinentes pecunias aut iura dicte camere, quecunque et qualiacunque fuerint et in quibuscunque rebus consistant, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel condicionis fuerint, eciamsi pontificali vel alia quacunque prefulgeant dignitate, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate apostolica procedendi, ipsosque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, et si necesse fuerit, citaciones et moniciones quaslibet, si tibi videbitur, per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam citatorum ac monitorum et aliorum, quos concernent, pervenire valeant, faciendi, et si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, et illos, qui propter premissa excommunicacionis sentenciam incurrerint imposterum, et inantea incurrere continget, ab huiusmodi sentencia auctoritate apostolica, satisfacto prius eidem camere nostre de hiis, de quibus tenebantur, iniuncta cis penitencia salutari, in forma ecclesie absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam huiusmodi ligati sentencia celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, eis ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum execucione suspensis, dispensandi, et interdicta ab eorum ecclesiis et locis ratione premissorum apposita amovendi, necnon eciam de receptis quitandi, et que in premissis necessaria fuerint, gerendi et exercendi eidem circumspectioni tue plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus constitucionibus apostolicis de una et de duabus dietis et aliis contrariis quibuscunque, eciamsi de illis et totis earum tenoribus esset presentibus specialis et expressa mencio facienda, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi

mencionem. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis XII. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Bull. Cameral. fol. 54.

DCCCCLVII.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Andree Schonwalde presbitero Pomezaniensi, sal. etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum ad collationem Episcopi Wratislaviensis pertinens. Datum Avinione XVIII. Kal. Decembris. Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Mezewitz de Glewitz Canonico ecclesie S. Marie Keltiensis, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum ad collationem Episcopi Cracoviensis pertinens, indulgetque, ut Canonicatum in ecclesia Poznaniensi sub expectatione accipere possit. Datum Avinione XI. Kal. Decembris. Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Guillelmo tituli S. Angeli Diacono Cardinali, sal. etc. Confert ipsi Archidiaconatum in Wratislaviensi Archidiaconatum Papensem in Iauriensi, Archidiaconatum Guimiensem in Pragensi, Archidiaconatum in Carnotensi, Archidiaconatum ecclesie Vicensis, et Archidiaconatum Suffolchie in Norvicensi ecclesiis. Datum Avinione XIV. Kal. Decembris. Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni de Minda Rectori parrochialis ecclesie de Novoelbingo Warmiensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi Prepositurام S. Petri extro muros Moguntine civitatis, quam Crasto de Haynow obtinebat. Datum Avinione III. Non. Novembris Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Swenteslao de Santecz Rectori altaris S. Mathei in ecclesia Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi dictam rectoriam, quam Zavissius Nenognei de Leczino obtinebat. Datum Novis Avinionensis diocesis XVIII. Kal. Septembris. Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Laurentio Nicolai de Uneyow Rectori parrochialis ecclesie in Goloczow Cracoviensis diocesis, salutem etc. Confert ipsi dictam rectoriam, quam Iohannes Ade obtinebat. Datum Avinione XIV. Kal. Decembris. Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Pomezaniensi, salutem etc. Mandat ei, ut Iacobo Sconewalt clerico Pomezaniensi beneficium ecclesiasticum ad collationem Episcopi Wratislaviensis pertinens conferri curet. Datum Avinione XVI. Kal. Decembris. Anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Henrico Episcopo Warmiensi, salutem etc. Eidem concedit, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis divina valeat celebrare. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVII. Kal. Maii. Anno IV.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. XX. cod. chart. fol. 63, 68, 247, 325, 520, 567 et 655. et Tom. XXI. fol. 343.

DCCCCLVIII.

Collectori decimarum etc. in Hungaria et Polonia, ut omnia bona, quae bon. mem. Guillelmus cardinalis tit. S. Clementis in dictis regnis habebat, ad cameram apostolicam mittat.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Collectori fructuum et proventuum Camere apostolice in Regnis Ungarie et Polonie debitorum, salutem etc. Cum bone memorie Guillermus tituli sancti Clementis presbiter Cardinalis, dum vivebat, Camere nostre apostolice pro annalibus sive vacantibus Canonicatuum et prebendarum, ac dignitatum, personatuum vel officiorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, que in Regnis Ungarie et Polonie ex concessione et dispensacione sedis apostolice obtinebat, necnon eciam pro annuo censu Magistratus sancti Stephani Regis et domus sancte Trinitatis de Calidisaquis Vesprimiensis diocesis, quos eciam obtinebat, in diversis pecuniarum summis, prout per libros dicte Camere nostre apostolice et scripturas tuas, ut dicitur, potest clarius aparere, legitime teneretur: Nos indempnitati dicte Camere providere volentes, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnia et singula bona, quecunque et qualiacunque fuerint, que dictus Cardinalis tempore sui obitus in partibus illis habebat seu pertinebant ad eum, ad manum nostram et dicte Camere apostolice ponas, et nichilominus omnes et singulos, cuiuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis existant, eciam si pontificali aut seculari, aut alia quacumque ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, de quibus summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, solaque facti veritate inspecta, tibi constiterit, quod eidem Cardinali, dum decessit, in aliquo

tenerentur, necnon heredes vel bona tenentes eorum ad dandum et solvendum tibi ea, in quibus prefato Cardinali, dum decessit, ut prefertur, tenebantur, per censuram ecclesiasticam, et eciam per sequestracionem bonorum suorum ecclesiasticorum et alia iuris remedia, de quibus tibi videbitur, appellacione remota, previa racione compellas, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem etc. Nos enim tibi omnes et singulos a pecuniarum summis, bonis et rebus aliis per eos eidem Camere debitis, postquam illa tibi persolverint et assignaverint, auctoritate nostra absolvendi, liberandi et quittandi, et insuper illos, quos propterea excommunicari forsan contigerit, ab huiusmodi excommnnicationis sentencia predicta auctoritate apostolica, satisfacto prius de debito huiusmodi ac iniuncta eis penitencia salutari, in forma ecclesie absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam huiusmodi ligati sentenciis celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, eis ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis dispensandi eadem auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de hiis, que ex predictis recipere te continget, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, alterum ad prefatam Cameram destinare procures. Datum Avinione XVI. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 57.

DCCCCLIX.

Nicolao Strosberg nuncio apostolico, ut archiepiscopum Guesnensem et suffraganeos aliosque ad sibi rationem reddendam decimarum collectarum et eas solvendas compellat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg Preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ad nostrum noviter fidedigna relacio non sine turbacione perduxit auditum, quod licet nos dudum pro nonnullis necessitatibus Romane ecclesie relevandis annalem decimam omnium et singulorum proventuum ecclesiasticorum in Civitate, diocesi et provincia Gneznensi et nonnullis aliis Polonie partibus auctoritate apostolica imponentes, in omnes et singulos, qui in collectione et exactione pecuniarum ipsius decime fraudem forsan vel maliciam committerent, excommunicationis sentenciam duxerimus proferendam, tamen nonnulle persone ecclesiastice tam seculares quam regulares dictarum Civitatum, diocesium et provinciarum Abbatiales et alias dignitates, necnon Prioratus, personatus, officia, administrationes aut alia beneficia ecclesiastica secularia et regularia in eisdem obtinentes, a quorum mentibus dei timor abscessit, in solutione ac collectione et exactione predictis, ac solutione et assignatione pecuniarum huiusmodi factis Officialibus Camere nostre diversas fraudes et malicias commiserunt, propter quas Camera ipsa asseritur non modicum defraudata: cupientes itaque huiusmodi fraudibus et maliciis, quantum cum deo possumus, obviare et indemnitati prefate Camere providere, discretioni tue, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per Venerabiles fratres nostros . . . Archiepiscopum Gneznensem eiusque suffraganeos omnia Registra omnium et singulorum monasteriorum et ecclesiarum, ac dignitatum, personatuum et aliorum benficiorum ecclesiasticorum ac administrationum, quocunque nomine censeantur, exemptorum et non exemptorum suarum Civitatum et diocesium cum taxationibus seu extimacionibus eorum, que taxata, et nominibus illorum, que non taxata sunt ad decimam, sive Monasteria et ecclesie ac dignitates, Prioratus, personatus, administrationes, officia et beneficia huiusmodi antiqua fuerint sive nova, infra peremptorium terminum competentem per te statuendum eisdem primo tibi facias exhiberi, et deinde per omnes et singulas personas easdem ac Collectores et succollectores pecuniarum huiusmodi decime, eciam si pontificali prefulgeant dignitate, reddi fidelem rationem et computum de collectis, exactis seu receptis ac solutis, datis et assignatis per eos de pecuniis decime prelibate: Nos enim tibi predictam rationem et computum audiendi, et quascunque pecuniarum summas seu arreragia de predictis pecuniis eidem Camere debita petendi, exigendi et recipiendi, ac de receptis liberandi et absolvendi solventes, necnon eosdem Archiepiscopum et suffraganeos ad premissa, et tam eos quam alios quoscunque debitores pecuniarum et arreragiorum huiusmodi, et ad earum solucionem, et alios quoslibet Contradictores et rebelles auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et sequestracionem fructuum et proventuum suorum ecclesiasticorum, et alia oportuna remedia, appellatione postposita, compescendi, invocandi quoque ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis,

Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliqui auctoritate litterarum etc. auctoritate apostolica dispensandi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione II. Kal. Februari. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 2. et Cameral. fol. 134.

DCCCCLX.

Eidem, ut praedictos archiepum et suffraganeos ad restituendas quasdam pecunias collectas compellat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg Preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Dudum pro nonnullis urgentibus necessitatibus Romane ecclesie procurationes visitationum omnium et singulorum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum civitatis, diocesis et provincie Gneznensis Camere nostre solvendas duximus imponendas, et Venerabiles fratres nostros ... Archiepiscopum Gneznensem eiusque suffraganeos, singulos videlicet eorum in suis civitatibus et diocesibus deputamus Collectores, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Et deinde pro eisdem necessitatibus decimam fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum unius anni in dictis civitate, diocesi et provincia imposuimus, et eosdem Archiepiscopum et suffraganeos eciam eiusdem decime constituimus Collectores: sed volentes cum eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis eorumque Rectoribus et personis mitius agere, eis dictas procuraciones remisimus de gratia speciali, ac commisimus dilecto filio Helie de Vodromo Cantori ecclesie Xanctonensi, Clerico Camere nostre, tunc in partibus Alamanie et Polonie apostolice sedis nuncio et generali receptori dicte decime, quod mandaret prefatis Archiepiscopo et suffraganeis, ut pecunias solutas seu debitas predictis procurationibus computarent et computari facerent in decima prelibata, et quicquid ultra eamdem decimam per quascunque personas ecclesiasticas solutum esset, eisdem illud solventibus restituerent cum effectu. Idemque Helias ad presenciam nostram rediens nobis retulit, quod memoratis Archiepiscopo et suffraganeis mandatum fecerat prelibatum. Nuper autem fidedigna relacio ad nostrum preduxit auditum, quod iidem Archiepiscopus et suffraganei nostrum mandatum huiusmodi non servantes, pecunias per eos receptas pro dictis procuracionibus nec computare vel restituere, nec Camere nostre seu tibi pro ea assignare curarunt; sed eas presumpserunt et presumunt retinere et suis usibus applicare: super quibus pro parte eorumdem prelatorum et personarum, qui dictam procuracionem solverunt, fuit a nobis remedium iusticie postulatum. Quocirca discretioni tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, de premissis plenarie te informes, et illos, quos ex eisdem Archiepiscopo et suffragaeis huiusmodi nostrum mandatum non servasse tibi constiterit, ad restituendum in presencia tui aut illius, quem ad hoc duxeris statuendum, infra terminum competentem per te prefigendum eisdem huiusmodi indebite retenta per eos illis, a quibus ea receperint, auctoritate nostra, remota appellacione, compellas, nulla super hiis eisdem Archiepiscopo et suffraganeis remissione seu donacione aliquatenus valitura, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur etc. ut in forma solita. Datum Avinione II. Kal. Februarii. Anno Quinto.

Ed Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 2.

DCCCCLXI.

Eidem, ut incolas provinciae Gnesnensis et dioec. Culmensis ad solvendum denarium B. Petri per parochos moneat et colligi faciat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg Preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Multiplicatis relatibus ad nostrum et officialium Camere nostre pervenit auditum, quod licet omnes et singule persone seculares tam mares quam mulieres, ac Nobiles et ignobiles quorumcumque etatum civitatis, diocesis et provincie Gneznensis ac civitatis et diocesis Culmensis unum denarium monete, que currebat antiquitus, appellatum denarium sancti Petri, annuatim in certo termino ad hoc consueto solvere Camere seu Romane ecclesie teneantur, nonnulle tamen ex personis eisdem aut ex negligencia aut ex malicia, certis adinventis frustratoriis allegacionibus, huiusmodi denarium non solverunt hactenus, neque solvunt in suarum animarum periculum et dicte ecclesie detrimentum. Nos igitur huiusmodi periculo et detrimento per oportunum cupientes remedio obviare, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus universis et singulis parrochia-

lium ecclesiarum Rectoribus dictarum civitatum, diocesium et provinciarum dare debeas per tuas litteras in mandatis, quod singuli eorum in ecclesiis suis parrochialibus diebus dominicis, existentibus populis ad divina, ipsos populos seu parrochianos suos nobiles et ignobiles, mares et mulieres, ex parte nostra monere procurent, quod in huiusmodi consueto termino, quem eis pro peremptorio prefigant, siuguli eorum pro se et suis natis et domesticis huiusmodi denarium de antiqua moneta, seu eius valorem ipsis Rectoribus solvere, qualibet fraude cessante, procurent, ipsique singuli Rectores omnem pecuniam inde per eos receptum sine diminutioue quacunque, sigillatam eorum sigillis, una cum omnibus nominibus earundem personarum suarum parrochiarum, tam videlicet illarum, que dictum denarium solverint, quam aliarum, que non solverint, suis Archidiaconis seu loca tenentibus eorumdem recipientibus nomine nostro et dicte Romane ecclesie infra uuum mensem post terminum supradictum assignare procurent: similique modo moneas Archidiaconos eosdem et loca tenentes ipsorum, quod totam pecuniam per eos a prelibatis Rectoribus receptam sub eisdem sigillis, et huiusmodi nomina solventium et non solventium personarum infra alium competentem terminum tibi seu tuis Succollectoribus tradere non postponant, Contradictores etc. Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliqui auctoritate litterarum apostolicarum ultra certa loca et numerum ad iudicium evocentur, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si alicui vel aliquibus predictorum vel aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis ac litteris apostolicis quibuscumque locis, personis vel ordinibus sub quacunque forma et expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus eciam de verbo ad verbum in litteris nostris mencio sit habenda, et per que presentis mandati nostri effectus valeat quomodolibet impediri. Datum Avinione III. Nonas Februarii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 3.

DCCCCLXII.

Ioanni archiepo Gnesnensi, ut eidem Nicolao Strosberg in assequendo ecclesiae Gnesnensis canonicatu etc. faveat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Cum dilectus filius Nicolaus Strosberg Prepositus ecclesie Gneznensis, apostolice sedis Nuncius, lator presentium, cui de Canonicatu et prebenda ac Prepositurum dicte ecclesie Gneznensis vacantibus per obitum quondam Nicolai Koschuch, per nos ex certis rationabilibus causis dispositioni nostre specialiter reservatis, duximus providendum, habeat in partibus illis pro nobis et Camera nostra nonnulla negocia facere, in quibus favor tuus erit sibi multipliciter oportunus, fraternitatem tuam, de qua gerimus et gerere debemus fiduciam pleniorem, rogamus attente, maudantes, quatinus dicto Nicolao in huiusmodi nostris et dicte Camere agendis, nec non in assecutione pacifice possessionis dictorum Canonicatus et prebende, ac Prepositure ob nostram et dicte sedis reverenciam studeas te favorabilem exhibere, ipsique nuncio omnia et singula per te, sive tuo sive predecessorum tuorum Archiepiscoporum Gneznensium nominibus, eidem Camere preter commune servicium debita sine difficultate persolvas, sic acturus in premissis, quod exinde tua devotio possit merito commendari. Datum Avinione Nonis Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. fol. 7.

DCCCCLXIII.

Ladislao duci Opuliensi de ecclesiis cathedralibus Halicensi, Premisliensi, Laudimiriensi et Chelmensi respondetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Ladislao Duci Opuliensi et Principi Ruscie, salutem etc. Litteras tue nobilitatis, in quibus nobis supplicasti, quod super statu Halicziensis, Primisliensis et Laudimiriensis ac Chelmensis ecclesiarum constitutarum in tua terra Ruscie, de quo in Romana Curia questio vertebatur, dignaremur ad animarum salutem et amplicationem fidei catholice providere, dudum benigne recepimus et devotas preces tuas, prout hucusque fieri potuit, ad exaudi-tionis gratiam duximus admittendas. Declaravimus autem dictas ecclesias existere Cathedrales, easque exemimus ab omni iurisdictione, si qua Venerabili fratri nostro ... Episcopo Lubicensi existenti pro tempore competeret in eisdem, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Intendentes

autem eisdem ecclesiis de personis utilibus providere, et eas illis preficere in earum Antistites et pastores, Venerabilibus fratribus nostris ... Archiepiscopo Gneznensi ac ... Cracoviensi et ... Plocensi Episcopis per alias nostras litteras committimus et mandamus, quod communicatis tuis consilio et informatione de personis idoneis, timentibus deum et zelum habentibus animarum, in lege domini eruditis, ac scientibus ydioma partium predictarum, seu aptis ad illud addiscendum, vos, quamcito commode poteritis, informare et informationem huiusmodi sub suis sigillis nobis destinare curetis, ut nos vestra informatione recepta possimus dictis ecclesiis de idoneis pastoribus utilius providere. Quocirca nobilitatem eandem rogamus et hortamur in domino, ut in tanto dei ac tuo et populi tui negotio, omni prorsus acceptione personarum et affectione carnali remota, pro inveniendis ad hoc et dictis Archiepiscopo et Episcopis nominandis huiusmodi personis idoneis studeas solicite laborare ac sollicitare, quod huiusmodi informatio fideliter et discrete fiat nostroque apostolatui remittatur. Datum Avinione Idibus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. fol. 10.

DCCCCLXIV.

Ecclesias Haliciensem, Premisliensem, Laudimiriensem et Chelmensem in partibus Russiae fuisse et esse cathedrales pontifex declarat, et Haliciensem ecclesiam in earum archiepiscopalem seu metropolitanam erigit.

Gregorius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Debitum pastoralis officii nobis licet immeritis super universum dominicum gregem divina dispositione commissi exposcit, et solicitat mentem nostram, ut ea, que dicti gregis salutem prepediunt, prout nostre possibilitati conceditur, amoventes, illa disponamus providencia solicita et solicitudine provida, per que cum favore gratie dei salus ipsa valeat facilius provenire, ac lites et discordie, presertim inter personas ecclesiasticas, cclerius sopiantur. Dudum siquidem ad audienciam nostram fidedigna relacione perducto, quod clare memorie Kazimirus Rex Polonie partes Ruscie vicinas regno Polonie, in quibus Principes dominabantur et populi habitabant non solum scismatici, sed diversarum heresum erroribus irretiti, pugnando viriliter contra eos, de ipsorum Principum dominio, dextera domini secum faciente virtutem, per suam et aliorum fidelium potenciam eripuerat, ac sibi et dicto regno utique catholico acquisiverat, et quod tempore acquisitionis huiusmodi, et post ipsam multe persone utriusque sexus dictarum partium ex gratia dei miserentis pereuntium animarum et operacione dicti regis, necnon prelatorum ac clericorum et religiosorum eiusdem regni, relictis scismate et erroribus prelibatis, ad orthodoxam fidem et obedienciam, ac unitatem sancte catholice et apostolice ecclesie converse fuerant et reducte, in eisque devota perseverancia permanebant, et quod Haliczíensis, Primisliensis, Laudimiriensis et Chelmensis ecclesie, que in illis partibus consistebant, prout consistunt, Cathedrales erant, et ante acquisitionem huiusmodi per scismaticos et hereticos antistites detinebantur, quodque aliqui predecessores nostri Romani pontifices ipsis ecclesiis de personis catholicis providerant, preficiendo eas illis in Episcopos et pastores, et quod Venerabilis frater noster ... Episcopus Lubucensis asserens dictas ecclesias non cathedrales, sed dumtaxat parrochiales, et sibi iure diocesano subiectas fore, seque esse in earum possessione vel quasi provisionibus huiusmodi se opposuerat, prout tunc etiam opponebat; ortaque super hiis inter Episcopos per eosdem predecessores promotos, seu aliquos ex eisdem ex una parte, et prefatum Episcopum Lubucensem ex altera materia questionis, et causa seu causis huiusmodi in Romana curia ex concessionibus apostolicis diutius ventilata seu ventilatis, et tandem tam pro parte dilecti filii nobilis viri Ladislai Ducis Opuliensis, sub cuius temporali dominio dicte partes consistere asseruntur, quam nonnullorum aliorum fidelium propagationem dicte fidei et salutem animarum optantium nobis humiliter supplicato, ut super hiis providere ex debito nostri officii dignaremur. Nos Venerabilibus fratribus nostris ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Cracoviensi ac ... Plocensi Episcopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut se, an videlicet dicte ecclesie Cathedrales, an tantum parrochiales existerent, et populum christianum haberent, diligencius informarent, et quidquid per informacionem huiusmodi reperirent, nobis per suas litteras quantocius rescribere non tardarent, ipsique Archiepiscopus et Episcopi super hoc pro informatione recepta nobis per suas litteras rescripserunt, se per informationem huiusmodi repperisse, quod prenominate ecclesie Cathedrales existebant et quod habebant in civitatibus earum populum christianum. Cum autem postmodum carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie et Polonie Illustris, et prefatus Dux nobis per suum nuncium et litteras supplicarint, quod si dicte ecclesie

reputarentur Cathedrales et singule ipsarum habeant multum populum christianum, indigentem utique regimine pastorali, et per multas dietas a civitate et diocesi Lubucensi distarent, et propter huiusmodi distanciam idem Episcopus Lubucensis raro eciam post multos annos consueverit ire ad ecclesias prelibatas, et etiam si essent parrochiales, nequeat eis utiliter pontificalis officii ministerium exhiberi, in gravissimum animarum periculum, diminucionem dicte fidei et scandalum plurimorum, super hiis providere celeriter ex dicto officio dignaremur. Nos super hoc salubri et celeri remedio provisionem debitam adhibere, et questiones ac lites huiusmodi, ne ipsarum pretextu prefati populi pastorum, qui eos in fide consolident, et crebrius confoveant pabulo verbi dei, et alias eis debitum officii pastoralis absolvant, oportunis solaciis defraudentur, penitus terminare volentes, ac attendentes, quod quanto in dictis partibus plures erunt catholici antistites, tanto fructuosius per eos intendetur circa regimen animarum, cultus dicte fidei defendetur validius, et diffusius extendetur, et habentes statum causarum huiusmodi et alia omnia in hiis necessaria pro expressis, etiam dictorum Regis et Ducis in hac parte supplicationibus inclinati, matura super hiis cum fratribus nostris deliberacione prehabita, tenore presentium auctoritate apostolica declaramus, easdem Halicziensem, Primisliensem, Laudimiriensem et Chelmensem ecclesias fuisse et esse Cathedrales, et loca, in quibus consistunt, fuisse et esse civitates, et ipsas ecclesias ad cautelam de novo in Cathedrales erigimus, et eadem loca civitatum nominibus, titulis et honoribus insignimus, ac decernimus esse perpetuo civitates, dictasque ecclesias pro Cathedralibus et loca ipsa pro civitatibus perpetuo volumus reputari, et si forsan Episcopo pro tempore existenti et ecclesie Lubucensi iurisdictio, dominium aut potestas in eisdem Halicziensi, Primisliensi, Laudimiriensi et Chelmensi ecclesiis, aut earum civitatibus et diocesibus, vel ipsarum aliquibus aliquo tempore de consuetudine, vel de iure aut quovis alio modo competierit, vel nunc competat, ipsas ecclesias ac civitates et dioceses earundem ab omni huiusmodi iurisdictione, dominio et potestate dictorum Episcopi et ecclesie Lubucensium perpetuo eximimus ac eciam liberamus, decernentes antistites scismaticos, si qui forsitan sint in eis, tamquam reprobos et indignos esse, ab illis penitus amovendos, ac ipsos tenore presentium auctoritate predicta amovemus, ipsamque ecclesiam Halicziensem in Archiepiscopalem seu Metropolitanam erigimus, statuentes, quod eedem Primisliensis, Laudimiriensis et Chelmensis ecclesie dicte Halicziensis Metropolitane ecclesie sint perpetuo suffraganee et Metropolitico iure subiecte, privilegiis, indultis, constitutionibus et consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscunque. Et insuper cupientes eisdem ecclesiis, que omnes pastoribus catholicis vacare dicuntur, utiles et fructuosas per apostolice sedis providenciam presidere personas, que velint, sciant et valeant errores huiusmodi de predictis Ruscie partibus penitus extirpare, ac fideles in eisdem partibus commorantes exemplo vite et salvifico pabulo verbi dei confortare, provisionem earundem ecclesiarum ordinationi et dispositioni nostre hac vice specialiter reservamus, decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Datum Avinione Idibus Februarii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 5.

DCCCCLXV.

Compositio et concordia inter fratres hospitalis S. Mariae Teotonicorum et episcopum et capitulum Varmienses facta, insertis eiusdem concordiae litteris divisionem et fines eorum bonorum continentibus, confirmatur.

Gregorius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Suscepte servitutis officii, quo ad bonum concordie inter fideles quoslibet propagandum, et ecclesiarum et ecclesiasticorum locorum, ac prelatorum et personarum ipsorum bonum statum et commoda procuranda sumus universaliter obligati, cotidiana nos cura solicitat, ut hiis totis studiis intendamus, et seramus pacis germina inter omnes, et que ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum, ac prelatorum et personarum ipsorum tranquillitatem ac utilitatem respiciunt, paternis affectibus exequamur. Sane dudum per nos accepto, quod inter bone memerie Iohannem Episcopum Warmiensem et dilectos filios Prepositum, Decanum et Capitulum ecclesie Warmiensis ex parte una, ac Magistrum et fratres hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani super quibusdam terris, possessionibus et iuribus ad dictam ecclesiam, ut dicebatur, pertinentibus, et nonnullis aliis articulis ex altera orta fuerit materia questionis, nos ex certis causis Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Pragensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut partes ipsas ad experiendum, transigendum et componendum super omnibus litibus et controversiis inter eos vertentibus coram se

evocaret, et super premissis omnibus, quantum posset, ad amicabilem concordiam et composicionem induceret, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Et deinde, sicut accepimus, partes ipse, quas dictus Archiepiscopus ad suam evocavit presenciam, in certos arbitros, arbitratores et amicabiles compositores post nonnullos actus inter partes ipsas habitos compromittere curaverunt, qui equum arbitrium tulerunt inter partes, prout in litteris autenticis inde manu publica confectis dictorum arbitrorum, arbitratorum seu amicabilium compositorum sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Et subsequenter cum pro parte Venerabilis fratris nostri Henrici Episcopi Warmiensis, de cuius persona, predicto Iohanne Ep̃o vita functo, dicte ecclesie provideramus, ac Prepositi, Decani et Capituli, ac Magistri et fratrum predictorum nobis fuisset humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmacionis adicere de benignitate apostolica dignaremur: Nos Venerabili fratri nostro Petro Episcopo Portuensi, et dilecto filio nostro Iacobo sancti Georgii ad Velum aureum diacono Cardinali oraculo vive vocis commisimus, ut se de premissis summarie informarent, et que super hiis reperirent, nobis referre curarent: qui quidem Petrus Episcopus et Iacobus Cardinalis, super hiis summaria informacione recepta, nobis retulerunt, quod per hoc providebatur utilitati parcium predictarum. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, huiusmodi arbitrium et alia per ipsos arbitros, arbitratores et amicabiles compositores in premissis, ut premittitur, acta rata habentes atque grata, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia tenore presencium confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsitan intervenerit in premissis. Tenor autem dictarum litterarum talis est. In nomine dñi amen. Etsi cuiuslibet condicionis homines creatori suo ad salutiferas graciarum actiones humiliter astringantur, illi tamen precipua quadam devocione ad laudandum nomen ipsius et glorificandum obligantur forcius, qui in hac vita labili et miserabili contigua vicinitate et continua cohabitacione et conversacione iuncti, pacis et tranquillitatis preeminencie munere ipsius clemencia felicius perfruuntur. Sane cum iam dudum alias inter Venerabilem in Christo patrem et dñum dñum Iohannem bone memorie Episcopum, et honorabiles viros dominos Prepositum, Decanum totumque Capitulum Warmiensis ecclesie ex una, et magnificum et religiosum dominum et fratrem Winricum ordinis beate Marie Theotonicorum Magistrum generalem, ac Preceptores et fratres dicti ordinis parte ex altera super quibusdam possessionibus, limitibus et terris se contingentibus suborta fuisset materia questionis, que tamen per sanctissimum in Christo patrem dñum dñum Gregorium Undecimum summum pontificem Reverendissimo in Christo patri ac domino, domino . . . Pragensi Archiep̃o auctoritate apostolica commissa fuisset, qui virtute commissionis sibi facte partes coram ipso legitime evocavit, tandem comparentibus parcium procuratoribus, placuit ipsis de questionibus, controversiis et litibus prefatis se amicabiliter expedire, et sic in nos Iohannem Decanum Glogoviensem, Iacobum Engilgem Officialem Wratislaviensem, Borchardum de Monte Canonicum Podilwornensem, Iohannem de Prisilia plebanum in Ilavia, Iohannem de Leysa et Iohannem de Heyda et Mentzlinum prope Saldow milites, ac Iohannem Volimirstein proconsulem in Elbingo tamquam arbitros, arbitratores ac amicabiles compositores super eisdem litibus et controversiis sub certis modis, forma et pena compromiserunt, prout in litteris et instrumentis publicis de super confectis plenius continetur. Tandem licet secundum formam compromissi predicti, receptis testibus, iuramentis et aliis probacionibus, quibus tunc procuratores uti volebant, terras ipsas, de quibus erat contencio, oculis subiecerimus, et plures limites et terrarum distinciones posuerimus, tamen considerantes, si ulterius limites ponendo progredi secundum formam et modum compromissi nos contingeret, quod multe novitates et mutaciones subditis parcium multum periculose provenirent, et firma amicicia et constans unio inter partes ipsas et eorum subditos subsistere non valeret, demum relaxatis a partibus nobis iuramentis prestitis in compromisso ad bonam nostram conscienciam et tollendum difficultates et incomoda supradicta, iterum placuit partibus ipsis sub penis in compromisso contentis in nos compromittere, prout de premissis omnibus et singulis sunt certi tenoris litterc confecte, ac eciam publica instrumenta. Nos igitur sinceris affectibus desiderantes perpetuam pacem et inviolabilem tranquillitatem inter partes predictas, in quantum in nobis est, auctore domino, ordinare auctoritate arbitraria, qua fungimur in hac parte, multis prehabitis tractatibus et pluries repetitis et singulis circumstanciis rite pensatis, quid commodi, quid utilitatis ex concordia, et quid periculi et dampni ex dissensione, si causa prefata sopita non fuerit, posset procul dubio provenire, partibusque in nostra presencia personaliter constitutis, ac nostrum arbitrium seu nostram pronunciacionem ferri petentibus, Christi nomen invocato, pro tribunali sedentes et solum deum pre

oculis habentes, voluntate unanimi et concordi pronunciamus, decernimus, arbitramur, dicimus, et in hiis scriptis sentencialiter diffinimus, dominum Episcopum, Capitulum et ipsam ecclesiam Warmiensem permanere debere circa antiquam et pristinam ipsorum possessionem, videlicet secundum limitacionem et distincionem infrascripta, incipiendo iuxta lineam Anselmi a recenti mari, ubi fluvius Runa influit, ibi recens mare transeundum est ad fossatum, quod a via antiqua incipit, que ducit in Villam Russin, ita quod prata, et quidquid situm est inter Runa et Sonam et recens mare et predictam viam, ad Ordinem debet pertinere, et ab inde sequendo fossatum predictum per viam, que est inter Brunsberg et Curiam Ensedil, vulgari nomine Steynwek nuncupatam, de cuius vie aggere transeundum est secundum possessionem et limitacionem antiquas usque ad fluvium, qui dividet villam Rogiten et villam Hamirsdorf, eundem fluvium ascendendo usque ad greniciem illorum de Grunow, taliter tamen, quod antique possessiones et limitaciones observentur, et quod villa Rogiten ecclesie et Hamirsdorf Ordini permanebunt. Deinde ad fluvium Rebir transeundum est secundum antiquam possessionem, ita quod campus Bebirnik ecclesie et Villa Sunnenstuel ordini remanebunt, eundem fluvium Rebir ascendendo usque ad campum Ville Blumenberg, et ab inde a dicto fluvio Rebir ad fluvium dictum Banow, ita quod villa Blumenberg ecclesie et Villa Breitelinde ordini remanebunt secundum limitacionem antiquam. Et ab inde eundem fluvium Banow ascendendo usque ad greniciem Clausitem et Ruschenbach dividentem, ita tamen quod Ruschenbach in parte ordinis et Clausitem in parte ecclesie secundum antiquas limitaciones remanebunt. Deinde transeundo ad greniciem illorum de Petirswalde, que est inter Clausyten et Ruschenbach situata, ab inde ulterius procedendo ad limitem Ville Iaydow more possessionis antique, ita quod Villa Petirswalde ecclesie remanebit. Demum procedendum est secundum antiquam limitacionem et greniciem illorum de Waldow, ita quod Ioydow ordini et Nalabe ecclesie remanebunt. Et ab inde iterum procedendum est ad fluvium Warne, ita quod Walda et Wilkenitem cum molendino et agris molendinatorum in parte ordinis et Villa Rosenwalt in parte ecclesie permunebunt; ultra quem fluvium Warne procedendum est ad quercum signatam circa viam, et ab inde ad aliam quercum, que est limes acialis, qui dicitur vulgariter Ortgremize Civium Civitatis Melsak, directe sive diametraliter, ita quod Villa Penchim ecclesie permanebit. Ab inde vero ulterius procedendum est secundum antiquas limitaciones et possessiones usque ad limitem in campo ville Pluten, ita quod nemus Civitatis Melsak, Hagewalt vulgariter nuncupatum, ecclesie, sed villa Schonenborn ordini remanebunt. Ulterius vero procedendum est ad limitem Ville Gutenbelt, et ab inde ad quercum inter bona illorum de Gutenbelt, Pluten et Sehfelt signatam, ita tamen quod Gutenbelt ordini et Pluten ecclesie remanebunt: a qua quidem quercu ad palum prope Rivulum Walsche positum procedendum est, ita quod Villa Woskaym ordini et Selivelt ecclesie in suis antiquis limitacionibns remanebunt. Deinde procedendum est super quendam montem ad truncum ibidem signatum, ita quod Woppe et Pewls ecclesie et Ionyte et Swadeke ordini remanebunt. Ulterius tunc procedendum est ad quercum quandam signatam versus lacum Parkune dictum, procedendum demum directe ultra alium lacum, Kenchyr nuncupatum, ad illum locum, ubi fluvius fluit ex lacu supradicto, eundem fluvium descendendo ad illum locum, ubi villa Kenchyr habet limitem cum illis de Scabonyten, ita quod Kenchyr ordini et Scabonyten ecclesie remanebunt: et ab eodem fluvio procedendum est usque ad limitem Ville Glaudiansdorf, ita quod Glaudiansdorf in parte ordinis et Scabonyten, ut prefertur, ecclesie remanebunt secundum limitacionns antiquas. Deinde procedendum est ad greniciem acialem Ville Glaudiansdorf, que dividit Villam Workaym et Glaudiansdorf, et ab inde procedendum est ad limitem acialem Hammishagen, ita quod Villa eadem Hammishagen ordini et Workaym ecclesie remanebunt. Demum procedendum est ad arborem signatum, que arbor vulgariter Haynbuche dicitur, que distinguit Willekaym ac Workaym, ita quod Villa Willekaym, alias Wilde nuncupata, ordini et Worhaym secundum antiquam possessionem ecclesie remanebunt, transeundo ulterius ad rivulum Grosendorf et Rittersdorf et Nerwiken dividentem, ita quod ambe Ville Grosendorf ecclesie, et Rittersdorf et Nerwiken et Ricawendorf ordini remanebunt; ecclesia vero prata sua ultra rivulum predictum usque ad rivulum Ylme debet, sicut hactenus habuit ea, possidere: deinde eundem rivulum descendendo ad limitem stantem apud eundem fluviam Ylme inter molendinum Seglyken et Ylme; deinde procedendum est ad limitem molendinatorum, que est circa fluvium Ylme supradictum usque ad limitem Borchardi de Spira, ita quod molendinum Seglyken, Mol nuncupatum, cum agris suis ecclesie, et liberi seu phasalli ibi prope morantes ac Borchardisdorf ordini, Curie vero Regosen ecclesie permanebunt. Et ab inde procedendum est ad greniciem Ville dicte Katzen, et

ulterius procedendum usque ad campum illorum de Solanken, et ab inde ad fluvium Aluam, ita quod Sodlanken ordini et Katzen ecclesie secundum possessiones antiquas permanebunt. Demum Aluam descendendo ad illum locum, ubi bona ville Lutyrnhayn terminantur et Sanglobe vasallus ordinis eadem bona Lutyrnhayn contingit, et deinde procedendum ad limitem dividentem Craftshayn, Hermanshayn et Lutyrnhayn, ita quod Lutyrnhayn ecclesie et Hermanshayn ordini permanebunt, et deinde procedendo ad limitem acialem Galinden et Trutenow dividentem, ita quod Gollekollen, Palapyn et nemus dictum Hagewalt et Villa Trutenow ecclesie, et Craftshayn, Galinden et Tuingen ordini iuxta antiquas limitaciones et possessiones remanebunt, et ab eadem grenicie aciali procedendum est ad limitem dividentem Galinden, Trutenow et bona filiorum Clausborken. Deinde procedendum est usque ad greniciem Pelyn, ita quod filii Clausborken et Kunnygisdorf ordini, et Wazelanken et Palusen ecclesie remanebunt; a grenicie vero Pelyn procedendum est ad limitem acialem dividentem Sandirsdorf et Pabasen, ita quod Palusen ecclesie et Pelyn, Slaukelanken et Luzelanken cum suis possessionibus ordini remanebunt. Demum transeundum est ad limitem Sandirsdorf et Stormhabil dividentem, ita quod Sandirsdorf ordini et Stormhabil ecclesie remanebunt. Deinde procedendum est ad bona Iohannis militis dicti Strawpen secundum possessionem antiquam, ita quod Passyn et Wedirkaym ordini et Villa Plesin ecclesie remanebunt; et ab illo loco ad greniciem Ville Tolnyken procedendo secundum possessiones antiquas, ita quod Iohannes Strowpen cum suis bonis ordini, et Villa Plesen ecclesie, ut preferetur, remanebunt, ulterius vero procedendo ad greniciem illorum de Sparwin, ita quod Sogatyten ordini et Talnykendorf ecclesie remanebunt. Deinde procedendum est ad limitem dividentum Talnykendorf et Warpelanken et Sparwin, ita quod Talnykendorf ecclesie, ut premittitur, et Sparwin ordini permanebunt; demum procedendo secundum antiquos limites ad greniciem signatam, ita quod Babaczin ordini et Warpelanken ecclesie remanebunt. Item incipiendo a recenti mare versus Elwingum, ubi fluvius Narussa influit idem recens mare, et ab inde transeundum est ad fluvium dictum Bauda, et a Baudow usque ad fluvium Passeriam, alias Seria nuncupatum, secundum possessiones antiquas et limites, deinde Seriam ascendendo usque ad ipsius ortum originalem, a quo ortu prefate Serie directe proceditur ad limitem in campo Korkosedal per dominum Theodericum de Aldenburg generalem Magistrum ordinis positum, a quo quidem limite transeundum est secundum diametrum seu lineam directam ad silvam Krakotyn, ita quod finis miliaris a castro Resil per nos mensurati seu positi prope lacum Wedir tangatur dyametro supradicto, et in quacunque parte lacus per diametrum tanguntur, tunc quelibet pars iuxta lineam directam habeat partem suam, sic similiter fiat in lacubus, ubi Passeria influit in eosdem, sic tamen quod ecclesia Warmiensis predictas suas villas, videlicet Kachomedien, Ramochen et Clausdorf, integras et sine diminucione cum suis agris et possessionibus debeat obtinere, dicto transitu a fine dicti miliaris prope Wedir ad dictum nemus Krakotyn non obstante. Item pronunciamus ac eciam declaramus, quod recens mare inter Runam et Narussam usque ad Nergam in equali latitudine utrique parcium predictarum sit commune, sic et Seria seu Passeria ac alii fluvii bona ecclesie et ordinis dividentes similiter utrique parcium sint communes, sicut de recenti mari superius est expressum, cuilibet tamen parti suo lictore reservato, quidquid infra terminos nostre pronunciacionis prescripte includitur, ad Epum, Capitulum et ecclesiam Warmiensem pro sua parte, sive tercia sue diocesis, quidquid vero extra hos terminos, ad Magistrum, Preceptores et ordinem debet perpetuis futuris temporibus pertinere, Arbitrantes et pronunciantes nichilominus, quod quelibet pars in suis terminis prescriptis contenta aliam partem in suis terminis non impediat, nec perturbet sub penis in compromisso expressatis, reservatis eciam iuribus spiritualibus domino Episcopo Warmiensi predicto ac suis successoribus, qui pro tempore fuerint, prout in litteris papalibus continetur. Que quidem pronunciacionem, laudum, arbitrium et diffinicionem per nos Iohannem Decanum Glogovicnsem predictum de voluntate, iussu et consensu aliorum nostrorum collegarum et arbitratorum lata, sentenciata, pronunciata et in scriptis declarata Reverendus in Christo pater et dominus Henricus Episcopus, et honorabiles viri domini Henricus Prepositus, Michael Decanus et Octo de Rassis Canonicus, procuratores Capituli ecclesie Warmiensis, pro se et eadem ecclesia sua, necnon magnificus et religiosus princeps dñus frater Winricus de Knyprode Magister generalis, et honorabiles et religiosi viri fratres Wolferamus de Beldirsheim magnus Commendator, Rudgherus de Sliur summus Marschalcus, Ulricus Vricke summus Hospitalarius et in Elwingo, Conradus Czolner summus Trapiarius et in Crisesburg, Swederus de Pollandt Thesaurarius, Theodericus de Brandenberg in Thoron, Godfridus de Lunde in Balga, Guntherus de Hoenstein in Branden-

berg, Gherardus in Bangnycc et Borchardus de Mansvelt in Ostirrode, Commendatores et Preceptores ordinis supradicti, pro se et ordine suo supradicto laudarunt, emologarunt et ex certa eorum sciencia per solomnes stipulaciones approbarunt. Acta sunt hec sub anno nativitatis domini millesimo trecentesimo LXXIIII. Indictione XII. pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Gregorii divina providencia pape XI. anno quarto, die XXVIII. mensis Iulii, hora terciarum in Castro Elwingen Warmiensis diocesis, presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Nicolao de Grockow Preposito in Gutenstat, Petro Danucz Canonico Wladislaviensis, Alberto de Cruceburg, Iohanne de Rosinburg altaristis Wratislaviensis ecclesie, Baldwino in Wydnelo Wratislaviensis, Nicolao Czepil in Gunderans Olomucensis diocesium ecclesiarum Rectoribus, Conrado de Czans presbitero, Nicolao Tannenberg et Nicolao Tilonis clericis Wladislaviensis diocesis, et aliis pluribus fidedignis testibus ad premissa. Item pronunciamus, arbitramur et declaramus sub penis compromissi, quod prata prope Bobir, que petit Struwbe, in parte ecclesie debeant permanere, Item quod nemus, de quo est dissensio inter ecclesiam et Nerwiken, ad ecclesiam debeat pertinere, It. quod Tolne servitor Commandatoris in Thoron in nemore prope Katzin decem mansos a fine versus Rodnow mensuratos obtinebit, ita quod homines, qui extirpacione arborum novos agros fecerunt in eodem nemone per tempus tale, quod vulgariter dicitur Haynrech, ad suos habebunt ususfructus, reliqua vero portio eiusdem nemoris in parte ecclesie permanebit; Item a limite, que dividit Galinden, Trutenow et filios Clausborken transeundum est usque ad grenicicm in Pelyncali transitu, sicut dñus Commendator de Elwingo et Iohannes miles de Leysa ante aliqua tempora ordinarunt, Item quod villa Warpelanken secundum limitem, quem dicte ville incole demonstrarunt dño Commendatori in Elwingo, iugiter obtinebunt. Lecta lata est hec nostra declaracio per nos Iohannem de Ilavia de consensu, iussu et mandato aliorum collegarum et coarbitrorum nostrorum Anno, Indictione, pontificatu et loco premissis, die XXIX. mensis Iulii predicti, hora quasi vesperorum, presentibus discretis viris dominis Alberto de Cruceburg altarista Wratislaviensi, Nicolao Longi de Fredecke Culmensis diocesis, Nicolao Ianwir Sambiensis, Conrado de Czans Wladislaviensis diocesium presbiteris testibus ad premissa. Presentes quoque litteras hoc presens publicum instrumentum continentes per notarios publicos infrascriptos scribi et publicari mandavimus, sigillorumque nostrorum fecimus appensione muniri in evidens testimonium omnium premissorum, et constat michi notario de interlinearibus dictionibus, videlicet secundum antiquos limites inter XLIIII. et XLV. lineas a capite instrumenti computando, positis non vicii causa, sed erroris. Et ego Conradus Siffridi de Theppilwode clericus Wratislaviensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, premissis dicto laudo, arbitrio, sentencie diffinicioni, pronunciacioni, approbacioni, ceterisque omnibus aliis suprascriptis una cum Nicolao Leonis de Bischoffwder, notario publico infrascripto, et testibus suprascriptis, dum sic agerentur et fierent, presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et ad mandatum dictorum dominorum et parcium predictarum presens publicum instrumentum propria manu conscripsi, et in hanc publicam formam formam redegi, signo et nomine meis consuetis consignavi in fidem et testimonium omnium premissorum. Et ego Nicolaus quondam Petri Leonis de Bischoffwder, clericus Pomezaniensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, premissis dicto laudo, sentencie, diffinicioni, arbitrio, pronuciancioni, ceterisque aliis omnibus suprascriptis una cum Conrado de Thepilwode, notario publico infrascripto, et testibus suprascriptis, dum sic agerentur, presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et ad mandatum dictorum dominorum arbitrorum et requisicionem parcium predictarum hic me subscripsi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis solitis consignando in fidem et testimonium omnium premissorum, et constat michi notario de interlinearibus dictionibus, videlicet secundum antiquos limites, inter XLIIII. et XLV. lineas a capite instrumenti computando, positis non vicii causa, sed erroris. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis et communicionis infringere etc. Datum Avinione XIIII. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 52.

DCCCCLXVI.

Archiepiscopo Gnesnensi et Cracoviensi ac Plocensi episcopis, ut se informent, utrum Luczensis, Thurensis et Kyoviensis ecclesiae consueverunt esse cathedrales, an parochiales, et rescribant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Gneznensi et ... Cracoviensi ac ... Plocensi Episcopis, salutem etc. Intelleximus per relationes quarumdam, quod Luczensis, Thu-

rensis et Kyovicnsis ecclesie Cathedrales fore noscuntur, nonnullis aliis pretendentibus ecclesias ipsas non Cathedrales, sed dumtaxat parrochiales existere. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de hiis, videlicet an prefate ecclesie Cathedrales vel dumtaxat parrochiales existant, et an populum christianum habeant, nos diligenter informare curetis, et quatenus quid per informationem huiusmodi reppereritis, nobis per vestras patentes litteras manu publica confectas, vestrisque sigillis signatas, harum seriem continentes, quantocius rescribere non tardetis: quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Avinione XIV. Kal. Marcii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 6.

DCCCCLXVII.

Iisdem praelatis, ut de sede archiepiscopali Haliciensi in oppidum Lembergense transferenda se informent et rescribant.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiep̃o Gneznensi et ... Cracoviensi ac ... Plocensi Ep̃is, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Laudizlai Ducis Opuliensis et Ruscie peticio continebat, quod civitas Haliciensis, que Archiepiscopalis et infra limites terre Ruscie eiusdem Ducis consistit, est locus sine muris et ab aliis civitatibus et locis circumstantibus remotus, habens infideles Tartaros ex una, ac Lithuanos etiam infideles et Scismaticos ex aliis partibus, quodque locus Lambergensis diocesis Haliciensis, qui principalis et insignior dicte terre Ruscie, muris clausus et alias bene munitus, et populo plenus extitit, sufficientior et aptior pro sede Archiepiscopali et pro Archiepiscopo, qui esset pro tempore, ac ipso Duce et Catholicis foret, quam sit Haliciensis civitas prelibata: quare idem Dux zelo christiane religionis inductus, nobis humiliter supplicavit, ut sedem Archiepiscopalem Aliciensem ad locum Lamburgensem (sic) predictum transferretur, ac locum ipsum in sedem et civitatem Archiepiscopales erigere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur, quia de premissis certam noticiam non habemus, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerit evocandi, de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis huiusmodi negotium continentibus, presertim an si translatio et erectio huiusmodi fierent utiles, expedientes existerent, et an in preiudicium alterius redundarent, auctoritate apostolica diligencius vos informetis, et que per informationem huiusmodi repperiretis in premissis, nobis clare, particulariter et distincte per vestras litteras in publicam formam redactas, vestrisque sigillis sigillatis, harum seriem continentes, quantocius intimare curetis, ut vestra super hiis informatione instructi, in premissis consultius agere valeamus: quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Avinione V. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. divers. Tom. II. cod. chart. fol. 16.

DCCCCLXVIII.

Episcopo Sambiensi, ut de infeudandis aliquibus possessionibus ad mensam episcopalem Varmiensem pertinentibus inquirat, et eas de novo infeudandi episcopo Varmiensi licentiam concedat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Sambiensi, sal. etc. Ecclesiarum omnium et presertim cathedralium, quarum cura generalis ex iniuncto nobis pastorali officio nostris incumbit humeris, volumus, ut tenemur, utilitatibus providere. Sane peticio pro parte Venerabilis fratri nostri Henrici Episcopi Warmiensis nobis nuper exhibita continebat, quod ipse habet nonnulla solitudines et nemora ac terras incultas et desertas ad mensam suam episcopalem Warmiensem spectantia, ex quibus, si ad agriculturam redigerentur, eidem mense maior, quam perveniat, posset utilitas provenire: Quare pro parte dicti Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ex hoc etiam Warmiensis ecclesia, que terris infidelium est propinqua, ac iura et bona illius ab eisdem infidelibus fortius defendi valeant, infeudandi aliqua de solitudinibus, nemoribus ac terris huiusmodi licenciam sibi concedere auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ac gerentes de tue circumspectionis industria in hiis et aliis fiduciam in domino specialem, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, vocatis evocandis, de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstanciis universis, et presertim si infeudatio huiusmodi,

si fiat, in ipsam ecclesie utilitatem redundet, diligentius te informes, et si per informationem huiusmodi inveneris ita esse, prefato Episcopo, ut ipse cum consilio tamen et assensu dilectorum filiorum Capituli eiusdem ecclesie, aut maioris et sanioris partis eorum aliqua de solitudinibus, nemoribus et terris predictis, prout tibi videbitur, super quo tuam conscienciam oneramus, de novo infeudare valeat, constitutionibus apostolicis nec non statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis iuramento, confirmacione apostolica vel quacumque firmitate alias roboratis nequaquam obstantibus, licenciam apostolica auctoritate largiaris. Datum Avinione v. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 526.

DCCCCLXIX.

Decano Vratislaviensi, ut sententiam pro praeposito Iezoviensi ord. S. Benedicti Gnesnensis dioec. contra quosdam laicos latam exsequatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Decano ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Przetzlai prepositi prepositure in Gezow ordinis sancti Benedicti Gneznensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse nostras ad dilectum filium ... Abbatem monasterii in Landa dicte diocesis sub ea forma litteras impetravit, ut dictus Abbas ea, que de bonis ipsius prepositure alienata inveniret illicite vel distracta, ad ius et propietatem ipsius prepositure legitime revocari curaret, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, ac Iohannem Archamboldum, Mestziczonem et Govorconem de Potzeruvio fratres laicos in dicta diocesi commorantes, qui communiter nonnullas possessiones et bona ad dictam prepositurarn pertinentia detinebant indebite occupata, super hoc coram dilecto filio Mathia preposito monasterii de Kalis per prepositum soliti gubernari dicte diocesis, cui prefatus Abbas commiserat vices suas, huiusmodi litterarum et commissionis vigore fecit communiter ad iudicium evocari; idemque Mathias prepositus in ipsos laicos, quia citati legitime in prefixo sibi termino peremptorio competenti coram eo comparere contumaciter non curarunt, propter huiusmodi eorum contumaciam manifestam excommunicationis sentenciam, exigente iusticia, promulgavit, et deinde ipsorum laicorum exigente contumacia, ipsam sentenciam multipliciter aggravavit, quam quidem excommunicationis sentenciam prefati laici dampnabiliter vilipendentes, eam per annum et amplius sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis, redire non curantes ad ecclesie unitatem in animarum suarum periculum, ecclesiastice discipline contemptum, dicti Przetzlai preiudicium, et scandalum plurimorum: quare idem Przetzlaus nobis humiliter supplicavit, ut eandem excommunicationis sentenciam robur faceremus firmitatis debite obtinere. Cum autem idem Przetzslaus potenciam dictorum Iohannis Archamboldi, Mestziczonis et Govorconis fratrum, sicut asserit, merito perhorescens, eos infra civitatem seu diocesim Gneznensem nequeat convenire secure: Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus sentenciam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellacione remota, inviolabiliter observari; quod si prelibati laici eandem excommunicationis sentenciam, postquam eam constiterit tibi rite esse latam, per unum mensem pertinaciter tolleraverint, ipsos extunc, donec super hiis congrue satisfecerint, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuncies, et ab aliis in locis, in quibus expedire videris, nunciari facias et ab omnibus arcius evitari, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si eisdem laicis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione II. Idus Aprilis. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 12.

DCCCCLXX.

Pretzlao de Boszk praepositura Iezoviensis ord. S. Benedicti Gnesnensis dioecesis confirmatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Pretzlao Ianusii de Boszk Preposito prepositature Iezoviensis ordinis sancti Benedicti Gneznensis diocesis, salutem etc. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut te favore apostolico prosequamur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim prepositura Iezoviensis ordinis sancti Benedicti Gneznensis diocesis, quam

quondam Petrus Andice, olim ipsius prepositure prepositus, tunc temporis obtinebat, per liberam resignacionem ipsius Petri de illa in manibus quondam Andrec Abbatis, et dilectorum filiorum conventus monasterii in Lubin dicti ordinis Poznaniensis diocesis extra Romanam curiam sponte factam, et per eosdem Abbatem et conventum, cum ad Abbatem dicti monasterii pro tempore existentem et conventum predictos ipsius prepositure resignacionis receptio et admissio, ac collacio et provisio de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinere noscantur, extra dictam curiam auctoritate ordinaria admissam, vacante, prefati Abbas et conventus dictam prepositurام a dicto monasterio dependentem, et per monachos ipsius monasterii, cuius monachus eciam professus existebas, prout existis, solitam gubernari, sic vacantem nullique de iure debitam auctoritate ordinaria tibi contulerunt, et providerunt eciam de illa canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, tuque vigore collacionis et provisionis huiusmodi dictam prepositurام assecutus, illam per decem annos pacifice possedisti, prout adhuc possides pacifice et quiete. Cum, sicut eadem peticio subiungebat, tu dubites dictam prepositurام fore tempore collacionis et provisionis huiusmodi disposicioni apostolice reservatam, teque posse propterea super ipsa imposterum molestari: Nos volentes te premissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gracioso, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod collacio et provisio predicte de dicta prepositura, ut premittitur, tibi facte, et quecunque inde secuta perinde a data presencium, dummodo dictus Petrus familiaris apostolice sedis non fuerit, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac si de dicta prepositura nulla per sedem predictam specialis reservacio facta foret. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Datum Avinione IIII. Non. Maii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 93.

DCCCCLXXI.

Nicolaus ecclesiae Posnaniensi in episcopum praeficitur, et de more commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Electo Poznaniensi, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut circa cuiuslibet status ecclesie sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, ut per eius providenciam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, per quem ecclesie ipse, superni favoris auxilio suffragante, votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Poznaniensi regimini Poznaniensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie disposicioni et ordinacioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Iohannis Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi reservacionis et decreti, ut asseritur, ignari, te Canonicum eiusdem ecclesie, decretorum doctorem, in presbiteratus ordine constitutum, in Poznaniensem Episcopum, licet de facto, per viam compromissi concorditer elegerunt, tuque reservacionis et decreti predictorum inscius, electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, eciam de facto consensisti, et deinde reservacione et decreto huiusmodi ad tuam deductis noticiam, huiusmodi electionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes electionem predictam post et contra reservacionem et decretum predicta attemptata fuisse, eam, prout erat, reputamus irritam et inanem, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, vite ac morum honestate decorum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon dictorum Capituli te eligencium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus

plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere et salubriter dirigetur, ac grata suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Quocirca discreccioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, curam et administracionem ipsius ecclesie sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et administratori fructuoso gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione Nonis Maii. Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri Archiepiscopo Gneznensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Poznaniensis, Clero et populo civitatis et diocesis Poznaniensis, necnon Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Polonie Illustri, mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 455.

DCCCCLXXII.

Episcopo Sirmiensi et aliis collectoribus in Hungaria et Polonia, ut omnes pecunias collectas Venetias transmittant.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Sirimiensi, et dilecto filio Petro Stephani Archidiacono de Zaboth in ecclesia Agriensi, apostolice sedis nuncio, necnon aliis universis et singulis Collectoribus et Succollectoribus ac Commissariis in Regno Ungarie ad recipiendum, exigendum, levandum sive colligendum annalia beneficiorum, census, visitaciones sive procuraciones, denarium sancti Petri, decimas, subsidia et alia quecunque Camere apostolice debita per sedem apostolicam deputatis, salutem etc. Discrecionem vestram hortamur attencius, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus, omni mora et dilacione postpositis, vestrum singuli omnes et singulas pecuniarum quantitates sive summas ad Cameram apostolicam pertinentes per vos hactenus receptas, et omnes illas eciam, quas usque ad unum annum a data presentium computandum reciperc vos continget, Venecias transmittatis, et eas Venerabili fratri nostro Bernardo Episcopo Bononiensi, nostro in partibus Italie Thesaurario generali, seu deputato ab eo tradatis et eciam assignetis, et in hoc taliter vos habeatis, quod de negligencia, quod nobis summe displicet, nullatenus reprehendi valeatis: Nos enim eidem Episcopo recipiendi a vobis per se vel alium omnes et singulas pecuniarum summas huiusmodi, et vos de receptis quitandi damus per alias nostras litteras potestatem. Volumus tamen vobisque districtius iniungimus, quatenus vestrum singuli de omnibus et singulis pecuniis, quas eidem Bononiensi Episcopo seu deputato ab eo tradideritis seu assignari feceritis, duo similia confici facietis publica instrumenta, quorum uno penes vos retento, reliquum ad Cameram nostram non tardetis quantocius destinare. Datum Avinione VII. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri Floriano Episcopo Cracoviensi, et dilectis filiis Nicolao Electo Poznaniensi ac Petro Stephani Archidiacono in Zaboth, apostolice sedis Nuncio, necnon Nicolao Preposito ecclesie Gneznensis ac aliis universis et singulis Collectoribus et Succollectoribus et Commissariis in Regno Polonie etc. Datum ut supra.

Ex reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 70.

DCCCCLXXIII.

Episcopo Bononiensi thesaurario generali in Italia potestas recipiendi omnes pecunias a praedictis collectoribus datur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, nostro in partibus Italie Thesaurario generali, salutem etc. Per alias nostras litteras universis et singulis Collectoribus et Succollectoribus ac Commissariis ad recipiendum, exigendum, levandum sive colligendum annalia beneficiorum, census, visitaciones sive procuraciones, denarium sancti Petri, decimas, subsidia et alia quecunque Camere apostolice debita per sedem apostolicam in Regnis Ungarie et Polonie deputatis damus in mandatis, ut omni mora et dilacione postpositis, eorum singuli omnes et singulas pecuniarum quantitates sive summas ad eandem Cameram apostolicam pertinentes, per eos hactenus receptas, et omnes illas eciam, quas usque ad unum annum a data ipsarum litterarum computandum recipient, Venecias transmittant, eosque tibi seu a te deputato tradant et assignent. Quocirca fraternitati tue recipiendi nostro et dicte Camere nomine per te vel alium omnes et singulas huiusmodi pecuniarum quantitates sive summas, et illos, a quibus eas receperis, de receptis quitandi, liberandi et absolvendi auctoritate apostolica tenore presencium concedimus potestatem, et volumus, quod de omnibus et singulis pecuniis,

quas recipere te continget, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum ad Cameram nostram predictam quantocius destinare non tardes. Datum Avinione VII. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. de Curia fol. 70.

DCCCCLXXIV.

Exsecutoribus, ut sententiam pro Swanthoslao de Domanevicz rectorem ecclesiae parochialis in Iauislavicz Gnesnensis dioecesis contra Philippum Debincz latam exsequantur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Abbati monasterii sancte Marie in Arena Wratislaviensis et ... Preposito Wratislaviensis ac ... Decano sancti Agricoli Avinionensis ecclesiarum, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Swanthoslai Martini de Domanevicz Rectoris parrochialis ecclesie in Ianislavicz Gneznensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse in causa per eum contra Philippum Debincz, qui se gerit pro clerico Wladislaviensis diocesis, super dicta ecclesia, de qua tunc certo modo vacante auctoritate apostolica eidem Swanthoslao canonice provisum fuerat, et quam idem Philippus contra iusticiam occupabat et detinebat indebite occupatam, fructus percipiendo ex ea, mota et apud sedem apostolicam coram certo auditore causarum palatii apostolici ex commissione nostra diutius ventilata, unam diffinitivam sentenciam pro se et contra dictum Philippum, per quam prefata ecclesia eidem Swanthoslao adiudicata extitit, ipseque Philippus in fructibus ex dicta ecclesia perceptis et in expensis in eadem causa factis extitit condempnatus, reportavit, et super execuciòne huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transiverat iudicatam, et eciam expensarum, que ad certam pecunie summam taxate fuerant, nostras ad vos sub certa forma litteras impetravit, tuque, fili Decane, solus in huiusmodi executionis procedens negocio, prout ex forma dictarum litterarum poteras, nonnullos processus fecisti in talibus fieri consuetos, monens inter cetera prefatum Philippum, ut infra certum terminum peremptorium, tunc expressum, prefatam ecclesiam eidem Swanthoslao omnino dimitteret, sibique de fructibus per eum ex eadem ecclesia perceptis, et eciam de dicta florenorum summa pro dictis expensis satisfaceret: alioquin in eundem Philippum, si municioni huiusmodi non pareret, et in alios contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicationis, suspensionis et interdicti sentencias promulgabas. Et quod licet huiusmodi monicio ac sentencie et processus ad eiusdem Philippi indubitatam noticiam pervenissent, tamen ipse Philippus, qui dictam ecclesiam realiter dimisit in reprobum sensum datus, spretis municione et sentenciis ac processibus supradictis, claves ecclesie contempnendo, de dictis perceptis fructibus et florenorum summa pro dictis expensis infra dictum terminum, vel etiam post eidem Swanthoslao satisfacere non curavit, neque curat, et ad palliandum contumaciam suam huiusmodi quandam frivolam appellacionem a dictis processibus, ut asseritur, interposuit in anime sue periculum, apostolice sedis contemptum, et ipsius Swanthoslai non modicum preiudicium et gravamen: quare pro parte dicti Swanthoslai nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere ei super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, legitimis super hiis per te, Decane, habitis servatis processibus, processus ipsos auctoritate nostra, prout iustum fuerit, aggravetis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii seculares, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstante, si eidem Philippo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XV. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 16.

DCCCCLXXV.

Exsecutoribus, ut pro Iacobo cardinali S. Georgii ad Velum aureum sententiam de decimis scholastriae Cracoviensis contra ducem Osvencinensem latam exsequantur.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Cracoviensi et Wratislaviensi ac Marsicano Episcopis, salutem etc. Exponit nobis dilectus filius noster Iacobus sancti Georgii ad Velum aureum diaconus Cardinalis, quod olim quondam Arnaldus de Caucina, Scolasticus ecclesie Cracoviensis, in causa

per eum contra quondam Iohannem Ducem Oswancinensem, qui prefatum Arnaldum nonnullis decimis ac integris et dimidiis fertonibus decimalibus tunc expressis in dicta diocesi consistentibus, et ad Scolasticum dicte ecclesie pro tempore existentem, et eius Scolastriam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinentibus, et in quorum possessione dictus Arnaldus existebat, spoliarat, mota quondam in partibus primo, deinde duas alias diffinitas sentencias in palatio apostolico reportavit, quodque dictus Cardinalis, cum prefatus Arnaldus, antequam apostolicas litteras super executione huiusmodi sentenciarum impetrasset, fuisset vita functus, nosque eidem Cardinali de dicta Scolastria providissemus, super executione huiusmodi sentenciarum nostras ad vos sub certa forma litteras impetravit, tuque, frater Episcope Marsicane, solus in huiusmodi executionis procedens negocio, prout ex dictarum forma poteras litterarum, contra eundem Ducem nonnullos processus fecisti in talibus fieri consuetos. Cum autem, sicut eadem expositio continebat, dilectus filius nobilis vir Iohannis Dux Oswancinensis dicte diocesis, prefati quondam Iohannis filius et heres, qui Ducatum Oswancinensem tenet, prefato quondam Iohanni Duci scienter succedens in vicium, decimas et fertones predictos detineat indebite occupatos, pro parte dicti Cardinalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios legitimis super hiis per te, Episcope Marsicane, in huiusmodi executionis negocio habitis servatis processibus, eosdem processus, prout iustum fuerit, auctoritate apostolica aggravetis et contra dictum Iohannem natum, si in Ducatu et vicio huiusmodi successerit, ut prefertur, perinde auctoritate predidictarum litterarum nostrarum procedatis, ac si prefate sentencie diffinitive contra eum late et littere ipse impetrate fuissent, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si eidem Iohanni nato vel quibus aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 15.

DCCCCLXXVI.

Debeslaus ecclesiae Plocensi in episcopum praeficitur et ut moris est, commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Debeslao Electo Plocensi, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis solicitudo requirit, ut iuxta cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providenciam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus, et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, et ecclesiis ipsis votive prosperitatis afferat incrementum. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacancium, et imposterum vacaturarum apud eam ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Plocensi ex eo vacante, quod Venerabilis frater noster Stanislaus Episcopus olim Plocensis regimen ipsius Plocensis ecclesie, cui tunc preerat, ex certis racionabilibus causis per dilectum filium Duslaum Segney, Prepositum ecclesie Wisliciensis Cracoviensis diocesis, eiusdem Stanislai procuratorem, ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habentem, in manibus dilecti filii nostri Petri tituli sancte Anastasie presbiteri Cardinalis apud dictam sedem libere et sponte cessit, dictusque Cardinalis cessionem huiusmodi de speciali mandato nostro super hoc oraculo vive vocis sibi facto apud sedem admisit eandem: Nos ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa Plocensis longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Prepositum ipsius Plocensis ecclesie, in sacerdocio constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout ex fidedignis testimoniis

accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditacione pensatis, de persona tua prefate Plocensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod ipsa Plocensis ecclesia, gracia tibi assistente divina, per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam in cisdem spiritualibus et temporalibus salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Plocensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis v. Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepo Gneznensi, dilectis filii Capitulo et Vassallis ecclesie Plocensis, Clero et populo civitatis et diocesis Plocensis, ut eidem electo reverentiam etc. exhibeant.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXVI. cod. chart. fol. 34.

DCCCCLXXVII.

Archiepiscopo Gnesnensi, ut restitutionem parochialis ecclesiae in Luberzicia ab episcopo Cracoviensi factam confirmet.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Iohannis de Culma presbiteri Cracoviensis diocesis peticio continebat, quod olim bone memorie Bodzacha Episcopus Cracoviensis, nulla necessitate urgente, cum dilectis filiis Capitulo Cracoviensibus, ut predicitur, fructus parrochialis ecclesie in Luberzicia dicte diocesis divisit, ac prebendam Canonicalem ex possessionibus et decimis ipsis parrochialis ecclesie in Cracoviensi ecclesia de facto erexit, et Canonicum ad ipsam prebendam constituit, videlicet dilectum filium Nicolaum Clericum Poznaniensem, tunc ipsius parrochialis ecclesie Rectorem, ac ordinavit perpetuum vicarium in dicta parrochiali ecclesia, modicis redditibus pro huiusmodi perpetuo vicario dimissis, quodque, postmodum dicto Bodzacha Episcopo vita functo, Venerabilis frater noster Florianus Episcopus Cracoviensis, de cuius persona eidem Cracoviensi ecclesie per sedem apostolicam fuerit provisum, proinde attendens divisionem premissam fore inutilem et nimis dispendiosam, predicto Nicolao ad hoc legitime evocato, dictam parrochialem ecclesiam ad pristinum statum instituit, et de ipsa ecclesia vacante eidem Iohanni providit, ortaque propterea inter ipsos Nicolaum et Iohannem materia questionis: Nos causam huiusmodi ad ipsius Nicolai instanciam dilecto filio Iohanni tituli sanctorum Nerei et Achillei presbitero Cardinali, cum partes ipsa in Romana Curia presentes existerent, audiendam commisimus et fine debito terminandam, qui ad nonnullos actus in causa huiusmodi inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem nuper de persona dicti Nicolai ecclesie Poznaniensi tunc vacanti duxerimus providendum, pro parte dicti Iohannis nobis fuit humiliter supplicatum, ut huiusmodi institucionem per dictum Florianum Episcopum, ut premittitur, factum approbare et confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus et committimus, quatenus, si inveneris divisionem fructuum dicte parrochialis ecclesie inutiliter et nulla necessitate urgente fore factam, premissis institucionem predicte parrochialis ecclesie in statum pristinum, ut premittitur, factam auctoritate apostolica approbes et confirmes, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem etc. Datum Avinione IIII. Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXIV. cod. chart. fol. 32.

DCCCCLXXVIII.

Magistro et fratribus hospitalis S. Mariae Teutonicorum eorum domus seu hospitia in urbe et in civitatibus Montisflasconensi et Viterbiensi exempta ab habitatione cardinalium etc. reservantur.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Magistro et fratribus hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani, salutem etc. Religionis vestre puritas, in qua pro defensione et dilatatione orthodoxe fidei militatis, ac devotionis sinceritas, quam ad nos et Romanam geritis ecclesiam, nos inducunt, ut ea vobis libenter concedamus, per que vestris et vestrarum gentium commoditatibus con-

sulatur. Sane exhibita nobis pro parte vestra peticio continebat, quod in Urbe ac Viterbiensi et Montisflasconensi civitatibus, in quibus olim nonnulli felicis recordacionis Romani pontifices predecessores nostri cum eorum curia residenciam fecerunt, infrascripta domus seu hospicia ad vos spectantia iusto titulo possedistis, illaque dilectus filius Henricus Brunner, vester procurator generalis Romanam curiam sequens, tempore bone memorie Urbani pape V. vestro nomine inhabitavit, et ad suum sueque familie usum tenuit, videlicet in Urbe iamdicta hospicium, quod prope monasteria sancte Marie et sancte Catherine in Civitateleoniana, via publica mediante, qua itur a ponte Castri sancti Angeli ad Basilicam sancti Petri, et retro cum hospicio Mathei de Rosis civis Romani et Capituli supradicte Basilice confrontatur, cuius hospicii maiorem domum idem Henricus procurator fecit ut de vestro nomine edificari; in Viterbio vero duo hospicia, quorum primum situm est iuxta ecclesiam sancti Petri, via publica mediante a parte occidentis, et a parte anteriori cum strata publica, que ducit ad portam sancte Lucie, et a platea arcis papalis, a parte vero posteriori cum loco fratrum Minorum, via publica mediante, et a parte alia versus orientem cum domo Stipe et Eugilgerie confrontatur, secundum in eadem civitate situm est in plano medalie in contrata sancti Iacobi, a parte anteriori cum via publica, retro vero cum vico ab uno heredum Vannutelli Vulponis, et ab alio lateribus Pauli Squite civium Viterbiensium domibus confrontatum; in Monteflascone hospicium situm in Burgo maiori a parte anteriori, a parte posteriori in podio Viole, viis publicis mediantibus, et ab utroque latere, superiori videlicet cum Vannutelli quondam Bartholomei, et ab inferiori heredum Tucii Aldigerii civium Montisflasconiensium hospiciis confrontatur, eaque tenetis et possidetis pacifice et quiete. Verum quia, sicut in eadem peticio subiungebatur, cum aliquando, ut deo auctore speramus, contingere possit ad dictas Urbem, Viterbiensem et Montisflasconensem civitates Romanam curiam transferri, in huiusmodi translatione in civitatibus ipsis domos pro libratis seu habitacionibus Cardinalium sancte Romane ecclesie ac nostrorum et suorum officialium et familiarium, et aliorum sequentium supradictam curiam assignari, vos dubitatis propterea super dictis vestris domibus et hospiciis, si ipsis Cardinalibus aut familiaribus vel aliis dictam curiam sequentibus assignarentur, imposterum molestari, nobis humiliter supplicastis, ut vobis super hoc de oportuno dignaremur remedio providere. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, prefata domus seu hospicia, prout superius designata sunt, cum eorum pertinenciis ab omni librata ac dominio et iure cuiuscunque Cardinalis ac nostrorum et suorum officialium et familiarium, et aliorum Cortesanorum quorumcumque tenore presentium auctoritate apostolica eximimus et totaliter liberamus, etiam si constaret aliqua ex dictis domibus seu hospiciis per quemcunque officialem aut familiarem nostrum, vel alicuius Cardinalis aut alium Cortesanum occasione assignationis forsitan sibi facte inhabitata fuisse, vel ea scripta esse in libris hospiciorum cuiuscunque Cardinalium: Nos enim volumus et mandamus, ipsa domos et hospicia et eorum quodlibet de libris ipsis abradi, et in eis de cetero nunquam scribi, si secus actum fuerit, irritum decernentes. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, liberationis, voluntatis, mandati et constitutionis infringere etc. Datum Avinione IX. Kalendas Decembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Indulg. et Privileg. ep. 671. fol. 181.

DCCCCLXXIX.

Thomas electus Nimociensis collector decimarum etc. in Germania, Bohemia et Polonia, concessis certis facultatibus, constituitur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Thome electo Nimociensi, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Cum te ad Alamanie et Boemie, Polonie et certas alias partes pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negociis transmittamus, tibi, de cuius fide et discretione plenam in domino fiduciam obtinemus, in earumdem parcium civitate et diocesi, in quibus Collectores fructuum et proventuum nostre Camere debitorum seu subcollectores eorum non existunt, deputandi et constituendi subcollectores, quos et quot videris expedire, donec per nos seu officiales nostre Camere apostolice aliud fuerit ordinatum, cum potestate petendi, exigendi et recipiendi omnes et singulos fructus, redditus et proventus, ac bona ex quacunque causa eidem Camere debita et debenda in posterum, ac quittandi et absolvendi solventes de receptis dumtaxat, et concedendi eis cuilibet eorum in totum, vel in partem omnem potestatem per nos tibi traditam et tradendam, et alia faciendi et exequendi, que collectores in eisdem partibus per apostolicam sedem olim deputati vigore commissionum eis per dictam sedem factarum sub verborum tenoribus quibuscunque, quos hic habere volumus pro expressis, facere et exequi potuerunt et possent, si et cum existerent in eisdem, ac contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appel-

latione postposita, compescendi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliqui auctoritate litterarum apostolicarum ultra certa loca et numerum ad iudicium evocentur, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si alicui vel aliquibus predictorum vel aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et quibuscunque privilegiis ac litteris apostolicis quibuscunque locis, personis vel ordinibus sub quacunque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorunque totis tenoribus etiam de verbo ad verbum in nostris litteris mentio sit habenda, et per que presentis mandati nostri effectus valeat quomodolibet impediri, et insuper quoscunque predictorum occasione excommunicationis, suspensionis et interdicti sentencia seu sentenciis a nobis vel alio quocunque prolatis innodatos, cum satisfecerint, et absolutionis meruerint obtinere, si illud humiliter petierint, ab ipsis sentenciis absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam sic legati celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, dispensandi, et interdicta in quibusvis ecclesiis, terris et locis posita suspendendi et etiam relaxandi plenam tibi concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione VIII. Kal. Decembris. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. Cameral. Tom. VIII. cod. chart. fol. 205.

DCCCCLXXX.

Eidem, ut unius anni fructus beneficiorum cardinalium in illis partibus colligat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Thome Electo Nimociensi, apostolice sedis nuntio, salutem etc. Cum in Alamanie, Boemie, Polonie et ceteris aliis partibus, ad quas te pro certis nostris et ecclesie Romane negociis destinemus, fructus et proventus unius anni nonnullarum ecclesiarum et monasteriorum, dignitatum, personatuum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, ac administrationum secularium et regularium ordinum diversorum, exemptorum et non exemptorum, quorum nomina haberi volumus presentibus pro expressis, que quidem ecclesias, monasteria, dignitates, personatus, officia, beneficia et administrationes nonnulli fratres nostri dicte ecclesie Cardinales ex dispensatione apostolica obtinent, et aliis ex eisdem Cardinalibus dudum defunctis, dum agerent in humanis, ex eadem dispensatione obtinuerunt, eidem Camere debeantur: Nos de tua fide et discretione in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinentes, ac omnes et singulas dilationes per nos vel quoscunque Romanos pontifices predecessores nostros super hiis sub quacunque forma concessas tenore presencium revocantes, tibi per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios petas, exigas et recipias nomine nostro et dicte Camere huiusmodi fructus, redditus et proventus a procuratoribus eorumdem Cardinalium viventium, et ab illis, qui fuerunt procuratores Cardinalium mortuorum, si aliqua ex huiusmodi fructibus, redditibus, proventibus apud eos consistant, et a quibuscunque aliis eorumdem fructuum, redditiuum detentoribus, cuiuscunque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali vel alia qualibet prefulgeant dignitate, contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. ut in proxima precedenti plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione VIII. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. Cameral. Tom. VIII. cod. chart. fol. 204.

DCCCCLXXXI.

Eidem quaedam facultates conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Thome Electo Nimociensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te, de cuius fide et circumspectione gerimus fiduciam specialem, ad Allamanie, Boemie, Polonie et alias partes pro nonnullis nostris et ecclesie Romane negociis arduis destinemus, tibi per te vel alium seu alios quibuscunque apostolice sedis nuntiis et collectoribus fructuum et proventuum ecclesiasticorum, ac decime per nos dudum imposite in eisdem partibus prefate ecclesie debitorum, ac subcollectoribus eorumdem et commissariis super hiis per dictam sedem seu alios eius auctoritate deputatis ostendi faciendi, ac videndi et examinandi quecunque computa seu raciones quarum-

cunque pecuniarum per eosdem nuntios, collectores, subcollectores et commissarios nomine nostro et apostolice Camere pro huiusmodi fructibus et proventibus, necnon pro denario sancti Petri ac subsidiis et censibus et alia quacunque ratione preter ipsum pro communi fruitione receptarum et recipiendarum toto tempore, quo huiusmodi nunciationis officium prosequeris, ac pecunias ipsas et quelibet alia tam pecunias, quam alia res et bona Camere prefate debita et debenda imposterum, durante tua prosecucione huiusmodi, a quibuscunque secularibus personis ecclesiasticis, etiam religiosis et secularibus, necnon Capitulis et Conventibus exemptis et non exemptis, ac universitatibus petendi ac recipiendi et de receptis quittandi et absolvendi solventes, terminos quoque per quoscunque super premissorum solucione statutos prorogandi, ipsasque pecunias per modum cambii vel alias ad dictam Cameram transmittendi, et insuper quoscunque predictorum occasione excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencia seu sentenciis a nobis et alio quocunque prolatis innodatos, cum satisfecerint, et absolutionis beneficium meruerint obtinere, si illud humiliter pecierint, ab ipsis sentenciis absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam sic ligati celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, hac vice dispensandi, et interdicta in quibuscunque ecclessiis, terris et locis suspendendi, relaxandi et alia faciendi, que circa hec fuerint oportuna, contradictores quoque, cuiuscunque status, ordinis vel condicionis existant, eciamsi pontificali vel alia qualibet prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et alia oportuna remedia, appellacione postposita, compescendi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri in quibus cavetur, ne aliqui etc. Ceterum volumus, quod de computis, que exaraveris, reddas gentes dicte Camere cerciores. Datum Avinione VIII. Kal. Decembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Bull. Cameral. Tom. VIII. cod. chart. fol. 202.

DCCCCLXXXII.

Venceslaus ecclesiae Lubucensi in episcopum praeficitur, et archiepiscopo Gnesnensi etc. commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Wenceslao Slezie Electo Lubucensi, salutem etc. Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, gubernare. Dudum siquidem bone memorie Petro Episcopo Lubucensi regimini Lubucensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolicc sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Petri Ep̃i, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad ipsius ecclesie provisionem celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum ecclesie Wratislaviensis, in subdiaconatus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum accepimus testimonio, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Lubucensi ecclesie de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Ep̃um et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata Lubucensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca tue discrecioni per apostolicc scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et eciam studiosum, quod ecclesia ipsa gubernatori pro-

vido et fructuoso administratori gaudet se commissam, tuque proinde preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Dat. Avinione III. Nonas Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepo Gneznensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Lubucensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Lubucensis, mutatis mutandis.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 489.

DCCCCLXXXIII.

Cum eodem Venceslao super aetatis defectu dispensatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Wenceslao Slezie Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Divine super eminencia largitatis nonnunquam sic in multis gracie sue dona diffundit, ut eciam in annis minoribus constituti per suarum virtutum merita defectum suppleant etatis, quod ad dignitatum merentur culmina promoveri. Cum itaque nos ecclesie Lubucensis pastoris ad presens solacio destitute de persona tua propter grandia dona virtutum, quibus personam ipsam novimus multipliciter insignitam, intendamus hodie providere, tuque paciaris in etate defectum, cum in vicesimo octavo etatis tue anno constitutus existas, nos sperantes, quod tu per huiusmodi tua merita et alia tibi affutura suffragia, quibus es circumfultus, eris eidem ecclesie, auctore domino, multipliciter fructuosus, tecum, ut defectu premisso necnon Lateranensis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, curam regiminis et administracionis huiusmodi ecclesie libere recipere, illamque in spiritualibus et temporalibus gerere ac exercere licite valeas, auctoritate apostolica tenore presencium dispensamus. Nulli etc. nostre dispensacionis infringere etc. Dat. Avinione III. Non. Decembris. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 260.

DCCCCLXXXIV.

Episcopo Tarbatensi, ut de valore possessionum, quas ecclesia Rigensis in dioecesi Sverinensi vendere velit, inquirat et referat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tarbatensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Prepositi, Prioris et Capituli ecclesie Rigensis ordinis sancti Augustini peticio continebat, quod ipsi habent et a longis temporibus citra habuerunt in diocesi Zwerinensi, a diocesi Rigensi per ducentas magnas leucas vel circiter distante, nonnullas possessiones et alia bona et iura, que a bonis mense Archiepiscopalis Rigensis sunt omnino discreta, et que tam propter locorum distanciam, quam propter guerrarum turbines, que in illis partibus viguerunt et vigent eciam de presenti, ac eciam invasiones et devastaciones principum et aliorum dominorum temporalium, sub quorum dominio bona, possessiones et iura ipsa consistunt, a pluribus annis citra fuerunt ipsis penitus inutilia, prout sunt eciam de presenti, et multo plus in eis expenderunt annis singulis, et nunc eciam expendunt, quam perceperint seu percipiant ex eisdem. Quare pro parte dictorum Prepositi, Prioris et Capituli nobis extitit humiliter supplicatum, ut eis vendendi bona, possessiones et iura predicta, ita tamen quod precium, quod ipsi ex bonis, possessionibus et iuribus predictis habuerint, in acquisicione aliorum bonorum ac possessionum et iurium ipsis magis utilium convertatur, licenciam concedere de bengnitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis evocandis, de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis, et presertim de distancia et valore bonorum, possessionum et iurium predictorum, et si bona, possessiones et inra predicta venderentur, quantum posset communi extimacione reperiri, et si iidem Prepositus, Prior et Capitulum alia bona, possessiones et iura ipsis melius sedentia, et eciam utiliora pro precio huiusmodi, quod ex dictis bonis, possessionibus et iuribus in dicta diocesi Zwerinensi consistentibus haberent, acquirere valerent, et an ex hoc, si fieret, Prepositis, Prioris et Capituli ac ecclesie predictorum condicio efficeretur melior, auctoritate apostolica diligencius te informes, et quicquid per informacionem huiusmodi repereris, per tuas litteras in publicam formam redactas, tuoque sigillo signatas harum seriem continentes fideliter nobis quamtocius intimare procures, ut nos per informacionem tuam huiusmodi de premisssis sufficienter instructi, quod super eis expediens fuerit, auctore domino, securius agere valeamus. Datum Avinione Nonis Decembris. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 255.

DCCCCLXXXV.

Venceslao electo Lubucensi, ut a quocumque antistite catholico munus consecrationis suscipere possit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Wenceslao Electo Lubucensi, salutem etc. Cum pridem nos ecclesie Lubucensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati, tibi, ut a quocunque malueris catholico antistite, graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis, similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis recipere valeas, ac eidem antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod idem antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quamtocius destinare procures, quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Gneznensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione III. Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXV. cod. chart. fol. 297.

DCCCCLXXXVI.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis preposito ac . . . decano ecclesie Wratislaviensis, salutem etc. Constituuntur iidem Conservatores Prioratui in Gezow ord. S. Benedicti Gneznensis diocesis. Datum Avinione XVI. Kal. Maii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Abbati monasterii in Padis Revaliensis diocesis, salutem etc. Mandat ei, ut Henningho Hamersle presbitero Osiliensis diocesis perpetuam capellaniam ad altare S. Trinitatis in ecclesia Osiliensi, vacantem per obitum Heydenrici de Saxonia, conferri curet. Datum Avinione XV. Kal. Februarii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Ulsen Rectori parrochialis ecclesie in Wenden Tarbatensis dioc. salutem etc. Confert ipsi Rectoriam dicte ecclesie. Datum Avinione VIII. Kal. Maii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Strelitz Canonico Scarbimiriensi, salutem etc. Confert ipsi ecclesiam parrochialem in Laurenticz Cracoviensis diocesis. Datum Avinione III. Non. Decembris. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Warmiensi, et dilectis filiis Culmensis et Wratislaviensis ecclesiarum Prepositis, salutem etc. Constituuntur iidem Conservatores Abbatisse et Conventui Strelinensi ord. Premonstratensis Wratislaviensis diocesis. Datum Avinione VIII. Id. Maii. Pontificatus nostri Anno V.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Indulgetur eidem, ut in maiori et in tribus collegiatis ecclesiis sue diocesis, in maiori octo et in singulis trium collegiatarum ecclesiis singulis personis idoneis beneficia ecclesiastica conferre possit. Datum Avinione XII. Kal. Februarii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Metzlao Ade Canonico Cracoviensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia vacantem per obitum Nicolai Cozuek. Datum Avinione V. Id. Februarii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iaroslao Dirskonis dapiferi Kalissiensis Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi canonicatum in dicta ecclesia. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis X. Kal. Octobris. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Michaeli Wischow Decano ecclesie Warmiensis, licentiato in decretis, Capellano nostro, salutem etc. Renunciat eum capellanum pontificium. Datum Avinione XIV. Kal. Martii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Theoderico de Damerow Preposito ecclesie S. Marie Cracoviensis, in utroque iure Bacalario, salutem etc. Confert ipsi consideratione Caroli Romanorum Imperatoris, cuius Secretarius et continuus commensalis existit, dictam prepositurarn, quam Nicolaus electus Poznaniensis tempore sue promotionis obtinebat; indulgetque, ut canonicatus et prebendas in Caminensi et Spirensi ecclesiis retinere possit. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis v. Idus Septembris. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Gotscalco Benermani Canonico Tarbatensi, Magistro in Artibus, salutem etc. Confert ipsi, qui Parisiis in artibus gradum magisterii suscepit ibique per quatuor annos in iure canonico scolaris fuit, canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione viii. Kal. Maii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis . . . Wratislaviensi ac . . . S. Crucis in Opol Wratislaviensis diocesis ecclesiarum Decanis, salutem etc. Ut Petro Strelitz Canonico Poznaniensi canonicatum et prebendam in ecclesia Scarbimiriensi Cracoviensis diocesis conferri curent, dummodo ipse de provincia Gneznensi vel alia ipsi provincie vicina oriundus sit, et sciat loqui idioma, quod incole loci, in quo dicta ecclesia Scarbimiriensis consistit, loquuntur. Datum Avinione xv. Kal. Aprilis. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Goswini Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi, qui Padue per plures annos in iure canonico studuit, canonicatum in dicta ecclesia. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis viii. Id. Iunii. Anno V.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio . . . Officiali Poznaniensi, salutem etc. Mandat ei, ut Conrado Iordani de Cracovia Clerico, Magistro in Artibus, canonicatum in dicta ecclesia conferri curet. Datum Avinione vi. Id. Novembris. Anno V.

Ex Reg. orig. An. V. Tom. XXIII. cod. chart. fol. 242. et Tom. XXIV. fol. 59, 65, 250, 474. et Tom. XXV. fol. 18, 84, 237, 315. et Tom. XXVI. fol. 106, 171, 268, 383 et 385.

DCCCCLXXXVII.

Ioanni canonico Crusvicensi beneficium ecclesiasticum in dioecesi Culmensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Angeli Canonico ecclesie Cruswiciensis Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad Venerabilis fratris nostri Episcopi Culmensis et dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli, singularumque personarum ecclesie Culmensis collacionem, provisionem, presentacionem, seu quamvis aliam disposicionem communiter vel divisim pertinens, etiam si in ecclesia predicta existat, dummodo Canonicatus et prebenda ecclesia cathedralis non fuerint, si quidem vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de ipsius beneficii vacatione constiterit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem Episcopo, Preposito, Decano, Capitulo et personis, ne de huiusmodi beneficiis, interim et ante acceptacionem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus ipsam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Culmensis etc. Datum Avinione xviii. Kal. Februarii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. III. cod. chart. fol. 391.

DCCCCLXXXVIII.

Petro cardinali Portuensi confertur canonicatus et praebenda in ecclesia Agriensi, quos Mathias electus Halicicnsis tempore suae promotionis obtinebat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Portuensi, salutem etc. Dum ad personam tuam, quam divina clemencia variis illustravit muneribus gratiarum, paterne dirigimus con-

sideracionis intuitum, et attente prospicimus, quod Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras magnitudiue meritorum, dignum reputamus et congruum, ut illa te gratia favorabiliter prosequamur, per quam oportunitatibus tuis pro expensarum supportandis oneribus, que iugiter te oportet subire, valeas providere. Nuper siquidem de persona dilecti filii Mathei, clerici Haliciensis ecclesie, Halicicnsi tunc pastore carenti auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum ipsum cidem ecclesie in Episcopum et pastorem. Cum itaque propterea Canonicatus et prebenda ecclesie Agriensis, quos idem electus tunc temporis obtinebat, prout adhuc possidet, per huismodi provisionem et manus consacrationis ab eodem electo suscipiendum vacare speretur in brevi: nos volentes tuis oportunitatibus, ut incumbencia tibi expensarum onera commodius supportare valeas, de alicuius subveutionis auxilio providere, tibique gratiam facere specialem, Canonicatum et prebenda predictos, cum eos, ut preferetur, seu per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a Canonibus diffiniti, vel alio quovis modo, preterquam per dicti clerici obitum, vacare contigerit, conferendos tibi cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertineuciis motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Ep̃o et dilectis filiis Capitulo Agriensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos ipsorum Canonicatus et prebende collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ue de dictis Canonicatu et prebenda contra reservatiouem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Agriensis etc. Datum Avinione VII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. III. cod. chart. fol. 99.

DCCCCLXXXIX.

Iudicibus, ut Ioannem de Cruschin militem dioecesis Culmensis et complices, qui Wicboldum episcopum Culmensem cum sociis captivarunt, non obstantibus eiusdem episcopi promissionibus et obligationibus, excommunicatos etc. nuntient.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Caminensi et ... Pomezanieusi ac ... Warmiensi Ep̃is, sal. etc. Si quis culpas deliquentium sineret impunitas, ausus malignandi succrescerent, et mali prohibitio nulla esset. Sane dudum clamoris horribilis, invalidi et infesti nimium dolorosa insinuatio pertulit ad nostri apostolatus auditum, quosdam iniquitatis filios diabolico exagitatos spiritu, videlicet Iohannem de Cruschin militem Culmensis diocesis, ac nonnullos suos complices et socios, in tante temeritatis audaciam, tamque nephandum scelus et detestandum genus sacrilegii prorupisse, quod sevisse et sevire in christos domini contra preceptum ipsius per prophetam, dicentem: Nolite tangere christos meos; presumptuosis et dampnandis ausibus non verentes venerabilem fratrem nostrum Wigboldum Episcopum Culmensem, qui eciam ordinis fratrum hospitalis beate Marie Theotonicorum Ierosolimitani professor existebat, prout existit, ac dilectum filium Nicolaum de Colberg ipsius Episcopi capellanum, et quosdam alios de familiaritate ipsius Episcopi existentes iniuriosis, violentis et sacrilegis ausibus capere, ipsos Episcopum et familiares nonnullis eorum bonis mobilibus nequiter et unanimiter spoliando, ipsosque captos carceribus aliquamdiu detinere miserabiliter presumpserunt in divine maiestatis offensam, et apostolice sedis ac nostri et ecclesie dei totiusque Christiane religionis opprobrium, lesionem libertatis ecclesiastice, ac eiusdem Ep̃i et ecclesie Culmensis sponse sue offensam, enormem iniuriam, exempli perniciem, et grave nimis scandalum plurimorum, propter que ipsos sacrilegos excommunicationis sentencias ac privationis et inhabilitatis aliasque penas adversus talium presumptores a sacris promulgatas et inflictas sanctionibus incurrisse dampnabiliter dubium non existit. Postmodum vero prefatus Episcopus, qui, postquam eisdem Iohanni et aliis suis complicibus et sociis certam obligationem per suas certi tenoris litteras fecerat, ab huiusmodi carceribus extitit liberatus, nobis pro absolutione premissorum sacrilegorum et relaxationem penarum, quas propterea incurrerant, supplicavit. Quarum quidem supplicationis et litterarum obligationis tenores sequuntur in hec verba. Exponitur Sanctitati vestre pro parte devoti oratoris vestri Reverendi patris dñi Wigboldi Episcopi Culmensis, quod cum ipse dudum captus et detentus pro liberatione sua fecerit certas promissiones et obligationes iuramento, fideiussoribus et pena vallatas suoque sigillo sigillatas, quarum tenor de verbo ad verbum inferius describitur: idcirco idem dominus Episcopus ad observationem contentorum in ipsa promissione

supplicat eidem sanctitati, quatinus omnes et singulos in dictis promissionum litteris contentos, a sentenciis, quibus ligati sunt propter contenta in ipsis litteris seu promissionibus, absolvere et penas et censuras relaxare, vel alicui probo viro in partibus committere, qui ipsos absolvat et relaxet sentencias supradictas in omnibus et per omnia, prout pro parte dicti domini Episcopi extitit promissum, misericorditer dignemini. Nos Wigboldus dei gratia Episcopus Culmensis universis et singulis, ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem in domino. Ad Universitatis vestre noticiam deducere cupimus et tenore presentium recognoscimus, non coacti, nec illecti aut decepti, non per errorem, sed ex certa nostra sciencia publice profitemur, dominum Iohannem de Cruschin militem cum sociis suis militibus et militaribus armigeris et comitiva sua, hostes nostros publicos, dum et quando ad captionem nostram processerunt, iuste et rationabiliter motos fuisse, utpote quia diffidatione premissa certis ex causis, quos nos viceversa diffidavimus, et ipsos in casu consimili cepissemus, aliisque dampnis affligendo, si facultas nobis affuisset, et diffidatio predicta et captio persone nostre, Nicolai de Colberg presbiteri, capellani nostri commensalis, et familiarium nostrorum commissa extitit, penitus ignorantibus et religiosis viris dominis Magistro, Preceptoribus et fratribus ordinis beate Marie Theotonicorum, qui de casu premisso nunquam fuerunt per nos certificati, nec pro defensione nostra requisiti, qui non ad ipsorum noticiam verisimiliter poterat pervenire, cum ipse nobis sub noctis silencio in nostro stratu recumbentibus soporatis accidisset, quapropter, ut prefertur, non coacti, nec illecti, bona fide, omni dolo et fraude penitus cessantibus, quod nobis, Nicolao de Colberg capellano nostro, et familiaribus nostris predictis omnem iniuriam personalem et realem occasione premissa nobis irrogatam, et omnes actiones exinde natas et subortas nobis contra dominum Iohannem de Cruschin et socios suos predictos competentes eisdem remittimus, et presentibus relaxamus et penitus abolemus, restitutionem dampnorum, expensarum, interesse oblatorum quorumcunque nullo tempore per nos aut interpositas personas ab eisdem petimus, ymmo oblata nobis et remissa ipsis inter vivos irrevocabiliter concedimus et donamus, nec litem de et super premissis inferemus, aut questionem movebimus coram quocumque iudice ecclesiastico vel seculari in Romana Curia sive extra, aut inferenti litem vel questionem moventi consentiemus, et si qua, quod absit, lis inferretur eisdem, aut questio moveretur premissorum pretextu, hanc nostris expensis tenebimur disbrigare, ex officio nostro propter premissa processus aliquos sentenciarum censure fulminatorios non faciemus, vel ipsos alias qualitercunque vexabimus directe vel indirecte in iudicio sive extra per nos, per alium seu alios, et quia ob violentam manuum iniectionem in personas nostras ipso facto sentencias excomunicationis et alias penas iure scriptas, quas capientes Episcopos incidunt, ipso facto incurrerunt, ipsos non faciemus in nostra diocesi neque extra excommunicatos denunciari, nec ad executionem penarum procedemus, ymmo absolutionem (ab) excomunicationum sentenciis a sede apostolica et dispensationem super commissione penarum nostris expensis procurabimus, et commissionem ad partes, quatinus in forma ecclesie absolutionis beneficium valeat impertiri hic in partibus auctoritate supradicte sedis, quodque si absolutionem et dispensationem nostris expensis non possemus obtinere, et commissionem, ut prefertur, a sede apostolica supradicta, extunc solvemus eisdem quatuor milia marcharum pruthenicalis monete, de qua summa pecunie, et de eius tunc solutione per nos facienda ipsos volumus plene certificare, et eis de hoc per sufficientem et ydoneum fideiussorem cautionem sufficienter et ydonee cavere, et quia citra detentionem nostram tanquam hostes nostri publici vita salve absque alia executione, mulcta, pena et de pecuniatione nos liberos dimiserunt, ipsis gratiarum actiones uberrimas assurgimus, humiles referendo grates. Ceterum bona fide promittimus modis omnibus et viis melioribus, quibus possumus, nos facturos et curaturos, quod honorabiles et religiosi viri dñi Winricus de Knyprode, qui nunc est Magister generalis, Preceptores et fratres ordinis beate Marie Theutonicorum dictum dominum Iohannem militem de Cruschin cum sociis suis, et sibi adherentibus supradictis impune et libere dimittant propter offensam nostram et violentias nobis illatas, ut prefertur, nec aliquam exactionem factam vel mulctam, nec penam pecuniariam extorqueant, aut alias vexationem faciant eisdem propter premissa, insuper subiungentes, quod cum dicto domino Iohanne et sociis suis et eisdem adherentibus supradictis volumus habere perpetuam pacem et firmam amicitiam, assumentes ipsas favorabiliter in affectum favoris singularis, et licet suprascripsimus, quod ipsos per diocesim nostram et extra non denunciabimus, declarabimus, nec denunciari faciemus ipsos ob violentas manuum iniectiones in personas nostras excommunicationis sentencias incidisse, et alias penas per aliam tamen viam propter communionis et periculum participii, ut in hoc fidelium (saluti) consulatur, cura-

bimus providere, et premissa omnia et singula iuramus ad sancta dei ewangelia, et promittimus ea perpetuis temporibus inviolabiliter observare, Renunciantes actioni doli mali, condictioni sine causa in factum, actioni quod metus causa, restitutioni in integrum, et specialiter constitutioni consilii generalis Lugdunensis quondam sancte memorie domini Gregorii pape X. que incipit: Absolutionis, quod metus causa libro VI. Datum Tzulschaw anno domini MCCC. septuagesimo quinto, feria tertia proxima post festum sancti Urbani, et sigillum nostrum est appensum littere presenti in testimonium omnium premissorum. Nos igitur, qui premissam supplicationem admittere et concedere omnino recusavimus, attendentes, quod parum esset iura fuisse condita, nisi essent, qui tuerentur, et executioni debite demandarent eadem, quodque hec sunt culpe, in quibus culpa est relaxare vindictam, considerantes quoque, quod excessus quoque predictos tam detestabiles et enormes non debemus, nec volumus, urgente pastoralis officii debito, sub dissimulationis transire neglectu, et quod etiam iuramentum iniquitatis vinculum esse non debet, quodque ea, que vi metusve causa fuerint (facta), carere debent roboris firmitate, vobis et vestrum singulo in virtute obediencie iniungimus et sub pena excommunicationis, quam in vos et vestrum singulos, qui mandata nostra huiusmodi exequi cum effectu contempseritis, proferimus, districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios etiam ex officio premissas et alias quascunque promissiones et obligationes, sive summissiones ac fideiussiones tam per dictum Episcopum, ut premittitur, quam per alios quoscunque directe vel indirecte presentialiter aut alias prestitas, non obstantibus iuramentis super eis qualitercunque prestitis, que tenore presentium relaxamus, prout iustum fuerit, pronuncietis et declaretis esse nullas, et insuper in singulis ecclesiis atque locis, de quibus vobis videbitur expedire, presente Cleri et populi multitudine copiosa, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis eampanis et candelis accensis, et demum extinctis in signum maledictionis eterne, quoscumque captivitatores et etiam detentores Episcopi et familiarium predictorum, illos etiam, qui captionem et detentionem huiusmodi fieri mandaverunt aut procurarunt, seu ab aliis factas ratas habuerunt, aut ipsorum socii seu eorumdem capientium vel detinentium in hiis defensores fuerint, seu prestiterint auxilium, consilium vel favorem quemcunque, et quotcunque fuerint, generaliter universos et singulos excommunicatos a canonibus et sacris constitutionibus, necnon omnibus fundis, locationibus, officiis et beneficiis spiritualibus et temporalibus, que ab ecclesia, cui dictus Ep̄us preest, tenent, privatos esse, filios quoque ipsorum per masculinam lineam descendentes usque ad secundam generationem ad beneficia ecclesiastica obtinenda in Civitate et diocesi Culmensi, omni spe dispensationis adempta, esse inhabiles et indignos, terramque ipsorum, dum tamen ultra unam dietam non contineat, quod si duas dietas vel ultra contineat, dietas domicilii principalis ipsorum et eorum cuiuslibet, ac illam etiam, in qua fuit dictum maleficium perpetratum, si sua sit, et duas alias, que sub ipsis vel eorum aliquo sint eidem loco magis vicine, usque ad satisfactionem condignam premissorum subiacere interdicto ecclesiastico publice nuncietis, ab eisdem denunciationibus faciendis, ut premittitur, non cessantes, quousque sacrilegi ac malefactores predicti de premissis satisfactionem condignam prestiterint, et ea nobis meruerint absolutionis beneficium obtinere, et nichilominus omnes et singulos, quos vobis esse culpabiles simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii constiterit, excommunicatos aliasque penas et sentencias incurrisse predictas nunciare nominatim et publice studeatis; super aliis vero vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odo vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri etc. usque mentionem. Datum Avinione III. Nonas Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. divers. Tom. III. cod. chart. fol. 673.

DCCCCXC.

Officiali Vratislaviensi, ut Ioanni Felicis parochialem ecclesiam hospitalis S. Spiritus Vratislaviensis confirmet.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Wratislaviensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Sane peticio dilecti filii Iohannis Felicis Canonici monasterii sancte Marie in Arena extra muros Wratislavienses ordinis sancti Augustini nobis nuper exhibita continebat, quod

olim parrochiali ecclesia, Prepositura nuncupata, hospitalis sancti Spiritus extra dictos muros eiusdem ordinis, que per Canonicos ipsius monasterii gubernari consuevit, et quam quondam Iohannes de Paczkow Canonicus dicti monasterii ac eiusdem ecclesie Rector, Prepositus nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Iohannis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Iohannes Abbas et Conventus dicti monasterii, veri patroni eiusdem ecclesie, in pacifica possessione, vel quasi iuris presentandi Rectorem ad eandem ecclesiam existentes, dictum Iohannem Felicis ad eandem parrochialem ecclesiam Venerabili fratri nostro Pretzlao Episcopo Wratislaviensi infra tempus debitum presentarunt, idemque Episcopus prefatum Iohannem Felicis ad presentacionem huiusmodi in Rectorem eiusdem ecclesie auctoritate ordinaria instituit canonice, nisi apostolice reservationes obstarent, aut ipsa ecclesias alias, quam premittitur, vacavisset, seu eius collatio esset ad sedem apostolicam secundum statuta Lateranensis concilii legitime devoluta. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Iohannes Felicis dubitet prefatam parrochialem ecclesiam tempore presentacionis seu institucionis huiusmodi fore dispositioni apostolice reservatam, aut ex eo, quod aliquis ex predecessoribus suis in eadem ecclesia se forsan non fecit, legitimo impedimento cessante, et aliqua super hoc canonica dispensatione non obtenta, infra tempus debitum ad sacerdotium promoveri, vel per inhabilitatem alicuius ex eisdem predecessoribus vacavisse, aut eius collationem ad dictam sedem secundum statuta predicta devolutam fuisse, et propterea se posse super ea imposterum molestari: Nos volentes eundem Iohannem Felicis, apud nos de religionis zelo, vite ac morum honestate, et aliis virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, ipsius Iohannis in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si per diligentem examinationem eundem Iohannem Felicis bene legere, bene construere et congrue loqui latinis verbis, et alias ad dictam parrochialem ecclesiam obtinendum ydoneum esse reppereris, vel etiam si idem Iohannes non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinationis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscienciam oneramus, eidem Iohanni Felicis apostolica auctoritate concedas, quod presentacio et institucio predicte, et quecumque inde secuta perinde a data presentium, dummodo prefatus Iohannes Prezkow familiaris noster, dictaque parrochialis ecclesia dispositioni apostolice generaliter reservata non fuerit, valeant et plenam obtineant roboris firmitatem; ac si de dicta parrochiali ecclesia nulla per sedem predictam specialis reservacio facta foret, aut ecclesia ipsa ex eo, quod aliquis ex ipsis predecessoribus promotus non fuerit, ut prefertur, seu per inhabilitatem huiusmodi minime vacavisset, ac eius collatio ad dictam sedem secundum prefata statuta devoluta non fuisset. Datum Avinione VI. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. de Indulg. et Privileg. fol. 141.

DCCCCXCI.

Boguslaus de Oporow camerae apostolicae medios primi anni fructus scholastriae suae Lancitiensis solvere per procuratores se obligat.

In nomine domini amen. Sub anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, Indictione XIII., die XVI. mensis Februarii, hora tercia vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Gregorii digna dei providencia pape undecimi anno sexto, In domo honorabilis viri domini Boguslay de Opporow Scolastici Lanciciensis Gneznensis diocesis, circa ipsam ecclesiam Lanciciensem situata, in mei notarii et testium subscriptorum presencia constitutus personaliter idem dñus Boguslaus Scolasticus Lanciciensis fecit, constituit et prout melius potuit, ordinavit honorabiles et discretos viros dominos magistrum Swanchoslaum Custodem Curzeloviensem dicte Gneznensis diocesis, necnon Petrum dictum Kaczca Cantorem Wisliciensem et Canonicum Cracoviensem, ac Petrum Strelicz procuratorem litterarum domini nostri pape in Romana curia nunc morantes, absentes tamquam presentes, et Martinum dictum Schoffenrot plebanum de Lubochna predicte Gneznensis diocesis presentem et onus procurationis in se sponte suscipientem, omnes et eorum quemlibet insolidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi valeat et finire, suos veros et legitimos procuratores, actores, factores et nuncios speciales ad obligandum se pro eo et ipsius nomine Camere apostolice, coram quibuscunque personis ad hoc per sedem apostolicam deputatis, pro mediis fructibus primi anni ratione dicte Scolastrie sue Lanciciensis, de qua sibi in partibus auctoritate ordinaria canonice extitit provisum, et eadem provisio per sedem apostolicam nunc fuit confirmata, dans

et concedens dictis suis procuratoribus et eorum cuilibet insolidum plenam et omnimodam potestatem et mandatum speciale, se pro eo et eius nomine pro huiusmodi fructibus primi anni de iamdicta Scolastria Lanciciensi in Camera apostolica, coram quibuscunque personis ad hoc deputatis, ad solvendum in certis terminis sub quibuscunque penis et censura ecclesiastica more solito obligandi, necnon alium seu alios procuratores loco sui substituendi et revocandi, quotiens fuerit opportunum, et generaliter omnia et singula, que circa premissa necessaria fuerint, faciendi et exercendi, eciam si mandatum exigant magis speciale, et que ipsemet constituens in premissis facere posset, si personaliter interesset, promictens ratum, gratum atque firmum tenere perpetuo et habere, quidquid per eosdem procuratores suos seu eorum alterum factum et ordinatum fuerit in premissis et quolibet premissorum, sub rerum suarum mobilium et immobilium omnium ypotheca. Acta sunt hec anno, Indictione, die, mense, hora, Pontificatu et loco, quibus supra, Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Nicolao Scolastico et Barcha Cantore Wladislaviensibus, Mathia Vicecustode Lanciciensi et Bartholomeo plebano Bogosszicze dicte Gneznensis diocesis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et ego Albertus Allexii de Glandzanow clericus Gneznensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, predicte procuratorum constitucioni, stipulacioni omnibusque aliis et singulis suprascriptis, dum sic agerentur et fierent, unacum prenominatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam redegi, signo et nomine meis consuetis consignans in testimonium premissorum.

Ex Instrum. miscell. Caps. 230. Nro. 13.

DCCCCXCII.

Episcopo Vladislaviensi, ut cum Petro Ruse et Catherina super matrimonio ineundo dispenset.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Oblate nobis pro parte dilecti filii Petri Ruse de Thurun laici et dilecte in Christo filie Catherine relicte quondam Iohannis Leshorn laici vidue Culmensis diocesis peticionis series continebat, quod ipsi, communium consanguineorum et amicorum intervenienti tractatu, desiderant invicem matrimonialiter copulari; sed quia iidem Petrus et Catherina quarto sunt inter se affinitatis gradu coniuncti, id facere nequeunt, dispensacione super hoc non obtenta: quare pro parte ipsorum Petri et Catherine nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis de oportuno remedio super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui votis fidelium ad caritatem conservandam, iuris vigorem etiam temperando, frequenter annuamus, Petri et Catherine predictorum in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita, dictaque Catherina propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Petro et Catherina, ut ipsi, impedimento, quod ex dicta affinitate provenit, non obstante, matrimonium inter se contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando. Datum Avinione VII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri Anno VI.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. divers. Tom. II. fol. 286.

DCCCCXCIII.

Ioanni nato quondam Nicolai de Rugettel canonicatus in ecclesia Varmiensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni nato quondam Nicolai de Rugettel Canonico Warmiensi, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica per obitum quorumcunque Capellanorum sedis apostolice, ubicunque decedentium, tunc vacantia et imposterum vacatura collationi et dispositioni nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate sciente vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Warmiensis, quos quondam Wicboldus Wicboldi de Elbingo ipsius ecclesie Canonicus, dicte sedis Capellanus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Wicboldi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsis canonicatu et prebenda disponere potuerit neque pos-

sit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos volentes tibi, qui ut asseris, de genere militari ex utroque parente existis, premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione dilecti filii nostri Symonis tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbiteri Cardinalis, pro te dilecto familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis eciam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit in posterum attemptari, Non obstantibus etc. Datum Avinione x. Kalendas Maii. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. divers. Tom. I. cod. chart. fol. 289.

DCCCCXCIV.

Decano Varmiensi, ut Theoderico de Wernersdorf canonicatum in ecclesia Crusviciensi Vladislaviensis dioecesis conferri curet.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Decano ecclesie Warmiensis, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Volentes igitur dilectum filium Theodoricum de villa Wernhersdorf presbiterum Pomezaniensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi generoso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si post diligentem examinationem eundem Theodoricum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscienciam oneramus, eidem Theodorico de canonicatu ecclesie sancti Petri Cruswiciensis Wladislaviensis diocesis cum plenitudine iuris canonici auctoritate nostra provideas, faciens ipsum Theodoricum vel procuratorem suum eius nomine in eadem ecclesia auctoritate predicta in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, quam dictus Theodericus per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandam, conferendam dicto Theoderico post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi tue auctoritate nostra reserves, districtius inhibendo, Venerabili fratri nostro Episcopo Wladislaviensi et dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in ipsa ecclesia predictarum collatio, provisio, presentatio seu quavis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de dicta prebenda ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod Theodericus vel procurator predictus illam noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac nichilominus predictam, quam reservabis si, ut premittitur, vacat, vel cum vacaverit, eidem Theoderico post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate prefata conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Theodericum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prebende, ac iuriumque ac pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, sibique faciens de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus etc. Datum Avinione III. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. divers. Tom. I. cod. chart. fol. 464.

DCCCCXCV.

Nicolao de Curia Regnitz canonicatus in ecclesia Vratislaviensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao de Curia Regnitz Canonico Wratislaviensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie Wratislaviensis, quos dilectus filius Wenceslaus Electus Lubucensis tempore promotionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Lubucensem tunc vacantem obtinebat, sicut adhuc obtinet, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis ab eo suscipiendum in proximo vacare sperentur: Nos volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione dilecti filii nostri Petri sancti Eustachii diaconi Cardinalis, pro te dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, cum illos, ut premittitur, vel per lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti aut alias quovis modo, preterquam per

ipsius electi obitum, vacare contigerit, confcrendos tibi cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibendo Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Wratislaviensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos ipsorum canonicatus et prebende collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de illis contra reservationem nostram huiusmodi disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus quibuscunque statutis etc. Datum Avinione III. Idus Maii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. I. Bull. divers. cod. chart. fol. 411.

DCCCCXCVI.

Universis capellam S. Antonii prope Regiomontum Sambiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is etc. usque aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Iohannis de Stratis, domicellus Tornacensis diocesis, et nonnulli alii prope villam Koningesbergh Sambiensis diocesis quandam capellam in honorem et sub vocabulo beati Anthonii Confessoris construxerunt, fundaverunt pariter et dotaverunt, nos cupientes, ut capella ipsa congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, et ad ipsius capelle fabricam manus porrigant adiutrices, quo ibidem ex hoc uberius dono celestis gracie conspexerint se rcfertos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum cius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Pentecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum apostolorum Petri et Pauli ac dicte ecclesie dedicationis festivitatibus, ac in celebritate Omnium sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie, beati Iohannis, apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes prefatam capellam devote visitaverint annuatim, et ad fabricam ipsius manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis centum, ac octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus predictam capellam visitaverint et manus adiutrices porrexerint, ut prcfertur, quinquaginta dies de iniunctis eis pcnitenciis misericorditer relaxamus, prcsentibus post deccm annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus capellam predictam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas porrigentibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Id. Augusti. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Indulg. et Privileg. ep. 500. fol. 106.

DCCCCXCVII.

Swentoslao Gregorii canonicatus in ecclesia Cracoviensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Swentoslao Gregorii Canonico Cracoviensi, Baculario in Iure Canonico, salutcm ctc. Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidcdigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberalcs. Volentes itaque tibi, que in subdiaconatus ordine constitutus et in artibus etiam Magister existis, premissorum meritorum tuorum gratiam facere specialem, Canonicatum ecclesie Cracoviensis cum plenitudine Iuris Canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus, prebendam vero necnon dignitatem, personatum vel officium cum cura vel sine cura, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post Pontificalem non existat, cuius quidem dignitatis, personatus vel officii, si cum cura, quadraginta quinque, si vero sine cura fuerit, triginta marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad collationem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam dispositionem Venerabilis fratris nostri Episcopi Cracoviensis pertinentes seu pertinentia, si que vel si qui aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens, vel cum vacaverint, quas vel quos seu que tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spa-

cium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illarum vel illorum innotuerit, duxeris acceptandas vel acceptandos seu acceptanda, conferendas vel conferendos seu conferenda tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eidem Episcopo, ne de huiusmodi prebenda ac dignitate, personatu vel officio etc. ante acceptacionem eandem, nisi postquam ei constiterit, quod tu vel procurator predictus illas vel illos seu illa nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumat, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, Non obstantibus etc. Datum Avinione Nonis Septembris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. divers. Tom. I. cod. chart. fol. 243.

DCCCCXCVIII.

Bronislao de Stralcow canonicatus in ecclesia Gnesnensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Bronislao Viti de Stralcow Canonico Gneznensi, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, ut asseris, ex utroque parente de nobili genere procreatus existis, et in iure Canonico studes, premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, Canonicatum ecclesie Gneznensis cum plenitudine iuris Canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Archiepiscopo et dilectis filiis Capitulo Gneznensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia predictarum collatio, provisio, presentacio seu quavis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de huiusmodi prebenda ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam nolueritis accipere, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Datum Avinione Nonis Septembris. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Bull. divers. Tom. I. cod. chart. fol. 482.

DCCCCXCIX.

Duobus clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Wladislaviensi et dilectis filiis Preposito Culmensi, ac Archidiacono Pomeranie Wladislaviensis diocesis, salutem etc. Ut Francisco Errici de Ochminchow Clerico Wladislaviensis diocesis conferunt ecclesiam parrochialem de Gezow Wladislaviensis diocesis. Datum Avinione v. Kal. Septembris. Anno Sexto.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Mathie Berkow perpetuo Capellano in ecclesia Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium ecclesiasticum in dicta diocesi. Datum Corneti Tuscanensis diocesis iv. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Ex Reg. orig. An. VI. Tom. XXVIII. fol. 92 et 244.

M.

Bernardo episcopo Bononiensi, ut praelatos et alios ecclesiasticos regnorum Hungariae, Poloniae et Dalmatiae ad ecclesiae Romanae de aliquo subsidio subveniendum requirat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Bononiensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Quantis Romana ecclesia cunctorum fidelium, presertim personarum ecclesiasticarum, mater et caput hiis temporibus turbinum sit attrita dispendiis, afflicta iniuriis et expensarum oneribus pregravata, quamque attenuata proventibus et in quanto periculo constituta, nisi dei et suorum peculiarium filiorum accelerata subventio impendatur eidem, non oportet explicare sermonibus, cum hec sint fere omnibus fidelibus, etiam de Regno Ungarie, Polonie et Dalmacie manifesta, et propterea cogimur cum paterna fiducia ad ipsos filios habere recursum, ut erga matrem patientem tam graviter non desit

pietas filialis, attento maxime quam (ipsa matre infirmata et debilitata) gravissime ipsi etiam filii paterentur, amareque dolerent illi non subvenisse, a qua traxerunt originem et nutriti sunt spiritualibus et temporalibus alimentis, et tandem cum cadente, quod absit, cum illa sit eorum sustentatio, etiam ipsi cadere a suis statibus cogerentur. Quapropter fraternitati tue, de cuius fide ac solicitudine indubitatam fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios etiam fide preditos et diligencia comprobatos, Venerabiles fratres nostros universos et singulos Archiepiscopos et Episcopos, ac dilectos filios Electos, Abbates, Priores, Decanos, Prepositos, Archidiaconos, Archipresbiteros, Plebanos et alios ecclesiarum et monasteriorum Prelatos et Rectores, Capitula quoque et Conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum exemptos et non exemptos Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum quorumcumque ordinum, ac Preceptores et fratres domus sancte Marie Theotonicorum Regnorum Ungarie, Polonie et Dalmacie, exceptis dicte ecclesie Cardinalibus in illis partibus quecumque dignitates, personatus, officia et beneficia obtinentibus, qui nobiscum continue universalis ecclesie onera sorciuntur, et dilectis filiis Magistro, Prioribus et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimiteni, qui pro deffensione catholice fidei exponunt iugiter se et sua, ex parte nostra benigne requiras, et quanto affectuosius scies et poteris, exhorteris, ac Reges secundum prudenciam a deo tibi datam inducas, ut ipsi, tamquam grati filii et creature dicte ecclesie considerando premissa, pio compatientes affectu ecclesie prelibate, ac nobis, qui ad succurrendum cadenti statui dicte ecclesie et obviandum malis premissis, ac cum auxilio auctoris pacis, cuius vices licet immeriti in terris gerimus, ad pacificandum totam Italiam ad istas partes cum magnis tribulationibus ac periculis et expensis accessimus, ut eidem ecclesie ac tibi nomine nostro recepturo velint secundum eorum facultates liberaliter celeriter et taliter subvenire, quod eis teneamur grates debitas reddere, ipsosque prosequi favoribus gratiosis: Nos enim tibi per te vel alium seu alios, ut prefertur, convocandi pro predictis Archiepiscopos, Episcopos ac Prelatos et alios suprascriptos simul vel divisim, semel et pluries ad tuam et a te deputandorum presenciam in locis, de quibus videris expedire, nec non huiusmodi subsidium seu pecunias recipiendi nomine nostro dicteque Romane ecclesie, et dantes de receptis quitandi, ac contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliqui etc. plenam concedimus tenore presentium facultatem, ac volumus, quod de hiis, que ex predictis recipere te continget, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, alterum ad prefatam Cameram destinare procures, rescribasque cito nobis et gentibus Camere nostre, quantum receperis a singulis predictorum, ut tuis litteris informati eos, quos nobis liberales auxiliatores invenerimus, debitis graciarum actionibus et dignis remunerationibus, cum oportunitas aderit, prosequamur. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Nonas Martii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Bull. Camer. Tom. VII. fol. 14.

MI.

Eidem, ut praelatos praedictorum regnorum ad tale subsidium praestandum quovismodo compellat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Quantis Romana ecclesia etc. ut in precedenti usque cogerentur. Ideoque hodie fraternitati tue per alias nostras litteras commisimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, etiam fide preditos et diligencia comprobatos, Venerabiles fratres nostros universos et singulos Archiepiscopos etc. ut in precedenti, eosque ex parte nostra benigne requireres, et quanto affectuosius scires et posses, exhortareris et rogares, ac secundum prudenciam a deo tibi datam induceres, ut ipsi, tamquam grati filii et creature dicte ecclesie considerando premissa, pie compaterentur ecclesie prelibate ac nobis, qui ad sucurrendum cadenti statui dicte ecclesie et ad obviandum malis premissis, et cum auxilio auctoris pacis, cuius vices licet indigni in terris gerimus, ad pacificandum totam Italiam ad istas partes cum magnis tribulacionibus ac periculis et expensis accessimus, ut eidem ecclesie et tibi nomine nostro recepturo vellent secundum eorum facultates liberaliter et celeriter ac taliter subvenire, quod eis teneremur grates debitas reddere, ipsosque prosequi favoribus gratiosis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Verum si, quod absit, iidem Archiepiscopi atque Prelati et persone ecclesiastice iuxta suas facultates se redderent difficiles et ingratos, nos eorum ingratitudinem tolerare nolentes, et neces-

sitati maxime dicte ecclesie sponse nostre subvenire debitis remediis cupientes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ipsis Prelatis et ecclesiasticis personis simul vel divisim convocatis, precipias et iniungas, ut infra certum terminum peremptorium per te prefigendum eisdem certas pecunie summas, quas eis et cuilibet eorum iuxta suarum predictarum suppetenciam facultatum imponas et taxes, vel super hiis componas cum eis, prout tibi videbitur melius expedire, super quibus tuam conscienciam oneramus, tibique seu aliis per te deputandis nomine nostro recepturis huiusmodi summas assignare et tradere sine difficultate procurent, Contradictores, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel condicionis existant, etiamsi pontificali vel qualibet alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et per sequestracionem bonorum suorum ecclesiasticorum, et alia oportuna remedia simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordaiconis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Nonas Marcii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Bull Camer. Tom. VII. fol. 15.

MII.

Eidem, ut a praedictis praelatis unius anni decimam omnium proventuum ecclesiasticorum exigat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum, prout est notorium, Romana ecclesia pro recuperatione nonnullarum suarum terrarum a nonnullis tirannis et aliis occupatarum, ac defensione aliarum, que in ipsius ecclesie obediencia remanserunt, magnis prematur oneribus expensarum, que ferre non potest sine auxilio suorum filiorum, Prelatorum videlicet et aliarum personarum ecclesiasticarum, ac decens sit et rationabile, quod membra capiti et filii matri subveniant indigenti: Nos de tua circumspectione gerentes in domino fiduciam pleniorem, fraternitati tue in Regnis Ungarie, Polonie et Dalmacie, ad que te mittimus ad presens, universis et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archiepresbiteris, Plebanis, Rectoribus et aliis ecclesiarum et monasteriorum Prelatis, ipsorumque vicesgerentibus, Capitulis quoque et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, ac domus sancte Marie Theotonicorum Preceptoribus dictorum Regnorum imponendi auctoritate nostra, pro dicta ecclesia et supportatione onerum prefatorum decimam fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum consistentium in ipsis Regnis, unius videlicet anni inchoandi a die, quam ad hoc duxeris prefigendam, cum clausulis, modis et formis in talibus per Romanam ecclesiam consuetis apponi, ipsamque decimam per te vel alium seu alios petendi, exigendi et recipiendi, et de receptis absolvendi et quitandi solventes, Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam ac sequestracionem huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum et alia oportuna remedia eadem auctoritate, appellacione postposita, compescendi, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Marcii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Bull. Cam. Tom. VII. fol. 23.

MIII.

Eidem, ut praelatos dictorum regnorum ad camerae apostolicae debita solvenda compellat.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum, prout notorium est, Romana ecclesia pro recuperatione nonnullarum suarum terrarum a nonullis tirannis et aliis occupatarum, ac defensione aliarum terrarum, que in ipsius ecclesie obediencia remanserunt, magnis prematur oneribus expensarum, que ferre non potest, nisi viis et modis licitis et honestis, maxime de hiis, que Camere nostre debentur, studeamus celeriter providere: huiusmodi magna necessitate coacti, omnes terminos seu dilaciones per Camerarios nostrum et Collegii fratrum nostrorum dicte ecclesie Cardinalium quibuscunque Archiepiscopis, Episcopis aut Electis Regnorum Ungarie, Polonie et Dalmacie pro communi servicio et quinque serviciis consuetis Camere nostre

et diciti Collegii debitis assignatos, quantum ad medietatem ipsius communis servicii et quatuor servicia ex dictis quinque serviciis eidem Camere nostre debita, tenore presencium auctoritate apostolica revocamus, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam pleniorem, per apostolica scripta committentes ac mandantes, quatenus eosdem Archiepiscopos et Episcopos ac Electos dictorum Regnorum, ad que pro premissis et aliis dicte ecclesie negociis te destinamus ad presens, qui sunt dicte Camere pro huiusmodi communi servicio obligati, ex parte nostra moneas ac requiras, quod propter necessitatem magnam, in qua est dicta ecclesia constituta, omnes et singulas quantitates pecuniarum, quas pro medietate eandem Cameram nostram contingente et quatuor serviciis prefatis pro se, et predecessoribus suis in quibuscumque terminis ad hoc prefixis teneantur, solvere in brevioribus terminis vel termino, de quibus tue circumspectioni videbitur, Camere apostolice, prout sunt ad hoc obligati, solvant, et mittere ac assignare procurent, eorum periculis et expensis sine difficultate persolvant, Contradictores etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Bull. Cam. Tom. VII. fol. 26.

MIV.

Decano Varmiensi, ut Henricum Wonne plebanum in Wormenyc Varmiensis dioecesis a sua ecclesia amoveat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Decano ecclesie sancti Salvatoris Warmiensis dioc. salutem etc. Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod olim Henricus Wonne plebanus plebis in Wormenyc Warmiensis diocesis, diabolico spiritu instigatus, ad domum quondam Henrici Gotze presbiteri in dicta diocesi tunc moram trahentis hostiliter accedens, ipsumque presbiterum in eadem domo existentem invadens, eum cum gladio adeo inhumaniter vulneravit, quod ex huiusmodi vulnere idem presbiter illico decessit. Nos igitur attendentes, quod, veris existentibus supradictis, prefatus Henricus plebanatu dicte plebis, quem obtinet, reddidit se indignum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis vocandis, dicto Henrico Wonne et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis auctoritate nostra inquiras diligencius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ita esse reppereris, prefatum Henricum Wonne predicto plebanatu eadem auctoritate sentencialiter prives, et amoveas etiam ab eodem, prout de iure fuerit faciendum, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si prefato Henrico vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Marcii. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 47.

MV.

Eidem, ut dictum plebanatum in Wormenic Nicolao Rugettel canonico Varmiensi conferat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Decano ecclesie sancti Salvatoris Warmiensis diocesis, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Nicolaus Rugettel Canonicus Warmiensis fidedignorum commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad graciam liberales. Hodie siquidem per nos accepto, quod olim Henricus Wonne Plebanus plebis in Wormenyc Warmiensis diocesis, diabolico spiritu instigatus, ad domum quondam Henrici Gotze presbiteri in dicta diocesi moram trahentis hostiliter accedens, ipsumque presbiterum in eadem domo existentem invadens, eum cum uno gladio adeo immaniter vulneraverat, quod ex huiusmodi vulnere idem presbiter illico decesserat: Nos attendentes, quod, veris existentibus premissis, dictus Henricus plebanatu dicte plebis, quem tunc obtinebat, prout adhuc obtinet, reddiderat se indignum, tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut vocatis dicto Henrico Wonne et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquireres auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per huiusmodi inquisicionem ita esse reperires, eundem Henricum plebanatu predicto eadem auctoritate sentencialiter privares, et amoveres ab eodem, sicut de iure esset faciendum, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos igitur volentes predictum Nicolaum, qui, ut asseritur, in iure canonico longo tempore studuit, et de militari genere procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu favore prosequi gracie specialis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictum Henricum predicto plebanatu per te privari, et ab eo amoveri contigerit, predictum plebanatum, cum per huiusmodi

privationem et amotionem vacabit, eidem Nicolao cum omnibus iuribus et pertinenciis suis hac vice auctoritate apostolica conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Nicolaum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem plebanatus ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde dicto Henrico et quolibet alio illicito detentore, et faciens ipsum Nicolaum vel dictum procuratorem pro eo ad eundem plebanatum, ut est moris, admitti, sibique de ipsius plebanatus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo etc. non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis etc. seu quod idem Nicolaus canonicatum et prebendam ecclesie Warmiensis noscitur obtinere: nos enim extunc irritum decrevimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud S. Petrum III. Id. Marcii. Anno Septimo. Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXXI. fol. 260.

MVI.

Ericus de Winsen ecclesiae Premisliensi in episcopum praeficitur et de more commendatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Erico de Winsen Electo Primisliensi, salutem etc. Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, dante domino, gubernare. Dudum siquidem Nicolao Primisliensi regimini Primisliensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Nicolai Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdocio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout ex fidedignis testimoniis intelleximus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Primisliensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere et salubriter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retribucionis premium et benivolencie nostre ac sedis predicte benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Id. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Archiepo Haliciensi, et Capitulo ecclesie Primisliensis, Clero et populo civitatis etc.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXX. cod. chart. fol. 61.

MVII.

Praeposito monasterii in Mechow, ut de interdicto, cui episcopus Cracoviensis oppidum Bresti supposuerit, inquirat et decernat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Preposito monasterii in Mechow per Prepositum soliti gubernari Cracoviensis diocesis, sal. etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum advocati, con-

sulum ac iuratorum opidi in Bresto Cracoviensis diocesis peticio continebat, quod cum olim dilectus filius Iohannes Rector parrochialis ecclesie dicti opidi cum quibusdam laicis extraneis a dicto opido rixaretur, ac Rector ex parte una et laici predicti ex altera se invicem mutuo verberarent, tandem quidam presbiter cum uno famulo suo ad dictum opidum casualiter veniens, et videns predictos Rectorem et laicos sic se mutuo verberantes, ac volens ipsos ab invicem separare, huiusmodi rixe se immiscuit, propter quod predicti laici, qui ebrii existebant, tamquam furiosi contra eundem presbiterum et dictum eius famulum irruentes, eundem presbiterum atrociter vulneraverunt, et dictum eius famulum inhumaniter interfecerunt; quodque postmodum, licet predicti laici de dicto opido non essent oriundi, nec in eo domicilium aliquod habentes, aut ibidem moram traherent, tamen venerabilis frater noster Florianus Episcopus Cracoviensis propter huiusmodi vulnerationem presbiteri et interfectionem eius famuli predictorum, pretextu, ut dicebat, quorundam statutorum provincialium, que aliter nunc exprimebat, prefatum opidum contra iusticiam ecclesiastico supposuit interdicto in eorumdem advocati, consulum et iuratorum non modicum preiudicium et gravamen: quare pro parte dictorum advocati, consulum et iuratorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut huiusmodi interdictum relaxari de benignitate apostolica mandaremus. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hincinde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstante, si prefato Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum XVIII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 72.

MVIII.

Nicolao Frizconis canonico Posnaniensi canonicatus cum praebenda in ecclesia Vratislaviensi confertur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Frizconis Canonico Poznaniensi, salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod orta dudum inter dilectos viros Iohannem de Luthemuschil et Nicolaum de Curiaregnitz Canonicos ecclesie Wratislaviensis, in qua, ut asseritur, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine est obtentum, ut antiquiores ipsius ecclesie Canonici iuxta ipsorum receptionis ordinem Canonicorum ipsius ecclesie decedencium possint, si voluerint, maiores, cum vacant, optare prebendas, super quadam prebenda ipsius ecclesie, quam Iohannes ex eo, quod prefatus Nicolaus, ipsam prebendam obtinens, quandam aliam prebendam eiusdem ecclesie tunc vacantem, prout secundum dictam consuetudinem poterat, optaverat, et eam fuerat canonice assecutus, vacavisse, seque illam iuxta eandem consuetudinem optasse et assecutum fuisse canonice, Nicolaus vero predicti premissa non esse vera, et quilibet ipsorum eandem prebendam per dictum Iohannem, ut prefertur, optatam ad se pertinere asserebant, materia questionis: nos causam huiusmodi ad instanciam dicti Nicolai Venerabili fratri nostro Petro Episcopo Ostiensi audiendam commisimus et fine debito terminandam, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam Curiam devoluta et in ea tractanda et finienda non esset. Et deinde postquam coram eodem Episcopo inter dictas partes in causa huiusmodi ad nonnullos actus processum fuerat, nos prefato Nicolao de Canonicatu et quadam alia prebenda dicte ecclesie tunc certo modo vacantibus per nostras litteras duximus providendum, et cum propterea quam primum ipse Nicolaus dictorum Canonicatus et prebende, de quibus sibi provideramus, ut prefertur, foret possessionem pacificam assecutus, ius, si quod sibi in dicta alia prebenda per ipsum Iohannem, ut prefertur, optata seu ad eam quomodolibet competebat vel competere poterat, vacare speraretur: Nos eidem Episcopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut si idem Iohannes in dicta prebenda per ipsum, ut prefertur, optata intrusus non foret, prefatum ius, cum illud premisso vel alio quovis modo, preterquam per dicti Nicolai obitum, vacare contingeret, conferendum dicto Iohanni donacioni sue auctoritate nostra reservaret, ac nichilominus huiusmodi ius, cum illud vacaret, ut prefertur, ipsi Iohanni confer-

ret, et de illo sibi provideret, prout in dictis litteris plenius continetur. Postmodum vero prefatis litteris eidem Episcopo minime presentatis, nos eidem Iohanni de quibusdam aliis Canonicatu et prebenda ac Scolastria dicte ecclesie, tunc certo modo vacantibus et dispositioni apostolice antea reservatis, per alias nostras litteras mandavimus provideri. Cum itaque propterea quam primum idem Iohannes dictos Canonicatum et prebendam seu Scolastriam vigore dictarum litterarum fuerit pacifice assecutus, ius, quod sibi in dicta prebenda, super qua, ut prefertur, litigat, ac Canonicatu dicte ecclesie, quem ipse Iohannes obtinet, vacare speretur: Nos statum huiusmodi cause habentes presentibus pro expresso ac volentes tibi, in diaconatus ordine constituto, qui, ut asseris, predicte ecclesie et dilectis filiis eiusdem ecclesie Capitulo per plures annos servivisti, premissorum intuitu gratiam facere specialem, huiusmodi ius, quod tam Nicolao quam Iohanni predictis vel alteri eorum in prefata prebenda, ut prefertur, optata, seu ad eam ac eidem Iohanni in dicto Canonicatu quomodolibet competebat seu competere poterat, cum illud, ut prefertur, vel alio quovis modo, preterquam per ipsorum Nicolai et Iohannis obitus, vacare contigerit, eciam si dictus Iohannes collector fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum existat, conferendum tibi donacioni apostolice reservamus, decernentes, te ad huiusmodi ius ac litis et cause prosecutionem et defensionem in eo statu admittendum fore et admitti debere, in quo prefati Nicolaus et Iohannes, si predictos alios Canonicatus et prebendas ac Scolastriam non assequerentur, possent et deberent admitti, ac exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu quod Canonicatum et prebendam ecclesie Poznaniensis nosceris obtinere, et quod dudum, ut asseris, de Cantoria eiusdem Poznaniensis ecclesie tunc certo modo vacante tibi gratiose concessimus provideri, super qua quidem concessionis gracia littere apostolice minime sunt confecte. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione Nonis Iunii. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 210.

MIX.

Officiali Gnesnensi, ut Boguslao de Oparow scholastriam ecclesiae Lancitiensis confirmet.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Officiali Gneznensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii Boguslai Stephani de Oporow Canonici Gneznensis peticio continebat, quod olim Scolastria ecclesie Lanciciensis Gneznensis diocesis, quam quondam Iohannes Ierantovicz ipsius ecclesie Scolasticus in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius Iohannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Gneznensis, cum ad Archiepiscopum Gneznensem, qui est pro tempore, ipsius scolastrie collatio, et provisio eciam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, dictam scolastriam sic vacantem Boguslao auctoritate ordinaria contulit, et de illa eciam providit canonice, nisi apostolice reservationes obstarent. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Boguslaus dubitet dictam Scolastriam, que dignitas existit, tempore collacionis et provisionis huiusmodi fore disposicioni apostolice reservatam, seque posse propterea super illa imposterum molestari: Nos volentes predictum Boguslaum, in diaconatus ordine constitutum, et ex utroque parente, ut asserit, nobilem, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, Discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictum Boguslaum per diligentem examinationem bene legere, bene construere, bene cantare ac congrue loqui latinis verbis, et alias ydoneum ad dictam scolastriam obtinendum esse reppereris, vel etiam si ipse Boguslaus bene non cantaret, dummodo in manibus tuis iuret ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinationis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscienciam oneramus, eidem Boguslao in Gneznensi et Plocensi ac in predicta Lanciciensi ecclesiis canonicatus et prebendas obtinenti apostolica auctoritate concedas, quod collacio et provisio predicte et quecunque inde secuta perinde a data presentium, dummodo dictus Iohannes Ierantovicz familiaris noster non fuerit, valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si nulla de predicta Scolastria specialis reservacio facta foret. Volumus autem, quod ipse

Boguslaus quam primum vigore presentium dictam scolastriam fuit pacifice assecutus, dictos canonicatum et prebendam ecclesie Plocensis predicte, quos, ut prefertur, obtinet, quosque extunc vacare decernimus omnino, prout etiam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Datum Anagnie III. Idus Septembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 541.

MX.

Nicolao Strosberg collectori in Polonia necessariae facultates conceduntur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg Preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te nuper in regno Polonie et provincia Gneznensi, necnon in Gneznensi et Culmensi civitatibus et diocesibus nuncium apostolicum ac Collectorem et receptorem fructuum, redditnum et proventuum in eisdem regno, provincia, civitatibus et diocesibus Camere apostolice debitorum duxerimus deputandum, et alias tibi diversa inibi negocia commiserimus exequenda: Nos cupientes, ut in huiusmodi tibi commissis negociis eo felicius prospereris, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, discretioni tue omnibus et singulis apostolicis ac gencium dicte Camere litteris quibuscunque predecessoribus tuis, Collectoribus dictorum fructuum et proventuum in cisdem Regno, provincia, civitatibus et diocesibus per sedem apostolicam hactenus deputatis, directis, missis seu etiam destinatis, ac Cameram ipsam et eius iura directe vel indirecte concernentibus proinde utendi, et eas in quibuscunque ceptis vel non ceptis negociis exequendi et ad effectum plenarium perducendi, ac omnia et singula in eis contenta peragendi et perficiendi, Non obstantibus, que in prefatis litteris volumus non obstare, ac si tibi nominatim, specialiter et expresse directe fuissent, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIIII. Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Bull. Camer. Tom. VII. fol. 201.

MXI.

Eidem conceditur, ut omnes, qui propter decimas et alia non soluta excommunicati sint, absolvere possit.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg Preposito ecclesie Gneznensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te in regno Polonie et provincia Gneznensi, necnon in Gneznensi et Culmensi civitatibus et diocesibus apostolice sedis nuntium, ac Collectorem fructuum et proventuum Camere apostolice in dictis partibus debitorum duxerimus deputandum, et sicut accepimus, in illis partibus sint quam plures Archiepiscopi, Episcopi et Abbates, et alii ecclesiarum prelati et personc ecclesiastice, qui propter decimas et alia debita eiusdem Camere non soluta excommunicationis et alias sentencias incurrerunt, et eorum aliqui huiusmodi excommunicationis ligati sentenciis celebrando divina vel immiscendo se divinis, non tamen in contemptum clavium, irregularitatis maculam contraxerunt: Nos cunctorum Christifidelium animarum saluti providere multipliciter affectantes, ac de circumspectione tua plurimum in domino confidentes, absolvendi auctoritate apostolica in forma ecclesie omnes et singulos partium illarum, in quibus nuncius apostolicus deputatus existis, qui propter defectum solucionis huiusmodi debitorum, exceptis tamen debitis eidem Camere pro communi servicio prelatorum, excommunicationis sentencias incurrerunt, vel tue Collectorie durante officio forsan incurrent, ab ipsis sentenciis, postquam de debito integre satisfecerint, iniuncta tamen eis pro modo culpe penitencia salutari, et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et cum eis, qui irregularitatem incurrerint, ut prefertur, ipsis tamen ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, super irregularitate huiusmodi dispensandi, discretioni tue plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIIII. Kalendas Decembris. Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Bull. Camer. Tom. VII. fol. 100.

MXII.

Episcopo Vladislaviensi, ut cum Nicolao de Pacostz et Agnete de Luchoborze super matrimonio inito dispenset.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Wladislaviensi, salutem etc. Oblate nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai, dilecti filii nobilis viri Hectoris de Pacostz nati, et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Agnetis, dilecti filii nobilis viri Alberti de Luchoborze domicello-

rum nate, domicelle tue diocesis, peticionis series continebat, quod olim ipsi Nicolaus et Agnes ignorantes aliquod impedimentum existere inter eos, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba legitime de presenti, bannis tamen non editis, cum in illis partibus banna edi non consueverint, sed servatis aliis solempnitatibus in hoc servari inibi consuetis, iuxta morem patrie publice, nemine se opponente, invicem contraxerunt, carnali inter eos copula subsecuta, quodque postmodum ad ipsorum devenerit noticiam, quod ipsi Nicolaus et Agnes quarto consanguinitatis gradu invicem sunt coniuncti: Quare pro parte Nicolai et Agnetis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ipsi in huiusmodi matrimonio licite remanere non possint, dispensacione super hoc apostolica non obtenta, et sicut asserunt, si divorcium fieret inter eos, gravia possent exinde scandala exoriri, providere eis super hoc de oportune dispensacionis gracia de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque cupientes huiusmodi scandalis, quantum cum deo possumus, obviare, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus, si est ita, dictaque Agnes propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Nicolao et Agnete, ut impedimento, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante, in contracto matrimonio libere et licite remanere possint, auctoritate nostra dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum pridie Kalendas Decembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXXI. cod. chart. fol. 140.

MXIII.

Episcopo Plocensi, ut Iacobum Ponzthala canonicum ecclesiae Plocensis canonicatu suo privet.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Ep̃o Plocensi, salutem etc. Nuper ad audienciam nostri apostolatus pervenit, quod dudum dilectus filius Iacobus dictus Ponzthala Canonicus Plocensis, diabolico spiritu instigatus, quondam Paulum de Vezovia laicum Poznaniensis diocesis manu propria nequiter interfecit. Nos igitur attendentes, quod, veris existentibus supradictis, idem Iacobus canonicatu et prebenda ecclesie Plocensis, quos obtinet, reddidit se indignum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis dicto Iacobo et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras diligencius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi inveneris premissa veritate fulciri, ipsum Iacobum dictis canonicatu et prebenda eadem auctoritate sentencialiter prives et amoveas ab eisdem, prout de iure fuerit faciendum, Contradictores etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Decembris. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXIX. cod. chart. fol. 131.

MXIV.

Clericis de canonicatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Archidiacono ecclesie Gneznensis, sal. etc. Mandat ei, ut Stanislao dicto Praz, succollectori in diocesi Poznaniensi, Canonicatum in dicta ecclesia conferri curet. Datum Anagnie Kal. Novembris. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Michaelis de Brega Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut Canonicatum in ecclesia Wratislaviensi retinere possit. Datum Anagnie v. Nonas Octobris. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Archidiacono Wladislaviensi, salutem etc. Ut Martino Thomislai de Dambrowa, ex utroque parente de nobili genere procreato, Canonico Plocensi, consideratione Regis Hungarie, cuius dilectus et fidelis existit, maiores dignitates, ut personatum etc. in dicta ecclesia conferri curet, non obstante, quod ipse parrochialem ecclesiam in Mscznow obtineat et nuper ad Canonicatum et prebendam in ecclesia Lanciciensi Poznaniensi diocesis sub expectacione designatus fuerit. Datum Rome apud Sanctum Petrum xi. Kal. Decembris. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Wilhelmo Horborch Preposito Cracoviensi, decretorum doctori, Capellano nostro et causarum Palatii Apostolici Auditori, salutem etc. Ut Bartholomeum de Silanengo scriptorem Pontificium in pacifica possessione Canonicatus in ecclesia Pisana contra Symonem de Ricasulis clericum Florentinum intrusum defendat. Datum Anagnie iii. Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Strosberg Canonico ecclesie S. Petri Crusviciensis Wladislaviensis diocesis, Capellano nostro, salutem etc. Confert ipsi, qui collector etc. in Regno Polonie existit, Canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque ut in Poznaniensi Cantoriam et in Wratislaviensi et Plocensi ecclesiis Canonicatus et prebendas et Prepositurarn ecclesie Gneznensis retinere possit. Datum Rome apud Sauctum Petrum xviii. Kal. Decembris. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Alberto Alexii de Glandzanowo Canonico Wladislaviensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome apud Sanctum Petrum iii. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dileeto filio Nicolao Scrzesconis Canonico Poznaniensi, salutem etc. Confert ipsi, de militari genere procreato, Canonicatum in dicta ecclesia. Datum Avinione viii. Id. Iunii. Pontificatus nostri Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Petri de Szroda Canonico Poznaniensi, sal. etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia, indulgetqne, ut ecclesiam parrochialem in Ianino eiusdem diocesis retincre possit. Datum Anagnie xiii. Kal. Novembris. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Mathie Blide Canonico Wladislaviensi, salutem etc. Confert ipsi, in Wladislaviensi et Culmensi diocesibus Subcollectori, Canonicatum in ecclesia Wladislaviensi. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio ... Officiali Poznaniensi, sal. etc. Ut Troyano Paluka Preposito Poznauiensi, de nobili gcnere ex utroque parente nato, qui una cum amicis suis pro negociis Camere apostolice multum laboravit, Canonicatum in ccclesia Gneznensi couferri curet. Datum ut supra.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Goswino Breydenscheydo Canonico Tarbatensi, sal. etc. Confert ipsi Cauonicatum in dicta ecclesia. Datum Rome apud S. Mariam Maiorem xiii. Kal. Iunii. Pontificatus nostri Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilccto filio ... Archidiacono Wladislaviensi, salutem etc. Ut Nicolao Stephani dicto Waussik de Iassona, clerico Poznaniensi, de nobili genere ex utroque pareute nato, consideratione Ludovici Regis Ungarie, cuius dilectus est, Canonicatum in ecclesia Plocensi conferri curet. Datum Rome apud Sanctum Petrum xi. Kal. Decembris. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Cantori et Michaeli de Kuiszin Canonico ac ... Officiali Cracoviensibus, salutem etc. Ut Petro Wenceslay de Oppatovicze Canonico ecclesie Scarbimiriensis Cracoviensis diocesis iu pacifica possessione ecclesie parrochialis in Novo Sandecz Cracoviensis diocesis contra iniustos competitores Abrahamum Nicolai de Groszicze et Iohannem Petri Cridler Conservatores existant. Datum Rome apud Sauctum Petrum ii. Kal. Marcii. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Dilccto filio Petro de Pastenwic presbitero Warmiensi, salutem etc. Confert ipsi beneficium eccl. in dicta diocesi. Dat. Corneti Tuscanensis dioc. Id. Ianuarii. Anno VII.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Poznaniensi, et dilectis filiis Abbati in Grisow et Preposito S. Marie in Glotz Wratislaviensis et Pragensis diocesium monasteriorum, sal. etc. Constituuntur Conservatores Capitulo ccclesie S. Crucis Wratislaviensis diocesis. Datum Rome apud Sanctum Petrum xi. Kal. Decembris. Anno VII.

Ex Reg. orig. An. VII. Tom. XXX. cod. chart. fol. 198, 203, 249, 277, 331, 334, 392, 396, 400. et Tom. XXXI fol. 160, 284 et 538.

MXV.

Alexandro de Litwania domino de Camnicz indulgetur, ut confeesor ipsi plenam omnium peccatorum remiesionem eemel concedere valeat.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Alexandro de Litwania domino de Camnicz Ruscie, salutem etc. Provenit ex tue devotionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petiones tuas, illas presertim, que anime tue salutem rcspiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei catholice, quam, ut asseritur, contra perfidos Tartaros pugnando strenue, potenter viriliterque pro posse defendis, unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devotione uostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrancium persistenti,

auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per tuos heredes, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur: et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidencia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres, quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur, quodque per tres annos a tempore, quo presens nostra concessio ad tuam noticiam pervenerit, computandos, primis duobus videlicet singulis sextis feriis et tercio annis huiusmodi singulis diebus Sabbati, (et si) ex precepto ecclesie, consueta observancia, iniuncta penitencia, voto vel alias ieiunare tenearis, una alia die singularum septimanarum dicti triennii, qua ad ieiunandum, ut premittitur, non sis astrictus, ieiunes, et si in dicto triennio vel aliqua eius parte esses legitime impeditus, anno sequenti vel alias, quamprimum poteris, modo simili supplere huiusmodi ieiunium tenearis, alioquin huiusmodi presens nostra concessio nullius sit roboris vel momenti. Nulli etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Indulg. et Privileg. fol. 215.

MXVI.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Guidoni tituli S. Crucis in Ierusalem presbitero Cardinali, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum et prebendam ecclesie Wladislaviensis in prestimonialibus portionibus, bonis seu villis Capituli eiusdem ecclesie in diocesi Wladislaviensi consistentibus, vacantes per obitum Keltzonis de Thalistowo. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Kalendas Marcii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Boet Canonico Osiliensi, salutem etc. Confert ipsi Canonicatum in dicta ecclesia, indulgetque, ut parrochialem ecclesiam in Ghikowe Lubucensis diocesis retinere possit. Datum Rome apud S. Petrum III. Kal. Februarii. Anno Octavo.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Czessyn Canonico Gneznensi, salutem etc. Confert ipsi consideratione Nicolai Episcopi Poznaniensis, cuius consanguineus existit, Canonicatum et prebendam in ecclesia Gneznensi, quos Nicolaus Strosberg, Collector Polonie, obtinebat. Datum Rome apud S. Petrum IV. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ex Reg. orig. An. VIII. Tom. XXXII. fol. 49, 76 et 216.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

MXVII.

Instrumentum publicum recognitionis litterarum ab Innocentio PP. IV. ad ep̄um Livoniae de conversione Lithuanorum directarum.

In nomine domini Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, Indictione undecima, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Innocencii divina providencia pape VI. anno sexto, mensis Aprilis die undecima, hora nona vel quasi, in presencia mei Notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum, Honorabilis ac religiosus dominus frater Gosvinus de Herike Magister fratrum domus Theutonicorum Ierosolimitane per Livoniam, in domo habitationis sue in castro Rige, quasdam patentes litteras non rasas, non abolitas, non cancellatas, sed omni suppositione et vicio carentes, more Romane Curie veris bullis plumbeis bullatas exhibuit, et in instrumentum publicum redigi peciit: quarum tenores sequentur in hec verba, et primo prime. Innocentius episcopus servus servorum dei, Venerabili fratri Christiano Episcopo Lethowie, Salutem et apostolicam benedictionem. Inclinati precibus Carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Lethovie de novo conversi ad cultum fidei christiane, Venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Lyvonie ac Pruczie, prout accepimus, sub certa forma dedimus nostris litteris in mandatis, ut Cathedrali ecclesie, quam dictus Rex in partibus suis de novo sub propriis expensis erigere ac dotare magnifice intendebat, te, tunc fratrem presbiterum hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Livonia, ad requisicionem Regis eiusdem auctoritate nostra preficeret in pastorem, et tibi munus consecracionis impenderet, ac debitam obedienciam et reverenciam faceret a subditis exhiberi, recepturus a te postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite Iuramentum iuxta formam, quam sibi sub bulla nostra misimus interclusam. Sane idem Archiepiscopus, priusquam ad ipsum huiusmodi nostre littere pervenissent, de te providit ecclesie memorate, Iuramentum fidelitatis suo et ecclesie sue nomine a te recipiens, licet hoc de intencione nostra nullatenus extitisset, maxime cum terra Lithovie sit iuris et proprietatis beati Petri, ac pro eiusdem Regis honore, quem a sue conversionis initio assumpsimus in filium ecclesie specialem et regie dignitatis titulo fecimus insigniri, nullum ibi esse velimus Episcopum, qui alii quam Romano pontifici sit subiectus. Quia vero idem Rex postmodum per affectuosas litteras postulavit a nobis, ut super hoc providere de circumspectione sedis apostolice curaremus: Nos eius precibus adnuentes, te ad observanciam predicti iuramenti taliter prestiti decernimus aliquatenus non teneri. Ceterum volumus et mandamus, quatenus Venerabili fratri nostro Episcopo Nuemburgensi, cui super hoc scripta nostra dirigimus, pro nobis et ecclesia Romana iuramentum solite fidelitatis exhibeas iuxta formam litterarum, quam super hoc transmisimus Archiepiscopo memorato. Datum Anagnie III. Nonas Septembris. Pontificatus nostri anno duodecimo. Tenor littere secunde fuit iste. Innocentius episcopus servus servorum dei, Venera-

bili fratri Epo Nuemburgensi, salut. etc. Inclinati precibus carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Lethovie etc. ut supra Nro. cxx. pag. 58. Datum Anagnie III. Nonas Septembris. Pontificatus nostri anno duodecimo. Datum et actum anno domini, indictione, pontificatu, mense, die, hora et loco prenotatis, Presentibus discretis viris et dominis Henrico Mansvelt et Iohanne de Binen presbiteris et castri Rige vicariis, et Bertoldo Racke et Sitfrido de Helmede familiaribus, ac aliis pluribus fidedignis ad premissa testibus specialiter vocatis et rogatis.

Et ego Wulsardus de Binen Clericus Padeburnensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, huiusmodi litterarum exhibicioni et examinacioni una cum prenominatis testibus presens interfui, et eas de mandato Magistri Livonie predicti fideliter transscripsi, et in hoc instrumentum publicum redegi, meisque nomine proprio et signo consuetis signavi requisitus et rogatus.

Ex Reg. orig. Urbani VI. Secret. Tom. II. fol. 18.

MXVIII.

Zavisio electo Cracoviensi, ut bona mobilia a praedecessoribus suis camerae apostolicae reservata pro eadem recuperet.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Zawisio Electo Cracoviensi, salutem etc. Dudum siquidem nos volentes predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum inherere vestigiis, omnia et singula bona mobilia, credita et debita, que bone memorie Florianus Episcopus Cracoviensis habebat, vel spectabant quomodolibet ad eundem, dum ageret in humanis, disposicioni apostolice duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane, quidquid contra predicta per quoscumque quavis auctoritate extiterit attemptatum. Quocirca tibi tenore presencium petendi, exigendi et recuperandi nomine apostolice Camere bona, credita et debita supradicta, et de receptis quitacionem faciendi, et contra quoscunque, cuiuscunque status, gradus et condicionis extiterint, eciam si pontificali prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, necnon per subtractionem et sequestrationem fructuum beneficiorum suorum, et privationem eorundem ac personarum detencionem (procedendi) concedimus potestatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Rome apud S. Petrum x. Kal. Iunii. Anno Tercio.

Ex Reg. orig. An. III. Secret. Tom. I. fol. 27.

MXIX.

Custos Cracoviensis et Cantor Quinquecclesiensis collectores in Polonia constituuntur.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Swencheslao Gregorii Custodi Cracoviensis, decrectorum doctori, et Petro Francisci Canonico et Cantori Quinquecclesiensis ecclesiarum, in Regno Polonie ac Civitatibus et diocesibus Wratislavien et Lubucen fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectoribus, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta, et aliis virtutibus, quibus, prout fidedignorum relacione nobis innotuit, fulgere noscimini, presumimus evidenter, quod ea, que vobis exequenda commiserimus, sollerti et diligenti studio fideliter et prudenter exequemini. Hinc est, quod nos omnes et singulos Collectores et succollectores ac receptores fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie, et Civitatibus et diocesibus Wratislaviensibus et Lubucensibus predictis quomodolibet debitorum, hactenus per nos et sedem apostolicam et eius auctoritate deputatos, penitus revocantes, ipsosque a Collectorie et succollectorie ac receptorie officiis eis commissis totaliter amoventes, vos et vestrum quemlibet, de quorum discrecione plurimum confidimus, in dictis Regno, Civitatibus et diocesibus Collectores ac receptores fructuum et proventuum predictorum usque ad nostrum, et apostolice sedis beneplacitum auctoritate apostolica facimus, constituimus et eciam deputamus, vobis et cuilibet vestrum per vos vel alium seu alios, fide et facultatibus ydoneos, nostro et dicte Camere et Romane ecclesie nomine omnes et singulos fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum in dictis Regno, Civitatibus et diocesibus vacancium, per nos seu auctoritate nostra collatorum et conferendorum inantea, census quoque omnes et alia res et bona nobis et ecclesie ac Camere predicte in prefatis Regno, Civitatibus et diocesibus quacunque racione vel causa debita et debenda in posterum pertinencia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, petendi, exigendi et recipiendi, raciones quoque et computa a quibuscunque Collectoribus et succollectoribus apostolicis hactenus in dictis Regno, Civitatibus et diocesibus deputatis, seu personis aliis, in quantum negocia et utilitatem dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra compellendi, et insuper omnibus et singulis com-

missionibus ac litteris apostolicis quibuscunque precessoribus et predecessoribus vestris in huiusmodi officio collectorie auctoritate apostolica missis, concessis seu destinatis, dictam nostram Cameram seu eius iura concernentibus, eciam in ceptis et non ceptis negociis perinde utendi, easque exequendi et ad effectum plenarium deducendi, ac si vobis specialiter destinate fuissent, necnon Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, necnon excommunicationis et alias sentencias in non solventes vobis iura et debita ipsius Camere per vos vel alios nostro et dicte Camere nomine [per vos] ferendas aggravandi et reaggravandi, et alias contra eos, necnon quoscunque alios impedientes vos ac negocia dicte Camere directe vel indirecte, publice vel occulte auctoritate nostra procedendi, prout racionis extiterit, et si necesse fuerit, ipsos ad sedem apostolicam predictam citandi, et etiam auxilium brachii secularis invocandi, necnon de receptis dumtaxat quitandi et absolvendi, Non obstantibus constitutionibus apostolicis de una vel duabus dietis in concilio generali editis contrariis quibuscunque, eciam si de illis et totis earum tenoribus de verbo ad verbum esset in presentibus mentio specialis habenda, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, auctoritate predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes. Volumus autem, quod de fructibus, redditibus et proventibus, et aliis bonis quibuscunque ad dictam Cameram pertinentibus ultra spacium unius anni dilacionem dare nequeatis, et quod in singulis Civitatibus et diocesibus infra vestram collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus eciam unum dumtaxat Succollectorem non deputetis, et quod omnium et singulorum Succollectorum, quos vos deputare contigerit, nomina et cognomina statim, cum illos deputavistis, nobis seu nostro Camerario clare et distincte transmittere, ac singulis bienniis de receptis et gestis per vos in huiusmodi officio Camerario nostro seu gentibus dicte Camere raciones et computa reddere nullatenus postponatis. Sic igitur in premissis diligenter, solicite et fideliter vos habeatis, quod apud nos valeatis merito commendari, ac nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi mereamini cum effectu. Datum Rome apud S. Petrum Idibus Marcii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Tom. I. Secret. fol. 207.

MXX.

Iisdem, ut adhaerentes anticipapae in illis partibus beneficiis ecclesiasticis privent.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Swencheslao Gregorii Custodi Cracoviensis, decretorum doctori, et Petro Francisci Canonico et Cantori Quinqueecclesiensis ecclesiarum, in Regno Polonie et Civitatibus et diocesibus Wratislaviensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectoribus, salutem etc. Ad audienciam nostram pervenit, quod nonnulli clerici et persone ecclesiastice seculares et regulares, beneficia ecclesiastica obtinentes in partibus, in quibus fructuum et proventuum apostolice Camere debitorum Collectores existitis deputati, nescientes in semitis iusticie ambulare, et os in celum, lingua eorum gradiente super terram, ponere non verentes, perdicionis alumpno Roberto olim Basilice duodecim apostolorum presbitero Cardinali, nunc Antipape, qui se Clementem papam septimum ausu sacrilego nominare presumit, eciam post et contra processus per nos contra ipsum Robertum et quoscunque eius fautores et sequaces, ac eidem adherentes factos et sollempniter publicatos, per quos eundem Robertum tamquam hereticum et scismaticum sententialiter declaramus puniendum, adherere et favere dampnabiliter presumpserunt. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus premissis, huiusmodi persone quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, que tunc obtinebant, ipso facto private existunt, et super hiis de oportuno providere remedio, ac Camere nostre, que urgente necessitate plurimum est exhausta, commoditatibus consulere cupientes, Discrecioni vestre, de qua in hiis et aliis fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis, qui fuerint vocandi, super premissis inquiratis auctoritate nostra diligencius veritatem, et personas illas, quas per inquisitionem huiusmodi culpabiles inveneritis, de predictis omnibus beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus cum cura et sine cura, que, ut prefertur, tunc obtinebant, eciam si Prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebende, vel parrochiales

ecclesie fuerint, auctoritate predicta sentencialiter declaretis fuisse et esse privatas, et eas amoveatis realiter ab eisdem, et nichilominus, si ad id facultas se obtulerit, dictas personas capiatis et captivas detineatis ac puniatis iuxta Canonicas sanctiones, ac insuper beneficia huiusmodi, que per adhesionem et declarationem huiusmodi in partibus predictis vacare contigerit, ad manus vestras dicte Camere nomine recipiatis et retineatis, donec de illis per sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, fructus quoque, redditus et proventus beneficiorum ipsorum, qui illorum durante racione ex eis obvenerint, capere et levare, necnon illos seu valorem illorum, de ipsis tamen predictorum beneficiorum supportatis oneribus, conservare, et quamcito sine periculo commode poteritis, ad Cameram predictam transmittere procuretis, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel condicionis existant, etiam si pontificali seu alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, quantumcunque et quociensсunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis, ad iudicium evocetur, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Volumus autem, et vobis in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus de omnibus et singulis, que gesseritis in premissis, et que propterea recipere vos continget, dictam Cameram per Instrumentum seu Instrumenta publica vestro sigillo sigillata certificare curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kal. Iunii. Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. I. fol. 234.

MXXI.

Iisdem, ut contra falsos verbi crucis praedicatores in illis partibus iuxta canones procedant.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Swenczeslao Gregorii Custodi Cracoviensis, decretorum doctori, et Petro Francisci Cantori Quinqueecclesiensis ecclesiarum, in Regno Polonie ac civitatibus et diocesibus Wratislaviensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectoribus, salutem etc. Dudum temporis malignitate et rerum condicione sic urgentibus, nonnullos fratres diversorum ordinum mendicancium ad partes illas, in quibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectores deputati estis, ut verbum dei adversus scismaticos et hereticos in nostris processibus denotatos populis predicarent, et ab ipsis contra eosdem scismaticos et hereticos subsidia implorarent, ac hiis, qui assumere vellent signum vivifice crucis, illud imprimerent, et subvenientibus ac signum huiusmodi sumentibus indulgenciam per nos sub certa forma concessam denunciarent, cum nostris certi tenoris litteris duximus destinandos. Cum autem, sicut accepimus, quidam ex huiusmodi fratribus licencia et facultate super hoc eis tradita abutentes, nonnullas pecunias acceperint, et nunquam de ipsis pecuniis sic receptis aliquod Camere nostre computum reddere curaverint, alii vero temeritate dampnabili fingentes se a nobis similes litteras super hoc habere, verbum dei predicare et pecunias recipere et predictum signum imprimere, ac diversas indulgencias elargiri presumpserint in gravem divine maiestatis et apostolice sedis contemptum et scandalum plurimorum: Nos super hiis de oportuno remedio providere volentes, Discretioni vestre, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis, qui fuerint vocandi, contra fratres predictos, eciam si aliqui ex eis pontificali vel alia quacumque dignitate prefulgeant, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii inquiratis auctoritate nostra super premissis diligencius veritatem, et tam ab hiis, qui nostras litteras habuerunt, quam ab illis, qui eas habere se finxerunt, de omnibus hiis, que qualitercunque receperint occasione predicta, racionem et computum exigatis, et ad exhibendum vobis vel alteri vestrum omnia, que premissorum occasione percepisse reppereritis, eadem auctoritate compellatis, et ipsis districte precipiatis, ne de cetero se de huiusmodi officio aliquatenus intromittant, et nichilominus illos ex predictis fratribus, qui finxerant se a nobis litteras super premissis habere, puniatis pro demeritis iuxta canonicas sanctiones, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores quoslibet et rebelles auctoritate

nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. Quidquid autem super premissis feceritis, nobis per vestras litteras significare, et ea, que exinde vos recipere continget, ad Cameram nostram cum vero receptionis computo destinare quantocius procuretis, facientes confici de singulis quitacionibus pecuniarum et rerum, quas recipere vos continget, duo publica consimilia instrumenta, quorum uno penes vos vel alterum vestrum retento, reliquum studeatis ad dictam Cameram destinare. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. I. fol. 239.

MXXII.

Iisdem, ut vigesimam unius anni partem omnium redituum ecclesiasticorum in illis partibus exigant.

Urbanus episcopus etc. Dilectis filiis Wenceslao Gregorii Custodi Cracoviensis, decretorum doctori, et Petro Francisci Canonico et Cantori Quinqueecclesiensis ecclesiarum, in Regno Polonie ac civitatibus et diocesibus Wratislaviensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectoribus, salutem etc. Dudum ex certis causis rationabilibus animum nostrum moventibus vicesimam partem omnium ecclesiasticorum redditum et proventuum unius anni a vobis, ceterisque personis ecclesiasticis quibuscunque, exemptis et non exemptis in regno Polonie ac civitatibus et diocesibus Wratislaviensibus et Lubucensibus, quantacunque prefulgeant dignitate, seu cuiuscunque sint preeminentie, condicionis aut status, religionis aut ordinis, quibus et eorum alicui nulla privilegia vel indulgencias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas, ac quecunque, qualiacunque et quotcunque beneficia ecclesiastica in dictis civitatibus et diocesibus obtinentibus, ac in posterum obtenturis, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sorciuntur, et a dilectis filiis Magistris et fratribus hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et sancte Marie Theotonicorum, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis dictarum personarum ecclesiasticarum, exemptarum et non exemptarum, secundum modum et morem ac consuetudinem in exactione et collectione decime in eisdem civitatibus et diocesibus hactenus observatos et sublevandis (?) duximus imponendam, solvendam in festo Omnium sanctorum proximo secuturo. Quocirca discrecionem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatenus per vos vel alium seu alios a quibuslibet personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis civitatum et diocesium predictarum, supradictis Cardinalibus, Magistris et fratribus, ut prefertur, exceptis, de universis proventibus et redditibus beneficiorum ecclesiasticorum, que habent et obtinent in civitatibus et diocesibus predictis, levetis et exigatis in predicto termino vicesimam supradictam, ad solucionem ipsius quoscumque exemptos et non exemptos eiusdem vicesime debitores in eisdem civitatibus et diocesibus per censuram ecclesiasticam, et etiam per sequestrationem huiusmodi fructuum, redditum et proventuum ecclesiasticorum, si expedire videritis, appellatione postposita, compescendo, ita quod ad fructus, redditus ecclesiasticos alios eorundem extra dictas civitates et dioceses consistentes huiusmodi compulsionis officium non extendatis, nec ad exactionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per vos vel alium seu alios invocetis auxilium brachii secularis, nisi predictorum non solvencium contumacia exigente, aliud circa hoc per sedem apostolicam fuit ordinatum. Et ne de moneta, in qua vicesime predicte solucio fiet et fieri debebit, valeat hesitari, et ut vitentur gravamina, que propter hoc viri ecclesiastici pati possent per vos et succollectores vestros, ipsa vicesima ad monetam currentem communiter tempore solucionis ipsius vicesime levetur, et eciam exigatur iuxta constitucionem super collectione decime editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte vicesime non graventur, huiusmodi vicesimam exigatis et exigi faciatis secundum exactionem decime in eisdem civitatibus et diocesibus hactenus consuetam, vel ubi nulla huiusmodi certa taxacio fuerit, secundum consuetudinem in exactione et solutione huiusmodi hactenus observatam, attentius provisuri, ut per vos vel alium seu alios exactionem et collectionem huiusmodi vicesime in dictis civitatibus et diocesibus faciatis absque aliquo onere expensarum eorum, a quibus huiusmodi vicesima exigetur, nisi, forte eis deficientibus in solutione dicte vicesime in termino supradicto, ob huiusmodi eorum defectum expensas fieri oporteret, ad quarum restitucionem eos te-

neri volumus et astringi, quodque circa hoc constitucionem ciusdem Viennensis concilii observantes, calices, libros et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa, pignore vel distractione (sic) capere seu recipere, distrahere seu quomodolibet occupare per vos vel alios non presumatis, Non obstantibus, si predictis personis ecclesiasticis et aliis quibuscumque communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad solucionem alicuius vicesime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi ac toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis eorum ordinibus et locorum seu personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mencionem, et quibuslibet privilegiis, indulgenciis, exempcionibus et litteris apostolicis quibuscunque dignitatibus seu ordinibus eorundem, et specialiter Cisterciensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, vel eorum universitatibus aut singularibus personis generaliter vel specialiter sub quacunque forma, vel concepcione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena et expressa mencio sit habenda. Volumus insuper, quod vos huiusmodi vicesimam omnium redditum et proventuum nostrorum ecclesiasticorum solvatis, alioquin in personas vestras, si in huiusmodi solucione defeceritis, et quorumcunque per nos ad collectionem et exactionem huiusmodi deputatorum, vel in collectione et exactione huiusmodi fraudem forsan vel maliciam adhibuerint, excommunicationis sentenciam tenore presencium promulgamus, a qua post satisfactionem debitam per aliquem ex vicinoribus Episcopis, predicta excommunicationis sentencia non ligatum, gratiam et communionem memorate sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione, possitis et possint absolucionis beneficium obtinere. Volumus autem, quod de omnibus et singulis, que per vos vel alterum vestrum fieri contigerit quomodolibet in premissis, duo consimilia faciatis fieri publica instrumenta, quorum unum ad Cameram destinetis, penes vos reliquo reservato. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Idus Iunii. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. Secret. Tom. I. fol. 245.

MXXIII.

Dobrogostius episcopus Posnaniensis collector generalis decimae triennalis in Polonia constituitur.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Dobrogostio Episcopo Poznaniensi, fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum in nonnullis partibus Collectori, salutem etc. Novit ille scrutator almus cordium, quod summis doloribus angimur, pungentesque et amari stimuli nos infestant, res modernis pestilentisque temporibus, que sceleribus, iniquitatibus, pressuris et violenciis data sunt, istuc esse deductas, ut subditos et filios nostros, quos ab oneribus relevare, et quorum utilitates et commoda procurare undique possemus, pro nostre imbecillitatis modulo precipuis desideriis optaremus, nos oporteat de necessitate gravare. Verumtamen dum nobiscum attenta meditatione pensamus, quod sicut filiis et subditis nostris in omnem casum et eventum tota affectione consulimus, et libenter auxiliis oportunis et favoribus assistimus, ita illi, ut indubie credimus, nobis, qui novissime de tot perplexitatibus, tot angustiis, totque perfidorum venancium implicitis laqueis, quibus, dum nostrum et universalis ecclesie honorem conservare, iusticiam fovere et ministrare, ac alias officium summi apostolatus nobis divinitus iniunctum exercere totis viribus niteremur, undique, ut notorium est, tenebamur obsessi, per solam divinam clemenciam et piorum suffragia fuimus erepti, non modo libenter, sed eciam ardenter assistent. Cum igitur eam ob rem diversa et magna profluvia et onera expensarum, ad que supportanda Camera apostolica iam pridem plurimum exhausta nullatenus sufficere potest, expedierit et expediat nos subire, sitque conveniens et debitum, ut subditi et peculiares filii nostri, pro quorum commoditatibus et consolationibus sine intermissione invigilamus, nobiscum tribulationes et onera parciantur, deliberacione super hiis habita diligenti, decimam omnium redditum et proventuum ecclesiasticorum in Gneznensi, Caminensi et Culmensi, ac provincie Gneznensis civitatibus et diocesibus consistencium per tres annos, a data presencium proxime computandos, in subscriptis terminis et singulis annis dictorum trium annorum ab omnibus et singulis Archiepiscopis ac Episcopis, ceterisque Prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, huiusmodi redditus et proventus in predictis civitatibus et diocesibus obtinentibus, et infra dictum triennium obtenturis, cuiuscumque preeminencie, dignitatis, status, gradus, religionis, ordinis vel condicionis existant, quibus aut eorum alicui nulla privilegia aut indulgencias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa quo ad hoc volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus huiusmodi

redditus et proventus in predictis civitatibus et diocesibus obtinentibus et interim obtenturis, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sorciuntur, nec non a dilectis filiis hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theutonicorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus, et fratribus, qui contra hostes fides christiane exponunt iugiter se et sua, quos quidem Cardinales, Magistros, Priores, Preceptores et fratres a prestacione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, solvendam, exigendam et colligendam, ac in relevacionem dictorum onerum convertendam auctoritate apostolica imposuimus et imponimus per presentes. Volumus autem, quod huiusmodi decima per te, qui in dictis civitatibus et diocesibus fructuum et proventuum dicte Camere debitorum collector existis, et quem eiusdem decime collectorem deputavimus, et tenore presencium deputamus, et succollectores tuos, clericos dumtaxat, quos ad id deputabis, a te ipso, nec non ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis et prelatis ac personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in eisdem civitatibus et diocesibus redditus et proventus huiusmodi, ut prefertur, habentibus, et infra dictos tres terminos habituris, preterquam a predictis Cardinalibus, Magistris et Prioribus, Preceptoribus et fratribus, de ipsis dumtaxat redditibus atque proventibus colligatur, et exigatur sine iniuria et oppressione quacumque; ita quod per te vel Succollectores predictos ad redditus et proventus ecclesiasticos extra civitates predictas consistentes compulsionis officium nullatenus extendatur. Primum enim terminum solucionis huiusmodi medietatis decime primi anni dicti triennii statuimus, et esse volumus festum Omnium Sanctorum proxime futurum, secundum vero terminum solucionis alterius medietatis ipsius decime dicti primi anni festum Nativitatis domini nostri Ihesu Christi extunc immediate secuturum, in aliis duobus annis dicti triennii similibus terminis observandis. Denique volumus, quod huiusmodi decime exactio fiat secundum taxacionem decime in predictis civitatibus et diocesibus factam, vel ubi nulla huiusmodi exactio certa fuerit, secundum modum, morem et consuetudinem in solucione huiusmodi decime hactenus observatos, et sine aliquo onere illorum, a quibus huiusmodi decima exigetur. Et ne de moneta, de qua fiet et fieri debet solucio, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc hactenus viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus, quod per te et Succollectores tuos predictos ipsa decima ad monetam in dictis terminis in prefatis civitatibus et diocesibus communiter currentem levetur, et eciam exigatur, ac tibi et Succollectoribus predictis nomine Camere predicte recipientibus persolvatur iuxta Constitucionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, quodque circa hoc iuxta constitucionem eiusdem Viennensis concilii calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris, vel alias occasione dicte exactionis nullatenus capiantur, recipiantur, distrahantur vel eciam occupentur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus decimam huiusmodi a te et prefatis Archiepiscopis, Episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis de tuis, et ipsorum ecclesiasticis redditibus et proventibus, quos infra civitates et dioceses predictas obtines et obtinent, et per dictum triennium obtinebunt, preterquam a Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis, per te vel alium seu alios exigere seu recolligere studeas diligenter: Nos enim tibi prefatos Archiepiscopos, Episcopos, prelatos et personas ecclesiasticas supradictas, huiusmodi redditus et proventus infra dictas civitates et dioceses obtinentes, et infra huiusmodi triennium, ut premittitur, obtenturos, Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis dumtaxat exceptis, ad solvendam tibi vel a te deputandis dictam decimam in eisdem terminis, prout sepius est expressum, auctoritate nostra per censuram, et eciam per sequestracionem ipsorum reddituum et proventuum in eisdem civitatibus et diocesibus consistencium, si expediens fuerit, per te vel alium seu alios compellendi, ac invocandi eciam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem, Non obstantibus etc. Datum Ianue III. Idus Februarii. Pontificatus nostri Anno Octavo. Ex Reg. orig. An. VIII. de Curia cod. chart. fol. 55.

MXXIV.

Dobrogostius epus Posnaniensis novem subcollectores in Polonia etc. constituit.

In nomine domini amen. Anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, Indictione octava, Reverendus in Christo pater dominus Dobrogostius Episcopus Poznaniensis, in Regno Polonie et alias fructuum Camere apostolice debitorum Collector, deputavit suos Succollectores, et per suas litteras dicte Camere apostolice in scriptis transmisit anno quo supra.

In primis in civitate et diocesi Wratislaviensi (fuit deputatus) dominus Laurencius Kumeyse Vicarius et Altarista Wratislaviensis.

In civitate et diocesi Cracoviensi dn̄us Swenthoslaus Custos Cracoviensis, decretorum doctor.

In civitate et diocesi Gneznensi Iarandus Decanus Gneznensis.

In civitate et diocesi Wladislaviensi Iohannes Archidiaconus Wladislaviensis.

In civitate et diocesi Plocensi Martinus Canonicus et Officialis Plocensis.

In civitate et diocesi Lubucensi Paulus Scolasticus Lubucensis.

In civitate et diocesi Caminensi Petrus Lise Canonicus Crusviciensis.

In civitate et diocesi Culmensi Bartholomeus Prepositus sancti Georgii ecclesie de Thoryn Culmensis diocesis.

In civitate et diocesi Poznaniensi Stanislaus primus Canonicus et Officialis Poznaniensis.

Ex reg. orig. Litt. dec. et Collect. cod. chart. fol. 281.

MXXV.

Archiepiscopus et clerus Gnesnensis a censuris, quas decimas non solventes incurrerant, absolvuntur.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Bodzanthe Archiepiscopo et dilectis filiis Capitulo Gneznensibus, et Clero Civitatis et diocesis Gneznensium, salutem etc. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum se libenter exhibet propiciam et benignam. Dudum siquidem Venerabilis frater noster Dobrogostius Episcopus Poznaniensis, apostolice sedis nuncius, decimam triennalem per vos in certis terminis Camere nostre apostolice persolvendam de mandato nostro imposuit, vosque omnes et singulos per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut huiusmodi decimam in certis terminis ad hoc per ipsum statutis solveretis, alioquin in vos excommunicationis et in singulares personas suspensionis, et in Gneznensem et alias ecclesias civitatis et diocesis Gneznensium interdicti sentencias promulgabat, Vosque monitionibus et mandatis huiusmodi infra dictos terminos parere neglexistis huiusmodi sentencias incurrendo. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra continebat peticio, vos ex certis causis eratis impotentes ad huiusmodi triennalem decimam persolvendam, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobiscum in premissis pie et mite agere, ac moniciones et quoscunque processus per dictum Episcopum contra vos occasione premissorum factos suspendere, vosque ab huiusmodi sentenciis absolvere, et super irregularitate, si quam premissorum occasione contraxistis, dispensare, et interdicta posita relaxare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, licet de premissis omnibus et singulis plenam noticiam non habeamus, volentes tamen vobis in premissis favorabiles inveniri, huiusmodi vestris supplicacionibus inclinati, unum annum seu terciam partem huiusmodi triennalis decime de apostolice liberalitatis munificencia vobis remisimus, et tenore presencium remittimus et donamus, ac processus, moniciones et mandata ac sentencias huiusmodi usque ad nostrum beneplacitum suspendimus per presentes, vosque nichilominus et vestrum singulos ab omnibus et singulis penis et sentenciis in dictis contentis processibus, quas occasione non solucionis huiusmodi incurristis, absolvimus, et super irregularitate, si quam vos et vestrum singuli vel aliquis vestrum huiusmodi ligati sentenciis, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis incurrit seu incurristis, dispensamus, et quecunque interdicta occasione premissorum lata et posita relaxamus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi primam decimam, primi anni videlicet in festivitate Omnium sanctorum anni presentis, et secundam decimam huiusmodi in festo pasche tunc proxime secuturo prefato Episcopo, vel succollectori aut succollectoribus per eum deputatis tradatis realiter, et eciam assignetis, alioquin si in huiusmodi terminis vel ipsorum aliquo in solucione huiusmodi defeceritis, vel aliquis vestrum defecerit, deficientes seu deficientem in pristinas penas et sentencias relabi volumus eo ipso. Nulli ergo etc. nostre remissionis et donacionis, suspensionis, absolucionis, dispensacionis, relaxacionis et voluntatis infringere etc. Datum Luce xv. Kal. Iunii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Secret. Tom. II. fol. 63.

MXXVI.

Episcopus et clerus Cracoviensis simili modo absolvuntur.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni ... Ep̄o et dilectis filiis Capitulo Cracoviensi-

bus ac Clero civitatis et diocesis Cracoviensium, sal. etc. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum se libenter exhibet propiciam et benignam. Dudum siquidem Venerabilis frater Dobrogostius Episcopus Poznaniensis, apostolice sedis nuntius, decimam triennalem per vos in certis terminis Camere nostre apostolice persolvendam de mandato nostro imposuit, vosque omnes et singulos per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut huiusmodi decimam in certis terminis ad hoc per ipsum statutis, et eciam medietatem omnium redditnum et proventuum quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum, primo anno vacationis huiusmodi beneficiorum obveniencium, a tempore, quo ad apicem summi apostolatus fuimus assumpti, solveretis, alioquin in vos excommunicationis et in singulares personas suspensionis, et in Cracoviensem et alias ecclesias civitatis et diocesis Cracoviensium interdicti sentencias promulgabat, vosque monicionibus et mandatis huiusmodi infra dictos terminos parere neglexistis huiusmodi sentencias incurrendo. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, vos ex certis causis eratis impotentes ad huiusmodi triennalem decimam persolvendam, et quod modum non videbatis qualiter huiusmodi medii fructus beneficiorum a tanto tempore vacantium solvi possent, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobiscum in premissis pie ac mite agere, ac moniciones et quoscunque processus per dictum Ep̄um contra vos occasione premissorum factos suspendere, vosque ab huiusmodi sentenciis absolvere et super irregularitate, si quam premissorum occasione contraxistis, dispensare, et interdicta posita relaxare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, licet de premissis omnibus et singulis plenam noticiam non habeamus, volentes tamen vobis in premissis favorabiles inveniri, huiusmodi vestris supplicationibus inclinati, unum annum seu terciam partem huiusmodi triennalis decime de apostolice liberalitatis munificentia vobis remisimus, ac tenore presencium remittimus et donamus, ac processus, moniciones, mandata et sentencias huiusmodi usque ad nostrum beneplacitum suspendimus per presentes, vosque nichilominus et vestrnm singulos ab omnibus et singulis penis et sentenciis in dictis contentis processibus, quas occasione non solutionis huiusmodi incurristis, absolvimus, et super irregularitate, si quam vos et vestrum singuli et aliquis vestrum huiusmodi ligati sentenciis, non tamen in contemptum clavium, celebrando divino vel immiscendo se illis incurrit seu incurristis, dispensamus, et quecunque interdicta occasione premissorum lata et posita relaxamus, et cum, sicut asseritis, vos huiusmodi decimam primi anni iam persolveritis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi secundam decimam, secundi anni videlicet in festo Pasche proxime venturo, prefato Ep̄o vel Succollectori, aut Succollectoribus per eum deputatis tradatis realiter et assignetis, alioquin si in huiusmodi termino in solucione huiusmodi decime defeceritis, vel aliquis vestrum defecerit, deficientes seu deficientem, et etiam si huiusmodi decimam primi anni, quam vos persolvisse asseritis, ut prefertur, non persolvistis, vos et vestrum quemlibet in pristinas penas et sentencias relabi volumus eo ipso. Nulli ergo etc. nostre remissionis, donationis, suspensionis, absolutionis, dispensationis, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli eius apostolorum se noverit incursurum. Datum Perusii xv. Kal. Decembris. Ponticfiatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Secret. Tom. II. fol. 130.

MXXVII.

Stanislao dicto Grad militi quaedam domus in civitate Cracoviensi ad cameram apostolicam pertinens conceditur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio nobili viro Stanislao dicto Grad, Militi Plocensis diocesis, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, ac generis nobilitas, morum decor, alieque virtutes, quibus personam tuam illarum largitor dominus, prout fidedignorum testimoniis percepimus, insignivit, promerentur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque in civitate Cracoviensi et contrata, que dicitur Omnium sanctorum, quedam domus sita, quam quondam Raynaldus de Calcina fructuum et proventuum Camere apostolice in regno Polonie debitorum Collector dicitur contraxisse, ad eandem Cameram legitime pertinere noscatur: Nos volentes tibi, qui, ut asseris, in serviciis dicte Camere multum laborasti et adhuc laborare paratus es, premissorum intuitu gratiam facere specialem, predictam domum, que, ut asseris, propter ignis incendium ex toto diruta et nullius redditus existit, et si vendicioni exponeretur, sexaginta marchas argenti vix valeret, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis tibi et tuis heredibus ex tuo corpore legitime descendentibus

auctoritate apostolica tenore presentium concedimus ac donamus, ita tamen, quod tu et heredes predicti pro annuo censu dicte domus predicte Camere singulis annis in festo Apostolorum Petri et Pauli unum par cirotecarum infoderatarum de pellibus armellinorum solvere tenearis et eciam teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et donationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Perusii II. Kalendas Maii. Anno Undecimo. Ioh. de Rosenbergh.

Ex Reg. orig. An. XI. Secret. Tom. II. fol. 80.

MXXVIII.

Episcopo Posnaniensi, ut omnes, qui eum in officio collectoris exsequendo impediant, ad curiam Romanam citet.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri Dobrogostio Episcopo Poznaniensi, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli sedi apostolice et eius ministris et officialibus minime deferentes in partibus, in quibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum collector existis, tam te quam succollectores per te deputatos, quos potius pro nostra et dicte sedis reverencia revereri et eis adesse presidio deberent, in huiusmodi Collectorie officio impedire, tibique et eisdem succollectoribus damna gravia et iniurias irrogare presumunt. Nos talium effrenatam proterviam refrenare cupientes, fraternitati tue omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel condicionis fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, qui tibi vel succollectoribus per te deputatis vel etiam deputandis circa execucionem huiusmodi officii Collectorie impedimenta prestiterint, ut coram nobis certo termino peremptorio competenti per te eis prefigendo nostro, seu Camerarii nostri aut eiusdem Camerarii locumtenentis conspectui personaliter se presentent, citandi, non obstantibus de una et de duabus dietis in concilio generali et aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim a prefata sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum locis, ordinibus et nominibus propriis et cognominibus mencionem, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem. Diem vero prefixionis huiusmodi nobis intimare, ac de nominibus ac cognominibus illorum, quos te, ut prefertur, citare contigerit, nos vel Camerarium aut locumtenentem prefatos per tuas patentes litteras harum seriem continentes clare et distincte informare et certificare procures. Datum Perusii II. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Secret. Tom. II. fol. 166.

MXXIX.

Iudicibus, ut eپum et clerum dioecesis Vratislaviensis a censuris, quas non solvendo decimas incurrerint, absolvant.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Pragensi, et dilecto filio Magistro Petro de Wsserob Archidiacono Horsoviensi in ecclesia Pragensi, litterarum apostolicarum Correctori, salutem etc. Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum se libenter exhibet propiciam et benignam. Dudum siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Wenceslai Episcopi et dilectorum filiorum Capituli Wratislaviensium nobis fuit expositum, quod olim Venerabilis frater noster Dobrogostius Episcopus Poznaniensis, apostolice sedis nuntius, ipsis Episcopo et Capitulo ac dilectis filiis Clero civitatis et diocesis Wratislaviensium decimam triennalem per eos in certis terminis Camere nostre apostolice persolvendam de mandato nostro imposuit, ipsosque Episcopum, Capitulum et Clerum per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut huiusmodi decimam in certis terminis ad hoc per ipsum statutis, et eciam medietatem omnium redditum et proventuum quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum primo anno vacationis huiusmodi beneficiorum obvenientium, qui a tempore, quo ad apicem summi apostolatus fuimus assumpti, obvenerunt, solverent primo, et deinde eciam Venerabilis frater noster Masficlus Archiepiscopus Messanensis ipsos auctoritate nostra monuit et mandavit eisdem, ut de fructibus mense episcopalis Wratislaviensis, qui tempore vacationis Wratislaviensis ecclesie per obitum bone memorie Preczlai Episcopi Wratislaviensis obvenerant, ac de bonis seu spoliis per dictum Preczlaum Episcopum relictis, et de quatuor milibus marcharum argenti per dictos Capitulum de redditibus predicte ecclesie, prefata ecclesia tunc pastore carente, clare memorie Carolo Romanorum Imperatori mutuatarum in certis terminis per ipsum Archiepiscopum statutis satisfacerent cum effectu, alioquin Archiepiscopus et Poznaniensis Episcopus predicti in Episcopum Wratislaviensem, et

in singulares personas Capituli et Cleri predictorum excommunicationis et suspensionis, et in Wratislaviensem et in alias ecclesias civitatis et diocesis Wratislaviensium interdicti sentencias promulgabant, Ipsique Wenceslaus Episcopus, Capitulum et Clerus monicionibus et mandatis huiusmodi infra dictos terminos minime paruerunt, quodque eciam dilecti filii Henricus de Lobschicz, Guillermus Stephani, Nicolaus de Glywicz, Nicolaus Selin et Iohannes Mignotelli Canonici dicte ecclesie tempore, quo eidem ecclesie de persona prefati Wenceslai Episcopi per nos fuit provisum, ad efficiendum, quod prefati Capitulum racionem et computum de hiis, que dicta ecclesia vacante de redditibus ipsius obvenerunt, infra certum terminum Camere nostre predicte racionem redderent, se sub certis penis et sentenciis etiam excommunicationum infra certum terminum summiserunt, idque infra dictum terminum minime effecerunt huiusmodi penas et sententias incurrendo. Et deinde (nobis fuit) humiliter supplicatum, ut cum ipsis Wenceslao Episcopo, Capitulo, Canonicis et Clero pie et gratiose agere de benignitate apostolica dignaremur. Nos attendentes, quod licet Camera nostra apostolica preter diversa, que nobis incumbunt, multis expensarum oneribus pregravetur, et precipue pro repressione hereticorum, scismaticorum et rebellium, et redempcione captivorum de manibus eorundem, nosque et ecclesiam Romanam aliarum ecclesiarum, quarum caput est, et personarum ecclesiasticarum subsidio indigere noscamur, tamen consideracione carissimorum in Christo filiorum Wenceslai Romanorum et Sigismundi Ungarie Regum illustrium, nobis pro dictis Episcopo Wratislaviensi, Canonicis, Capitulo et Clero humiliter supplicancium, volentes ipsis Episcopo, Canonicis et Clero, asserentibus se fore impotentes ad premissa persolvenda, in hac parte favorabiliter inveniri, huiusmodi dictorum Regum et ipsorum Episcopi Wratislaviensis, Capituli, Canonicorum et Cleri supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios dictos Wenceslaum Episcopum, Canonicos et singulares personas Capituli et Cleri predictorum ab huiusmodi sentenciis, si hoc humiliter petierint, auctoritate apostolica absolvatis vel absolvat in forma ecclesie consueta, iniunctis eis inter cetera, quod quamprimum poterunt, huiusmodi debita ecclesie prefate persolvant, eorum in hoc consciencias onerando, quia peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, et alias penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et super irregularitate, si quam ipsi vel aliquis eorum huiusmodi ligati sentenciis, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis incurrerint seu incurrerit, dispensetis, vel alter vestrum dispenset, ac huiusmodi interdicta eadem auctoritate relaxetis vel alter vestrum relaxet, seu faciat relaxari. Datum Rome apud S. Petrum x. Kal. Aug. Anno XII. Ex Reg. orig. An. XII. Secret. Tom. III. fol. 35.

MXXX.

Petrus de Radolina praepositus Vladislaviensis nuntius apostolicus et collector generalis in Polonia et Hungaria constituitur.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Petro de Radolina Preposito ecclesie Wladislaviensis, utriusque Iuris doctori, Referendario nostro, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum te, de cuius diligencia, fidelitate et prudencia aliisque virtutibus (sic), quibus, prout experiencia certa nobis innotuit, te dominus insignivit, pro certis arduis nostris et apostolice Camere per nos tibi commissis negociis ad Ungarie et Polonie regnorum et provincie Gneznensis et nonnullas alias partes presentialiter destinemus, Discretioni tue auctoritate nostra vocandi ad presenciam tuam omnes et singulos Collectores, et Succollectores fructuum et proventuum Camere apostolice in eorundem regnorum ac provincie partibus debitorum, apostolica vel alia quavis auctoritate hactenus deputatos, necnon commissarios et locatenentes eorum, quocunque nomine nuncupentur, et Inquisitores heretice pravitatis, ac eciam predicatores verbi crucis per nos seu auctoritate nostra ad ipsorum regnorum ac provincie partes predictas transmissos, ipsosque ad exhibendum tibi libros seu quaternos, in quibus recepta, exacta, soluta et gesta per eos et quemlibet eorum nomine et occasione dicte Camere, ac eciam huiusmodi Collectorie, locumtenencie, inquisitionis, predicationis pretextu destribuntur, necnon de huiusmodi receptis, exactis, solutis et gestis rationes et computa reddendum et reliqua tibi consignandum, appellatione cessante, compellendi, et huiusmodi rationes et computa videndi, calculandi et examinandi, necnon super premissis omnibus et singulis summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii inquirendi diligencius veritatem, teque de illis informandi ac ab eisdem collectoribus, subcollectoribus, commissariis, locatenentibus, Inquisitoribus, predicatoribus verbi crucis illa, que ex receptis et exactis per eos nomine predicto restant ad solvendum, et huiusmodi tibi per nos commissorum negociorum prose-

cutione durante, quovis modo nomine predicto recipient, petendi, exigendi, recuperandi et recipiendi, ipsosque Collectores et Succollectores, Commissarios, locatenentes, Inquisitores et predicatores verbi crucis de hiis, que dicte Camere vel pro ea seu tibi legitime solverint, quitandi, absolvendi et perpetuo liberandi, et nichilominus illos ex Collectoribus, Succollectoribus, Commissariis, locatenentibus, Inquisitoribus et predicatoribus verbi crucis, quos per informationem et inquisitionem huiusmodi deliquisse seu excessisse reppereris in premissis, eorrigendi et puniendi iuxta canonicas sanctiones, Ipsosque, si tuis mandatis parere contempserint, et tibi videatur, ut certo competenti peremptorio termino per te illis prefigendo conspectui apostolico se personaliter representent, pro meritis recepturi, citandi, Contradictores quoque et rebelles, cuiuscunque status, dignitatis, ordinis, preeminentie vel conditionis existant, etiam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, quandocunque, et quocienscunque expedicrit, eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, ac illos ex Collectoribus, Succollectoribus, Commissariis, locatenentibus, Inquisitoribus et predicatoribus verbi crucis, qui tuorum mandatorum fuerint contemptores, ab eorum officiis ad tempus, de quo tibi videbitur, suspendendi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Illos insuper, qui sentencias propterea per te ferendas incurrerint quovismodo, ab eisdem sentenciis, si hoc humiliter petierint, post satisfactionem debitam absolvendi in forma ecclesie consueta, iniunctis eorum singulis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et cum eis super irregularitate, si quam celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, ipsis prius a suorum ordinum ad tempus, de quo tibi expediens videatur, executione suspensis, dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et de una et de duabus dietis in consilio generali, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si prefatis Collectoribus, Succollectoribus, Commissariis, locatenentibus, Inquisitoribus et predicatoribus verbi crucis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presencium facultatem. Volumus autem tibique in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus de forma et citationibus huiusmodi, siquas feceris, et de hiis, que alias egeris in premissis, gentes dicte Camere certificare, necnon illa, que propterea recipere te continget, cum vero inventario ad eandem Cameram per cambium vel alium tutum modum fideliter et quamtocius transmittere non postponas. Sic igitur in premissis fideliter, solicite ac prudenter te studeas habere, quod exinde apud nos et sedem predictam amplius non immerito valeas commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum IX. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Secret. Tom. III. fol. 50.

MXXXI.

Salvus conductus pro eodem Petro nuntio apostolico.

Urbanus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. salutem etc. Cum dilectus filius Magister Petrus de Radolina Prepositus ecclesie Wladislaviensis, utriusque Iuris doctor, referendarius noster, apostolice sedis nuncius, sit ad Ungarie, Polonie ac nonnullas alias partes pro quibusdam per nos sibi commissis negociis presentialiter accessurus: Nos cupientes ipsum cum sociis, familiaribus, equitaturis, navigiis et rebus suis in eundo, stando et ad nos redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram etc. presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum IX. Kalendas Septembris. Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Secret. Tom. III. fol. 52.

MXXXII.

Eidem nuntio, ut rigore canonum contra eos, qui decimas solvere recusent, procedat.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Magistro Petro de Radolina Preposito ecclesie Wladislaviensis, utriusque Iuris doctori, referendario nostro, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod cum in Ungarie et Polonie regnorum ac provincie Gneznensis partibus tam per nos, quam per felicis recordationis Innocentium VI. Urbanum V. et Gregorium XI. Romanos pontifices

predecessores nostros triennales aut biennales, seu eciam annuales decime omnium proventuum ecclesiasticorum, quos prelati et persone ecclesiastice seculares et regulares ordinum quorumcumque, quibusdam de more exceptis, in eisdem regnis et provincia et partibus obtinerent, ac eciam diversa caritativa subsidia quibusdam racionabilibus tunc expressis exigentibus causis persolvenda, et in relevamen onerum apostolice Camere incumbentium convertenda sub certis formis fuerint imposita, nonnulli ex prelatis et personis huiusmodi partem et ratam ex decimis, et supradictis subsidiis eos contingentem in terminis ad id deputatis, vel etiam postea non solverunt, propter quod ipsi eorumque ecclesie et loca diversas excommunicationis, suspensionis et interdicti propterea latas sententias incurrerunt, illasque sustinuerunt et sustinent de presenti. Nos igitur tam saluti animarum, quam indempnitati dicte Camere, prout ad nostrum spectat officium, salubriter providere volentes, Discretioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad partes illas te personaliter transferens, quantum singuli Archiepiscopi et Episcopi regnorum, provincie et partium ipsarum cum eorum cleris, pro singulis imposicionibus decimarum et subsidiorum predictorum, visis antiquis et ctiam novis taxacionum eorum libris et regestris ac inspectis et recensitis, solvere debuerunt, et quantum propterea exactum ab eis fuit, quantumque ipsi solverunt, auctoritate nostra examines diligenter, et illud, quod de eis, que ex decimis et subsidiis antedictis, quorum videlicet omnes solutionum termini sunt transacti, ipsi Archiepiscopi et Episcopi cum dictis Cleris solvere debuerunt, [eos] per examinacionem huiusmodi restare inveneris ad solvendum ab eis, nostro et ipsius Camere nomine petere, exigere et recipere, seu super eo cum illis, prout temporis qualitate et eorum facultatibus consideratis tibi videbitur, si tamen, prout composueris, statim solvant cum effectu, componere, et illud, in quo composueris, eciam ab eis petere, exigere et recipere, et ea, que dicta causa recipere te continget, quamcicius commode et sine periculo poteris, ad eandem Cameram mittere non postponas. Nos enim tibi faciendi premissa, necnon solventes de receptis et alias iuxta compositionem huiusmodi quitandi et liberandi, ac eos, qui predictas sentencias vel earum aliquam incurrerunt, si hoc humiliter petierint, ab eisdem sentenciis absolvendi in forma ecclesie consueta, et cum illis et ipsis, qui celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, irregularitatis maculam contraxerunt, eis prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum executione suspensis, dispensandi, ac interdicta relaxandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque conditionis, status, ordinis vel preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, quandocunque et quocienscunque expedierit, auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, et sentencias per te ferendas, quociens expedierit, aggravandi, et nichilominus si tibi videbitur, illos, ut se certo eis ad hoc per te peremptorio termino competenti prefigendo personaliter conspectui apostolico representent, pro meritis recepturi, citandi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii VIII. predecessoris nostri etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Secret. fol. 49.

EPISTOLAE BONIFACII PP. IX.

MXXXIII.

Episcopo Posnaniensi, ut cum praeposito Gnesnensi de solvendis fructibus benigne agat.

Marinus miseratione divina sancte Marie nove diaconus Cardinalis, domini pape Camerarius, Reverendo in Christo patri domino Dobrogostio Episcopo Poznaniensi, fructuum Camere apostolice in provincia Gneznensi et nonnullis aliis partibus Regni Polonie debitorum collectori, Salutem etc. et presentibus fidem indubiam adhibere. Nuper nobis Venerabilis vir dominus Nicolaus Strosberg Prepositus ecclesie Gneznensis exposuit, quod vos et vestri commissarii vigore quarumdam litterarum nostrarum nomine Camere apostolice quosdam fructus, redditus et proventus, ac quamdam villam vocatam Starmiritz, ad dictam suam prepositurarn spectantes, pluribus annis in deductionem cuiusdam debiti, videlicet duorum milium florenorum, in quibus ipsa prepositura ex persona quondam Nicolai de Campa remanserat Camere apostolice onerata, tenuistis et tenetis, et quod sibi per huiusmodi vestram tenutam magnum preiudicium generatur, quominus possessionem totalem eiusdem prepositure posset adipisci: quapropter pro parte ipsius domini Nicolai Prepositi fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus sibi super premissis de remedio oportuno providere dignaremur. Nos volentes cum eodem domino Nicolao Preposito benigne agere in eisdem, et providere eciam indempnitati Camere antedicte, vobis committimus et mandamus, quatenus presentibus receptis per vos vel alium seu alios, vocatis ad hoc vocandis, cum prefato domino Nicolao aut eius legitimo procuratore computum et racionem de omnibus et singulis per vos, et dictos vestros commissarios de fructibus dicte Prepositure perceptis ponatis et faciatis, et vos ac gentes dicte Camere quantocius tam de eo, quod vos aut dictos vestros commissarios de dictis fructibus percepisse constitit, quam eciam de residuo dictorum florenorum, videlicet duorum milium, in quo prefatus dñus Nicolaus Prepositus obligatus remanserit, certificare per vestras patentes litteras studeatis, notificantes vobis harum serie, quod nos dicto dño Nicolao Strosbeg Preposito ad solvendum huiusmodi residuum dictorum duorum milium florenorum dilacionem duorum annorum, a die adepte possessionis per eum prepositure predicte vel maioris partis bonorum ipsius concessimus, et presentibus sub hoc concedimus, quod mediam partem eiusdem residui in fine primi anni, et reliquam partem in fine alterius anni proxime sequentis vobis, vel alteri in partibus super hoc mandatum habenti solvere tenebitur indilate, pro quibus omnibus et singulis observandis prefatus dominus Nicolaus Prepositus se et bona sua mobilia et immobilia, et dictam suam prepositurarn, ceteraque sua beneficia dicte Camere obligavit. Volumus autem, quod post et contra dictam nostram ordinacionem super premissis prefatum dñum Nicolaum Prepositum in possessione dicte sue prepositure, vel alicuius partis eiusdem minime perturbetis, seu perturbari per quempiam faciatis, sed ipsum dominum Nicolaum

dicta sua prepositura et eius possessione cum omnibus et singulis suis fructibus, redditibus et proventibus libere et pacifice tam diu gaudere permittatis, donec a nobis aliud receperitis in mandatis. In quorum testimonium presentes litteras fieri, et sigilli nostri camerariatus officii iussimus appensione muniri. Datum Reate sub anno domini MCCCLXXXX. die undecima mensis Iulii, Indictione XIII. Pontificatus etc. domini Bonifacii pape noni anno primo.

Ex Reg. orig. Bonifacii IX. divers. Cameral. fol. 167.

MXXXIV.

Archiepiscopis Pragensi et Gnesnensi eorumque suffraganeis, ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum in dioecesibus suis ad subveniendam cameram apostolicam per biennium colligi faciant.

Bonifacius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Pragensi et ... Gneznensi Archiep̃is, eorumque Suffraganeis, salutem etc. Crescit in dies peccatis exigentibus malicia temporis, multiplicatur iniquitas, invalescit ambicio, temeritas evagatur, et pericula undique preparantur, et adeo quorundam damnatorum vesana presumptio et effrenata rabies intumuit, ut quamplura ex civitatibus, terris et locis Romane ecclesie immediate subiectis, et eciam magnam partem Regni Sicilie et terre citra farum, que ipsius eccelesie iuris et proprietatis existunt, nefandis ausibus occupaverit et detineat occupata, et ad ulteriora molitur manus extendere violentas, propter quod nos, qui super gregem dominicum disposicione divina universalem curam gerimus, pro debito ministerii pastoralis tenemur, et quantum nobis videlicet divina bonitas faverit, volumus non solum fideles et divotos ab oppressionibus preservare, verum eciam huiusmodi damnatorum ausibus obsistere, eosque refrenare, ac elidere toto posse, ne a malicia puritas, et ab iniquitate iusticia, et ab ambicione caritas conculcentur, et ne modestie temeritas dominetur, et ut previsa pericula minus obsint. Cum igitur propterea de inevitabili necessitate magna expensarum onera oporteat nos subire, ad que supportanda Camera apostolica innumerabilium aliorum sumptuum profluviis fatigata apte sufficere nequit, deliberacione super hiis habita diligenti, decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum, in vestris civitatibus et diocesibus consistencium, per duos annos, a Kal. Ianuarii proxime futuri inchoandos et continue subsequentes, in subscriptis terminis annis singulis dictorum duorum annorum a vobismetipsis, necnon ab omnibus et singulis preletis ac personis ecclesiasricis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, huiusmodi redditus et proventus in predictis civitatibus et diocesibus obtinentibus, et infra dictum biennium obtenturis, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, status, gradus, religionis, ordinis vel condicionis existant, quibus vel quorum alicui nulla privilegia aut indulgencias sub quacunque verborum forma aut expressione concessa quo ad hoc volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, huiusmodi redditus et proventus in eisdem Civitatibus, diocesibus et provinciis obtinentibus, et interim obtenturis, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sorciuntur, necnon a dilectis filiis hospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theotonicorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus ac fratribus, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos quidem Cardinales, Magistros, Priores, Preceptores et fratres a prestacione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, solvendam, exigendam et colligendam, ac in relevacionem dictorum onerum convertendam auctoritate apostolica imposuimus et imponimus per presentes. Volumus autem, quod huiusmodi decima per vos, quorum singulos decime eiusdem in propriis videlicet civitatibus et diocesibus supradictis Collectores deputavimus, et tenore presencium deputamus, et Succollectores vestros clericos dumtaxat, quos ad id deputabitis, a vobis ipsis, necnon ab eisdem prelatis et personis ecclesiasticis sesularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in supradictis civitatibus et diocesibus redditus et proventus huiusmodi, ut prefertur, habentibus, et infra dictos duos annos habituris, preterquam a dictis Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, de ipsis dumtaxat redditibus atque proventibus colligatur, et etiam exigatur sine iniuria et oppressione quacunque, ita quod per vos vel Succollectores vestros huiusmodi ad redditus et proventus ecclesiasticos extra proprias civitates, et dioceses predictas consistentes compulsionis officium nullatenus extendatur. Primum enim terminum solucionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti biennii statuimus, et esse volumus festum Ascensionis domini nostri Ihesu Christi proxime futurum, secundum vero terminum solucionis alterius medietatis ipsius decime dicti primi anni celebritatem Omnium sanctorum extunc immediatate secuturam, in secundo anno sequente similibus terminis observandis. De-

nique volumus, quod huiusmodi decime exactio fiat secundum modum, morem et consuetudinem in solucione huiusmodi decime in illis partibus observatos, et sine aliquo onere illorum, a quibus huiusmodi decima exigetur. Et ne de moneta, de qua fiet et fieri debet solucio dicte decime, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc hactenus viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus, quod per vos et Succollectores predictos ipsa decima ad monetam in predictis civitatibus et diocesibus communiter currentem levetur, et eciam exigatur a vobis, et cuilibet vestrum aut Succollectoribus predictis nomine Camere predicte recipientibus persolvatur iuxta Constitucionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, quodque circa hoc iuxta Constitucionem eiusdem Viennensis concilii calices, libri et ornamenta ecclesiastica divinis officiis deputata ex causa pignoris, vel alias occasione dicte exactionis nullatenus capiantur, recipiantur, distrahantur vel eciam occupentur. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus decimam huiusmodi a vobis ipsis, necnon a prefatis prelatis et personis ecclesiasticis de vestris ipsorumque ecclesiasticis redditibus et proventibus, quos infra civitates et dioceses antedictas obtinetis et obtinent, et per dictum biennium obtinebitis et obtinebunt, preterquam a Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis, per vos vel alium seu alios diligenter exigere vel colligere, necnon illud, quod in singulis terminis predictis recollegeritis, infra triginta dies post singulos terminos eosdem immediate sequentes cum integritate, deductis tamen pro recollectione huiusmodi moderatis expensis, Collectori fructuum et proventuum Camere predicte debitorum in illis partibus deputato, qui de receptis per eum nomine dicte Camere vos et alios, quorum interfuerit, quitabit, cum effectu solvere studeatis: Nos enim vobis prefatos prelatos et personas ecclesiasticas huiusmodi redditus et proventus infra dictas civitates et dioceses obtinentes, et infra huiusmodi biennium, ut premittitur, obtenturos, Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis dumtaxat exceptis, ad solvendum vobis vel a vobis deputandis dictam decimam in cisdem terminis, prout superius est expressum, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et eciam per sequestracionem ipsorum redditum et proventuum in eisdem civitatibus et diocesibus consistencium, si expedierit, per vos vel alium seu alios compellendi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem, Nos obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ex Reg. orig. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 116.

MXXXV.

Nicolaus episcopus Culmensis collector denarii B. Petri in sua dioecesi et partibus Pomeraniae de CCCC. florenis assignatis absolvitur.

Bonifacius episcopus etc. Universis etc. salutem etc. Universitati etc. quod Venerabilis frater noster Nicolaus Episcopus Culmensis, denarii sancti Petri in civitate et diocesi Culmensibus ac partibus Pomeranie Camere apostolice debiti Collector, quadringentos florenos auri de Ungaria de pecuniis exinde per eum receptis per manus dilecti filii Iacobi Nicolai Currificis presbiteri Culmensis diocesis, ipsius Episcopi familiaris, gentibus ipsius Camere realiter et cum effectu die data presentium solvi fecit, de quibus sic solutis ipsum Episcopum eiusque heredes et successores auctoritate apostolica tenore presencium quitamus penitus et liberamus. Datum Perusii Kal. Iulii. Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Litt. divers. Tom. III. fol. 127.

MXXXVI.

Iacobus de Guidonis collector generalis in Polonia constituitur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Iacobo Philippi de Guidonis clerico Bononiensi, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie et provincia Gneznensi debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta et aliis virtutibus, quibus fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et diligenti studio fideliter exequeris. Hinc est, quod te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in Regno Polonie et Provincia Gneznensi generalem Collectorem et Receptorem fructuum et proventuum, Camere apostolice in Regno et Provincia predictis debitorum, usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica tenore presencium facimus, constituimus ac eciam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi fructuum et proventuum Collectores et Succollectores, in Regno et Provincia

predictis per nos aut sedem apostolicam hactenus deputatos, penitus revocantes, ac tibi per te vel alium seu alios fide et facultatibus ydoneos nostro, et dicte Camere ac Romane ecclesie nomine omnes et singulos fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum in Regno et Provincia predictis vacancium, per nos vel auctoritate nostra collatorum et in antea conferendorum, aliaque iura, debita, res, census et bona ecclesie et Camere predictarum in Regno et Provincia huiusmodi quacunque racione vel causa debita, vel debenda imposterum, vel ad nos seu eandem ecclesiam nunc et imposterum pertinencia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, que dumtaxat per Collectores et Succollectores in huiusmodi Regno et Provincia peti, exigi et recipi consueverunt, petendi, exigendi et recipiendi, raciones et computa a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus apostolicis, et Inquisitoribus heretice pravitatis, et eciam predicatoribus verbi Crucis hactenus in eisdem Regno et Provincia deputatis, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra, appellacione remota, compellendi, et insuper omnibus et singulis commissionibus et litteris apostolicis, quibuscunque Collectoribus in Regno et Provincia predictis in huiusmodi Collectorie officio auctoritate nostra missis, concessis seu eciam destinatis, et dictam Cameram seu eius iura concernentibus, et non ceptis negociis proinde utendi, easque exequendi et ad effectum plenarium deducendi, ac si tibi specialiter destinate fuissent, nec non Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendi, excommunicacionis etc. Datum Perusii III. Nonas Iulii. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 142.

MXXXVII.

Nicolaus episcopus Culmensis collector denarii S. Petri in Pomerania et dioecesi Culmensi constituitur.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Culmensi, denarii sancti Petri nobis et apostolice Camere in tota Pomerania, ac civitate et diocesi Culmensi debiti Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita et diligenti prudencia, providenciaque circumspecta aliisque virtutibus, quibus, prout evidenti opere ac fidedignorum relacione nobis innotuit, te dominus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que fraternitati tue exequenda commiserimus, solerti ac salubri studio gubernabis et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te denarii sancti Petri nobis et Camere apostolice in tota Pomerania ac civitate et diocesi Culmensi debiti Collectorem, et receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum auctoritate apostolica tenore presencium facimus, constituimus, et eciam deputamus, omnes et singulos Collectores et Succollectores huiusmodi denarii sancti Petri inibi per nos et dictam sedem, vel eius auctoritate quoquomodo deputatos, ac omnes commissiones super huiusmodi Collectorie officiis, aliis quam tibi sub quacunque verborum forma per dictam sedem vel eius auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores et Succollectores et alios ab huiusmodi Collectorie et Succollectorie officiis et commissionibus aliis eis commissis, seu factis specialiter vel generaliter totaliter amovendo, tibique per te vel alium seu alios clericos dumtaxat, fide et facultatibus ydoneos, petendi, exigendi et recipiendi nostro et dicte Camere nomine a quibuscunque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumcunque, ac eciam laicalibus personis huiusmodi denarium sancti Petri Camere ac ecclesie predictis debitum et debendum, raciones quoque et computa a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus apostolicis dicti denarii sancti Petri pro dicta Camera in Pomerania, ac civitate et diocesi predictis, vel eorum aliquibus hactenus deputatis, seu personis aliis, in quantum negocia et utilitatem dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsos ad id, si necesse fuerit, compellendi, et per ipsos recepta dictas Romanam ecclesiam et Cameram concernencia quovismodo recipiendi, ac solventes de receptis quitandi, liberandi et absolvendi, nec non Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et bonorum ipsorum sequestracionem, et arrestacionem personarum et alia iuris remedia, appellacione postposita, compescendi, ac eciam excommunicacionis et alias sentencias in non solventes tibi denarium huiusmodi

per te, vel alium seu alios tuo et dicte Camere nomine inflictas et promulgatas, quotiens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sentencias promulgandi, nec non contra quoscunque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, seu te vel dictos tuos officiales impedientes, et negocia dicte Camere directe vel indirecte publice vel occulte, auctoritate nostra procedendi, prout ordo exigeret racionis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis vel Camerario nostro infra certum competentem terminum, per te eis assignandum, citandi, ac eciam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sentencias quoque excommunicacionis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predictos predecessores vel eorum substitutos, quam per te latas seu ferendas, cum ad obedientiam advenerint, tollendi et suspendendi, et super irregularitate, siquam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, aut immiscendo se illis contraxerint, cum eisdem eciam auctoritate nostra dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et de una et duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, eciam si de illis et totis earum tenoribus eciam de verbo ad verbum esset in presentibus mencio specialis habenda, seu si aliquibus et eorum ordinibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, auctoritate predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes, ita tamen quod in denario huiusmodi ipsi Camere persolvendo ultra unum annum dilacionem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra dicta loca consistentibus, si sint ample vel diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus eciam ultra unum dumtaxat Succollectores non deputes, et quod omnium et singulorum Collectorum, quos te deputare continget, nomina et cognomina, statum, cum illos deputaveris, nobis seu Camerario nostro clare et distincte transmittas, et quod singulis bienniis de receptis et gestis per te in huiusmodi Collectorie officio racionem et computum reddere, nec non quidquid per te in predictis recipi contigerit, per litteras cambii, vel alium tutum modum nobis vel predictis Comerario et gentibus Camere predicte, quantocius commode poteris, mittere non postponas. Sic igitur in premissis prudenter et solicite ac fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari valeas, nostramque et dicte sedis benivolenciam et graciam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Idus Octobris. Anno Sexto.

Ex Reg. orig. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 158.

MXXXVIII.

Matzeus de Lamberto collector generalis in Polonia constituitur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Matzeo de Lamberto, clerico apostolice Camere, apostolice sedis nuncio, necnon fructuum, reddituum et proventuum eidem Camere in regno Polonie ac provincia Gneznensi debitorum Collectori, salutem etc. Novit ille scrutator almus cordium, quod summis doloribus angimur, pungentesque et amari stimuli nos infestant, etc. usque decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum, in Regno Polonie et provincia Gneznensi consistencium, per tres annos a data presencium proxime computandos etc. usque: primum enim terminum solucionis huiusmodi medietatis decime primi anni dicti triennii declaramus, et esse volumus festum Omnium sanctorum proxime futurum, secundum vero terminum solucionis alterius medietatis ipsius decime dicti primi anni festum Nativitatis domini nostri Ihesu Christi extunc immediate secuturum, in aliis duobus annis dicti triennii similibus terminis observandis. Denique volumus, quod huiusmodi decime exactio fiat secundum taxationem decime in predictis Regno et provincia factam, et ubi nulla etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum X. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 172.

MXXXIX.

Idem collector novem subcollectores instituit.

Infrascripta sunt nomina Succollectorum per Venerabilem virum dominum Matzeum de Lamberto apostolice Camere Clericum, in Regno Polonie ac provincia Gneznensi iurium apostolice Camere debitorum Collectorem, deputatorum ad apostolicam Cameram in quadam littera missiva interclusa destinata scripta.

In primis in civitate et diocesi Wratislaviensi fuit deputatus dominus Laurencius Cumeys Canonicus Wratislaviensis.

In civitate et diocesi Cracoviensi dominus Iohannes de Theschin plebanus ecclesie corporis Christi in Kazmiria Cracoviensis.

In civitate et diocesi Poznaniensi dominus Derslaus Archidiaconus Pzemensis in ecclesia Poznaniensi.

In civitate et diocesi Plocensi dominus Swanteslaus Scolinge Canonicus Plocensis.

In civitate et diocesi Culmensi dominus Symon de Luterberich plebanus nove civitatis Thorunensis dicte diocesis.

In civitate et diocesi Wladislaviensi, excepta Pomerania, dominus Swanteslaus Luce Canonicus Plocensis.

In tota Pomerania, que est Gneznensis et Wladislaviensis diocesium, dominus Henricus de Lapide Officialis in Danzck et Canonicus Wladislaviensis.

In civitate et diocesi Gneznensi, excepta Lancicia cum suis attinenciis, dominus Derslaus Archidiaconus Gneznensis.

In Lancicia et suis attinenciis Gneznensis diocesis dominus Kelzo Custos Lanciciensis.

Ex Reg. orig. Litt. decim. et Collect. Tom. VII. cod. chart. fol. 287.

MXL.

Eidem collectori generali, ut omnes fructus, proventus etc. omnium beneficiorum ecclesiasticorum in regno Poloniae et provincia Gnesnensi vacantium per tres annos camerae apostolicae reservet.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Matzeo de Lamberto, apostolice Camere clerico, familiari nostro, apostolice sedis nuncio, necnon in Regno Polonie et provincia Gneznensi fructuum et proventuum apostolice Camere debitorum Collectori, salutem etc. Cum nos dudum ex certis racionabilibus causis ad id animum nostrum moventibus disposicionem et ordinacionem omnium bonorum mobilium, et creditorum ac debitorum quorumcunque Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum, habentium bona seu redditus et proventus a conventibus suis discreta, in locis et partibus, in quibus es fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collector deputatus, consistentium, que ipsi Archiepiscopi, Episcopi et Abbates haberent, vel pertinerent quomodolibet ad eosdem tempore mortis eorum, cum infrascripta moderacione, necnon fructus, redditus, proventus, obvenciones et iura ad mensas Archiepiscopales, Episcopales et Abbatiales eorum spectantia, necnon eciam quorumcunque prioratuum, dignitatum vel officiorum, canonicatuum et prebendarum, parrochialium ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, secularium et regularium, quorumcunque locorum et partium predictorum disposicioni apostolice reservatorum, que eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et aliis obtinentibus prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus, prebendas, ecclesias et alia beneficia ecclesiastica huiusmodi de medio sublatis ex ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, parrochialibus ecclesiis et aliis beneficiis huiusmodi per obitus eorum vacantibus, quamdiu vacarent, obvenissent et obvenirent in antea, eciam si forsan per quoscunque forent percepti seu percipi contingeret, donec per nos seu auctoritate nostra ecclesiis Archiepiscopalibus, Episcopalibus ac monasteriis huiusmodi de pastoribus canonica institucione sit provisum, ac prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus, prebende, parrocchiales ecclesie et alia beneficia supradicta canonice collata essent, usque ad nostrum beneplacitum cum interposicione decreti duxerimus reservanda, discrecioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te, vel alium seu alios fide et facultate ydoneos predicta omnia bona mobilia, credita et debita sic reservata quorumcunque Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum, huiusmodi bona seu redditus et proventus discreta a suis conventibus, ut prefertur, habencium, quorumcunque monasteriorum et ordinum, exemptorum et non exemptorum in dictis partibus consistencium, necnon fructus, redditus et proventus, obvenciones et iura, que ex ecclesiis, monasteriis, necnon prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, parrochialibus ecclesiis et aliis reservatis quibuscunque locorum et partium predictorum, quamdiu huiusmodi eorum vacacio duravit et durabit, donec eisdem ecclesiis et monasteriis fuerit de pastoribus canonice provisum, ac prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebende, parrochiales ecclesie et alia

beneficia supradicta canonice collata fuerint, obvenerint et obveniant, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, ac in quibuscunque rebus consistant, et per quascunque detineantur seu debeantur personas, de et super quibus, si necesse fuerit, summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii te informes, auctoritate nostra et apostolice Camere nomine exigere et recipere cum integritate, illaque seu pecunias ex eis debitas fideliter conservare, et quamprimum commode et sine periculo poteris, ad Camcram nostram mittere procures cum effectu, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel qualibet alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, quandocunque et quocienscunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et penas alias, de quibus tibi secundum eorum rebellionem videbitur, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, et de duabus dietis in consilio generali, ac eciam de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mencio specialis: nos enim quitandi, liberandi et absolvendi plene et libere per te, vel alium seu alios omnes et singulos, a quibus bona, credita, debita, fructus, redditus, proventus, obvenciones et iura huiusmodi receperis, de hiis dumtaxat, que ab eis recipere te continget, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, et tibi in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus de omnibus et singulis bonis, creditis, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus supradictis, ac vero valore ipsorum per Instrumenta publica eciam tuo sigillo sigillata gentes Camere predicte certificare procures. Tenor vero dicte moderacionis talis est. Volumus siquidem et mandamus, quod de bonis et creditis huiusmodi reservatis debita ipsorum Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum decedencium, pro eorum necessitatibus ac ecclesiarum et monasteriorum predictorum utilitatibus contracta, ac expense decentes et honeste ipsorum funerum, necnon emende, si alicui debeantur, ac pro remuneracione illorum, qui eis viventibus serviverint, iuxta servicii meritum, necnon libri, res et bona, que iidem decedentes ex patrimoniis vel personalibus laboribus et industria, seu alias, preterquam ex ecclesiis, monasteriis et locis eorum acquisierint, dum agerent in humanis, si tamen habeant heredes legitimos, per te legitime deducantur, quodque reservacio huiusmodi ad libros, calices, cruces, vestimenta et alia ornamenta pontificalia aut iocalia ecclesiastica, ecclesiis, monasteriis et locis huiusmodi, antequam ipsi decedentes eorum preessent regimini, aut per ipsos, dum viverent et preessent eisdem, sine fraude tamen prefatarum ecclesiarum, monasteriorum et locorum, et ad boves aliaque animalia ad agriculturam et servicia domorum, ecclesiarum et monasteriorum ac locorum, et ad utensilia eorundem forent usibus deputata, nullatenus extendatur. Sic igitur premissa omnia exequaris, quod neque de negligencia neque de exactione indebita valeas reprehendi. Datum Rome apud Sanctum Petrum x. Kal. Maii. Anno Decimo.

Ex Reg. orig. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 172.

MXLI.

Episcopo Cracoviensi, ut in regni Poloniae subsidium contra Tartaros et Turcas verbum crucis propouat.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Cracoviensi, salutem etc. Gustato frequenter amaritudinis calice super dilatatis oppressionibus Christianorum, quos in partibus Regni Polonie, principatus, ducatus et dominiorum Lithuanie, Russie, Podolie, Walachie sauciat laceratque manus impia Tartarorum, Paganorum, Turchorum et aliarum barbararum etiam nationum, madefieri sanguine semper avida christiano, cuius deploramus angustias et per effectum compassionis intime sui

doloris tormenta perpetimur, dolemus inquam de incolarum Regni, principatuum, ducatuum et dominiorum predictorum et provinciarum circumadiacentium nomen Christi colentium cruciatu continuo, quibus vix defensionis tutela relinquitur seu quietis remedium indulgetur, sed potissime circa obprobrium redemptoris afficiuntur, cuius hereditatem, nationes videlicet christianas, belve immanissime rabida crudelitate diripiunt, diris affligunt molestiis, et hostili severitate conculcant. Nos igitur, qui Vinee domini Sabbaoth, populi scilicet christiani, custodes licet immeriti sumus a domino constituti, summo opere vigilare compellimur et tenemur, ne gens ipsa immanissima Tartarorum, Paganorum, Turchorum, et aliarum barbararum quarumlibet nationum Vineam ipsam immaniter profligare queat, quantumque nobis ex alto conceditur, ut eadem Vinea a cunctis ingruentium malorum incursibus conservetur illesa, ferarum impetum in illam cassanti furore ut dissipent, et universa disperdant satagentium .....amus. Attendentes incensum desiderium carissimi in Christo filii nostri Wladislai Regis Polonie Illustris, quo ad defensionem et exaltationem Catholice fidei, ipsius athlete promptissimi et pervigilis indefessi ducitur incessanter, sicut ex relatis per dilectum filium Albertum Iastrabetz Electum Poznaniensem, eius oratorem et nuncium, ac ex fidedignorum testimoniis, et ab effectu multiplicium gestorum ipsius angnovimus, ut Tartaros, Paganos, Turkos et alias barbaras nationes, Regnum, principatus et dominia huiusmodi assiduis congressionibus et truculentissima feritate pro posse vastantes, necnon ad exterminium crucifixi nomen colentium et christianam religionem sectantium laborantes, et ut extinguant, se et sua iugiter exponentes, confundat et dissipet, edificet atque plantet, ac volentes ad confovendum tam christianissimum prefati Regis propositum, et instante necessitatis articulo fidei ac populo christiano anxiis desideriis promptisque conatibus, quantum nobis ex alto permittitur, salubriter subvenire, et tam Regem ipsum, quam alios ad huiusmodi Christi obsequia eo devotius inducere, quo ex hoc dona spiritualium munerum senserint percepturos, fraternitati tue, cui de fidei puritate, virtutum constantia, ac circumspecta prudentia apud nos fidedigna testimonia perhibentur, predicacionis officium verbi vivifice Crucis in civitatibus, terris, castris, opidis, villis et locis aliis universis in Regno Polonie, principatibus, ducatibus et dominiis aliis Lithwanie, Russie, Podolie, Walachie predictis prefato Regi subditis, et partibus aliis finitimis per te vel alium seu alios Catholicos antistites, scientia claros, fidei puritate conspicuos et providentia circumspectos, quos ad hoc ydoneos fore cognoveris, super quo tuam conscientiam oneramus, contra hostes fidei supradictos Regnum, principatus, ducatus et dominia huiusmodi, et partes alias iugiter infestantes presentium auctoritate committimus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus premissa omnia Christifidelibus diligenter exponens, eos iuxta prudentiam tibi a domino traditam attentis inducas monitis et sedulis predicationibus exhorteris, ut pro salute Christifidelium, tutela Regni, principatuum, ducatuum et dominiorum huiusmodi, et aliarum partium Christianorum remedium eorum auxiliacionis exhibeant ad vindicanda christiani nominis obprobria, et ad exterminium truculentissimarum huiusmodi nationum promptis intendant animis, strenuis actionibus se exerceant et adhibeant vires suas elargiri. Ut autem huiusmodi ministerium per nos tibi iniunctum eo facilius atque felicius prosequi valeas, quo per sedem predictam munitus fueris prerogativa privilegii potioris, eidem fraternitati, de qua in domino specialem fiduciam obtinemus, locorum ordinarios, ad quos propterea te declinare contigerit, ut ipsi per se, vel alios ydoneos et fidei zelo ferventes predicatores suarum civitatum et diocesium diebus dominicis et festivis infra missarum solemnia et alias, prout eis melius et magis oportunum videbitur, Christifidelibus premissa proponant seu proponi faciant, ipsosque fideles inaniment et inducant ad exhibendum in tam salutari gimnasio vires suas pro prosecutione negotii prelibati, auctoritate nostra requirendi hac vice dumtaxat plenam tenore presentium concedimus facultatem, Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus, si prefatis locorum ordinariis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte impediri valeat quomodolibet vel differri. Et ut Christifideles premissa tanto libentius atque ferventius prosequantur, quanto ex eorum labore mercedem potiorem se noverint percepturos, Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius (auctoritate) confisi, omnes et singulos, qui pro succursu, tutela et defensione Regis, Regni Polonie, principatuum, ducatuum et dñiorum

Lithuanie, Russie, Podolie ac Valachie predictorum, et aliarum partium fidelium personaliter contra detestandam rabiem prefatorum Tartarorum, Paganorum, Turkorum et aliarum barbararum nationum accesserint, vel alios miserint, et steterint militando per tempora in huiusmodi expeditionibus solita hactenus per Romanos Pontifices prefirmari, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, veniam consequi volumus, que per sedem apostolicam concedi consuevit proficiscentibus in terre sancte subsidium, ac eis in retributione iustorum augmentum eterne beatitudinis policemur. Tu igitur onus predictum fiducialiter humeris tuis impositum ad laudem divini nominis, catholice fidei augmentum, salutem Regni, principatuum, ducatuum, dominiorum et partium predictorum et aliorum Christifidelium, qui se Regni et aliorum premissorum constituerint et constituent defensores, suscipiens illud constanti animo et benigna patientia prosequi studeas cum effectu: speramus enim in illo, cuius auxiliatrix dextera clementer adest agentibus causam eius, quod ipse, qui personam tuam providentie munere, scientie magnitudine, fidei puritate, circumspectionis et industrie gratia multisque virtutibus insignivit predictis, humeris tuis fortitudinis robur adiiciet virtutem tecum mim̃e faciendo, ut prefatum negotium, quod ad suam prosequeris gloriam, felicitatis optate suscipiat incrementum, presentibus post exacte prefati Wladislai Regis vite spatium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ex Reg. orig. An. X. Litt. divers. Tom. V. fol. 153.

MXLII.

Episcopus Vratislaviensis in regno Poloniae etc. collector decimae in eiusdem regni subsidium contra Tartaros constituitur.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Nonnullorum perversorum, a quorum oculis dei timor abscessit, et quorum vie perverse sunt et infames gressus eorum, sic excrevit dampnata presumptio, quod ipsi velut alieni filii per cecitatis devium oberrantes, Romanam ecclesiam matrem cunctorum fidelium et Magistram iniuriis atque dampnis afficere, eiusque et etiam catholicorum Regum et Principum ac aliorum Christifidelium terras, bona et iura occupare et invadere, ac fidem catholicam, quantum in eis est, inficere et depravare, ac presertim dampnate persone, que Tartari nuncupantur, Regnum Pollonie dampnificare, ac carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum Regem Polonie Illustrem a dicto Regno expellere posse omni non verentur, ad quorum insolentias refrenandas et predictorum defensionem, ac ipsorum Tartarorum exterminium, prout debitum nostri requirit officii, tot et tanta nos de presenti subire oportet onera expensarum, quod ad illa ferenda proventus nostre Camere omnino pecuniis exhauste sufficere non possunt, quod nos anxie cogitantes et vias ac modos rationabiles et honestos, quibus necessarie supportationi huiusmodi onerum valeamus sufficere, solicite perquirentes, ac reputantes equum et congruum, ut dicta Romana ecclesia ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis, quarum ipsa est caput, in suis necessitatibus adiuvetur, et quod mediantibus subsidiis ecclesiasticarum personarum prefati Regni, videlicet in terris dicto Regi immediate subiectis dumtaxat, perfidie dictorum Tartarorum resistatur, et Rex ac Regnum predicta a noxiis releventur, deliberatione super hiis prehabita diligenti, decimam omnium redditum et proventuum ecclesiasticorum in eodem Regno, et in tota provincia Gneznensi consistentium per unum annum a die, quo presentes littere in eisdem Regno et provincia fuerint publicate, incohandum, et deinde continue subsequendum in subscriptis terminis solvendam, et etiam exigendam ab omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis ceterisque Prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, huiusmodi redditus et proventus in predictis Regno et provincia obtinentibus, et infra dictum annum obtenturis, cuiuscumque preminentie, dignitatis, status, religionis aut ordinis existant, quibus aut eorum alicui nulla privilegia aut indulgentias, sub quacumque verborum forma vel expressione concessa, quo ad hoc volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, et dilectis filiis familiaribus nostris domesticis et commensalibus, huiusmodi redditus et proventus in eisdem Regno et Provincia obtinentibus, et obtenturis in posterum, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sortiuntur, necnon a dilectis filiis hospital. sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theutonicorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos Cardinales, Magistros, Priores, Preceptores et fratres a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus, solvendam, exigendam et colligendam ac in relevationem onerum et exterminium Tartarorum predictorum convertendam impo-

nendam duximus et imponimus per presentes, volentes, quod huiusmodi decima per te, quem Collectorem ipsius decime harum serie deputamus, et succollectores clericos dumtaxat, quos tu ad id duxeris deputandos, ab ipsis Archiepiscopis, Episcopis et Prelatis ac personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, in Regno et provincia supradictis redditus et proventus huiusmodi, ut prefertur, habentibus, et infra huiusmodi annum habituris, preterquam a predictis Cardinalibus, familiaribus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, de ipsis dumtaxat redditibus atque proventibus colligatur et etiam exigatur, ita quod per te vel subcollectores predictos ad redditus et proventus ecclesiasticos extra Regnum et provinciam predicta nullatenus extendatur. Primum enim terminum solutionis dicte medietatis esse volumus, festum beatorum Apostolorum Petri et Pauli proxime venturum; secundum vero terminum solutionis alterius medietatis festum b. Martini immediate sequuturum: dictaque exactio fiat secundum taxationem decime in dictis Regno et provincia factam, vel ubi huiusmodi taxatio certa non fuerit, secundum modum, morem et consuetudinem in exactione et solutione huiusmodi decime hactenus observatos. Et ne de moneta, in qua fiet et fieri debebit solutio dicte decime, valeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus, quod per te et succollectores prefatos ipsa decima ad monetam in prefatis Regno et provincia communiter currentem levetur ac etiam exigatur, et tibi et succollectoribus predictis nomine dicte Camere persolvatur iuxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur, quodque circa hoc iuxta constitutionem predictam calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel alias occasione dicte exactionis nullatenus capiantur, recipiantur, distrahantur vel etiam occupentur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus (decimam huiusmodi) a prefatis Archiep̄is, Ep̄is ceterisque Prelatis et personis ecclesiasticis de ipsorum ecclesiasticis redditibus et proventibus, quos infra huiusmodi Regnum et Provinciam obtinent, ut prefertur, et infra dictum annum obtinebunt, preterquam a Cardinalibus, familiaribus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis, per te vel alium seu alios exigere et colligere studeas diligenter, Nos enim tibi prefatos Archiepiscopos, Episcopos, Prelatos et personas ecclesiasticas supradictas huiusmodi redditus et proventus infra Regnum et Provinciam predicta obtinentes, et dicto anno durante, ut premittitur, obtenturos, Cardinalibus, familiaribus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus, fratribus supradictis dumtaxat exceptis, ad solvendum tibi vel a te deputandis dictam decimam in eisdem terminis, prout superius est expressum, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et etiam per sequestrationem ipsorum redditum et proventuum in eisdem Regno et Provincia, ut premittitur, consistentium, si expediens fuerit, per te vel alium seu alios compellendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, Non obstantibus, si eisdem Archiepiscopis, Episcopis et Prelatis ac aliis personis ecclesiasticis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad solutionem huiusmodi decime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de presentibus litteris et toto earum tenore ac de verbo ad verbum et propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, et specialiter sanctorum Benedicti et Augustini, Cluniacensi, Cisterciensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, Vallisumbrose et Camaldulensi, et ipsorum universitatibus generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus, ac de verbo ad verbum in nostris litteris plena et expressa mentio sit habenda. Adhuc volumus tibique eadem auctoritate concedimus, quod tu nec non a te deputandi illis de eisdem Regno et Provincia, quos ex defectu non facte solutionis huiusmodi decime excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias incurrisse contigerit, ab eisdem sententiis post satisfactionem debitam, prius facta fide tibi vel huiusmodi deputandis de satisfactione huiusmodi, beneficium absolutionis impendere valeatis, et super irregularitate, si quam forte sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, possitis etiam dispensare: tamen quia forsan nonnulle ex ecclesiasticis personis interdictis adeo pauperes fuerint, quod ad solutionem huiusmodi decime impotentes existunt, volumus quod quoad illas, que per te summarie et de plano reperte fuerint ad solutionem huiusmodi decime in predictis terminis faciendam, ut premittitur, impotentes, super quo tuam conscientiam oneramus, prefatas sententias relaxes, et super irregularitate, si quam sic ligate, non tamen in contemptum clavium, celebrando

divina aut immiscendo se illis contraxerint, cum eisdem etiam auctoritate nostra dispenses: nostre autem intentionis existit, quod hii, quorum facultates ad integram solutionem huiusmodi decime, supportatis aliis oneribus consuetis, non suppetunt, ultraquam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigentiam commode possunt; illi vero, qui de ipsa decima nichil solvere poterunt, super qua impotentia eorum conscientiam (oncramus), ad solvendum aliquid pretextu impositionis huiusmodi nullatenus compellantur. Datum Rome apud S. Petrum XIV. Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Litt. divers. Tom. V. fol. 307.

MXLIII.

Episcopo Vratislaviensi, ut pecunias decimae per se vel subcollectores collectas regi Poloniae in subsidium contra Tartaros tradat.

Bonifacius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Wratislaviensi, salutem etc. Dum clare devotionis et fidei merita, quibus Carissimus in Christo filius noster Wladislaus Rex Polonie Illustris erga deum et sanctam Romanam ecclesiam, aut contra persecutores christiani nominis, presertim Tartaros promptis vigiliis clarere et insudare dinoscitur, intra nostra precordia delectabiliter recensemus, et attendentes, quod idem Rex utpote contra infideles ac persecutores christiane religionis viribus (?) propugnator studet operosis affectibus, quantum humana fragilitas sinit, summo opere laborare, in eius Regni sui defensionem decet nos non immerito etiam de ecclesiasticis proventibus providere. Hodie siquidem provide attendentes, quod nuper predicti Tartari gentes eiusdem Regis in non parva copia, inimico humani generis operante, debellarunt, ac Regi et Regno predictis diversa dampna tam in personis, quam bonis eorum intulerunt, decimam omnium redditum et proventuum ecclesiasticorum in eodem Regno ac in provincia Gneznensi, videlicet in terris dicto Regi immediate subiectis dumtaxat consistentium, per unum annum a die, quo nostre littere super impositione dicte decime in Regno et provincia prefatis publicate forent, computandum, in certis terminis tunc expressis persolvendam a Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis ceterisque personis ecclesiasticis quibuscumque, exemptis et non exemptis, in Regno et provincia antedictis consistentibus, quacumque prefulgerent dignitate, seu cuiuscumque preminentie, conditionis vel status, ordinis aut religionis existerent, quibus aut eorum alicui nulla privilegia aut indulgentias sub quacumque forma vel expressione verborum concessa quo ad hoc volumus suffragari, preterquam a locis et personis in nostris litteris exceptis, duximus imponendam, inter cetera ordinantes, quod pecunia decime huiusmodi per te seu a te ad id deputandos nomine nostre Camere apostolice exigeretur ac etiam levaretur. Nos igitur attendentes constantiam et fidelitatem dicti Regis, ac sibi suisque necessitatibus, ut se dictumque Regnum ab eisdem Tartaris valeat potentius defensare, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Regis vel alterius pro eo super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate fraternitati tue mandamus, quatenus quidquid per te seu Succollectores tuos ad id deputandos de pecuniis eiusdem decime exigi, recipi, tolli vel levari contigerit, prefato Regi vel procuratoribus suis ad hoc ab eo specialiter deputandis integre et cum effectu ac sine diminutione aliqua assignari, et assignari facere non postponas: Nos enim Regi et procuratoribus suis predictis quitandi te et Succollectores tuos prefatos de hiis, que eos ratione dicte decime recipere continget, ac perpetuo nostro et dicte Camere nomine liberandi plenam et liberam concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem, quod de hiis, que te et Succollectores predictos eisdem Regi et procuratoribus ratione prefate decime assignare contigerit, duo consimilia publica confici facias instrumenta, quorum altero penes te vel dictos Succollectores retento, reliquum ad eandem Cameram studeas destinare. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquarto Kal. Februarii. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Litt. divers. Tom. V. fol. 308.

MXLIV.

Ioannes de Bzowia et Petrus Lysse capellani pontificii creantur.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni de Bzowia Vicario contrate Litwanie, ordinis fratrum predicatorum professori Conventus Lamburgensis, presbitero Wilnensis diocesis, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens etc. Ac volentes, quod omnibus privilegiis etc. per fel. rec. Ioh. XXII. et Clem. V. Capellanis dicte sedis concessis uti valeas etc. Intendentes etc. Nulli igitur etc. Datum Rome apud S. Petrum II. Idus Augusti. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

In e. m. Dilecto filio Petro Lysse Rectori parrochialis ecclesie in Prust Wladislaviensis diocesis, Capellano nostro, salutem etc. Datum Rome apud S. Petrum Id. Aprilis. Anno Undecimo.

Ex Reg. orig. An. XI. Litt. divers. Tom. VI. fol. 50.

MXLV.

Praeposito et cantori Vratislaviensis ac decano Premisliensis ecclesiarum, ut episcopum Vladislaviensem ad satisfaciendum Benedicto de Bardis de quatuor millibus et centum florenis auri compellant.

Bonifacius episcopus etc. Dilectis filiis ... Preposito et ... Cantori Wratislaviensis ac ... Decano Premisliensis ecclesiarum, salutem etc. Cum nuper dilectus filius Benedictus de Bardis, mercator Florentinus in Romana Curia commorans, Venerabili fratri nostro Conrado Archiepiscopo Nicosiensi, Camerario nostro, quatuor milia et centum florenorum auri de Camera boni et iusti ponderis pro fructibus, redditibus et proventibus ecclesie Wladislaviensis, tunc per obitum bone memorie Henrici Episcopi Wladislaviensis extra Romanam curiam defuncti pastore carentis, iuxta quandam ordinacionem per nos dudum factam, per quam certos fructus, redditus et proventus omnium ecclesiarum cathedralium extunc inantea vacaturarum reservavimus, nobis et Camere apostolice debitis, ad instanciam Venerabilis fratris nostri Nicolai Wladislaviensis tunc Poznaniensis Episcopi, de cuius persona dicte ecclesie tunc, ut prefertur, pastore carenti de fratrum nostrorum consilio nuper eciam duximus auctoritate apostolica providendum, seu dilecti filii Nicolai Panesconis Scolastici ecclesie Cracoviensis, eiusdem Nicolai Episcopi procuratoris, in numerata pecunia effectualiter duxerit persolvendos: Nos indempnitati dicti Benedicti, prout est decens, providere volentes, sibi huiusmodi quatuor milia florenor. tam a Nicolao Episcopo seu Nicolao Panesconis procuratore prefatis, quam alias ab Episcopo Wladislaviensi pro tempore existente exigendi, ac ipsos ad huiusmodi solucionem compellendi seu compelli faciendi plenam et liberam per quasdam nostras certi tenoris litteras concessimus facultatem, et sicut accepimus, prefatus Benedictus vigore huiusmodi nostrarum litterarum consequi nequeat iusticie complementum. Nos igitur, qui omnibus sumus in iusticia debitores, et hiis presertim, qui Romanam sequuntur curiam et mercanciarum exercitiis honorant pariter et extollunt, volentes super hiis de oportuno remedio providere, ne ipse Benedictus in consequendis pecuniarum summis huiusmodi suscipiat in aliquo lesionem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis Nicolao Ep̃o Wladislaviensi et Nicolao Panesconis Scolastico, aut alias Episcopo Wladislaviensi pro tempore existente prefatis, necnon aliis, qui fuerunt evocandi, et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit, per vos vel alium seu alios decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque conditionis, ordinis, status vel dignitatis extiterint, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus, si eisdem Nicolao Ep̃o et Nicolao Scolastico, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, aut extra (?) loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia, per quam huiusmodi iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, Constitutionibus tam felicis recordacionis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, nec in illis ultra unam dietam a finibus earundem ad iudicium evocetur, quam de duabus dietis editis in consilio generali, dummodo ultra terciam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium [aliquis] ad iuditium non trahatur, et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo aut unus vestrum ea nichilominus quo ad actum expressum quemlibet exequatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kal. Maii. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex Reg. orig. An. XII. Litt. divers. Tom. VI. fol. 112.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VII.

MXLVI.

Wladislao regi Poloniae, ut ipse veniat vel nuntios ad tractandum de schismate in Ecclesia tollendo mittat.

Innocentius episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Wladislao Regi Polonie Illustri, Salutem et apostolicam benedictionem. Rex regum et dominus dominancium unigenitus dei filius Ihesus Christus, qui prodigia facit in celo sursum et terra deorsum, in sui celestis altitudine consilii firmam retinens in eius incommutabili dispositione censuram, sacrosanctam Romanam ecclesiam suo preciosissimo fundatam sanguine, ad cuius regimen licet immeriti assumpti sumus, supra petram fidei indeficienti soliditate firmavit, illud ei tribuens in apostolice concessionis fortitudine fundamentum, quod nee diruat procella turbinis, nec in ipsum prevalere possit spiritus tempestatis, et licet crebra decedencium mutatione pastorum in varia plerumque discrimina inciderit, ab ea tamen supernum presidium se nullo modo subtraxit. Sic igitur ante paucos hos dies, faciente domino, cum eadem variis procellarum agitata turbinibus signum in bonum de transitu felicis recordacionis Bonifacii pape IX. predecessoris nostri ad dominum, prout de divine pietatis miseracione confidimus, statum eius in unitate sancti Spiritus et pacis vinculo divina providencia conservavit. Defuncto siquidem Kalendis mensis Octobris proxime preteriti Rome apud Sanctum Petrum eodem predecessore nostro, solemnibusque celebratis exequiis pro eodem, et eius corpore in Basilica principis Apostolorum prefata honorifice deposito, habitus est a fratribus nostris sancte matris ecclesie Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, exquisitissime, prout tanta rerum sublimitas postulabat, de successoris electione tractatus, in quo tanta fuit unitas omnium tamquam adinvicem in cuncta concordantium, ut intelligatur, in eis operatum existere per eum, in cuius manu non solum hominum corda, sed celum et terra consistunt, quod ad fragilitatem nostram, qui tunc tituli sancte Crucis in Ierusalem presbiter Cardinalis eramus, oculos sue circumspectionis industrie intenderunt, et factum est, sicut altissimo placuit, ut nos ad tante dignitatis fastigium in presulem elegerint et pastorem. Solicitudinis igitur universalis ecclesie administracione assumpta divine propiciacionis misericordiam imploramus, ut per sue voluntatis beneplacita in viam pacis dirigat gressus nostros, et favorem nobis celestis pietatis aspiret, ut eo per hanc procellosi maris altitudinem nobis et cunctis fidelibus salutis portum desuper largiente, sub sacerdocio nostro proveniat in ecclesia militanti desiderabilis unionis tranquillitas, extirpato de vinea domini Sabbaoth detestabili et horrendo scismate, ad quod extirpandum omnibus viis, modis et formis honestis pariter atque iustis suprema desideria nostra tendunt, et ut premissa, divina favente clemencia, perduci queant consulcius ad effectum, fidelium, quos presens tangit negocium, cupimus super extirpacione huiusmodi scismatis ac viis, modis et formis congruentibus atque iustis per nos servandis audire consilia, ad que exhibenda

fideles ipsos ad veniendum seu dirigendum personas tanto negocio congruentes, quam primum ante vel usque ad festum Omnium sanctorum proxime secuturum se facultas obtulerit, paternis affectibus excitamus, ac in altissimo requirimus et hortamur pro votiva conclusione tam desiderabilis unionis: super quibus et paterna intencione nostra, quam ad serenitatem tuam gerimus, dilectis filiis nobilibus viris Honofrio Caraffe militi Neapolitano, ac Borgarucio de Rayneriis domicello, per usum presentium latoribus, nostrisque nuntiis eadem tua serenitas adhibere velit credencie plenam fidem. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Kal. Ianuarii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. I. fol. 120.

MXLVII.

Nicolao archiepiscopo Gnesnensi, ut suffraganeos et alios praelatos suae provinciae, ad ferendam contra antipapam eiusque sequaces sententiam, in synodum provincialem convocet.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Gneznensi, salutem etc. Attendentes tue fraternitatis diligenciam, quam ad statum et honorem nostrum et Romane ecclesie experimento multiplici ac fidedignorum testimoniis te semper habere cognovimus, ut illa possis erga statum et honorem nostrum et prefate ecclesie, et ad reductionem aberrantium et se subtrahentium quomodolibet ab obediencia et devotione nostris et prefate ecclesie, et ad nostrum et eiusdem ecclesie gremium reintegrationem, et pro statu ecclesie tue profutura cognoveris, ubi et quando eidem tuc fraternitati expedire videbitur, ad proximam provincialem sinodum per eandem fraternitatem tuam celebrandam a te convocandi Venerabiles fratres nostros Episcopos suffraganeos tuos, et dilectos filios Electos, Abbates, Prepositos, Decanos, Archidiaconos, Archipresbiteros et alios prelatos et personas ecclesiasticas seculares et regulares, exemptas et non exemptas, Capitula quoque quorumcumque ecclesiarum necnon domorum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, beate Marie Theotonicorum, Calatravensium, Predicatorum, Minorum, Heremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, Humiliatorum et sancti Benedicti Magistros, Priores ac Preceptores et quorumcumque aliorum ordinum fratres tue provincie, et generaliter et specialiter iniungendi et imponendi eis et cuilibet ipsorum, que in favorem nostrum et Romane ecclesie ac etiam contra asserentes damnate memorie Robertum olim Basilice duodecim apostolorum presbiterum Cardinalem, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare presumpsit, ac sequaces et fautores eorundem ac eisdem adherentes videris expedire, Contradictores insuper et rebelles ac inobedientes auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca convocari aut trahi non possint, seu si eisdem Predicatorum, Minorum, Heremitarum, Carmelitarum et aliis ordinibus vel eorum ordinum fratribus ab eadem sit sede concessum, quod dictorum ordinum fratres de aliquibus negociis se intromittere minime teneantur, et ad id compelli nequeant per litteras dicte sedis, que de indulto et concessione huiusmodi, ac eorum ordinibus et nominibus propriis plenam ac expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, plenam et liberam hac vice dumtaxat tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno I.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. I. fol. 285.

MXLVIII.

Salvus conductus Petro episcopo Cracoviensi ad Romanam curiam venienti datur.

Innocentius episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Petrus Cracoviensis Episcopus, sicut accepimus, ad presentiam nostram sit venturus de proximo: Nos volentes fraternitati sue in veniendo ad Romanam Curiam, stando et ab ea recedendo, et eius comitive tam equitum, quam peditum usque in numerum quinquaginta salubriter providere, Universitatem vestram et vestrum singulos tenore presentium requirimus et hortamur in domino, subditis vero nostris ac gentium armigerarum nostrarum Capitaneis districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum Episcopum cum comitiva prefata, salmis, valisiis, rebus et bonis omnibus recommendatum habentes, ipsum per nostra et vestra territoria, passus et loca quecunque et tam per mare, quam per terram secure ac libere in veniendo, stando, recedendo secure transire permittatis, et de receptu, securo transitu atque scorta, si requiri contigerit, sic velitis libere pro nostra et apo-

stolice sedis reverentia providere, quod exinde apud nos et sedem apostolicam possitis non immerito commendari, presentibus usque ad unum annum a data presentium computandum tantummodo valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Tom. I. de Curia fol. 286.

MXLIX.

Nicolaus Peneskonis collector generalis in Polonia et provincia Gnesnensi constituitur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Peneskonis, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie et provincia Gneznensi debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta ac aliis virtutibus, quibus fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et diligenti studio fideliter exequeris. Hinc est, quod te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in Regno Polonie et provincia Gneznensi generalem Collectorem et receptorem fructuum et proventuum, censuum, decimarum, et aliorum redditum, Camere apostolice in dictis Regno et provincia debitorum, usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica tenore presencium facimus etc. ut supra mutatis mutandis. Datum Rome apud S. Petrum Kal. Augusti. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 220.

ML.

Salvus conductus pro eodem collectore Nicolao Peneskonis.

Innocentius episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum dilectus filius Nicolaus Penanskonis Archipresbiter sancte Marie Cracoviensis, fructuum et proventuum Camere apostolice in Regno Polonie ac provincia Gneznensi debitorum Collector, ad Polonie et nonnullas alias mundi partes sit presencialiter accessurus: Nos volentes predictum Nicolaum cum decem sociis equitibus vel peditibus ac familiaribus, valisiis, armis, salmis, rebus et bonis suis eundo, stando et redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, subditis nostris districte precipiendo mandantes, quatenus eundem Nicolaum cum sociis, familiaribus, valisiis, armis, bonis, salmis et rebus per passus, portus, terras, districtus et loca nostra atque vestra transire, ire, stare et redire libere permittatis, non inferentes ipsis aliquam iniuriam, molestiam vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri; sed sibi potius cum familiaribus, sociis, armis, valisiis, salmis, bonis et rebus huiusmodi de securo conductu, si a vobis illum petierit, providere pro nostra et apostolice sedis reverencia studeatis, quod exinde apud nos vestra devotio et sedem apostolicam valeat non immerito commendari, Presentibus post unum annum minime valituris. Datum Viterbii XII. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. I. fol. 303.

MLI.

Fridericus Deys collector generalis in Bremensi et Rigensi provinciis etc. constituitur.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Friderico Deys Decano ecclesie Paderbunensis, decretorum doctori, in Bremensi et Rigensi provinciis, nec non in Caminensi et Verdensi ac Sleswicensi civitatibus et diocesibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et sollicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutibus, quibus fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, sollerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in Bremensi et Rigensi provinciis, nec non in Caminensi, Verdensi et Sleswicensi civitatibus et diocesibus etc. debitorum usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et eciam deputamus, omnes alios et singulos Collectores et Succollectores etc. ut in forma solita. Datum Rome apud S. Petrum II. Kal. Maii. Anno Secundo.

Ex Reg. orig. An. II. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 228.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

MLII.

Matzeo de Lamberto collectori in Polonia, ut ad cameram apostolicam mittat.

Gregorius episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Matzeo de Lamberto de Neapoli, Archidiacono Wratislaviensi, apostolice Camere clerico, familiari nostro, in Regno Polonie et provincia Gneznensi, necnon civitate et diocesi Culmensi fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, Salutem et apostolicam benedictionem. Cum iuxta laudabilem apostolice Camere consuetudinem et continentiam litterarum, quibus Collector iurium et proventuum dicte Camere deputatus existis, tenearis singulis annis raciones et computa de gestis et administratis per te in dicto Collectorie officio ad eandem Cameram destinare, tu tamen hoc facere neglexisti, putabamus equidem discretionem tuam incomprehensibilia onera prefate Camere sue consideracionis intuitu prospectantem absque requisicione nostra quacumque, nedum computa tua, sed etiam fructus et proventus dicte Camere per te vel alios vel predecessorum tuorum nomine perceptos ad nos et dictam Cameram debuisse transmisisse, id enim racio evidens et urgens ac non dissimulanda necessitas exposcebant. Quare cum multiplicibus et intollerabilibus expensarum oneribus Camera nostra gravata sit, et pro arduis oportunitatibus eiusdem Camere opus existat, ut ubicumque debita pecunia colligatur, volumus ac sub excommunicacionis pena precipimus, quatinus infra quindecim dierum spacium, a die presentacionis huiusmodi computandum, raciones et computa de receptis et expositis per te in dicto officio cum omnibus pecuniis penes te ex dicto officio existentibus studeas ad eandem Cameram destinare per cambium vel alium tutum modum, omni tarditate et occasionibus quibuscumque sepositis, cum tuis computis universis, ut calculus diligens videri valeat, sicut decet, et nichilominus omnes et singulos dicte Camere debitores sive ex annatis beneficiorum, seu ex quacunque alia condicione vel causa per censuram ecclesiasticam et alios graviores processus indilate compellas, tibi nomine Camere recipienti debita ipsa persolvere, ita quod de solicitudine tua valeas merito commendari, et ut aliter providere non oporteat. Datum Rome apud Sanctum Petrum iv. Idus Marcii. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. de Curia Tom. I. fol. 299.

MLIII.

Idem Matzeus de Lamberto collector generalis in Polonia confirmatur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Matzeo de Lamberto de Neapoli, Archidiacono Wratislaviensi, apostolice Camere clerico, familiari nostro, in Regno Polonie ac provincia Gneznensi, nec non civitate et diocesi Culmensi fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, sa-

lutem etc. Cum felicis recordacionis Innocencius pape VII. predecessor noster immediatus de tue fidelitatis et circumspectionis industria plenam fiduciam habens, te in dictis Regno, provincia, civitate et diocesi redditum et proventuum Camere apostolice debitorum constitueret Collectorem: Nos, ut huiusmodi officium favorabilius prosequi possis, et efficacius ad utilitatem ipsius Camere exequaris, devocioni tue, ut huiusmodi officio, et omnibus et singulis litteris et facultatibus per dictum predecessorem nostrum aut gentes prefate Camere tibi in officio predicto decretis super quibuscumque negociis, utilitatem ipsius officii et Camere prelibate concernentibus, tam ceptis, quam non ceptis usque ad nostrum beneplacitum uti, et contenta in eis exequi valeas, plenam concedimus tenore presencium facultatem. Datum Rome apud S. Petrum Kal. Aprilis. Pontificatus nostri Anno Primo.

Ex Reg. orig. An. I. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 239.

MLIV.

Nicolaus episcopus Caminensis collector generalis in Bremensi et Rigensi provinciis etc. constituitur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Caminensi, in Bremensi et Rigensi provinciis, nec non in Caminensi et Verdensi ac Sleswicensi civitatibus et diocesibus fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutibus, quibus fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in Bremensi et Rigensi provinciis, ac Caminensi, Verdensi et Sleswicensi civitatibus et diocesibus, exemptis et non exemptis, generalem Collectorem et receptorem fructuum et proventuum, censuum, decimarum et aliorum redditum Camere apostolice in dictis provinciis, civitatibus et diocesibus debitorum usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum tenore presencium facimus, constituimus et eciam deputamus, omnes alios et singulos Collectores etc. ut supra usque ibi clare et dictincte transmittere, ac singulis biennis de receptis et gestis per te in huiusmodi officio etc. Datum Arimini Id. Decembris. Anno Secundo.

In e. m. Dilecto filio Iohanni Molner Archidiacono Parchimensi diocesis Swerinensis, salutem etc. Datum Luce Kal. Aprilis. Anno Secundo.

Ex reg. orig. An. II. Litt. dec. et Collect. cod. chart. fol. 258.

MLV.

Episcopi Posnaniensis, Varmiensis et Brandeburgensis Nicolao episcopo Caminensi constituuntur conservatores.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Poznaniensi et Warmiensi ac Brandeburgensi Episcopis, salutem etc. Ad hoc nos deus pretulit in familiam domus sue, ut oportuna singulis provisionis auxilia fidelis servitutis in mente prevideamus: quod per dispensationes eorum presertim necessitatibus intendamus et occurramus dispendiis, ipsosque ab oppressionibus relevemus, qui assumpti in partem solicitudinis potioris sunt dignitatis titulo insigniti. Sane Venerabilis fratris nostri Nicolai Ep̄i Caminensis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone, tam religiose quam seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites et layci, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et alie singulares persone civitatum et diocesium et aliarum partium diversarum occuparunt et occupare fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus dicte ecclesie, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad Episcopum et mensam suam Episcopalem ac ecclesiam predictos spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus prestant auxilium, consilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum, diocesium et partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eidem Episcopo super dictis castris, villis et locis, aliis terris, domibus, possessionibus, iuribus et iurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorumdem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus, et aliis rebus ad eosdem Episcopum et mensam suam Episcopalem ac ecclesiam spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt ac iacturas: Quare dictus Ep̄us nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsi super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, presumptores, molestatores

et iniuriatores huiusmodi illo volentes eidem Episcopo remedio subvenire, per quod ipsorum compescetur temeritas, et aliis aditus committendi similia precludatur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores (et) iudices, prefato Ep̄o efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eundem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad Episcopum, et mensam suam Episcopalem ac ecclesiam predictos spectantibus ab eisdem, vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi dicto Episcopo, cum ab eo vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, iurisdictionum, iurium et bonorum mobilium et immobilium, reddituum quoque et proventuum et aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, prout qualitas eorum exegerit, iustitie complementum, occupatores seu detentores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quocienscumque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim etc. Dat. in Civitate Austria Aquilegensis diocesis x. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. III. fol. 116.

MLVI.

Albertus episcopus Posnaniensis legatus sedis apostolicae in Polonia constituitur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Alberto Ep̄o Poznaniensi, apostolice sedis legato, salutem etc. Pater futuri seculi, princeps pacis, sui preciosi aspersione sanguinis humani generis, quod per lapsum et culpam primi parentis prevaricatoris damna salutis eterne dispendiose incurrerat, cooperatus in medio terre salutem, tandem a discipulis suis discessurus et ad patris dexteram ascensurus in celum, pacem dedit et pacem reliquit eisdem, ex ipso donationis et donantis tempore et recipientium qualitate patenter insinuans fore pretiosissimum donum pacis, utpote in eius ortu pronunciatum ab angelis et in ipsius ad patrem regressu ab eo bonorum omnium largitore suis carissimis et adoptionis filiis, dum destituerentur ipsius presentia corporali, quasi pro hereditario censu relictum: hoc est enim donum, per quod ipsi, cuius est factus locus in pace indissolubilis federis, coniungimur unione. Hoc quippe donum ipse Rex pacificus et humane salutis amator, cuius sunt dona perfecta, volens suis subditis vicarie operationis ministerio conservare, ut ipsius mundi cursus huiusmodi pacifice suo dirigeretur ordine, regimen sub districtione disponens, ipsius primatum militantis ecclesie super gentes et regna constituit, in cuius eminenti specula positus, eiusdem pacifici Regis vicarius commissas sibi vices implere satagens, et in domo domini speculatoris officium prospectans undique, ac more pastoris pervigilis singula pro data sibi possibilitate contemplans, que ad pacem et exaltationem catholice fidei, prosperum ecclesiarum statum, commodum ecclesiastice libertatis, bonorum augmentum, repressionem infidelium, ac iniquorum rebellium obstinatorumque proterviam consternendam fore noscantur, promovet, scandalis et discordiis obviat, et inter cunctos Christifideles pacis et caritatis servare suggerit unionem, et presertim ut grex dominicus sue cure commissus in semitis dirigatur iusticie, et in errorum devium non labatur, et que perierant, recuperari valeant, veluti etiam istis temporibus, peccatis exigentibus, sic quorumdam sancte matris ecclesie peculiarium filiorum excrevit damnata presumptio, quod contra eandem ecclesiam matrem suam, cuius uberibus nutriti, inpinguati et dilatati sunt, calcitrantes, spiritum assumentes rebellionis, in eam cornua erexerunt, et patrem eorum regem superbie imitantes, et conantes una secum universos populos in baratrum eterne damnationis immergere, turbare pacem, federa violare nature, et quantum in eis est, sub nomine unionis et pacis inconsutilem dei tunicam separare, vetusto scismati alterum perniciosius prothdolor addiderunt, per apostaticum quendam virum ex eis, Petrum videlicet de Candia, olim Cardinalem, quem Pisis nuperrime in novum idolum prophanarunt. Nos attendentes, quod licet ubilibet pro Christifidelibus vigiles mente sumus, personaliter tamen pro nostro exequendo desiderio impossibilitate repugnante nature ubique adesse non possemus, cogi-

tare tamen cogimur, ut viros electos ex millibus fide constantes, ornatos virtutibus, sermone potentes et opere, ac in lege domini eruditos in partem solicitudinis assumamus, in ipsis vices nostras supplentibus sperata Christifidelibus pacis et unitatis commoda proveniant, et firmata caritatis vinculo illibata consistant: levantes igitur in circuitu oculos nostre mentis, ad personam tuam, in cuius desideriis geritur pacificare discordes, recuperare deperdita et errantes reducere in viam veritatis, nostre speculationis convertentes intuitum, in te, de tuarum donis virtutum in altissimo confidentes, ac in nostri salvatoris pietate sperantes, nostre ac fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium deliberationis spiritus posuimus; considerantes itaque, quod te carismatum dator almificus donis suis preveniens, tibi ea dedit, ac sapienciam et linguam eruditam, ut scias, quando debeas proferre sermonem, personamque tuam sciencie magnitudine, industria, claritate et maturitate consilii decoravit, plenissimam quoque de tuis claris meritis fiduciam obtinentes propter evidentem utilitatem prelatorum, principum, cleri et populorum Polonie illarum parcium, ne a zizaniorum preventi satoribus, et ipsorum falsis et fictis persuasionibus circumventi, in errorum devia rapiantur, et a veritate avertentes auditum ad fabulas convertantur, ac propter condiciones illarum circumadiacentium parcium, quibus speramus tuam per circumspectionem providam in illo, qui in sublimibus suis et terre finibus pacem parat, circa reformacionem pacis, iusticie cultum, caritatis vinculum et reductiones ad ipsius Romane ecclesie obedienciam, fidelitatem ac devocionem premissorum et aliorum oberrancium quorumcunque, et ut existat cor unum, omnibus in premissis salubriter consuli et utiliter subveniri, te, ut fortem ponamus ad forcia, tuisque robustis humeris grandia onera imponamus, tamquam pacis angelum, reformatorem pacis et unitatis fidei propugnatorem, et satorem virtutum in dicto Regno Polonie legatum duximus ordinandum, tibi in Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi, Wladislaviensi, Plocensi, Lubucensi, Halicensi, Vilnensi civitatibus et diocesibus, ac aliis quibuscunque terris et locis dicti Regni plene legationis officium, etiam cum potestate reservandi et conferendi beneficia ecclesiastica et cetera faciendi, licet essent maiora expressis, que facere possunt apostolice sedis Legati Cardinales de latere destinati, ex apostolice potestatis plenitudine, quam non ab homine, sed a deo recepimus, usque ad dicte sedis beneplacitum committendo, ut in illis evellas et destruas, edifices et plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, aspera in vias planas convertas, corrigenda corrigas, perdita restaures, ac in eis reddas populum acceptabilem domino et bonorum operum sectatorem, alias statuas et ordines, prout gratie celestis infusio tuaque tibi providencia ministrabit, et inter ecclesiasticas et mundanas personas, reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, nobiles, communitates, universitates et populos et alios universos et singulos discordes et dissidentes bonum pacis reformare, et concordes in fraterne dilectionis federe studeas conservare, errantes ad rectitudinis callem reducere, et ea, que perierant, tuo humero ad ovile dominicum reportare, ac callidi hostis seductos versuciis ad agnicionem vere fidei, sine qua non est salus nec ullus deo placere potest, ad incxtimabile lumen Christi satagas revocare, et agere et tractare quecunque ad cultum divinum et exaltationem catholice fidei, dicte sedis honorem, observanciam censure et reintegracionem libertatis ecclesiastice, relevacionem ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum, et pauperum defensionem et exterminium reproborum, salutem animarum, tranquilitatem corporum, ac robur et statum prosperum parcium predictarum quomodolibet pertinebunt, Contradictores quoque et rebelles quoslibet per excommunicationis, suspensionis et interdicti, amotionis, privationis et depositionis sentencias et alias auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, quibuslibet privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis sub quacunque forma et expressione verborum quibuscunque concessis, per que nullum cuiquam, cuiuscunque status, dignitatis, conditionis vel ordinis Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum et Cruciferorum, sanctorum Benedicti et Augustini, sancti Iohannis Ierosolimitani, beate Marie Theutonicorum, Calatravensis, Predicatorum, Minorum Heremitarum et sancti Pauli primi heremite et mendicancium et non mendicancium, et aliorum quorumcunque ordinum, hospitalium et domorum fuerint in hac parte, volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, circumspectioni tue plenam et liberam concedentes harum serie facultatem: nos enim sentencias sive penas, quas rite tuleris seu statueris in rebelles, ratas habebimus atque gratas, easque faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Tu divina gratia et apostolico favore suffultus onus huiusmodi tam meritorii negocii devoto animo et mente suscipiens, te in assecutione legationis huiusmodi taliter verbo et opere studiosum exhibeas, quod ad gloriam nostri redemptoris,

exaltationem fidei, unitatis profectum, recuperationem et reductionem huiusmodi deviantium, exterminium scismaticorum ac rebellium quorumcunque, laudemque bonorum feliciter cuncta cedant, ac negocium ipsum felices, deo propicio, ac commendabiles consequatur effectus, tuque etiam post tam deo gratos labores et fructus amabiles, qui ex tua proveniat solicitudine, quod huiusmodi tuorum laborum premio cum datis tibi laureola et serto candido in fide beatorum merearis in celestibus a dextris domini in eterna requie collocari. Datum in Civitate Austria Aquilegensis diocesis VII. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. III. fol. 110.

MLVII.

Nicolaus episcopus Caminensis legatus sedis apostolicae in Prussia et Pomerania constituitur.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Nicolao Ep̄o Caminensi, salutem etc. Pater futuri seculi, princeps pacis, sui preciosi aspersione sanguinis humanum genus(?), quod per lapsum et culpam primi parentis prevaricatoris dampna salutis eterne dispendiose incurrerat etc. ut supra pag. 780. usque ibi propter evidentem utilitatem prelatorum, principum, cleri et populorum Caminensis, Warmiensis, Sambiensis, Culmensis, Pomezaniensis, Zwerinensis, Razeburgensis, Roskildensis civitatum et diocesum et illarum partium, ne a zizaniorum preventi satoribus et ipsorum falsis et fictis persuasionibus etc. ut in Bulla precedenti usque ad finem. Datum in Civitate Austria Aquilegensis diocesis IX. Kal. Septembris. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ex Reg. orig. An. III. de Curia Tom. III. fol. 118.

MLVIII.

Bernardus electus Tarbatensis collector generalis in Rigensi provincia constituitur.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Bernardo Electo Tarbatensi, in civitate et diocesi ac provincia Rigensi iurium, fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutibus, quibus fulgere dignosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in civitate et diocesi ac provincia Rigensi generalem Collectorem et receptorem iurium, fructuum et proventuum, censuum et aliorum reddituum, apostolice Camere in dictis civitate et diocesi et provincia debitorum, usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum tenore presencium facimus, constituimus ac eciam deputamus, omnes alios et singulos Collectores et Succollectores in dictis civitate et diocesi et provincia per nos aut sedem apostolicam, aut quacunque alia auctoritate hactenus deputatos penitus revocantes, ac discrecioni tue etc. ut in superioribus litteris. Datum Caiete Kal. Decembris. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ex Reg. orig. An. IV. Litt. decim. et Collect. cod. chart. fol. 270.

INDEX VIRORUM ET LOCORUM PRAECIPUORUM.

A.

Abbatia de Andreow ordinis Cisterciensis 12, 15, 22, 32, 41, 235, 317; — de Buch 17; — de Cella 17; — Lubensis 13, 14, 67, 109, 374, 388, 396, 573, 665; — S. Mariae in Arena Vratislaviensis ord. S. Augustini 11, 76, 688, 723; — de Mohila 203, 235; — de Oliva diecesis Vladislaviensis 707; — de Polpelin dioec. Vladislaviensis 705, 707; — de Stragow 33; — Tinciensis dioec. Cracoviensis 630, 647; — S. Vincentii Vratislaviensis 529; — de Uncker dioec. Vladislaviensis 707.
Ada canonicus Cracoviensis collector decimarum 99.
Adam castellanus Cracoviensis 65.
Adelhaides regina Poloniae 545, 560, 613.
Agafia uxor Conradi ducis Masoviae et Cuiaviae 19.
Agnes ducissa Thessinensis 584.
Agnes nata Alberti de Luchoborze militis Vladislaviensis 746.
Agnes nata Henrici ducis Saganensis 534.
Agriensis episcopus 482.
Albertus episcopus Posnaniensis 780.
Albertus dux Bavariae 554.
Alemania 37, 44, 47, 56, 57, 69, 95.
Alexander PP. IV. 60—75.
Alexander rex Novogardiae 46.
Alexander de Litvania dominus de Camnicz 748.
Alvernia, Petrus de, nuncius apostolicus et collector 205—215, 222, 281, 284, 291, 319, 321, 331, 345, 346, 349, 355, 362, 368, 384, 395, 399, 422, 447.
Andreas de Czehow miles Cracoviensis 589.
Andreas fr. ord. Min. electus Cerethensis in Moldavia 660—662, 665.
Andreas spiscopus Posnaniensis 502, 503.
Andreas episcopus Sverinensis 515.
Andreas de Verulis, canonicus Vratislaviensis, nuntius apostolicus et collector 154, 205—215, 222, 281, 284, 291, 360, 429.
Auna filia Casimiri regis Poloniae 667.
Anna regina Poloniae 421, 422.
Anna coniux Henrici ducis Silesiae 176.
Anselmus episcopus Varmiensis 86, 678.
Apeczco de Frankenstein episcopus Lubucensis 485, 486, 491, 497, 542.
Archidiaconus Dyminensis dioec. Caminensis 705; — Glogoviensis 140, 143; — Gnesnensis 13; — Horsoviensis 759; — Lancitiensis 8; — Lignicensis 140; — Opoliensis 140; — Radomiensis 280; — Sandomiriensis 280; — Zavikostensis 14.
Arnaldus de Lacaucina nunt. apost. et collector 471, 472, 479—482, 488—491, 516, 524, 533, 559, 579, 584, 617, 637, 641, 657, 659.
Arnestus episcopus deinde archiepus Pragensis 465, 621, 625, 666.
Arnoldus episcopus Pomesaniensis 503—505, 508, 592.
Arnoldus episcopus Caminensis 323.
Arosiensis episcopus 546.
Assuten castrum 61.
S. Augustini ordo 554, 560, 572, 676, 677.
Austria 63, 73, 80, 81.

B.

Bancz Nicolaus canonicus Vratislaviensis 116, 124, 403, 420.
Bansovae colloquium 432.
Baptizati Pruteni 2.
Bartha terra 57.
Bartholomaeus episcopus Electensis nunt. apost. in Lithuania et Russia 190—199.
Bartholomaeus episcopus Sambiensis 587.
Begardi 150, 163.
Benedictus PP. XI. 115.
Benedictus PP. XII. 361—448.
Bernabo de Vicecomitibus Mediolan. 617, 618.
Beruardus de Holsatia canonicus Revaliensis 185.
Bernardus episcopus Plocensis 583, 597—599, 600, 616.
Bernardus episcopus Plocensis 583, 597, 600.
Bernardus episcopus Tarbatensis collector 782.
Bertholdus episcopus Pomesaniensis 504.
Biscopiz villa 125.
Blonae iuxta Sendomiriam colloquium 431.
Bochnia, ecclesia S. Nicolai in, 545.
Bodzacha episcopus Cracoviensis 517, 518, 628, 645, 725.
Bogufalus canonicus Vladislaviensis 185.
Bogoslaus de Oporow scholasticus Lancitiensis 735, 745.
Bogufalus castellanus Sandomiriensis 65.
Bohemiae reges 15, 26, 38, 57, 63, 73, 77, 79, 81, 138, 140, 144, 147, 222, 315, 322, 387, 392, 395, 448, 461, 478, 483, 624, 670.
Boguslaus dux Slavorum 101.
Bolco dux Silesiae 375—376, 391—397, 401, 417, 418, 641, 692.
Bolco dux Silesiae et de Furstenberg 610, 611.
Boleslaus dux Cracoviae 41, 54, 65, 71, 171, 352, 574.
Boleslaus archiepiscopus Strigoniensis 171.
Boleslaus dux Falkenbergensis 225.
Boleslaus dux Russiae 299.
Bonifacius PP. VIII. 109—114.
Bonifacius PP. IX. 763—774.
Boravium castrum 28.
Borchardus episcopus Curonisnsis 172.
Borivoi dux 29.
Borislaus archiepicopus Gnesnensis 130.
Bosniensis episcopus 482.
Bozdzantha archiepiscopus Gnesnensis 757.
Brachosius de Swentinc Cracov. 294.
Brandenburgenses episcopi 38, 60, 108, 170, 218, 306, 328, 498, 779.
Bremenses archiepiscopi 37, 38, 119, 122, 158, 323, 655.
Brem, Henricus de, archiepiscopus Gnesnensis 88.
Brestensis ducatus 479.
Breszani castrum 62.
Buguzsicze villa 56.
Brunsberg castrum et ecclesia 120.
Byberstein Gunther presbiter Vratislaviensis 117.

C.

Caiaceusis episcopus Girardus collector decimarum in Polonia 99.
Camenica castrum et ecclesia 17.
Cauiuenses episcopi 27, 157, 209, 220, 324, 364, 392, 399, 403, 447, 451, 467, 475, 499, 648, 779.
Caminensis dux 15, 55, 65.
Canonizatio S. Stanislai Ep̄i et Martyr. Cracoviensis 53.
Canadiensis episcopus 480, 590.
Careli 114, 530, 531.
Carolus IV. Imp. 485, 487, 494, 523, 528, 554, 576, 589, 651, 652, 700.
Caruchow vel Charchov castrum 28, 29.
Charuse castrum 14.
Casimirus rex Poloniae vid. Kazimirus III.
Casimirus dux Thessinensis (Teschinensis) 200, 203, 602.
Castrum Culmense 18, 19, 38; — Dunamundense 121; — de Gruzno 14; — de Pobzin 30; — de Ostrow 29; — de Sanctir 34; — de Srem 29; — de Stargrod 29; — de Wabsk 14.
Castellani 8, 41, 42, 57, 63, 65, 67, 75, 165, 343, 431, 432, 611, 663.
Cecovicz villa in ducatu Calisiensi 7.
Celimenica castrum et ecclesia 17.
Censtoborius canonicus Cracoviensis 227, 321.
Cerethensis dioecesis in Moldavia 660, 665.
Cerevisia sive medo 12.
Cethecin territorium dioecesis Plocensis 152.
Chersona dioecesis in Gothia 347—350.
Chelmensis dioecesis 675, 713.
Christianus episcopus Lethoviae (Lithuaniae) 59, 750.
Christophorus rex Daciae 180, 181.
Chottov castrum 62.
Chunegunda coniux Lesconis ducis Cracoviae 62.
Ciritz abbatia ordinis Cisterciensis 460, 466.
Cives Cracovienses 414, 421, 428, 495 — 497, 507, 520, 617, 634. — Culmenses 687. — Kiovienses 25. — Posnanieuses 683 — 685. Rigenses 601. — Vratislavienses 596, 598, 612, 651, 669, 681.
Clemens PP. IV. 79—82.
Clemeus PP. V. 116—127.
Clemens PP. VI. 449—541.
Clemens episcopus Plocensis 583, 597, 621.
Clemens palatinus Cracoviensis 42.
Coadiutores archiepiscopi Gnesnensis 157.
Colomanus dux Slavoniae 25, 72.
Conradus dux Masoviae 8, 19, 74.
Conradus episcopus Osiliensis 620.
Conradus de Bruynsberg prior hosp. S. Ioannis Hierosol. 632.
Conradus dux Silesiae 623.
Conradus miuor dux Olesvicensis 584.
Constantia nata ducis Poloniae et uxor Conradi marchionis Braudeburgensis 60.
Coronae spineae Iesu Christi festum 606.
Cozuchow, Nicolaus de, archidiaconus Cracoviensis 631.
Cracoviae duces 33, 41, 55, 62, 65 — 68, 72, 76, 89, 98, 116, 138.
Cracoviense capitulum 15, 55, 65.
Cracovienses episcopi 10, 13 — 15, 17, 22, 24, 41, 45, 57, 63, 65, 66, 68, 69, 72, 76, 89, 98, 102, 113, 116, 137, 143, 144, 148, 167, 171, 186, 208, 220, 227, 274, 281, 285, 289, 290, 304, 305, 317, 326, 331, 334, 338, 339, 345, 346, 358, 359, 364, 368, 379, 403, 406, 417, 423, 428, 430, 431, 434, 439, 452, 459, 464, 473, 480, 487, 495, 508, 512, 513, 517, 519, 529, 525, 539, 556, 578, 609, 654, 660, 674, 692, 703, 718, 723, 725, 751, 757, 769.
Cracoviensis universitas scientiarum 626.
Crosivandius miles Cracoviensis 316.
Cruceburch civitas et forum iure Teutonico 56.
Crucesignati 6, 13, 37, 43, 51, 73, 81, 103, 105, 176, 205, 539, 540, 581, 618, 633, 651, 769, 773.
Cruciferi stellati hosp. S. Elisabethae ord. S. Augustini 55, et S. Spiritus Vratislavienses 688 — 692.
S. Crucis ecclesia Vratislaviensis 593.
Crusviciensis episcopus 312.
Cuiaviensis dux 179.
Cuiavieuses episcopi 16, 20, 31, 35, 52, 83, 84, 143, 178, 650.
Culmenses episcopi 19, 26, 34, 36, 39, 50, 57, 61, 73, 77, 81, 149, 155, 163, 169, 180, 184, 209, 220, 339, 341, 352, 367, 402, 403, 405, 443, 452, 459, 464, 475, 530, 615, 628, 650, 687, 732, 765, 766.
Cunigunda ducissa Cracoviae 65.
Curiuk, Nicolaus de, praepositus S. Mariae Cracoviensis 703.
Curonienses episcopi 48, 49, 61, 172, 174, 341, 553.
Cziko praepositus Sepulchri dñici ord. S. Augustini Mechov. 678.
Czechow, Andreas de, miles Cracoviensis 589.

D.

Dacia 41, 56, 70, 98, 110, 511, 514, 529, 565.
Daciae regni capitaneus 428, 429.
Dambeni castrum 62.
Debeslaus Stampote cauonicus Cracoviensis 541.
Debeslaus episcopus Plocensis 724.
Decanatus de Andreow 242, 275, 277, 439; — Casmiriensis 243, 275, 277, 439; — de Czanocin 252; — de Negovecz 238, 275, 277; — de Osvencin 249, 279, 399, 439; — de Plessow 246, 275, 278; — de Prandoczin 236, 275, 277, 439; — de Riga 253, 279, 439; — de Sator 240, 439; — de Sandecz 248, 439; — de Taruow 244, 275, 278, 439; — Visliciensis 440.
Decimae sexannales in Polonia 228—280, 369—375.
Denarius S. Petri in Polonia 281—284.
Derslaus fr. ord. Praed. episcopus Elatensis 665.
Dersovin civitas 365.
Deys Fridericus collector in ecclesiis Bremensi et Rigensi 777.
Dirsicyu, Pacoslaus comes de, 20, 75.
Dobrogostius episcopus Posnaniensis 755—757, 759, 763.
Dobrogostius praepositus Cracoviensis 696.
Dolen 61, castrum 603.
Dobrin castrum et ecclesia 17.
Domoratus episcopus Posnaniensis 164, 302.
Dravanza fluvius 19, 74.
Dreden vel Drezen castrum 28, 29.
Duna flumen 184, 545.
Dunamunda, Cono de, fr. hosp. B. M. Teutonicorum 131, 134, 136.
Dunamuuda commendaria 121, 131, 132, 135, 146, 184, 380, 546, 550.

E.

Eberhardus electus Culmensis 156.
Eberhardus episcopus Varmiensis 301.
Ecclesiae parochiales in dioecesi Vratislaviensi 134 — 145, 369 — 373.
Ecclesiae parochiales in dioecesi Cracoviensi 228 — 280, 438 — 448.
Elatensis episcopus 665.
Elbingum civitas Varmiae 41.
Electensis episcopus uunt. apost. in Lithuania et Russia 190 — 199.
Elias de Vodrono nunt. apost. et collector 703.
S. Elisabethae parochia in civitate Vratislaviensi 56.
Elisabetha Maezkowinne nob. mul. Vratislaviensis dioecesis 648.
Elisabetha coniux Conradi ducis Olesniceusis 175.
Elisabetha nata Casimiri ducis Thessinensis 624.
Elisabetha regina Hungariae 552, 559.
Engelbertus archiepiscopus Rigeusis 436, 455, 515, 548.
Engelbertus episcopus Tarbatensis 177, 179.
Engelbertus Brunsberg praepositus Varmiensis 540.
Ephrosina ducissa Osveucinensis 170.
Estonia 43, 47, 111, ducatus 513, 514.
Ericus de Winzen episcopus Premisliensis 743.
Eufamia nata Nicolai ducis Opaviensis 501.
Eufemia relicta Wenceslai ducis de Falkenberg 692.
Eugenius PP. III. 633.
Euphemia, Eufemia, Cozlensis ducis filia 409.
Euphemia Masoviae ducissa 200.
Euphemia ducissa Silesiae 670.

F.

Falcoues 22, 75.
Falsarii litterarum apostolicarum 216, 458, 487.
Flademiria, Flandemiria (Wlademiria) dioecesis ep̄i Lubucensis 295.
Flagellantes 527.
Florianus episcopus Cracoviensis 644, 674, 686, 692, 703.
Florianus episcopus Plocensis 143, 217.
S. Francisci ord. Minor. 26, 63, 65, 67, 70, 71, 72, 73, 102, 110, 120, 122, 137 — 139, 182, 195, 201, 217, 224, 317, 323, 347 — 350, 402, 432, 590, 606, 610, 642, 664, 668.
Franciscus archiepiscopus Vosprensis 350.
Frankenvordensis villa (Francofurtum ad Oderam) ep̄i Lubuceusis 296.
Fridericus archiep̄us Rigensis 123, 146, 158, 159, 174, 178 ,341. 436.
Fridericus episcopus Lubuceusis 160.
Fridericus dux Austriae Romanorum rex 176.
Fridericus Deys decanus Paderbornensis collector 777.
Fridericus II. imperator Romauorum 44.
Fructus beneficiorum vacantium in Vratislavieusi, Cracoviensi et Pragensi dioecesibus 139—145.
Fulco cantor Gnesnensis 10.
Fulco archiepiscopus Guesnensis 29, 65.
Fulco Cancellarius 63.

G.

Gabriel de S. Archangelo Ariminensis dioecesis collector decimarum in Polonia 139 — 145.
Galanda terra 57, 81.
Galathae, qui et Tartari nuncupantur, in dioecesi Kiovieusi 162, 167, 295.
Galhardus de Carceribus nunt. apost. et collector 382 — 386, 388, 391, 398, 403, 405, 406, 410, 413, 415 — 420, 424, 426, 438 — 448, 463, 467.
Gasbertus archiep̄us Arelatensis pontificis thesaurarius 282, 283.

Gazariae terra 846.
Gdanczk, Gedanensis commendaria 165, 166, 364.
Gedemin rex Lithuauiae 190, 193, 195, 196, 198.
Gentilis card. tit. s. Martini iu Montibus 573 — 576.
Gervardus ep̃us Vladislaviensis 146, 148, 150 — 153, 178, 281, 302.
Gerziche mons 61.
Getvesia terra 87.
Gezov, Iezov praepositura ord. S. Benedicti Gnesn. dioec. 720, 721.
Glogovienses duces 170, 211, 372, 409, 552, 573, 623.
Guesnenses archiepiscopi 1—5, 9, 10, 22, 24, 27, 28, 30, 32—35, 39, 41, 45—47, 63, 66, 70, 72, 82—85, 88, 90, 91, 94, 95, 98, 106, 117, 128, 146, 151, 160, 165, 169, 186, 200, 207, 209, 211, 215, 219, 274, 281, 296, 297, 302, 308, 315, 322, 353, 389, 394, 403, 414, 423, 443, 448, 463, 467, 470, 472, 479, 485, 487, 493, 509, 526, 527, 533, 539, 558, 596, 600, 615, 631, 639, 641, 653, 699—701, 703, 712, 718, 757, 764, 776.
Golesisco, limites de, 17.
Goloviensis ecclesia cathedralis 120.
Gorka, Gregorius de, canonicus Vratislaviensis 648.
Gostina, Petrus de, canonicus Vratislaviensis 596.
Gotlandiae provincia 20.
Gregorius PP. IX. 17—35.
Gregorius PP. X. 83.
Gregorius PP. XI. 659—749.
Gregorius PP. XII. 778.
Greta nata Ruyanorum principis 101.
Grimizlava mater Lesconis ducis Cracoviae 62.
Grimislava mater Boleslai ducis Cracoviae 430.
Grissovia monasterium 228, 401, 417, 646.
Grotcovia oppidum 639.
Gucvomir praepositus monasterii Tremensis 636.
Guilaberti Ioannes canonicus Tarbatensis collector 619.
Guntherus episcopus Masoviae 75.
Grusvia ante pontes 20.

H.

Haliciensis dioecesis 713, 731.
Hartungus episcopus Osiliensis 171.
Havelbergenses episcopi 38, 101, 499.
Hedviges Poloniae ducissa 160, 169, 203, 289, 307, 328, 357.
Hedviges Casimiri regis filia 154, 160.
S. Hedvigis festum 607.
Henricovia monasterium 96, 228, 401, 417, 646.
Henricus episcopus Kioviensis 162, 167.
Henricus episcopus Lubucensis 542, 543, 557.
Henricus episcopus Revaliensis 110, 180.
Henricus episcopus Slesvicensis 705.
Henricus episcopus Vratislaviensis 124, 289, 509.
Henricus episcopus Varmiensis 693, 719.
Henricus episcopus Vladislaviensis 774.
Henricus natus Boleslai ducis Opoliensis 577.
Henricus dux Glogoviae 170, 552, 573.
Henricus dux Saganensis 534.
Henricus Wonne plebanus Varmiensis 742.
Henricus archiepiscopus Gnesnensis 10, 88.
Henricus dux Falkenbergensis 663.
Henricus episcopus Varmiensis 46, 404, 409, 425, 429, 693, 719.
Heuricus landgravius Hassiae 614.
Henricus dux Silesiae 2, 5, 7, 55, 176, 219, 222, 328, 374.
Henricus episcopus Osiliensis 705.
Hermannus episcopus Culmensis 156.
Hermannus episcopus Osiliensis 410, 620.
Hermanuus Tzurkov miles Caminensis 648.
Hermannus marchio Brandeburgensis 170, 176.
Hermauov villa 56.
Hildegunda nata Engelberti de Tisenhusen militis Tarbatensis 581.
Hildesheim 37, 69.
Hinco episcopus Lodimiriensis 660.
Hohenloch vel Olloch, comes de, 145.
Holisanthia provincia 20.
Honorius PP. III. 1—15.
Honorius PP. IV. 95—100.
Hospitale infirmorum Vratislaviense 55.
Hostrov vel Ostrov castrum 28, 29.
Huugaria 86, 87, 99, 100, 113, 114, 131, 322, 343, 387, 417, 420, 471, 480, 482, 491, 494, 496, 508, 516, 559, 560, 590, 599, 659.

I.

Iacintones 72.
Iacobus episcopus Curoniensis 591, 662.
Iacobus episcopus Sambiensis 587.
Iacobus archiepiscopus Gnesnensis 90—92, 128.
Iacobus episcopus Culmensis 530.
Iacobus episcopus Osiliensis 171, 175, 341, 344.
Iauislaus archiep̃us Gnesnensis 130, 133, 164, 168, 281, 302, 308.
Iaroslaus arhidiaconus Cracoviensis 229.
Iaroslaus archiepiscopus Gnesnensis 449—451, 456, 457, 556, (Ioannes 582), 618, 636, 645, 700, 701.
Iatverzaui 73.
Iaurinensis dioecesis 482.
Iavor castrum 610, 663.
Ikesculle, Ioanues de, fr. hosp. B. M. Teutonicorum 131, 134, 136.
Imislaus episcopus Plocensis 616, 621, 639.
Imislaus castellanus de Ruda 8.
Incendiarii ecclesiarum 335.
Ingeri 114, 530.
Innocentius PP. III. 697.
Innocentius PP. IV. 36—59, 750.
Innocentius PP. VI. 542—608.
Innocentius PP. VII. 775—777.
Inquisitores haeret. pravitatis 137, 139, 297, 298, 555, 699, 700.
Ioannes PP. XXI. 84.
Ioannes PP. XXII. 128—360.
Ioannes de Busca vicecancellarius Polouiae 624.
Ioannes archiepiscopus Bremensis 122, 158.
Ioannes episcopus Cracoviensis 143, 290, 293, 294, 317, 326, 331, 333, 334, 338, 339, 345, 368, 405, 406, 410, 431, 432, 435, 508.
Ioannes episcopus Curoniensis 553.
Ioaunes episcopus Hildesheimensis et Plocensis 614.
Ioannes episcopus Revaliensis 110.
Ioannes episcopus Sambiensis 159.
Ioaunes de Vishusen episcopus Tarbatensis 498, 499, 501.
Ioannes rex Bohemiae, 374, 465, 475, 478, 483, 486, 493, 494.
Ioannes marchio Moraviae 624.
Ioannes dux Silesiae 201.
Ioannes natus Casimiri ducis Thessinensis clericus Vratislaviensis 589.
Ioanues de Bzovia ord. Praed. vicarius Lithuaniae 773.
Ioannes de Moscate collector denarii S. Petri 92—95.
Ioannes episcopus Cracoviensis 674.
Ioannes archiepiscopus Gnesnensis 700—702, 712, 745.
Ioannes episcopus Posnaniensis 502, 513, 567, 599, 645, 674, 675, 721.
Ioaunes archiepiscopus Pragensis 703.
Ioannes archiepiscopus Rigensis 604, 704.
Ioannes episcopus Sirmiensis collector 722.
Ioannes ep̃us Varmiensis 529, 665—667, 678, 682, 683, 685, 694, 714.
Ioannes de Vlodimiria 226.
Ioaunes de Lutomisl cautor Vratislaviensis 644.
Ioannes piucerna ducis de Calis (Kalis) 8.
Ioannes dux Teschinensis 589, 624, 636.
Iordanus episcopus Varmiensis 201, 302.
Isarnus archiepiscopus Rigensis 112, 113.
Iucta nata ducissae Vratislaviensis 145.
Iucta nata Bolconis ducis Falkeuberg 595.
Iura comes Cracoviensis 601.
Ivan castellauus in ducatu Calisiensi 8.
Ivo episcopus Cracovieusis dein Gneznensis archiepiscopus 10.
Ixkulle, Nicolaus de, miles Tarbatensis 581.
Izislaus nobilis Calisiensis 8.

K.

Kalis, Calis, Chalis, duces de, 1—3, 7, castrum 7.
Kazimirus III. rex Poloniae 355, 356, 361, 383, 397, 405, 415, 423, 427, 433, 434, 436, 449, 459, 474, 478, 483, 493, 502, 525, 526, 535, 540, 543, 556, 560, 577, 580, 583, 607, 613, 615, 617, 624, 626, 632, 639, 648, 653, 657.
Kazimirus dux Cracoviae 41.
Kerstutus dux Lithuauiae 525, 526, 695.
Kercholme castrum 61.
Kiovia, Kiew, eiusque ecclesia 25, 162, 167, 718, 719.
Kisiu castrum 14.

L.

Lacaucina vide Arnaldus de Caucina seu de Lacaucina.
Ladimiriensis episcopus 586, ecclesia 660, 675, 712—715.
Ladislaus dux Osvencinensis 171.
Ladislaus dux Opoliensis 712.
Lancitiae duces 35, 52, 71, 76, 92—95, 663.
Lenuevarde castrum 61.
Lamburgensis (Leopoliensis) seu Haliciensis ecclesia 615, 664, 668, 675, 713, 719, 731.
Laschowiae ecclesia 142.
Lesco dux Cracoviensis et Ratiboreusis 41, 325, 343.
Lesco dux Cuiaviae 346.
Lesota praepositus Scarbimiriensis 63.
Licvanes (Litvani) 72.
Lignicensis dux 534, 552, 554.
Lincopiensis episcopus 546.
Lithoviae episcopus 58, 59.

Lithuania 39, 41, 50, 53, 59, 60, 63, 73, 76, 77, 79, 80, 119, 131, 190, 193, 525, 532, 550, 558, 561, 577, 581, 618, 695.
Livonia 36, 37, 40, 48, 59, 69, 70, 131, 134, 428, 468, 516, 572, 650.
Lobdov ecclesia 142.
Lubardus dux Lithuaniae 695.
Lubucenses episcopi 56, 73, 109, 140, 143, 160, 209, 220, 295, 306, 328, 403, 467, 475, 485, 491, 497, 542, 556, 570, 595, 629, 683, 728, 730.
Lubus castrum 5, 6.
Lubovia terra 81.
Lucardis neptis Ottonis ducis Stetinensis 451.
Lucfredus fr. hosp. B. M. Teutonicorum 131, 134, 184.
Lucov provincia 57.
Luczensis ecclesia 719.
Ludecho vel Ludico ep̃us Pomesaniensis 122, 158, 174.
Ludemer territorium 460.
Ludolphus episcopus Curoniensis 553, 591.
Ludovicus dux Legnicensis 534.
Ludovicus Bavarus rex Roman. 217, 218, 227, 228, 328, 478, 484, 498.
Ludovicus rex Hungariae 560, 561, 577, 590, 595, 674, 695, 701, 713.
Lumbeus abbas ord. Cisterciensis 31, 180.
Lundensis archiepiscopus 110, 181.
Luthaviae, Luthoviae vel Lithoviae rex 49, 50, 53, 58, 60.
Lutoldus electus Vratislaviensis 289.

M.

Magdeburgenses archiepiscopi 69, 201, 606.
Magnus rex Sveciae 530, 531, 557.
Margareta soror ducis Stetinensis 201.
Margareta nata Iacobi de Porzcheyn militis Cracoviensis 434.
Margareta nata Ludovici ducis Legnicensis 554.
Martinus PP. IV. 88—94.
Martinus archiepiscopus Gnesnensis 84, 86, 90.
Matrimonia cum Ruthenis 22.
Matthaeus sive Matzeus de Lamberto collector decimae 767—769, 778.
Mathias electus Haliciensis 731.
Mathias episcopus Vladislaviensis 178, 182, 187, 188, 199, 227, 228, 281, 302, 307, 364—366, 386, 629.
Masoviae duces 8, 17, 24, 32, 186, 343, 448, 501, 551, 561, 571, 696.
Mechoviae fratres sepulchri dom. ord. S. August. 673, 678.
Medo vel cerevisia 12.
Merzepole castrum 61.
Metheliensis episcopus coadiutor archiep̃i Gnesnensis 157.
Mezano, abbas de, nuntius apostolicus 51, 52, 57, 72.
Michael castellanus Cracoviensis 42.
Michael episcopus Cuiaviae 75.
Militiae Christi fratres in Masovia 17.
Miloslaus nobilis Calisiensis 8.
Mindovin, Mindove rex Lithuaniae 49, 50, 79, 193.
Mirozlaus archidiaconus Glogoviensis 115.
Misnenses episcopi 452, 458, 459, 586.
Mocronos villa 56.
Montisflasconense hospitium fratrum B. M. Teutonicorum 725.
Moraviae marchiones 15, 51—63, 71, 80, 81, 98, 140, 144, 484, 624, 640.
Mutinensis episcopus apostolicae sedis legatus 27, 29, 30, 33, 36.

N.

Nachel castrum 28, 29.
Nankerus canonicus Cracoviensis 148.
Nankerus episcopus Cracoviensis 227, 229, 290.
Nankerus episcopus Vratislaviensis 289, 292, 298, 299, 304, 305, 309, 313—315, 320, 325, 343, 352, 368, 384, 385, 388, 437, 476.
Nankerus palatinus 103.
Naroucinones castrorum 28, 29.
Natangia terra 81.
Nechovicz ecclesia 141.
Neophiti Pruteni 12, 34, 42, 120.
Nicolaus PP. III. 85 — 87.
Nicolaus PP. IV. 101 — 108.
Nicolaus episcopus Caminensis 779, 782.
Nicolaus episcopus Culmensis 155, 156, 181, 765.
Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis 776.
Nicolaus episcopus Posnaniensis 82, 721.
Nicolaus electus Lubucensis 160.
Nicolaus episcopus Plocensis 368.
Nicolaus episcopus Pomesaniensis 592.
Nicolaus Ruthenus episcopus Premisliensis 543, 555, 556, 743.
Nicolaus archiepiscopus Rigensis 603, 604.
Nicolaus episcopus Tarbatensis 123, 177.
Nicolaus episcopus Vladislaviensis 774.
Nicolaus de Krosna vicarius in partibus Russiae 551, 668, 675.
Nicolaus de Regnitz canonicus Vratislaviensis 669, 737.
Nicolaus de Strosberg 582, 710—712, 746.
Nicolaus dux Opaviae 595;
Nitriensis episcopus 482.

O.

Odo dux Poloniae 28.
Ogledev, colloquium in, 67.
Olavus episcopus Revaliensis 180.
Olavia oppidum dioecesis Vratislaviensis 681.
Oligerdus dux Lithuaniae 695.
Olomucenses episcopi 17, 24, 48, 80, 138, 144, 315, 321, 388, 401, 461, 476, 501, 595.
Opatoviensis decanus Cracoviensis dioecesis 685, 686.
Opaviae dux 595.
Opol, duces etc. de, 24, 93, 95, 171, 211, 287, 298, 373, 375, 394, 426, 443, 446, 536, 561, 577, 636, 712.
Osilienses episcopi 49, 50, 61, 111, 133, 171, 175, 325, 341, 344, 380, 410, 530, 570, 588, 619, 626, 627, 629, 705.
Osa flumen 19, 74.
Osloensis episcopus 546.
Ostiensis episcopus Nicolaus legatus apostolicus 113, 117.
Ostinghusen Ioannes de, 134, 136.
Oswencinensis dux Ioannes 724.
Otto episcopus Curoniensis 662.
Ottocarus rex Bohemiae 81.
Otto natus ducis Slaviae 218.
Otto episcopus Culmensis 180, 181, 184, 364, 530.
Ovenz, moniales ordinis Cisterciensis de, 223.

P.

Pacoslaus comes etc. 20, 75, 546, 614, 617, 618.
Pacostz Hector miles Vladislaviensis 746.
Padliza, Ioannes de, canonicus Gnesnensis 84.
Palatini 8, 42, 57, 63, 65, 67, 75, 103, 165, 313, 431, 432, 611.
Palhola, aurum de, 145, 331.
Paluca, Mathias de, canonicus Vladislaviensis 149, 186—188.
Paulus episcopus Curoniensis 172.
Paulus Cracoviensis episcopus 89.
Pazluch terra 81.
Pelcho Michaelis de Zochow miles Cracoviensis 434.
Peneskonis Nicolaus collector decimarum in Polonia 777.
Petrus episcopus Cracoviensis 776.
Petrus episcopus Vladimiriensis 586, 623, 660.
Petrus de Srem castellanus in ducatu Calisiensi 8.
Petrus Stephani canonicus Strigouiensis collector decimae 708.
Petrus de Galesio nuntius apostolicus 648.
Petrus Gervasii nuntius apostolicus et collector 403, 411, 413.
Petrus episcopus Lubucensis 699, 728.
Petrus de Radolina nuntius apostolicus et collector 760—762.
Petrus de Ruse de Thorum miles Culmensis 736.
Petrus Stanislai episcopus Cracoviensis 507, 517.
Philippus episcopus Firmanus legatus apostolicus 86, 88, 90.
Pincernae 8, 42, 57, 63, 65, 67, 75, 165, 313, 431, 432, 611.
Plothensis rex 120.
Pleskovia urbs 46.
Plocense capitulum 8, 27, 34, 39.
Plocenses episcopi 8, 31, 39, 46, 91, 129, 143, 177, 186, 187, 209, 217, 220, 280, 281, 284, 285, 302, 306, 316, 394, 403, 414, 421, 443, 464, 479, 500, 556, 597, 598, 616, 638, 677, 718, 724, 747.
Pogezania terra 81.
Polonia, eiusque duces et reges 1, 4, 5, 18, 22, 26, 27, 29, 30, 33, 38, 39, 43, 44—46, 51, 52, 60, 63, 70, 71, 73, 77, 82, 92, 94, 95, 97, 98, 108, 138, 140, 147, 150, 153, 163, 164, 166, 179, 201, 202, 205, 208, 211, 213, 215, 220, 289, 291, 297, 329, 340, 354, 263, 387, 391, 394, 395, 398, 416, 468, 480, 491, 496, 508, 516, 523, 539, 555, 558, 565, 577, 578, 618, 632, 642, 659, 701.
Polpelin abbatia dioecesis Vladislaviensis 129, 507, 651, 705.
Pomerania 4, 21, 38, 39, 43—45, 51, 57, 61, 92, 94, 95, 97, 150, 164, 174, 354, 364, 367.
Pomesanienses episcopi 122, 158, 341, 504, 505, 592.
Pomeraniae archidiaconatus 157.
Posnanienses episcopi 5, 28, 29, 82, 89, 91, 95, 149, 151, 163, 165, 177, 206, 208, 216, 219, 220, 223, 284, 302, 315, 381, 388, 398, 403, 414, 443, 464, 500, 502, 514, 556, 567, 568, 571, 599, 622, 623, 627, 642, 643, 646, 650, 652, 674, 721, 755, 756, 759, 763—780.
Posnaniensis praepositus 483.
Praedicatorum ordo 21—23, 37, 69, 71, 122, 138, 156, 162, 168, 193, 297, 298, 347, 352, 407, 457, 642.
Pragensis ecclesia 76, 138, 144, 374, 425, 461, 465, 475, 494, 588, 621, 623, 625, 628, 666, 667, 703, 764.
Prandota episcopus Cracoviensis 42, 65, 432.
Preczlaus episcopus Vratislaviensis 437, 476, 592, 611, 639, 663, 759.
Predpolk cancellarius 67.
Premisliensis ecclesia 543, 713, 735.
Prezvod castrum 62.
Pribizlaus nutritor Boleslai ducis Cracoviensis 42.
Prikka nata Ioannis de Rudno 512.
Procopius cantor ecclesiae Gnesuensis 84.

Provisiones beneficiorum ecclesiasticorum 177, 325, 343, 540, 541, 553, 607, 608, 670—673, 679, 680, 697, 698, 709, 730, 731, 747—946.
Prussia eiusque epi 2, 6, 7, 14, 20, 27, 34, 36, 40, 43, 45—48, 53, 69, 70, 77, 81, 97, 132, 164, 357, 415, 458, 516, 563, 650, 658.
Pruteni 4, 12, 13, 16, 17, 34, 39, 42, 74.
Prutenorum confinia 18, 19.
Przemislaus dux Thessinensis 636.
Puchenieusis ecclesia cathedralis 120.

Q.

Quinqueecclesiensis dioecesis 482.

R.

Racibor nobilis de Calis 8.
Radolina, Petrus de, praepositus Vladislaviensis 760—762.
Radzeyoviensis ducatus 479.
Remin castrum 61.
Rescule castrum 61.
Revalienses episcopi 110, 111, 114, 180, 185, 429, 650.
Richardus Anglicus primus Chersonensis episcopus 349, 350.
Ridliza, Ioannes de, electus Gnesnensis 89.
Rigenses episcopi et archiepiscopi 50, 61, 86, 111—113, 119, 122, 123, 130, 132, 156, 158, 172, 174, 177, 182, 184, 190, 193, 199, 311, 341, 380, 407, 425, 436, 437, 455, 515, 519, 521, 523, 530, 541, 546, 570, 588, 593, 601, 603, 605, 615, 621, 650, 663, 697, 704.
Rodulphus episcopus Pomesauiensis 174.
Rope, Nicolaus de, miles Tarbatensis 351.
Rosen, Otto de, miles Rigensis 541.
Rosen, Woldemarus de, fr. hospitalis B. M. Teutonicorum 132, 134, 136.
Ruda, castellanus de, 8.
Russia, Rutheni 4, 5, 13, 16, 18, 19, 21—23, 25, 26, 38, 51, 61, 73, 96, 131, 162, 190, 192, 195, 295, 299, 460, 531, 543, 551, 572, 580, 676.
Rustici molestati 22, 294.

S.

Sabinensis episcopus Guillelmus legatus apostolicus 40, 110.
Salis fodinae in Bohna 62.
Salomea Haliciae regina 62, 65, 67, 72.
Sambienses episcopi 56, 57, 61, 81, 160, 341, 477, 553, 650.
Sanctir castrum 34.
Sando palatinus Sandomiriensis 42.
Sandivorus canonicus S. Georgii Gnesnensis 11.
Sandomeriae ducissa 24, 25, 41, 62, 102, 431, 443.
Saraceni 19, 20, 51, 74, 75, 104, 176, 294.
Saulovice castrum 62.
Saxoniae duces 494, 495, 607.
Sbigneus praepositus Cracoviensis 466.
Sbilutus episcopus Vladislaviensis 628, 638, 688.
Scalalapidis S. Mariae monasterium Cracoviense 102.
Scopoliensis episcopus Paulus coadiutor archiepi Gnesnensis 157.
Sdizlaus archidiaconus Zavichostensis 14.
Segevalden opidum 134, 184.
Segneus palatinus Sandomiriensis 65.
Selonia castrum 61.
Semigalliae terra 61, 120.
Semovitus dux Masoviae 19, 560, 571, 651, 696.
Sevastopolensis dioecesis 348.
Siffridus episcopus Sambiensis 159.
Siffridus Blomenberg archiepiscopus Rigensis 656, 697, 704.
Silesiae duces 2, 25, 27, 30, 32, 33, 55, 63, 95, 102, 108, 109, 201, 211, 219, 298, 308, 309, 319, 320, 322, 343, 374, 397, 555, 584, 595, 610, 623, 634, 639, 650, 656.
Siraz castrum 89.
Sirmienses episcopi 482, 722.
Slavus canonicus Cracoviensis 3, 7, 101.
Slupensis castellania 157.
Smil pincerna Cracoviensis 66.
Sobutku castrum 62.
Solislavus archidiaconus Zavichostensis 14.
Soysim terra 81.
Spicimirus comes palatinus Cracoviensis 204.
S. Stanislaus Cracoviensis episcopus et martyr. 53, 64, 65, 68, 69.
Srem, castellanus de, 8, castrum de Srem 28.
Stanislaus episcopus Plocensis 724.
Stanislaus dictus Grad miles Plocensis 758.
Stephanus palatinus de Calis 8.
Stephanus episcopus Lubucensis 162, 295, 296, 485.
Stirio 80, 81.
Strelinensis abbatia 610, 611.
Strigonienses archiepiscopi 171, 460, 482, 483.
Strosberg Nicolaus collector 582, 710—712, 745.
Subagazones 66, 432.
Subdapifer 431, 432.
Subvenatores 66, 432.
Sulchoviz villa 56.
Sulco subagazo Cracoviensis 66.
Suravia provincia 20.
Svantopolcus dux Pomeraniae 39, 41.
Sveciae rex 530, 531, 563, 573.
Svencheslaus canonicus Cracoviensis collector 752—754.
Sventopelk princeps de Gdansk (Gedanensis) 15.
Sverinenses episcopi 27, 505, 565, 729.
Syraise, palatinus de, 42.

T.

Tarnovia oppidum 590.
Tartari 51, 77, 162, 215, 294, 348, 468, 532, 539, 558, 769—773.
Tarbatenses episcopi 50, 59, 61, 101, 111, 123, 172, 179, 180, 325, 351, 379, 380, 454, 499, 501, 530, 565, 570, 577, 580, 588, 601, 607, 619, 626, 629, 650, 696, 729.
Teschinenses, Thessinenses duces 589, 624, 636.
Tessundorf, Glabuvez de, miles Pomesaniensis 652.
Teutonicorum fratres hospitalis S. Mariae Hierosolym. 18, 19, 21, 34, 39, 45, 48, 53, 57, 61, 73, 77, 79, 94, 97, 119, 122, 130, 132, 134, 136, 144, 146, 150, 159, 164, 166, 174, 182, 193, 196, 209, 306, 319, 327, 332, 333, 335, 339, 340, 355, 356, 364, 367, 379, 407, 411, 415, 419, 428, 435, 452, 459, 479, 494, 506, 512, 522, 531, 550, 557, 570, 571, 585, 588, 601, 629, 632, 649, 665, 666, 667, 694, 714—718, 725.
Theodericus episcopus Vormatiensis 632.
Titulensis praepositus in dioecesi Colocensi 384, 395, 423, 438, 463, 471, 472, 480, 496, 517.
Tisenhusen, Ioannes de, frater hospitalis B. M. Teutonicorum 134, 136.
Tisenhusen, Margareta de, Rigensis 541.
Tisenhusen, Engelbertus de, miles Tarbatensis 351.
Thisenhusen, Nicolaus de, canonicus Tarbatensis 619.
Thomas electus Nimociensis collector decimae 726—728.
Thomas episcopus Vratislaviensis 56.
Thomas thesaurarius Cracoviensis 42.
Thoroda castrum 61.
Thorunium civitas 365.
Thorunenses consules 657, 658.
Thurensis ecclesia in Russia 719.
Toleve castrum 61.
Tremesnensis conventus 633.
Troling, comes de, 145.
Troymus dux Masoviae 200.
Turcae 769 771.
Theodoricus canonicus Crusviciensis 737.
Tusculanensis episcopus Ioannes legatus apostolicus 96—98.

U.

Ulbin curia dioecesis Vratislaviensis 56.
Ulricus et fratres cives latini Kiovienses 25.
Ungaria, Iohannes et Rodulphus de, milites hospitalis B. M. Teutonicorum 131, 134, 136.
Ungenade in Seghevaldis, Ioannes de, frater hospitalis B. M. Teutonicorum 131, 134, 136.
Upemele castrum 61.
Upsalensis archiepiscopus 12.
Urbanus PP. IV. 76—78.
Urbanus PP. V. 609—658.
Urhanus PP. VI. 750—762.
Usbek Tartarorum imperator 434.
Uschc vel Urche castrum 28, 29.
Usebotin villa 56.
Uxorati sacerdotes 9.

V. W.

Wabsk castrum 14.
Vaciensis dioecesis 482.
Wangrete castrum 62.
Wansovia opidum 125.
Warendorp Gotfridus decanus Tarbatensis 619.
Wartislaus dux Stetinensis 201.
Varadinensis episcopus 482, 590.
Varmienses episcopi 46, 57, 61, 81, 86, 285, 287, 400, 409, 425, 503, 529, 536, 563, 568, 642, 647, 650, 658, 665, 678, 682, 683, 685, 693, 694.
Varta fluvius 28.
Wateni 114.
Velen castrum 28.
Velsac (Melsac) castrum 14.
Wenceslaus episcopus Lubucensis 728, 730.
Weuceslaus dux 692.
Venderevice castrum 62.

Wenceslaus episcopus Vratislavieusis 760.
Wenceslaus Romanorum rex 760.
Wenceslaus dux Silesiae 634.
Werden, Elisaheth de, nobilis mulier Tarhatensis 607.
Verdensis episcopus 38, 69, 629, 655.
Vesprimiensis episcòpus 482.
Wesselus episcopus Tarbatensis 454, 498.
Wicholdus episcopus Culmensis 614, 687, 732.
Wilhelmus patriarcha Constantinopolitanus 586, 590.
Wilhelmus imperator Romanorum 60.
Vincentius archiepiscopus Guesneusis 11.
Virkes, Gerhardus de, miles Tarhatensis 607.
Vironiensis episcopus 61.
Virhena ecclesia parochialis dioecesis Vratislaviensis 509, 512.
Wissin villa 17.
Wislaus episcopus Cracoviensis 460.
Visliciensis praepositura 537.
Wizla fluvius 19, 74, 345.
Voicech nohilis de Calis 8.
Voiceslaus agazo Sandomiriensis 42.
Wolymirus episcopus Vladislaviensis 312.
Vosprensis metropolis 348, 350.
Wosernice Ostrov castrum 62.
Wosceniki castrum 62.
Vladimirienses episcopi 586, 623, 713.
Wladislaus rex Poloniae 201—204, 215, 216, 223, 226, 291, 295, 298, 299, 310, 319, 322, 326, 335, 341, 345, 346, 775, 776.
Wladislaus dux Poloniae 1, 5, 27.
Wladislaus dux Calisiensis 1—3, 7, 9.
Wladislaus dux Coslensis 409.
Wladislaus dux Bichomiensis 451.
Wladislaus dux Opoliensis 561.
Vladislavienses episcopi 63, 95, 186, 199, 209, 220, 227, 228, 262, 281, 285, 302, 306, 312, 335, 353, 364, 366, 386, 394, 403, 414, 420, 447, 479, 556, 561, 600, 623, 650, 688, 736, 746.
Vlodislavus magnus dux Poloniae 5, 26.
Wlostoberius archiepiscopus Gnesnensis 87, 88, 90.
Wrangelin Ioannes canonicus Tarhatensis 619.
Vratislaviense capitulum 3, 56, 102, 138.
Vratislavienses episcopi 5, 17, 24, 32, 35, 71, 89, 102, 109, 117, 124, 140, 146, 148, 150—153, 160, 163, 166, 168, 175, 178, 182, 186, 207, 209, 220, 225, 281, 285, 292, 302, 306, 309, 319, 325, 326, 352, 374—376, 386, 395, 398, 403, 437, 461, 467, 476, 487, 492, 510, 521, 534, 539, 546, 556, 573, 593, 606, 623, 635, 638, 650, 683, 692, 714—719, 735, 771.
Vromoldus de Vishusen canonicus Tarbatensis 702.
Vromoldus archiepiscopus Rigensis 515—517, 519, 522, 523, 601, 605, 655, 656.
Wyslaus episcopus Vladislaviensis 150, 163.

Y.

Yvanus episcopus Premisliensis 543.

Z.

Zagahriensis dioecesis 482.
Zandovel, colloquium de, 6.
Zavichost, hospitale pauperum in, 62, 255, 279, 440.
Zavisius episcopus Cracoviensis 751.
Zemomislius dux Cuiaviae 312.
Zlavosus canonicus Cracoviensis 7.

NIHIL OBSTAT

Pius Canonicus Delicati Censor Theologus deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Magister.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi-Bussi Archiep. Iconii Vicesgerens.

Princeton Theological Seminary Library
1 1012 01513 6759

For use in Library only